BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit.
Pl.

CANONES ET DECRETA

CONCILII TRIDENTINI



NUMISMATA

IN PRAEMIUM EDITIONIS LITANIAE LAURETANAE

TRIBUTA

EX TYPIS FIBRENIANIS
Strada Trinità Maggiore n° 26

CANONES ET DECRETA

CONCILII TRIDENTINI

EX

EDITIONE ROMANA A. MDCCCXXXIV

REPETITI.

—

ACCEDUNT

S. CONGR. CARD. CONC. TRID. INTERPRETUM

DECLARATIONES AC RESOLUTIONES

EX IPSO RESOLUTIONUM THESAURO

BULLARIO ROMANO ET BENEDICTI XIV. S. P. OPERIBUS

ET

CONSTITUTIONES PONTIFICIAE RECENTIORES

AD IUS COMMUNE SPECTANTES

E BULLARIO ROMANO SELECTAE.

—

Editio Neapolitana

EDIDIT SACERDOS IOSEPH PELELLA

in via strettola di Porto n.° 21 2.° p.

NEAPOLI 1859

PRAEFATIO

EDITORIS LIPSIENSIS

Iuris catholicorum ecclesiastici studium, quod apud nos est, quominus optatos habeat ac felices successus, duabus maxime causis impeditur. Primum enim cum qua ratione ius illud vitae quotidianae accommodandum, et in causis definiendis adhibendum sit, non satis perspiciatur, alienum quasi ab ipsa vita et vigore suo destitutum esse videtur. Deinde in eo docendo ita plerumque versari solent, quasi Concilio Tridentino omnino absolutum nec quidquam post illius aetatem aut adiectum sit aut mutatum, quod a vero quantum absit vel primus Bullarii Romani aspectus docet. Verum accommodatiori cum docendi tum discendi methodo obstitit hactenus, quod fontes iuris recentioris per innumera volumina dispersi raro tantum aut magno certe pretio comparari possunt. Cui malo ut medicinam faceremus, de editione Concilii Tridentini curanda cogitavimus, qua non solum decretorum Tridentinorum usus, sed vicissitudines quoque, quas subierunt, accuratius demonstrarentur.

In quo quidem opere ita versati sumus, ut ipsum Concilium ex editione, quae Romae an. MDCCCXXXIV. in Collegio Urbano de Propaganda Fide prodiit, sublatis tantummodo aliquot mendis, quae typographi culpa irrepserant, repeteremus.

Deinde singulis Concilii decretis, ut qui nunc eorum usus esset appareret, adiectae sunt Congregationis Cardinalium, quae Concilii non solum interpres, sed custos quoque ac vindex a SS. PP. Pio IV. et Sixto V., constituta est *), declara-

*) De huius Congregationis institutione, privilegiis atque officio accurate agitur a *Zambonio* in praefatione ad Collectionem Declarationum S. Congr. Conc., quae Viennae, Mutinae, Budae et Romae a. MDCCCXII. sequ. quatuor tomis forma quaternaria prodiit.

tiones ac resolutiones, a iuris ecclesiastici doctoribus Germanicis immerito plerumque neglectae. Earum quidem maxima apud *Bellarminum*, *Gallemartium* (in ed. Conc. Trid. Colon. 1619. et saep.) *Pignatellum*, *Ursayam*, *Fagnanum*, *Petram*, *Manacellum*, *Laurentium de Nicolis*, *Zambonium*, et alios exstat copia. Ne vero certa cum incertis miscerentur, neve minus authentica et fide destituta a nobis exhiberentur, quod saepissime *Gallemartio*, aliquando vero *Zambonio* quoque accidit, Thesaurum Resolutionum S. Congregationis Concilii, ipsius Congregationis auctoritate et iussu inde ab anno MDCCXVIII. primum Urbini, deinde Romae publici iuris factum (Tom. CIII. Rom. 1843.), operi pro fundamento subiecimus. Ea vero, quae ad antiquiorem aetatem pertinent, cum ex operibus Benedicti P. XIV., qui antequam ad sedem Bononiensem promoveretur, secretarii Congregationis munere functus est, tum e Bullario Romano atque ex ipso Thesauro repetivimus, in quo declarationes et resolutiones antea emissae ex ipsis Congregationis libris saepius integre relatae sunt. In eligendis denique et recensendis causis ita versandum esse putavimus, ut quae non universam haberent et generalem rationem omnino omitterentur, causarum vero status quam accuratissime exponeretur, ne vitii a *Zambonio* commissi participes essemus, quem causas non sine quadam incuria retulisse haud ita raro comperimus.

In Appendice demum SS. PP. constitutiones, quibus Concilio Tridentino aliquid aut derogatum aut subrogatum aut obrogatum est, partim integras retulimus, partim indicavimus, qua in operis parte adornanda Bullarium, quod opera *Cocquelines* inde ab anno MDCCXXXII. seqq. Romae quatuordecim tomis prodiit, et Benedicti XIV. Bullarium, eodem loco anno MDCCLIV. quatuor tomis editum, adhibuimus.

His itaque de operis consilio ac ratione breviter expositis nihil restat quam ut librum nostrum quo iuris ecclesiastici studio exoptatum diu et desideratum subsidium allatum iri confidimus, lectoribus etiam atque etiam commendemus.

Datum Berolini d. XXVII. mens. Apr. MDCCCLIII.

DESCRIPTIO

TRIDENTINAE CIVITATIS

Tridenti civitas in finibus Venetae provinciae inter montes, in planitie posita est : muris vallata lapideis quam ex Septentrione abluit Athesis fluvius, ambitus milliaris Itali. In ea vias latas et lapidibus structas, domos vero ita honorificas cernas, ut novam, non veterem civitatem praeseferat. Templa satis pulcra conspicias, sed in omnibus iis parum structurae. Arcem habet conspicuam, ut domum auream dicas potius, et quam possint et Imperatores, et Reges percommode inhabitare, a Bernardo Clesio Tridentino Praeside auctam, et illustratam non multos antehac annos. Influit placide in urbem per muros ab Oriente aquae rivus, super quo aedificia sericea, et molae frumentariae multae sunt, unde item plurimi rivuli deducuntur per medias vias in usum, et publicam commoditatem. Super Athesim ad portam, quae dicitur, S. Laurentii, pontem habet magnificum, sed ligneum, centum et quadraginta passuum longitudinis. Montes circum se habet nivibus continue obsitos, scopulosos, inaccessos, praecipites, et ita praealtos, ut dicas, coelum summa montium cacumina contingere. Fauces habet duas, quarum altera vergit ad Septentrionem, altera vero ducit ad Veronam. Planitiem admodum parvam, sed ridentem, et arboribus, et vitibus mirum in modum consitam, quam Athesis circuit, et lambit undequaque. Promiscua habitantibus lingua, scilicet, Theutonica, et Itala, sed Itali omnes etiam, cum placet, Theutonice loquuntur. Tridentum Germanorum sentina, Italorum vero refugium est, cum quid infortunii illis occurrit. Parum frumenti, sed plurimum vini, persuave habent, album, et subrubeum. Per aestatem coelum temperatum est; diebus autem canicularibus sol apprime fervens. Hyberno vero tempore propter nivium, et glacierum ingentes horrores vix hujusmodi regio habitari potest : neque satis sunt hominibus hypocausta ad depellenda frigora,

quae eo tempore tam magna sunt, ut non sinant aquas descendere in terram, sed statim venientes, convertant in nives, et quod datur miraculo, ut putei ipsius civitatis per tempus aquis id omnino careant. Boves, et vaccas pro mulis, asellis et equis onerariis habent, cum eorum plaustris, tam ad res convehendas facilibus, ut ad montium cacumina sic properent, ac si essent in planitie, a viarumque publicarum curatoribus ita juga aptata sunt, ut usque ad culmen accessibile quorumcumque montium ab eisdem iri possit. Nunc demum civitas ista et opulenta, et clara effecta est propter Concilium, quod in ea fuit per plurimos annos, et nunc viget maxime. Nam hic convenere quinque primum Cardinales Praesidentes, et Legati Concilii pro SS. D. N. Pio IV. Pont. Opt. Max. Duo similiter Cardinales, Lotharingius et Madrutius, Patriarchae tres, Archiepiscopi XXXIII. Episcopi CCXXXV. Abbates VII. Ordinum Generales VII. cum Theologis CXLVI. et ultra, saecularibus, et regularibus, Ferdinandique Caesaris, Regis Galliae, Hispaniarum, Portugalliae, Hungariae, Boemiae, Poloniae, Venetiarum, Septem Cantonum Helvetiorum, Bavariae, Sabaudiae, Florentiae, et aliorum Principum Ecclesiasticorum, Oratores.

ORDO LEGENDI

Decreta reformationis per Concilium Tridentinum facta

Distinctus per titulos et capita

TIT. I.

DE FIDE

CAP. I.

De facienda professione fidei.

Cogit temporum calamitas, *Sess.* XXV. *cap. ref.* II. *pag.* 439.
§. Provisi etiam, *usque* Neminem, XXIV. XII. 348.

CAP. II.

De impressione, expositione, et legitimo usu sacrae Scripturae.

Insuper, IV. *post decretum de libris Canonicis*, 12.

TIT. II.

DE SACRORUM CANONUM OBSERVATIONE.

CAP. UNIC.

Sicuti publice expedit, XXV. XVIII. 466.

TIT. III.

DE CONCILIIS PROVINCIALIBUS ET DIOECESANIS.

CAP. UNIC.

Provincialia Concilia, XXIV. II. 328.

TIT. IV.

DE HIS, QUAE UNIVERSI CLERI REFORMATIONEM SPECTANT.

CAP. UNIC.

Nihil est, *Sess.* XXII. *cap. ref.* I. *pag.* 149.
Quia vero, XIV. VI. 91.
Quam turpe, XXV. XIV. 463.
Ut paternae, XXV. XV. 464.
Optandum, XXV. I. 438.
Admonet, *usque* Illis vero, XXV. VIII. 448.
Quicumque de cetero, VII. 46.
Cum Ecclesiasticus, XXIV. XVII. 376.

TIT. V.

DE EPISCOPALI FUNCTIONE.

CAP. I.

Qui, quales, et quomodo ad episcopatum assumendi, et intra quod tempus consecrandi.

Ad Cathedralium, VII. I. 48.
Quicumque, XXII. II. 150.
Si in quibuslibet, XXIV. I. 326.
Ad majores, VII. IX. 54.
Ecclesiis, XXIII. II. 180.

CAP. II.

De residentia et honestate Episcoporum.

Eadem sacrosancta, VI. I. 33.

Cum praecepto, *usque* Eadem omnino, *cap.* XXIII. *Sess.* I. *pag.* 178.
Non potest, XXV. XVII. 466.

CAP. III.

De beneficiorum pluralitate Episcopis prohibita.

Nemo, VII. II. 48.
Cum Ecclesiasticus, *usque* Haecque, XXIV. XVII. 376.
Quoniam pleraeque, *usque* in parochiale, XXIV. XIII. 366.
§. Ad haec in posterum, *usque* In iis, XXIV. XIII. ib.

CAP. IV.

De officio Episcopi in praedicando.

Quia vero, V. II. 20.
Praedicationis, XXIV. IV. 337.

CAP. V.

De officio Episcopi in ordinando.

Episcopi, XXIII. III. 180.
Quoniam, XXI. I. 112.
Ordinationes, XXIII. VIII. 184.
Episcopus, XIV. III. 88.
Episcopus, XXIII. IX. 196.
Nulli Episcopo, VI. V. 39.
Et quoniam, XIV. II. 87.
Abbatibus, *usque* Nec ipsi, XXIII. X. 197.
Facultates de promovendo, VII. XI. 54.
§. Nec ipsi, *usque* Poenam quoque, XXIII. X. 197.

CAP. VI.

De officio, jure, et auctoritate Episcopi in visitando.

Patriarchae, XXIV. III. 330.
Beneficia, VII. VII. 52.
Capitula, VI. IV. 39.
Quaecumque in dioecesi, XXI. VIII. 122.
Locorum Ordinarii, VII. VIII. 52.
Quae alias, XXIV. IX. 345.
Ecclesiarum Praelati, VI. III. 39.
Episcopi, ut aptius, XXIV. X. 345.
Omnes ecclesiarum Praelati. XIV. IV. 88.

CAP. VII.

De officio, jurisdictione, auctoritate Episcopi in judiciis civilibus et criminalibus tam in foro conscientiae, quam contentioso.

Eadem sacrosancta, *usque* Cum igitur, *Sess.* XIII. *cap. ref.* I. *pag.* 70.
Cum proprie, XIV. *proem.* 86.
Causae omnes, *usque* Legati quoque, XXIV. XX. 388.
In exemptorum, VII. XIV. 55.
Insuper cum nonnulli, XIV. V. 88.
Quoniam privilegia, XXIV. XI. 346.
Omnes ecclesiarum Praelati, XIV. IV. 88.
Praeterea quia nonnulli, XIV. VIII. 96.
§. Legati quoque, *usque* Praeterea si quis, XXIV. XX. 388.
§. Cum igitur rei criminum, XIII. I. 71.
A sententia, XIII. II. 72.
Legati et Nuntii, XXII. VII. 165.
Reus, ab Episcopo, XIII. III. 72.
§. Praeterea si quis, XXIV. XX. 389.
Cum vero tam, XIII. IV. 72.
Et quoniam, XIII. V. 73.
Liceat, XXIV. VI. 338.
Apostolus monet, XXIV. VIII. 344.
Quamvis, XXV. III. 439.
Quoniam, XXV. X. 457.
Dispensationes, XXII. V. 161.
In commutationibus, XXII. VI. ib.
Episcopi, XXII. VIII. 167.
Administratores, XXII. IX. ib.
Cum ex notariorum, XXII. X. 171.

CAP. VIII.

Causae in Episcopos apud quos, et a quibus tractandae et suscipiendae.

Quoniam vero, XIII. VI. 73.
Testes, XIII. VII. ib.
Causae, XIII. VIII. ib.
Causae, XXIV. V. 337.

TIT. VI.

De jurisdictione ac potestate Capituli, Sede vacante.

CAP. UNIC.

Capitulum, XXIV. XVI. 370.
Non liceat, VII. X. 54.
§. Poenam quoque, XXIII. X. 197.

TIT. VII.

De Parochis.

CAP. I.

Qui et quales creandi Parochi.

Inferiora beneficia, *Sess.* VII. *cap. ref.* III. *pag.* 49.
Expedit maxime, XXIV. XVIII. 378.
Praesentati, VII. XIII. 55.
Decernit, XXIV. XIX. 388.
§. Provisi etiam, *usque* Neminem, XXIV. XII. 348.

CAP. II.

De residentia Parochorum.

Episcopis inferiores, VI. II. 36.
§. Eadem omnino XXIII. I. 179.
§. In iis quoque, XXIV. XIII. 366.

CAP. III.

De beneficiorum curatorum pluralitate prohibita.

Quicumque de caetero, VII. IV. 49.
Ordinarii locorum, VII. V. 51.
Cum Ecclesiasticus, XXIV, XVII. 376.
Episcopi, etiam, XXI. IV. 116.

CAP. IV.

De unione beneficiorum, sive curatorum, vel non curatorum cum curatis; sive non curatorum inter se.

Ut etiam, XXI. V. 118.
§. In parochialibus, *usque* In iis, XXIV. XIII, *in med.* 336.
§. In unionibus, XXIV. XIII. *in med.* ib.
Uniones perpetuae, VII. VI. 51.
Et quia, XIV. IX. 96.

CAP. V.

De officio Parochorum in praedicando, et Sacramenta administrando.

§. Archipresbyteri, *usque* Quaestores, V. II. 20.
Praedicationis, *usque* Iidem, XXIV. IV. 337.
Ut fidelis populus, XXIV. VII. 343.
Quia illiterati, XXI. VI. 119.

CAP. VI.

De parochialibus ecclesiis, earumque proventibus conservandis.

Statuit sancta Synodus, *Sess.* XXV. *cap. ref.* XVI. *pag.* 466.
Decernit sancta Synodus, XXV. XIII. 461.
Cum illud, XXI. VII. 120.

TIT. VIII.

De Canonicis.

CAP. I.

Qui et quales ad dignitates et canonicatus ecclesiarum, tam Cathedralium quam collegiatarum, vocari et admitti debeant.

Cum dignitates, *usque* Praeterea, XXIV. XII. 348.
Ratio postulat, XXV. V. 443.

CAP. II.

De residentia Canonicorum.

§. Praeterea, *usque* Omnes vero, XXIV. XII. *in med.* 349.
Cum beneficia, XXI. III. 116.
Episcopi, XXII. III. 151.

CAP. III.

De officio et moribus Canonicorum.

Quicumque, XXII. IV. 159.
§. Omnes vero, XXIV. XII. 349.

CAP. IV.

De modo augendi praebendas aequo tenuiores.

In ecclesiis, XXIV. XV. 369.

CAP. V.

Canonicorum mali mores, quod Episcopi auctoritate corrigi possint aut debeant.

In pluribus, XXIV. XIV. 368.
Capitula, VI. IV. 39.
Statuit sancta Synodus, XXV. VI. 443.

TIT. IX.

De vita religiosorum.

CAP. I.

Qui, quales, et quomodo ad beneficia regularia debeant promoveri.

Regularia, XIV. X. 97,

In electione. *Sess.* XXV. *de regul. cap. ref.* VI. *pag.* 408.
Abbatissa, XXV. VII. *id.* 409.
Cum pleraque, XXV. XXI. *id.* 436.

CAP. II.

De revocanda vita religiosorum ad monasticam disciplinam.

Quoniam, XXV. I. *de regul.* 394.
In quacumque, XXV. XV. *it.* 416.
Nulla quoque, XXV. XVI. *it.* 417.
Libertati, XXV. XVII. *it.* 420.
Anathemati, XXV. XVIII. *it.* 422.
Quicumque, XXV. XIX. *it.* ib.
Quia vero, XIV. XI. *de reform.* 154.
Prohibet, XXV. IV. *de regul.* 401.
Bonifacii, XXV. V. *it.* 403.
Nemini, XXV. II. *it.* 394.
Concedit, XXV. III. *it.* ib.
Regularis, XXV. XIV. *it.* 416.
Censurae, XXV. XII. *it.* 415.
Controversias, XXV. XIII. *it.* ib.
Monasteria sanctimonialium, XXV. IX. *de regul.* 411.
Attendant, XXV. X. *it.* 412.
In monasteriis, XXV. XI. *it.* 413.
Abbates, XXX. XX. *it.* 436.
Monasteria omnia, XXV. VIII. *it.* 411.
Haec omnia, XXV. XXII. *it.* 437.

TIT. X.

De fideli administratione hospitalium.

CAP. UNIC.

Curent Ordinarii, VII. XV. 56.
§. Illis vero, XXV. VIII. 448.

TIT. XI.

De quaestoribus eleemosynariis.

CAP. UNIC.

§. Quaestores vero, V. II. *in fin.* 21.
Cum multa, XXI. IX. 123.

TIT. XII.

De jure patronatus.

CAP. UNIC.

Nemo, XIV. XII. 98.
Non liceat, XIV. XIII. ib
Sicuti legitima, XXV. IX. 449.

TIT. XIII.

De tollendis quibusdam, quae omnium ecclesiarum debitam administrationem evertunt, aut dedecent.

CAP. I.

De tollendis regressibus et coadjutoriis.

Cum in beneficiis, *Sess.* XXV. *cap. ref.* VII. *pag.* 447.

CAP. II.

De tollendis locationibus bonorum ecclesiae, quae fiunt repraesentata pecunia.

Magnam ecclesiis, XXV. XI. 458,

TIT. XIV.

De his, qui sunt initiandi sacris.

CAP I.

De tonsurandis et ad minores Ordines promovendis

Prima Tonsura, XXIII. IV. 181.
Minores, XXIII. XI. 199.
Ad minores, *usque* Hi vero, XXIII. V. 182.
Nullus prima, XXIII. VI. ib.

CAP. II.

De promovendis ad majores Ordines

§. Hi vero, qui, XXIII. V. 182. *post init.*
Nullus in posterum, XXIII. XII. 200.
Subdiaconi, XXIII. XIII. 201.
Qui pie, XXIII. XIV. 205.
Cum non deceat, XXI. II. 112.
Cum etiam, XIV. VII. 92.
Cum honestius, XIV. I. 87.
Cum nullus, XXIII. XVI. 207.
Ut Sanctorum, XXIII. XVII. 208.
Quamvis Presbyteri, XXIII. XV. 205.
Facultates de non, VII. XII. 55.

CAP. III.

De examine ordinandorum, et tempore, ac loco ordinandi.

Sancta Synodus, XXIII. VII. 184.
Ordinationes, *usque* Unusquisque, XXIII. VIII. ib.

CAP. IV.

A quo sit quisque ordinandus.

§. Unusquisque autem, *Sess.* XXIII. *cap. ref.* VIII. *in med. pag.* 184.
Non liceat, VII. X. 54.
§. Poenam quoque, XXIII. X. *sub fin.* 197.

TIT. XV.

De celebratione Missarum.

CAP. I

De his, quae in ea sint observanda, et quae vitanda.

Quanta cura, XXII. *proxime post Canones*, 128.

CAP. II.

De moderando numero Missarum, certo casu.

Contingit saepe, XXV. IV. 442.

TIT. XVI.

De Clericis instituendis in theologia, et disciplinis eo ducentibus, eorumque Seminariis erigendis.

CAP. UNIC.

Eadem sacrosancta. V. I. 16.
Cum adolescentium, XXIII. XVIII. 209.

TIT. XVII.

De matrimonii reformatione, de restrictione quorumdam ejus impedimentorum, de raptoribus, vagis, et concubinariis, de libertate matrimonialis contractus, de temporibus solemniter matrimonium celebrandi.

Capita novem, ordine continuo, XXIV. *post Can.* 216.

TIT. XVIII.

De his, qui bona ecclesiae subtrahunt, aut sibi sumunt.

CAP. UNIC.

Si quem clericorum, *Sess.* XXII. *cap. ref.* XI. *pag.* 171.
Non sunt ferendi, XXV. XII. 459.

TIT. XIX.

De sublatis duellis.

CAP. UNIC.

Detestabilis, XXV. XIX. 467.

TIT. XX.

De officio christianorum principum et potestatum, in tuenda immunitate ecclesiarum.

CAP. UNIC.

Cupiens, XXV. XX. 467.

TIT. XXI.

De officio eorumdem in recipiendo et observando, ac observari procurando decreta generalis Concilii Tridentini.

CAP. UNIC.

Tanta fuit, XXV. *sub fin.* 472.

MONITUM

	ERRATA	CORRIGE
pag. 4	v. 47 Christana	Christiana
» 11	40 Iosuae, Iudicium	Iosue, Iudicum
» 16	36 ad ipsis	ab ipsis
» 20	37 ritum	trium
» ib.	39 prestet	praestet
» 32	can. XIII venalia	venialia
» 33	tit. eos	in eos
» 39	num. 19 suebunda	subeunda
» ib.	n. 21 quidem	quidam
» 40	can. I paucioria	pauciora
» 149	cap. I clericus	clericos
» 442	v. iI Iul.	Iun.

BULLA INDICTIONIS

SACROSANCTI OECUMENICI

CONCILII TRIDENTINI

SUB PAULO III. PONT. MAX.

Paulus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Initio nostri huius pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes iam tum, in quas perturbationes temporum quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo et vigilantia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianae reipublicae malis, quibus illa iamdudum vexata et propemodum oppressa est; sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate [1]), ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia invenimus odiis et dissensionibus plena, dissentientibus praesertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est. Cum unum ovile [2]) et unum pastorem dominici esse gregis ad integritatem Christianae religionis et ad coelestium bonorum spem in nobis confirmandam necessarium duceremus: schismatis, dissidiis, haeresibus erat Christiani nominis divulsa iam pene et lacerata unitas. Cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus: nostris erratis nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et meditatum contra Italiam, contraque Austriam et Illyricum terra marique bellum, cum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissensiones suam bene gerendae rei occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta haeresum, dissensionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus cum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum coniecimus in Domino cogitatus nostros [3]), ut ipse nos nutriret, animumque nostrum firmitate et robore, mentem consilio sapientiaque instrueret. Deinde animo repetentes, maiores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis Christianae reipublicae periculis remedium optimum atque opportunissimum eocumenica concilia et episcoporum generales conventus adhibuisse: ipsi quoque animum ad generale habendum con-

[1]) Hebr. V. 2. — [2]) Ioan. X. 16. — [3]) Psalm. LIV. 23.

cilium adiecimus, exquisitisque Principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, oecumenicum concilium et generalem eorum episcoporum aliorumque Patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuae indiximus, anno Incarnationis Domini, sicut litteris et monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, pontificatus nostri tertio, ad X. kalend. Iun. inchoandum; spem prope certam habentes fore, ut, cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit, Dominus in medio nostrum adfuturus [1]), et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. Sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem et exspectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis maiorum nostrorum, et conditione temporum, nostraque ac huius sanctae sedis ac nominis ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas, quas in aliis nostris litteris expressimus. Quapropter alium invenire locum aliamque deligere civitatem necesse habuimus, quae cum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes kal. Nov. prorogare concilii celebrationem fuimus coacti. Interim saevus et perpetuus hostis noster Turca, ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliae cepit, vastavit, diripuit, praedas hominum abegit; Nos in maximo timore et periculo omnium muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio iuvandis fuimus occupati; nec tamen interea destitimus consulere et hortari Christianos Principes, ut de idoneo ad habendum concilium loco quid sentirent nobis exponerent, quorum cum essent incertae variaeque sententiae, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi, Nos optimo animo atque, ut arbitramur, etiam consilio, Vicentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam in primis in se habentem. Sed cum iam tempus longius progressum esset, novaeque urbis electionem omnibus significari conveniret, iamque kalendae Novembris appetentes facultatem huius divulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus concilii differre in proximum sequens ver, maiique futuras kalendas compulsi fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum et nos ipsos, et cetera omnia ad eum bene agendum Deo iuvante celebrandumque conventum pararemus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis concilii, tum universae Christianae reipublicae, Christianos Principes pace inter se et concordia consentire: carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem semper augustum, et Christianissimum regem Franciscum, duo praecipua Christiani nominis firmamenta atque subsidia, orare atque obsecrare institimus, ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent; quorum quidem apud utrumque litteris, nunciis, a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis saepissime egeramus, ut ex simultate et dissidiis ambo in unum foedus et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus; quarum servandarum cum esset illis potestas a Deo praecipue tributa, si id non agerent et ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui aliquando preci-

[1]) Matth. XVIII. 20.

bus nostris annuentes Nicaeam se contulere, quo nos quoque longum iter, et senili aetati nostrae vehementer contrarium, Dei et pacis conciliandae causa suscepimus; neque praetermisimus interea, cum tempus concilii praestitutum, kalendae videlicet maiae, appropinquaret, tres legatos summae virtutis ac auctoritatis a latere nostro de numero eorundem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Vicentiam mittere, qui initium concilii facerent, praelatosque undique venientes exciperent, et ea, quae iudicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos, ab itinere et negotio pacis reversi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, et quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cuius freti clementia nosmetipsos itineris et vitae periculo exposuimus; Nostra testis conscientia, quae nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut praetermissae, aut non quaesitae ad pacificandum occasionis; Principes ipsi testes, quos tam saepe tamque vehementer nunciis, litteris, legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obsecraveramus, ut simultates deponerent, ut in societatem coirent, ut Christianae reipublicae in maximum et propinquum iam adductae discrimen communibus studiis et subsidiis opitularentur; iam vero testes illae vigiliae atque curae, illi diurni nocturnique animi nostri labores gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas iam suscepimus. Nec tamen ad optatum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in Nobis fuit, nihil, quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem; sed tamen in dolore nostro gratias Dei omnipotenti agimus, qui ad exemplum et doctrinam patientiae nostrae suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur [z]). Verum in illo congressu colloquioque nostro, quod Nicaeae habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos Principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciae tamen decennales factae sunt, quarum opportunitate nos sperantes et sacrum concilium commodius celebratum iri, et deinde ex concilii auctoritate perfici pacem, apud principes institimus, ut et ipsi venirent ad concilium, et praelatos suos praesentes ducerent, absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua tum necesse esset, et praelatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari et refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, litteras interim a legatis nostris, qui Vicentiae erant, accepimus, transacto iam et longius praeterito concilii ineundi die unum vix aut alterum ex externis nationibus praelatum Vicentiam se contulisse. Quo nuncio accepto cum videremus, eo tempore nulla iam ratione haberi concilium posse, ipsis principibus concessimus, ut differretur tempus agendi concilii usque ad sanctum Pascha, diemque festum futurae dominicae Resurrectionis. Cuius nostri praecepti exspectationisque decretae litterae Genuae anno Incarnationis Domini MDXXXVIII. IV. kal. Iul. factae publicataeque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque

[z]) Act. V. 14. in fin., et 2 Cor. 11. f: g.

Princeps, legatos suos Romam ad Nos se missurum, ut ea, quae ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicaeae ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romae commodius coram nobis agerentur et tractarentur. Et ob hanc rationem etiam a Nobis ambo petierunt, ut haec pacificationis procuratio concilii celebrationi praeponeretur, cum ipsum concilium pace facta multo deinde utilius et salutarius Christianae reipublicae futurum esset. Semper enim haec pacis spes Nobis iniecta Principum Nos voluntatibus assentiri hortata est; quam spem vehementer auxit post discessum a Nicaea nostrum ipsorum duorum Principum inter se benevola amicaque congressio, quae, maxima nostra cum laetitia a Nobis intellecta, confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas et vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum et expeteremus et urgeremus, nec solum duobus antedictis Principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum videretur, actionem concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, cunctique a nobis per litteras suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, praecipue autem instaret serenissimus Caesar, promisisse se demonstrans iis, qui a catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud Nos interpositurum, ut aliqua concordiae ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri: Nos, eadem semper spe pacis et tantorum Principum voluntate adducti, cum praesertim cerneremus, ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios praelatos Vicentiam convenisse, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam saepe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis concilii ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum suspendere maluimus; itaque fecimus, et de suspensione huiusmodi litteras ad singulos supradictorum Principum decima die Iun. MDXXXIX. dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per Nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis pacisque aliqua conclusio exspectatur, quae et dignitatem postea frequentiamque concilio, et Christianae reipublicae praesentiorem salutem erat allatura, Christianae interea res in deterius quotidie prolapsae sunt, Hungaris rege ipsorum mortuo Turcam vocantibus; Ferdinando rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem a Caesare ex parte quadam incitatis, cuius defectionis comprimendae causa per Galliam amicissime, et cum rege Christianissimo concordissime magno benevolae inter eos voluntatis indicio transiens in Belgas serenissimus Caesar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniae Principum et civitatum tractandae eius, quam dixerat, concordiae causa habere coepit. Sed cum spe pacis iam deficiente ille quoque modus curandae in conventibus tractandaeque concordiae ad maiores potius discordias concitandas aptus esse videretur, inducti fuimus ad pristinum concilii generalis remedium reverti, idque per legatos nostros S. R. E. cardinales ipsi Caesari obtulimus; quod etiam postremo, et praecipue in Ratisponensi conventu egimus, cum illic dilectus filius noster Gaspar tit. S. Praxedis cardinalis Contarenus summa doctrina et integritate legatum nostrum ageret. Nam cum, id quod ne accideret antea veriti eramus, ex eius conventus sententia peteretur a nobis, ut ab ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per oecumenicum concilium illi excuterentur et deciderentur, idque Nobis ut concederemus neque Christana et catholica veritas, neque nostra et sedis apostolicae dignitas permitteret, palam potius concilium, ut quam primum fieret, proponi mandavimus. Neque vero in alia un-

quam sententia et voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore concilium oecumenicum et generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo et pacem populo Christiano, et Christianae religionis integritatem posse recuperari; verumtamen id cum bona gratia et voluntate Christianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum exspectamus, dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui, o Deus [1]), aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis et ad Christianam pietatem pertinentibus concilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in peius ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu moeroreque afflictis, nullius iam Principis consensum exspectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem et Christianae reipublicae utilitatem attendere constituimus. Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum universae Christianorum saluti, tum Germanicae nationis incommodis in eligendo per Nos novi concilii habendi loco consulere, aliquotque locis propositis ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis desiderari videremus: Nos, etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna caritate deflexeimus. Itaque Tridentum [2]) civitatem elegimus, qua in civitate oecumenicum concilium ad proxime venturas kalend. novemb. haberetur; idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem aliisque Germaniae finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania ceterisque provinciis remotioribus non difficiliter episcopi et praelati convenire possent. Dies autem concilii ea Nobis spectata est, quae spatium in se haberet et publicandi per Christianas nationes nostri huius decreti, et facultatis omnibus praelatis ad veniendum tribuendae. Quominus autem annuum tempus praefiniremus mutando concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus alias praescriptum est [3]), ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandae aliqua in parte Christianae reipublicae, quae tot detrimentis et calamitatibus affecta est, noluimus; et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid separari possit ex consiliis nostris incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet* [4]): magis Dei clementiae et misericordiae confidere, quam nostrae imbecillitati diffidere constituimus. Saepe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana consilia non valent divina virtus efficiat. Huius igitur ipsius Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, sublata amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per praesentes tollimus et amovemus, sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero omnibusque nationibus opportuno, ad kalendas proximas novembris anni praesentis ab Incarnatione Domini MDXLII. incipiendum, prosequendum, et eodem Domino adiuvante ad ipsius gloriam atque laudem et Christiani totius populi salutem absolvendum perficiendumque indicimus, annunciamus, convocamus, statuimus atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, quam

[1]) Psalm. LXVIII. 14. — [2]) In extrema Italiae ora, seu finibus Venetorum Germaniam versus sita est, amoenissimo loco, ut in praef. — [3]) Conc. Constantien. Sess. XXXIX. — [4]) Psalm. XXVI. 5.

alios quoscunque, quibus iure aut privilegio in conciliis generalibus residendi et sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod Nobis et huic sanctae sedi praestiterunt, ac sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis iure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores et nuncios sacro huic concilio omnino adesse et interesse debeant; supra autem dictos imperatorem, regemque Christianissimum, nec non ceteros reges, duces, principes, quorum praesentia, si alias unquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimae Christi fidei et Christianorum omnium futura est salutaris, rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiae Dei et Domini nostri Iesu Christi, cuius fidei veritas et religio et intus et extra graviter iam oppugnatur, ut, si salvam volunt Christianam esse rempublicam, si se Domino obstrictos et obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam et negotium, ipsimet ad sacri concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati, salutique suae, ac ceterorum, et temporali, et aeternae plurimum est profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipsi non poterunt, at graves saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque et cum prudentia et cum dignitate possint in concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cuiusque regnis ac provinciis episcopi et praelati sine tergiversatione et mora ad concilium proficiscantur, quod maxime quidem a praelatis Principibusque Germaniae Deum ipsum, atque nos impetrare aequum est, ut, cum eorum praecipue causa ipsisque cupientibus concilium indictum sit, et in ea civitate indictum, quae ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum praesentia id celebrare et ornare, quo melius atque commodius quae ad integritatem et veritatem Christianae religionis, quae ad bonorum reductionem emendationemque malorum, quae ad Christianorum inter se tam Principum, quam populorum pacem, unitatem concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infidelium, quibus illi universam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus praeeunte et lumen sapientiae suae ac veritatis mentibus nostris praeferente, agi in dicto sacro oecumenico concilio et conspirante omnium caritate consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quam primum et quam optime possint. Atque ut nostrae hae literae, et quae in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus: volumus et mandamus, ut in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per curiae nostrae cursores aut notarios aliquos publicos legantur, lectaeque in valvis dictarum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae portis, et Campi Florae solito loco affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquamdiu expositae pendeant: cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem affixionemque huiusmodi omnes et quoscunque, quos antedictae nostrae litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die litterarum publicationis et affixionis ita

volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent; transumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta, et sigillo personae alicuius ecclesiastica in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, annuntiationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae MDXLII. XI. Kalend. Iun. Pontificatus nostri anno VIII.

BLOSIUS.

HIER. DAND.

SESSIO PRIMA

SACROSANCTI OECUMENICI ET GENERALIS

CONCILII TRIDENTINI

SUB PAULO III. PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE XIII. MENSIS DECEMBRIS ANNO DOM. MDXLV.

DECRETUM DE INCHOANDO CONCILIO.

Placetne vobis ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianae, ad extirpationem haeresum, ad pacem et unionem ecclesiae, ad reformationem cleri et populi Christiani, ad depressionem et extinctionem hostium Christiani nominis, decernere et declarare, sacrum Tridentinum et generale concilium incipere et inceptum esse? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Et cum proxima sit celebritas Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, et subsequantur aliae festivitates labentis et incipientis anni, placetne vobis, primam futuram sessionem habendam esse die Iovis post Epiphaniam, quae erit septima mensis Ian. anno Domini MDXLVI? Responderunt: *Placet.*

SESSIO SECUNDA

CELEBRATA

DIE VII. MENSIS IANUARII MDXLVI.

DECRETUM DE MODO VIVENDI ET ALIIS IN CONCILIO SERVANDIS.

Sacrosancta Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, agnoscens cum beato Iacobo Apostolo, quod omne datum optimum [1]) et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui iis, qui postulant a se sapientiam, dat omnibus affluenter, et non improperat eis; et simul sciens, quod initium sapientiae est timor Domini [2]): statuit et decrevit, omnes et singulos Christi fideles in civitate Tridentina congregatos exhortandos esse, prout exhortatur, ut se a malis et peccatis hactenus commissis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare, et desideria carnis non perficere [3]), orationibus instare, saepius confiteri, eucharistiae sacramentum sumere, ecclesias frequentare, praecepta denique dominica, quantum quisque poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace Principum Christianorum et unitate ecclesiae privatim orare velint; episcopos vero et quoscunque alios in ordine sacerdotali constitutos, oecumenicum concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium missae quolibet saltem die dominico, in quo Deus lucem condidit, et a mortuis resurrexit, ac Spiri-

tum sanctum in discipulos infudit [4]), peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum praecipit [5]), obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro sanctissimo domino nostro Papa, pro imperatore, pro regibus, et ceteris, qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur, et fidei incrementum videamus. Praeterea hortatur, ut ieiunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent. In ecclesia autem cathedrali singulis quintis feriis celebretur missa de Spiritu sancto cum litaniis et aliis orationibus ad hoc institutis; in aliis vero ecclesiis eadem die dicantur ad minus litaniae et orationes [6]). Tempore autem, quo sacra peraguntur, collocutiones et confabulationes non fiant, sed ore et anima celebranti assistatur. Et quoniam oportet episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene praepositos [7]), hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem moderationemque ciborum; deinde, cum in eo loco saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur [8]); familiares vero suos unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blaspemi et voluptatum amatores; vitia demum fugiant, et virtutes amplectantur, et in vestitu, et cultu, et omnibus actibus honestatem prae se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei. Ad haec, cum huius sacrosancti concilii praecipua cura, sollicitudo et intentio sit, ut propulsatis haeresum tenebris, quae per tot annos operuerunt terram, catholicae veritatis lux, Iesu Christo, qui vera lux est [9]), annuente, candor puritasque refulgeat, et ea, quae reformatione egent, reformentur: ipsa synodus hortatur omnes catholicos hic congregatos et congregandos, atque eos praesertim, qui sacrarum litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis et modis ipsius synodi intentio dirigi et optatum effectum sortiri possit, quo maturius et consultius damnari damnanda, et probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore et eadem fidei confessione glorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententiis vero dicendis, iuxta Toletani concilii statutum [10]), in loco benedictionis considerantibus Domini sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare, nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quicquid dicatur sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa sacra synodus statuit ac decrevit, quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam etiam sub verbo *Placet* proferre, congregationibus interesse, et alios quoscunque actus facere concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur [11]).

Deinde indicta fuit futura sessio ad diem Iovis quartam mensis Feb. proxime venturi.

[1]) Iac. I. 17. — [2]) Prov. I. 7. IX. 10., Ecclesiastic. I. 16. — [3]) Gal. V. 16. — [4]) Act. II. — [5]) I Tim. II. I. seqq. — [6]) Infra sess: 22. — [7]) I Tim. III. 2 seqq. — [8]) c. II. D. XLIV. (conc. Tol. III. cap. 7. Conc. Rhemen. c. 27. Euseb. in 4 decret. et infra sess. 25 cap. 1 de refor.) — [9]) Ioan. I. 9. — [10]) c. 3. C. V. qu. 4. (conc. Tol. XI.) — [11]) repetitum Sess. XXV. extr. Episcopis forma praescripta est. 1. Brac. c. 24. etc. Epist. 17 dist.

SESSIO TERTIA

CELEBRATA

DIE IV. MENSIS FEBRUARII MDXLVI.

DECRETUM DE SYMBOLO FIDEI.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Haec sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, praesertim earum, quae duobus illis capitibus de extirpandis haeresibus et moribus reformandis continentur, quorum causa praecipue est congregata; agnoscens autem cum Apostolo [1]), non esse sibi colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitias in coelestibus, cum eodem omnes et singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino et in potentia virtutis eius, in omnibus sumentes scutum fidei [2]), in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere, atque galeam spei salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, ut haec pia eius sollicitudo principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit et decernit, praemittendam esse confessionem fidei [3]), Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus conciliis hoc scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consuevere, quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt, et fideles confirmarunt. Quare symbolum fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod portae inferi nunquam praevalebunt [4]), totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit. Quod quidem eiusmodi est [5]):

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis; et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Indictio futurae sessionis.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis legatis, intelligens multos praelatos ex diversis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant; cogitansque omnia ab ipsa sacra

synodo decernenda eo maioris apud omnes existimationis et honoris videri posse, quo maiori [6]) fuerint et pleniori Patrum consilio et praesentia sancita et corroborata: statuit et decrevit, futuram sessionem post praesentem celebrandam esse die Iovis, quae subsequetur dominicam *Laetare* proxime futuram; interim tamen non differri discussionem et examinationem eorum, quae ipsi synodo discutienda et examinanda videbuntur.

[1]) Eph. VI. 12. — [2]) Ibid. 16. — [3]) Conc. Nicaen. Conc. Rom. sub Julio I. Conc. Hippon. ad princ. Conc. Constant. 6. Actione 17. cum sim. c. 1. dist. 15 e Baptizandos cum seq. de Cons. dist. 4. c. 1. de sum. Trin. — [4]) Matth. XVI. 18.— [5]) cf. conc. Constant. 1. c. 4. — [6]) vide infra Catalogum eorum, qui Concilio interfuerunt sub Pio IV.

SESSIO QUARTA

CELEBRATA

DIE VIII. MENSIS APRILIS MDXLVI.

DECRETUM DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in scripturis sanctis [1]) Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit [2]); perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis [3]), Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit [4]), ne cui dubitatio suboriri possit quidam sint qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti veteris: quinque Moysi, id est: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosuae, Iudicium, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis

Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura.

[1]) Ierem. XXXI. 22. sqq. — [2]) Matth. XXVIII. 19 seq., Marc. XVI. 15. — [3]) 2 Thess. II. 15. c. Ecclesiasticarum, dist. 11, et c. cum Marhae, de celeb. Miss. Conc. Senonense tempore Clement. VII, dec. 5.— [4]) cf. conc. Laod. c. 59, Conc. Carth. III. c. 47., Rom. sub Gelas. (c. 3. D. XV.) et ep. Eug. IV. in conc. Flor. ad Armenos.

DECRETUM DE EDITIONE ET USU SACRORUM LIBRORUM.

Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens [1]), contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum [2]), aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur.

Sed et [3]) impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos sacrae scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac sacra scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone concilii novissimi Lateranensis apposita [4]). Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat, idque totum, hoc est et probatio et examen, gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda.

Post haec, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incarnationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos: mandat et praecipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur.

Indictio futurae sessionis.

Item haec sacrosancta synodus statuit et decernit, proximam futuram sessionem tenendam et celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

[1]) c. 27. C. XXIV. qu. 3. (Hieron.) et c. 39. § 70. ead. (Isidor.) — [2]) Sic Synodus in Trul. c. 19, quam putant Constant. 6. c. Exiit circa fin. de ver. sig. in 6. — [3]) Vide infr. de lib. prohib. regulam 10. Nunc etiam censuris Bullae Coenae impressores lib. prohibit. innodantur. — [4]) cf. c. 3. de libr. prohib. in VII. V. 4. (Leo X.): « Nos, ne id, quod ad Dei gloriam, et fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinae coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante concilio, ut negotium impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps indago sollertior diligentius et cautius adhibeatur: statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem seu aliam quamcunque scripturam, tam in Urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe per vicarium nostrum et sacri palatii magistrum, in aliis vero civitatibus et dioecesibus per episcopum, vel alium habentem peritiam scientiae, libri seu scripturae huiusmodi imprimendae ab eodem episcopo, ad id deputandum, ac inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum pubblicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae principis Apostolorum de Urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressioni suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat, ac demum ingravescente contumacia taliter per episcopum suum vel vicarium nostrum respective per omnia iuris remedia castigetur, quod alii eius exemplo similia minime attentare praesumant. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae in publica basilica solemniter celebrata anno Incarnationis dominicae 1515, 4. Maii, Pontif. nostri anno tertio ».

SESSIO QUINTA

CELEBRATA

DIE XVII. MENSIS IUNII MDXLVI.

DECRETUM DE PECCATO ORIGINALI.

Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo [1]), purgatis erroribus in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur [2]), cum serpens ille antiquus [3]), humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali eiusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit: sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis legatis, iam ad revocandos errantes, et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum scripturarum, et sanctorum Patrum ac probatissimorum conciliorum testimonia et ipsius ecclesiae iudicium et consensum secuta, haec de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat:

1. Si quis non confitetur [4]), primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi

iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus [5]), et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium [6]), hoc est diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et [7]) non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti [8]): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo [9]), factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio [10]), aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum in forma ecclesiae rite collatum tam adultis quam parvulis applicari: anathema sit, quia non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri [11]). Unde illa vox [12]): *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*, et illa [13]): *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*

4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit [14]) in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus [15]): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur [16]), ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei* [17]).

5. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud [18]) dicit, tantum radi aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia [19]) nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt [20]) cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundum carnem ambulant [21]), sed, veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes [22]), innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non va-

let; quinimo qui legitime certaverit coronabitur [23]). Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat [24]), sancta synodus declarat, ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit [25]), sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: anathema sit.

Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones fel. rec. Xixti Papae IV. [26]) sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

[1]) Hebr. XI. 6. — [2]) Ephes. IV. 14. — [3]) Gen. II. — [4]) Coelest. 1. epist. 1. ch. — [5]) Gen. II. 17. III. 17. — [6]) Hebr. II. 14. Conc. Arausicanum. 2. c. 1, — [7]) Rom. V. 12. 1. Cor. 15. Conc. Arausicanum 2. c. 2. — [8]) Rom. 5. c. Placuit. 153. c. Regenerante, et c. Quaeris in fin. de Cons, distinct. 4. — [9]) Ephes. 11. 13., Coloss. II. 13., I Tim. 11. 5. seq. — [10]) 1. Cor. 1. 30. — [11]) Act. IV. 12. — [12]). Ioan. I. 29. — [13]). Galat. III 27. — [14]) Conc. Milevitanum c. 2. Conc. Afric. c. 77. et c. Placuit 163. de Conc. distint. 4. — [15]) Rom. V. n. 12. c. Placuit. c. Quaeris, in fin. et c. Regenerante, de Cons. dist. 4. — [16]) c. 136. D. IV. de conf. (Aug.) c. 153. ead. (Conc. Carth. A. 418.) — [17]) Ioan. III. 5. — [18]) Ex c. 13. lib. I. contra II Epist. Pelag. — [19]) Rom. 8, — [20]) Rom. VI. 4. c. Proprie, de Cons. dist. 4 — [21]) ibid. VIII. 1. — [22]) Galat. III. 27., Eph. IV. 24., Coloss. III. 9. 10. — [23]) 2, Tim. 11. 5. — [24]) Rom, VI. VII. et VIII, Coloss. III. — [25]) Respicit. c. 13. lib. I. contra 2 epist. Pelag. et alios locos eiusdem. [26]) c. I. 2. Extrav. comm. III. 12.: « c. I. Cum praeexcelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum, Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus praelata aethereis, sideribus quasi stella matutina perrutilans, devotae considerationis indagine perscrutatur, et infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote via misericordiae, mater gratiae et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo, (cuius providentia eiusdem Virginis humilitatem ab aeterno respiciens, pro conciliando suo auctori humana natura lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret,) de ipsius immaculatae Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in ecclesia Dei missas et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant eiusdem Virginis meritis et intercessione divinae gratiae aptiores. Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate apostolica hac in perpetuum valitura constitutione statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli Christi fideles utriusque sexus, qui missam et officium conceptionis eiusdem Virginis gloriosae, iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis, clerici Veronensis, notarii nostri, et, quae desuper a nobis emanavit, missae et officii huiusmodi institutionem, in die festivitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariae et per octavas eius devote celebraverint et dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta felicis recordationis Urbani IV. in concilio Viennensi approbatam, ac Martini V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones consequuntur illi, qui missam et horas canonicas in festo corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis et per illius octavas iuxta Romanae ecclesiae constitutionem celebrant, dicunt, aut missae officio et horis huiusmodi intersunt; praesentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae 1476., 3 Kalend. Martii, Pontificatus nostri anno sexto. « — » c. 2. Grave nimis gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusdam ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus praedicando commissis eo gravius provocamur, quo illi periculosius remanent incorrecti, cum facile deleri nequeant qui sancta Romana ecclesia de intemeratae semperque Virginis Mariae conceptione publice festum solemniter celebret et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit, nonnulli, ut accepimus, diversorum ordinum praedicatores, in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eandem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos; eiusdem immaculatae conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et praefatis praedicationibus non contenti confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus et praedicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et maiora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus ac perversis assertionibus, ac scandalosis, quae exinde in Dei ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et certa scientia, huiusmodi assertiones praedicatorum eorundem et aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eos, qui crederent aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea aliquius haeresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continens quoad hoc auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus et damnamus, ac motu, scientia et auctoritate praedicatores verbi Dei, et quicunque alii, cuiuscunque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint,

qui de cetero ausu temerario praesumpserint in eorum sermonibus ad populum seu alias quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de praesentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus simili poenae ac censurae subiicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit a Romana ecclesia et apostolica sede decisum ; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, quibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum exsistat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ne de praemissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus quod locorum ordinarii requisiti praesentes litteras in ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus, et suarum dioecesum locis insignibus, dum maior ibi multitudo populi ad divina convenerit, sermonibus ad populum mandent et faciant publicari. Praeterea, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre, etiam volumus et dicta auctoritate decernimus, quod earundem litterarum transumpto, manu publici notarii confecto, et authentico alicuius praelati ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationē omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae 1483, pridie Nonas Septemb., Pontificatus nostri anno XIII ».

DECRETUM DE REFORMATIONE

CAPUT I.

De instituenda lectione sacrae scripturae et liberalium artium.

Eadem sacrosancta synodus, piis summorum Pontificum et probatorum conciliorum [1]) constitutionibus inhaerens, easque amplectens et illis adiiciens, ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacrae scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ad ipsis episcopis, archiepiscopis, primatibus et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium huiusmodi non nisi personis idoneis et quae per se ipsas id munus explicare possint conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida [2]). In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocunque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret [3]), metropolitanus vel episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae scripturae lectio habeatur, ita tamen, ut quaecunque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae, propter id minime praetermittantur. Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant [4]) ab episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliosque

scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacrae scripturae studia annuente Deo transire possint. Ideoque illi [5]) magistro grammatices vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur (dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio), vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvantur, vel alias episcopus ipse aliquam rationem ineat suae ecclesiae et dioecesi accommodam, ne pia haec, utilis atque fructuosa provisio quovis quaesito colore negligatur. In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam [6]) lectio sacrae scripturae habeatur. Qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum, in hoc ut sedis apostolicae delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur, quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris. In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum ac rerumpublicarum pietate et caritate ad catholicae fidei defensionem et incrementum, sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituatur, et, ubi instituta foret et negligeretur, restituatur. Et [7]), ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus non fuerit; quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur. Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, et [8]) scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum, et beneficiorum suorum, in absentia a iure communi concessis, plene gaudeant et fruantur.

[1]) cf. c. 12. D. XXXVII. (conc. Eug. II.), c. 4. X. de magistris V. 5. (conc. Lat. IV.) c. 5. ib. (Honor. III.) — infr. Sess. XXIII. de ref. c. 18. — [2]) c. Quia, et c. fin. de Magist. et infr. sess. 23. de ref. c. 18. — [3]) infr. Sess. XXIV. de ref. c. 15. — [4]) cf. c. 1. X. de magistr. V. 5. (conc. Lat. III.) et loc. supra citt. — [5]) Is ad professionem fidei tenetur ex Bulla Pii IV. In sacrosancta. 1564. — [6]) Cui addidit Paulus V. lectionem Hebraicam, Graecam et Arabicam const. Apostolicae, 1610. — [7]) Hinc emanavit Bulla Pii IV. de professione fidei 13 decembr. 1564. — [8]) c. 5. X. de magistr. V. 5. (Honor. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Praebendam theologalem quoad congruam Theologi sustentationem circa erectionem praeferendam esse praebendae poenitentiariae, Sacra Congregatio resp. in *Civitatis Castell.* 17. Nov. 1629. (alleg. VIII. 27.) in qua expressa fuit episcopo facultas concessa erigendi primum poenitentiariam, supposita eius necessitate et impossibilitate erigendi praebendam theologalem.

2. Ubi urget necessitas erigendi praebendam tam theologalem quam poenitentiariam, et vacare contigit beneficia simplicia, quorum reditus sufficiunt pro assignanda utrique congrua, deberi illa pro medietate unicuique praebendae uniri, S. C. resolvit in *Camerinen.* 3. Dec. 1735.

3. Cum capitulum collegiatum desideraret, ut praebenda poenitentialis et theologalis erigeretur in ecclesia collegiata, acriter huic petitioni obstitit eiusdem urbis capitulum cathedrale. S. C. interrogata, num in futuris vacationibus locus sit erectioni dictae praebendae, resp. *negative. Fabrianen.* 27. Apr. 1805.

4. Etiamsi in antiquiore ecclesia collegiata erecta sit praebenda theologalis, permittitur tamen in recentiore collegiata (eiusdem urbis) dictae praebendae erectio hac lege, ut S. Scripturae lectio diversis in utraque diebus instituatur. *Theatina* 14. Jan. 1747.

5. Vacante in ecclesia collegiata praebenda de iure patronatus laicorum, sc. communitatis, episcopo eam in praebendam theologalem erigere cupienti assentire communitas denegavit. Cum tamen quae ad erigendam theologalem ex Conc. Trid. re-

quiruntur, omnia concurrerent, neque adesset unde aliter eam episcopus erigeret, ius vero patroni minime laederetur, quippe cum praebenda theologalis etiam non conferenda esset per concursum, sed eodem modo, quo conferuntur parochiae iuris patronatus laicorum: S. C. censuit, vacantem praebendam erigendam esse in theologalem. *Maceraten.* 14. Jan. 1804.

—

6. S. C. censuit erectionem canonicatus in praebendam theologalem s. lectoralem esse sustinendam, quamvis cum illo coniunctum sit beneficium, cui inhaerebat lectionis S. Scripturae officium iam ante Conc. Trid. *Urgellen.* 15. Dec. 1725. et 28. Sept. 1726. ad dub. I.

—

7. Pro obtinenda praebenda theologali sufficere, ut quis sit licentiatus in utroque iure alias idoneus ad docendum theologiam moralem. S. C. censuit in *Polignanen.* 12. Nov. 1639. (alleg. XXXIV. 193.)

8. Doctorem in iure canonico posse obtinere praebendam theologalem, S. C. resp. in *Aquileien.* 14. Nov. 1626. (rel. II. 331.)

—

9. Propositis dubiis: I. An Doctor in iure canonico possit obtinere praebendam theologalem, et II. An theologus non Doctor possit similiter illam obtinere? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. pariter *affirmative*, si non adsit Doctor aequalis idoneitatis. *Asten.* 3. Febr. 1646., *Vigilien.* 27. Sept. 1681. (rel. II. 265.)

10. S. C. censet, Doctorem utriusque iuris vel canonici esse capacem obtinendae praebendae lectoralis, haud vero liberum esse ab examine super S. Scriptura praestando; quare edictum capituli Valentini, vacante canonicatu lectorali, emissum, quo examen ab oppositoribus exigebatur, sustinendum esse iudicavit. *Valentia* 31. Jan. 1723.

11. Provisis de praebenda theologali cum clausula de adsumendo infra annum gradu magisterii in sacra theologia in aliqua universitate approbata, de iure non sufficere, quod magisterium intra annum recipiant in iure canonico in aliqua approbata universitate, sed habendam esse rationem in casibus particularibus, S. C. resp. 5. Jun. 1723.

12. Canonicus praebendam poenitentialem in ecclesia cathedrali consecutus ad theologalem erat translatus. Ornatus erat laurea in utroque iure, grave tamen ei erat magisterium aut doctoratum in sacra theologia recipere, cum propter tenues praebendae fructus ferendis necessariis expensis impar esset. Dubio proposito: an ei satis sit doctoratus in utroque iure ad retinendam praebendam theologalem in cathedrali, seu potius consulendum sit SSimo pro dispensatione a suscipienda laurea in S. theologia in casu? S. C. resp. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. *Balneoregien.* 11. April. 1807. Simili propter singulares personae qualitates dispensationi locum esse censuit in *Urbanien.* 12. Dec. 1761.

—

13. Praebendam theologalem alicui ex collegii Illyrici alumnis aliqui idonei utique conferri ab episcopo posse, tametsi is casus coscientiae tantummodo sit explicaturus, S. C. censuit in litteris ad ep. *Pharensem* datis d. 16. Apr. 1595. (alleg. XXXIV. 139.)

—

14. In concursu ad theologales praescripto in Benedicti XIII. constitutione « *Pastoralis* » sufficit, quod ille fiat coram episcopo et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem episcopo actu eligendis ac deputandis, in theologica tamen facultate licentiatis et valde peritis sive saecularibus sive regularibus. *Casertana* §. In concursu 17. Dec. 1729.

—

15. Ius electionis personae, cui conferenda est praebenda theologalis, spectare ad episcopum iuxta antiquas declarationes, S. C. censuit in *Aretina* 31. Jul. 1627. (rel. XXX. 118.) S. C. rescripsit, electionem personae theologi spectare ad solum archiepiscopum, collationem vero praebendae ad eum, ad quem ante Concilium spectabat. *Salernit.* 4. April. 1637. (rel. ib.)

16. Electionem tam ad praebendam theologalem quam ad poenitentialem ab episcopo faciendam esse atque in beneficiis parochialibus, scilicet personae magis idoneae ab examinatoribus renunciatae in concursu, S. C. resp. in *Salernit.* 21. Jul. 1753. Contra vero in *Aversana* 11. Nov. 1829. ad dubium: An episcopus polleat iure eum eligendi ad praebendam theologalem et poenitentialem, quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem iudicaverit, seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem concursu examinatores renunciaverint in casu etc.? S. C. rescripsit *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

17. Ad quaestionem, an electio ad canonicatum theologalem fieri possit a capitulo favore sibi magis benevisi inter plures approbatos in concursu, seu potius praeelectio et approbatio in eodem concursu et collatio

privative spectet ad episcopum in casu etc.? S. C. censuit, praeelectionem et collationem spectare ad episcopum, praesentationem vero spectare ad capitulum et amplius. *Pinnen.* 25. Apr. 1761. Similiter iudicaverat in *Aretina* 31. Jul. 1627., *Salernit.* 4. Apr. 1637. (XXX. 117.)

—

18. Canonicum, qui praebendam theologalem obtinet, etsi eius praedecessores nunquam legerint, teneri tamen et ab episcopo posse cogi, id munus per se ipsum explere, S. C. resp. in *Bellunen.* 27. Apr. 1630., *Liparen.* 10. Maii 1631., *Casalen.* 12. Nov. 1661. et 8. Jan. 1662., *Caven.* 20. Aug. 1661. (rel. VI. 328.)

—

19. Canonicum ecclesiae cathedralis, cui munus incumbit legendi S. Scripturam, teneri residere in ecclesia cathedrali et adimplere per se ipsum illa onera, neque dispensari sub officio residendi privilegio, tributa quibusdam universitatibus, e. gr. universitati Lovaniensi a Martino V. et Clemente X., S. C. resp. in *Leodien.* 11. Sept. 1734. Nec fruitur indulto, quo fruuntur ceteri canonici in episcopi vel ecclesiae servitio absentes. Ita in *Pacen.* 16. Dec. 1634., *Anagnin.* 12. Dec. 1676., *Vicen.* 12. Sept. 1702. (rel. VI. 328.)

20. Canonicus obtinens praebendam theologalem nequit assequi cathedram in universitate eiusdem civitatis. *Pisana* 23. Maii 1684 (rel. ib.)

21. Cathedralis ecclesiae canonico theologo non licere assequi et simul retinere dignitatem premiceriatus cum illa praebenda de iure patronatus capituli, S. C. resp. in *Castrimaris* 19. Sept. 1744.

22. S. C. censuit, tempus, horam et materiam S. Scripturae, super qua legendum sit, remitti arbitrio ordinarii, in *Urbinaten.* 10. Mart. 1663. (rel. XXXIV. 193.)

23. Ad dubium: An canonicus theologus cogi possit pro arbitrio episcopi, etiam per mulctas, loco S. Scripturae legere casus conscientiae seu theologiam moralem in casu? S. C. resp. *affirmative*, in *Pacen.* 28. Sept. 1765.

24. S. C. ad episc. *Fulginat.* d. 12. Nov. 1783. ita rescripserat: « Canonicum theologum pro sacrarum scripturarum interpretatione catechesin habere ad populum, minus probant Emin. Patres, quippe munus id parochi est et esse debet, cum theologus non tam ad populi quam ad cleri institutionem destinatus sit. Quare illud unum theologo permitti solet, ut pro sacrarum litterarum interpretatione morales disputationes habeat et controversias huiusmodi in cleri conventu dissolvat. » Quae litterae cum ad canonicorum notitiam pervenissent, facultatem petierunt, ut canonicus theologus loco explicationis S. Scripturae catechismum ad populum habere posset, et insimul in aedibus capitularibus theologiae moralis disputationes tractaret pro iis clericis, qui vel ratione officii vel alio impedimento detenti scholis seminarii interesse minime possent. Dubio itaque proposito: An canonicus theologus loco explicationis S. Sripturae possit explicare catechesin et docere lectiones theologiae moralis in casu etc.? S. C. decrevit: Scribatur episcopo iuxta mentem, et mens est, ut omnino servetur c. 7. Sess. XXIV. per eos, qui curam animarum gerunt, quo vero ad theologum canonicum, suas lectiones peragere debere iuxta tradita a Bened. XIV. Desyn. l. XIII. c. 9. § 17. *Fulginat.* 3. Jun. 1784.

—

25. Lectionem S. Scripturae faciendam esse a canonico theologo publice in ecclesia, non vero in sacristia, locumque, tempus, horam, materiam, super qua lector legere debeat, quantitatemque lectionum pendere ab episcopi arbitrio S. C. rescr. in *Amerina.* 11. Jun. 1710. (IX. 159. P. II.)

—

26. Canonicum theologalem exemptum esse ab officio tam diaconali quam subdiaconali diebus, quibus ratione muneris theologalis eximitur a choro, et hoc ipsum procedere diebus, quibus per se ipsum concionem habeat, scil. si in casu ad concionandum obligatur, S. C. resp. in *Urgell.* 15. Dec. 1725 et 28. Dec. 1726. ad dub. II.

27. Canonicum theologalem, cui onus incumbit concionandi, concionare etiam posse per alium, obtenta, quam petere debeat, capituli licentia et salvo recursu ad episcopum, resp. in *eadem* ad dubium III.

28. Canonicus theologus cathedralis nullos reditus habens praeter simplices distributiones quotidianas pro divinis officiis, quas habent alii etiam canonici, non excedentes scuta LX., supplicavit declarari, an ei pro onere lecturae, quod subiit singulis hebdomadis, assignandum sit aliquod stipendium particulare? S. C. resp. *negative*. *Anagnin.* 23. Jul. 1674. (rel. XLIII. 22.)

29. Ubi canonicus theologus in suo munere obeundo negligens est, fructuum et distributionum subtractione mulctari, et in casu gravioris contumaciae alium theologum sacerdotem sive saecularem sive regularem, qui illius vices suppleat atque interim fructibus et distributionibus potiatur, ab ordinario deputari posse, S. C. resp. in *Bellunen.* 27. Apr. 1630. (rel. IX. 62. P. II.)

30. Episcopum posse prohibere ludimagistris exercitium scholae, quamvis nominati fuerint a communitatibus laicorum, iisque competat eorum electio bonorumque administratio independenter, nisi prius fuerint ab episcopo approbati, S. C. resp. in *Ferentina* 4. Dec. 1734.

31. Archiepiscopo Salonae interrogante I. An clericos tam minorum quam maiorum ordinum ad officium ludimagistri a communitatibus conductos cogere possit, ut pueros rudesque scholares doctrinam Christianam edoceant? II. An idem cogere possit ludimagistros laicos itidem a communitatibus conductos? III. An idem cogere possit ludimagistros sive clericos sive laicos a nemine conductos? IV. Qua poena praefatos ludimagistros cogere possit? S. C. resp. posse prius hortando et deinde praecipiendo. 17 Jul. 1688. Rel. a *Bened.* XIV. Instit. IX.

CAPUT II

De verbi Dei concionatoribus et quaestoribus eleemosynariis.

Quia vero Christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio evangelii [1]) quam lectio, et [2]) hoc est praecipuum episcoporum munus [3]) : statuit et decrevit eadem sancta synodus, omnes episcopos, archiepiscopos, primates et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium. Si vero contigerit episcopos et alios praedictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis concilii [4]) viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, plebani, et quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint diebus saltem dominicis [5]) et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat, etiam si ab episcopi iurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet, etiam si ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra dioecesim exsistenti, forsan annexae, vel unitate, modo re ipsa in dioecesi sint, provida pastoralis episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* [6]). Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id prestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.

Si quae vero parochiales ecclesiae reperiantur subiectae monasteriis in nulla dioecesi exsistentibus, si abbates et regulares praelati in praedictis negligentes fuerint, a metropolitanis, in quorum provinciis dioeceses ipsae sitae sunt, tanquam quoad hoc sedis apostolicae delegatis compellantur; neque huius decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio sive recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti iudice, qui summarie et sola facti veritate inspecta procedat, cognitum et decisum fuerit [7]). Regulares vero cuiuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram epi-

scopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint [8]). Ipsam autem licentiam gratis episcopi concedant. Si vero, quod absit, praedicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis praedicet, episcopus ei praedicationem interdicat. Quod si haereses praedicaverit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet; quo casu episcopus auctoritate apostolica et tanquam sedis apostolicae delegatus procedat. Curent autem episcopi, ne quis praedicator vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat. Caveant praeterea episcopi, ne aliquem vel eorum, qui cum sint nomine regulares, extra claustra tamen et obedientiam religionum suarum vivunt; vel presbyterorum saecularium, nisi ipsis noti sint et moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum praetextu in sua civitate vel dioecesi praedicare permittant, donec ab ipsius episcopis super ea re sancta sedes apostolica consulatur; a qua privilegia huiusmodi nisi tacita veritate et expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est. Quaestores vero eleemosynarii [9]), qui etiam quaestuarii vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se nec per alium praedicare praesumant, et contrafacientes ab episcopis et ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

[1]) cf. Sess. XXIV. c. 4. — [2]) II. Tol. c. 3. — [3]) c. 6. D. LXXXVIII. (Conc. Carth. IV. seu Statt. eccl. ant.) [4]) c. 15. X. de off. ind. ord. 1. 31. (Conc. Lat. IV.): « Inter cetera, quae spectant ad salutem populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur eo, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde, cum saepe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursiones, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiae, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum), per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses et diffusas: generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exsequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo aedificent et exemplo, quibus ipsi, cum indiguerint, necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde praecipimus tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores et cooperatores habere, non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, et poenitentiis iniungendis, ac ceteris quae ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtae subiaceat ultioni. » — [5])Conc. Costantinop. 6. cap. 8. c. Exiit. § habetur etiam de verb. sig. in 6; Conc. Lateran. ultimum, Sess. II. et cf. Sess. XXIV. de ref. c. 4. — [6]) Ierem. Thren. IV. 4. — [7]) ibid. in Conc. Lateran. — [8]) c. 13. Excomunicamus § 6. X. Quia vero de haer. V. 7. (Conc. Lat. IV.), cf. infr. Sess. XXIV. de ref. c. 4. — [9]) c. 14. X. de poenit. et remis. V. 38. sub Innoc. III. c. 62. (Conc. Lat. IX.), c. II. § 2. de haer. in Vito V. 2. (Clem. IV.), c. 2. de poen. et rem. in Clem. V. 9. Ex Bulla Pii V. *Etsi Dominici* 1567. sublatae sunt indulgentiae etiam perpetuae, quae quaestuandi praebeant occasionem.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(Ad Sess. V. c. 2. et Sess. XXIV. c. 4.)

1. Edixerat episcopus Neritonensis, ut quicunque sacerdos in ecclesia parochiali primum sacrum acturus esset, vel primum et secundum in aliis ecclesiis et capellis sive intra civitatem, sive in XVI. terris et oppidis, quibus constat universa dioecesis, teneretur post primum evangelium docere populum doctrinam Christianam iuxta methodum ab ipso scriptum in folio, quod publicis formis impressum ecclesiis omnibus distributum fuit. Si quis secus faceret, declarabatur suspensus per tres dies. Folium autem illud ita custodiri iussit, ut si quacunque de causa etiam fortuita periret, ecclesia interdicta esset, donec novum reponeretur. Ab hoc edicto cum appellatum esset, ad quaestionem I. An sustineatur edictum in ea parte, qua sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam Christianam sub poena

suspensionis in casu? S. C. resp.: *affirmative* iuxta modum explicandum episcopo. Ad II. vero: An sustineatur poena interdicti in eodem edicto inflicta adversus ecclesias, in quibus contigerit deficere formularium doctrinae Christianae in casu: *Negative Neriton.* 3. Dec. 1757.

—

2. Satis esse ut parochi, *etiamsi formaliter non praedicent,* saltem dominicis et festis diebus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, S. C., cum ei praeesset Cardinalis Carafa, respondisse refert *Bened. XIV.* Instit. X.

3. Parochos, priores etc., quibus incumbit principaliter cura animarum, quamvis alii adsint sacerdotes ad eos adiuvandos vel certis diebus curam exercendam, teneri praedicare et explicare catechismum per se ipsos omnibus diebus festivis, nisi sint legitime impediti, S. C. resp. in *Nullius* 30. Jul. 1591., *Mileten.* Febr. 1590., *Montis Fallisci* 8. Maii 1706., *Nullius Orbetelli* 28. Apr. 1736. (VII. 360.)

4. Priorem ecclesiae collegiatae eundemque parochum applicare populo teneri solum diebus festis, concionareque et evangelium explicare per se ipsum, vel, si legitime sit impeditus, per substitutum, diebus a Conc. statutis, S. C. resp. in *Tolentina* 26. Maii 1639. (rel. IX. 54. P. II.)

5. Cum contenderet cathedralis ecclesiae parochus, se ad evangelii inter sacrum agendum praedicationem non teneri, cum id episcopo potius onus incumbat, episcopus vero propter graviores pastoralis officii curas praedicandi munere per se ipsum fungi se non posse affirmaret, S. C. parochum diebus festivis actu celebrationis missae parochialis ad evangelii praedicationem teneri iudicavit in *Pientina* 14. Dec. 1748.

6. Dubio proposito: An parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur conciones per praecones ab ordinario approbatos, teneantur diebus festis in missa parochiali explicare evangelium, cum archiepiscopus ad emendandam populi ignorantiam parochos etiam eo tempore conciones habere decreto iussisset? S. C. resp. servandum esse in casu, de quo agitur, archiepiscopi decretum, in *Pisana* 30. Aug. 1817.

7. Concionatores regulares a communitate eligi consuetos ad praedicandum in ipsorum ecclesia pro populi communitate, teneri ultra benedictionem approbationem quoque ab episcopo petere, seque praesentare coram vicario foraneo locali, et docere tam de benedictione quam de approbatione, S. C. resp. in *Firmana* 21, Apr. et 11, Aug. 1742.

8. Concionatores etiam nominatos per communitatem tam tempore Adventus quam Quadragesimae teneri recipere approbationem et litteras patentes ab episcopo pro concionibus habendis, fierique debere in hisce litteris nominationis mentionem, S. C. censuit in *Feretrana* 3. Aug. 1743.

—

9. Iure nominandi concionatorem quadragesimalem ad communitatem spectante, universitatem teneri per duos menses ante initium Quadragesimae exhibere episcopo nominationem, talemque concionatorem ex Ordine S. Dominici a Superioribus approbatum teneri reportare ab episcopo licentiam et litteras patentes, non vero solam benedictionem sufficere, S. C. resp. in *Theanen.* 30. Apr. 1729.

10. Ad dubia: I. An communitates teneantur in litteris patentibus uti verbis: « N. N. in concionatorem *nominamus et praesentamus,* » non obstantibus concordia et consuetudine etiam immemorabili, iuxta quas praetendunt se verbis: « eligimus et deputamus » uti posse? II. An dictae litterae patentes a communitatibus concionatori tradendae remanere debeant in cancellaria episcopali ad publicum documentum nominationis per easdem factae? III. An concionatoribus per communitates nominatis et praesentatis debeat episcopus gratis extradere proprias litteras patentes, in eisdem exprimendo, quod dicti concionatores fuerint a communitatibus nominati et praesentati? rescr. fuit ad I. II. III. *affirmative. Sutrina* 8. Mai. 1688. (rel. VIII. 50. P. I.) Concordant *Ripana* 21. Mai. 1707. (IX. 130. P. II.) *Aquilana* 20. Dec. 1738.

11. Ubi a communitate, oblata competente eleemosyna ex publica pecunia episcopus rogatus fuit, ut concionatorem eligeret ad concionem toto quadrigesimali tempore habendam, ius eum eligendi spectare ad episcopum, onus solvendi debitam eleemosynam ad communitatem, S. C. resp. in *Cathacen.* 24. Jan. 1705. (rel. IX. 121. P. II.)

12. Eleemosynam praedicatori, cuius praesentatio spectat ad priorem ecclesiae ut curatum habitualem, subministrandam esse a communitate, S. C. censuit in *Aesina* 16. Mart. 1720.

13. S. C. censuit, si monachi in parochiali ecclesia eorum monasterio unita per regularem *sui ordinis* praedicare voluerint, illius deputationem non ad episcopum, sed ad priorem pertinere; at concionatorem sive saecularem sive regularem *alterius ordinis* ab episcopo tantum esse deputandum. *Cre-*

monen. 10. Nov. 1619. (rel. VIII. 49.) Eandem regulam S. C. secuta est in *Ferrarien.* 23. Febr. 1658. (rel. VIII. 50.)

14. Si ab abbate destinetur concionator alterius ordinis vel presbyter saecularis, litteras abbatis esse concipiendas verbis: « *nominamus et praesentamus* », concionatorem vero teneri ultra benedictionem obtinere ab episcopo litteras deputationis, in quibus fiat nominationis seu praesentationis ab abbate factae mentio, S. C. resp. in *Spoletana* 13. Apr. 1737. 28. Jan. 1741.

15. Cum quaesitum fuisset, utrum eligere praedicatorum *alterius ordinis* in ecclesiis parochialibus, quae regularium exemptorum monasteriis sunt unitae, spectet ad episcopum an ad superiorem regularem? responsum fuit: electionem pertinere ad regulares, approbationem vero et benedictionem ad ordinarium. 16. Dec. 1673. (rel. VIII. 50. P. I.)

16. Cappellano seu rectori oratorii, constructi intra fines parochiae spectantis ad abbatiam commendatam praevia parochi abbatisque commendatarii licentia, conciones seu exhortationes habere ad populum de licentia abbatis etiam invito parocho licere, S. C. censuit in *Nullius* seu *Nonantulana* 27. Jun. 1744. ad dub. IV.

17. Prohibitionem factam regularibus, ne ea hora in suis ecclesiis conciones habeant, qua episcopus per semetipsum praedicat, in suo robore permanere et ad unguem servandam esse S. C. resp. in *Pacen.* 26. Apr. 1607. l. LXXXIX. Positionum p. 170., *Bitunt.* 17. Febr. 1629. l. XIV. Decr. p. 32., *Brundusin.* 10. Mart. 1646. l. XVII. Decr. p. 445. Cum vero in alleg. *Pacensi* edixerit, nequaquam impediri posse regulares, quominus in propriis ecclesiis conciones habeant, quando episcopus coram se solenniter praedicare faciat, in cit. *Brundusina* declaravit, id esse intelligendum, cum episcopus consuetis concionibus interest, quae per annum fieri solent; sed si idem episcopus ex causa publica convocatis clero, magistratu et populo coram se praedicare faciat, tunc illi licere dixit praecipere regularibus, ut a praedicando abstineant, atque inobedientes poenis etiam censuram coërcere. Postea vero ad praecavendas lites et discordias censuit, posse quidem episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solennem indicere concionem coram se ab alio habendam, inhibere regularibus, ne ea ipsa hora in suis ecclesiis praedicent, minime tamen expedire, ut constitutione seu edicto illis generatim praedicare prohibeat, « quotiescunque ipse coram se solenniter praedicare faciet. » 12. Jul. 1687. rel. a *Bened. XIV.* De syn. dioec. IX. 17.

Indictio futurae sessionis.

Item haec sacrosancta synodus statuit et decernit, primam futuram sessionem tenendam et celebrandam esse die Iovis, feria quinta post festum B. Iacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit sessio ad diem XIII. mensis Ianuarii, MDXLVII.

SESSIO SEXTA

CELEBRATA

DIE XIII. MENSIS IANUARII MDXLVII.

DECRETUM DE IUSTIFICATIONE.

Prooemium.

Cum hoc tempore non sine multarum animarum iactura et gravi ecclesiasticae unitatis detrimento, erronea quaedam disseminata sit de iustificatione doctrina, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, ecclesiae tranquillitatem et animarum salutem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli, divina providentia Papae tertii, reverendissimis dominis, dominis Io. Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et apostolicis de latere legatis, exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam sol iustitiae [1])

Christus Iesus, fidei nostrae auctor et consummator [2]), docuit, Apostoli tradiderunt, et catholica ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur.

([1] Malach. IV. 2. — [2]) Hebr. XII. 2.

C. I. *De naturae et legis ad iustificandos homines imbecillitate.*

Primum declarat sancta synodus, ad iustificationis doctrinam probe et sincere intelligendam oportere, ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod, cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent [1]), facti immundi [2]) et, ut Apostolus inquit [3]), natura filii irae, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit [4]), usque adeo servi erant peccati [5]), et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Iudaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus [6]) licet attenuatum et inclinatum.

[1]) Coelest. I epist. I. c. 4. Rom. V. 12., 1 Cor. XV. 22. — [2]) Isa. LXIV. 6. — [3]) Eph. II. 3. — [4]) cf. Sess. V. in pr. — [5]) Rom. III. et VI. 20. Hebr. 2. — [6]) Conc. 2. Araus. 25.

C. II. *De dispensatione et mysterio adventus Christi.*

Quo factum est, ut coelestis Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis [1]), Christum Iesum, Filium suum et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum [2]), cum venit beata illa plenitudo temporis [3]), ad homines miserit, ut et Iudaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes [4]); quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris [5]), non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

[1]) 2 Cor. I. 3. — [2]) Gen. XLIX. 10. 18. — [3]) Gal. IV. 4. — [4]) Rom. IX. 30. — [5]) Rom. III. 25. et V. Coloss. 2. I. Tim. 2, et II. 1. Multiplex de poen. dist. 1. — [6]) 1 Ioan. II. 2.

C. III. *Qui per Christum iustificantur.*

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est [1]), non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis eius communicantur; nam, sicut revera homines [2]), nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus [3]) gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

[1]) 2. Cor. V. 15. — [2]) Allusio ad verb. Aug. epist. 89. *Omnes qui renascuntur in justificationem* etc. quae alibi crebro inculcat; infra Can. 1. — [3]) Coloss. I. 12 seq.

C. IV. *Insinuatur descriptio iustificationis impii, et modus eius in statu gratiae.*

Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur [1]) filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum. Quae quidem translatio post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est [2]): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

[1]) Gal. IV. Tit. III. — [2]) Ioan. III. 5. c. Filius, etc. Non dubito de consec. dist. 4.

C. V. *De necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, et unde sit.*

Declarat praeterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullius eorum exsistentibus meritis vocatur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur [1]): ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui [2]) illam et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris, cum dicitur [3]) *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostrae admonemur; cum respondemus [4]): *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, Dei nos gratia praeveniri confitemur.

[1]) Infra can. 3. — [2]) Prosp. lib. 2. de voc. gentium c. 28. et 29. — [3]) Zachar. I. 3. Ioel. II. c. convertimini, de poen. dist. I. Thren. V. d. et c. 31. — [4]) Ierem.

C. VI. *Modus praeparationis.*

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes [1]), libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu [2]); et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam poenitentiam [3]), quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est [4]): *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*, et [5]): *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, et [6]): *Timor Domini expellit peccatum*, et [7]): *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti*, et [8]): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare quaecunque mandavi vobis;* denique [9]): *Praeparate corda vestra Domino.*

[1]) Rom. X. 17. — [2]) Rom. III. 24. — [3]) cf. infra Sess. XIV. c. 4, de contritione. — [4]) Hebr. XI. 6. — [5]) Matth. IX. 2., Marc. II. 5. — [6]) Eccles. I. 27. — [7]) Act. II. 38. c. Agunt, et c. Proprie, de const. dist. IV. — [8]) Matth. XXVIII. 19. seq. — [9]) 1 Reg. VII. 3.

C. VII. *Quid sit iustificatio impii, et quae eius causae.*

Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae [1]). Huius iustificationis causae sunt, finalis quidem: gloria Dei et Christi ac vita aeterna, efficiens vero: misericors Deus, qui gratuito abluit [2]), et sanctificat signans et ungens [3]) Spiritu promissionis sancto [4]), qui est pignus hereditatis nostrae; meritoria autem: dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici [5]), propter nimiam caritatem, qua dilexit nos [6]), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item: sacramentum

baptismi, quod est sacramentum fidei [7]), sine qua nulli unquam contigit iustificatio; demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult [8]), et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi [9]) communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur [10]) in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides [11]), nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse [12]), et in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium [13]), sed fidem, quae per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam aeternam praestantem, quam sine spe et caritate praestare fides non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt [14]): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram et Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam [15]) pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, et habeant vitam aeternam.

[1]) Tit. III. 7. — [2]) 1 Cor. VI. 11. — [3]) Tit. III. 5. — [4]) Eph. I. 13. — [5]) Rom. V. 10. — [6]) Eph. II. 4. — [7]) cf. c. 76. D. IV. de cons. (Aug.) — [8]) 1 Cor. XII. 11. — [9]) Phil. III. 9. 10. — [10]) Rom. V. 5. — [11]) cf. infra c. 10. — [12]) Iac. II. 17. 20. — [13]) Gal. V. 6. VI. 15. — [14]) Matth. XIX. 17. — [15]) Luc. XV. 22. c. Quo modo renovari, de Poenit. d. II.

C. VIII. *Quo modo intelligatur, impium per fidem et gratis iustificari.*

Cum vero Apostolus dicit [1]), iustificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo [2]), et ad filiorum eius consortium pervenire; gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. *Si enim gratia est* [3]), *iam non ex operibus; alioquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia iam non est gratia.*

[1]) Rom. IV. — [2]) Hebr. XI. 6. inf. Can. 9. — [3]) Rom. XI. 6. Ephes. II. Tit. III.

C. IX. *Contra inanem haereticorum fiduciam.*

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam [1]) et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti et in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, et magna contra ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se

esse iustificatos, neminemque a peccatis absolvi ac iustificari, nisi eum [2]), qui certo credat se absolutum et iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

[1]) Inf. Can. 12. et 13. — [2]) Inf. Can. 14.

C. X. *De acceptae iustificationis incremento.*

Sic ergo iustificati, et amici Dei ac domestici facti [1]), euntes de virtute in virtutem [2]), renovantur, ut Apostolus inquit [3]), de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suae [4]), et exibendo ea arma iustitiae in sanctificationem [5]): per observationem mandatorum Dei et ecclesiae in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est: *Qui iustus est* [6]) *iustificetur adhuc;* et iterum [7]): *Ne verearis usque ad mortem iustificari;* et rursus [8]): *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum.* Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta ecclesia, cum orat [9]): *Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.*

[1]) Eph. II. 19. — [2]) Psalm. LXXXIII. 8. Infra Can. 24. II. — [3]) 2. Cor. IV. 16. — [4]) Coloss. III. 5. — [5]) Rom. VI. 13. 19. — [6]) Apoc. XXII. 11. — [7]) Ecclesiastic. XVIII. 22. — [8]) Iac. II. 24. — [9]) Dominica XIII. post Pentecosten.

C. XI. *De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.*

Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus [1]) impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis. Cuius mandata gravia non sunt [2]), cuius iugum suave est et onus leve [3]). Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum [4]), ut ipsemet testatur, servant sermones eius, quod utique cum divino auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti; nam iustorum illa vox est et humilis et verax [5]): *Dimitte nobis debita nostra*, quo fit, ut iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiae sentire debeant, quo liberati iam a peccato [6]), servi autem facti Deo [7]), sobrie, iuste et pie viventes proficere possint per Christum Iesum, per [8]) quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur [9]). *Nam et, Christus ipse*, ut inquit Apostolus [10]), *cum esset filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens [11]): *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item

princeps Apostolorum Petrus [12]): *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes non peccabitis aliquando.* Unde constat, eos orthodoxae religionis doctrinae adversari [13]), qui dicunt, iustam in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri, atque etiam eos [14]), qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad eurrendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, cum scriptum sit [15]): *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, et de Moyse dicat Apostolus [16]), quod respiciebat in remunerationem.

[1]) ex Aug. libr. de nat. et grat. c. 43.— [2]) 1 Ioan. V. 3.— [3]) Matth. XI. 30.— [4]) Ioan. XIV. 23.— [5]) Matth. VI. 12.— [6]) Rom. VI. 22.— [7]) Tit. II. 12.— [8]) Rom. V. 2.— [9]) Rom. VIII. 17. — [10]) Hebr. V. 8 seq. — [11]) 1 Cor. IX. 24. 26. 27. — [12]) 2 Petr. I. 10. — [13]) cf. infr. can. 25. — [14]) cf. infr. can. 31. — [15]) Psalm. CXVIII. 112. — [16]) Hebr. XI. 26.

C. XII. *Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse.*

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum [1]), quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

[1]) cf. c. 17. C. XXIV. qu. 3. (August.)

C. XIII. *De perseverantiae munere.*

Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est [1]): *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat [2]), statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum [3]), ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant [4]), et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus [5]), in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, in ieiuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriae [6]), et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti [7]): *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

[1]) Matth. X. 22. XXIV. 13. — [2]) Rom. XIV. 4. — [3]) Phil. 1. 6. — [4]) 1 Cor. X. 12. — [5]) Phil. II. 12. — [6]) 1 Petr. I. 3. — [7]) Rom. VIII. 12. 13.

C. XIV. *De lapsis et eorum reparatione.*

Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt [1]), rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt [2]). Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit poenitentiae, cum dixit [3]): *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;*

et quorum retinueritis, retenta sunt. Unde docendum est, Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum [4]), verum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia; non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati [5]) Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti [6]). De qua poenitentia scriptum est [7]): *Memor esto unde excideris: age poenitentiam, et prima opera fac;* et iterum [8]): *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur;* et rursus [9]): *Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae.*

[1]) vid. infr. can. 23. et 29.—[2]) cf. Hieron. in c. 72. D. II. de poen.—[3]) Matth. XVI. 19.—[4]) Psalm. L. 19. — [5]) Eph. IV. 30. —[6]) 1 Cor. III. 17. — [7]) Apoc. II. 5.—[8]) 2. Cor. VII. 10. — [9]) Matth. III. 2. IV. 17., Luc. III. 8.

C. XV. *Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.*

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones [1]) et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit [2]), sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, caeterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

[1]) Rom. XVI. 18. — [2]) 1 Cor. VI. 9. 10., 1 Tim. I. 9. 10.

C. XVI. *De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.*

Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba [1]): *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non* [2]) *enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius;* et [3]): *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem [4]), et in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa; et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda [5]). Haec est enim illa corona iustitiae [6]), quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites [7]), in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est,

quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint [8]), consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus Salvator noster dicat [9]): *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ita neque propria nostra iustitia [10]) tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei; quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod, licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit [11]), promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur [12]), id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur [13]), et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita [14]), quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes [15]), unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit [16]), iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, *qui illuminabit abscondita tenebrarum* [17]) *et manifestabit consilia cordium:* et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est [18]), *reddet unicuique secundum opera sua.*

Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

[1]) 1 Cor. XV. 58. — [2]) Hebr. VI. 10. — [3]) ib. X. 35. — [4]) Matth. X. 22. — [5]) Rom. V. 21. — [6]) 2 Tim. IV. 8. — [7]) Ioan. XV. 1. seq. — [8]) Apoc. XIV. 13. — [9]) Ioan. IV. 13. 14. — [10]) Rom. X. 3. — [11]) Matth. X. 42., Marc. IX. 40. — [12]) 2 Cor. IV. 17. — [13]) 1 Cor. I. 31., 2 Cor. X. 17. — [14]) ex ep. Coelestini I. ad episc. Gall. c. 12. — [15]) Iac. III. 2. — [16]) 1 Cor. IV. 3. 4. — [17]) ib. IV. 5. — [18]) Matth. XVI. 27.

DE IUSTIFICATIONE

Canon. I. Si quis dixerit, hominem suis operibus [1]), quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit [2]), sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione [3]) atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: anathema sit.

CAN. V. Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam; anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, gehennae metum [4]), per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, sola fide impium iustificari [5]), ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia [6]), per quam nobis iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur [7]) atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae [8]), peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione, propriae infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi [9]) ac iustificari ex eo, quod se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici: anathema sit.

CAN. XV. Si quis dixerit, hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum [10]), se certo esse in numero praedestinatorum: anathema sit.

CAN. XVI. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum [11]) absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

CAN. XVII. Si quis iustificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum: anathema sit.

CAN. XVIII. Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato [12]) et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia: anathema sit.

CAN. XIX. Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in evangelio praeter fidem; caetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.

CAN. XX. Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum [13]) dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.

CAN. XXI. Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant: anathema sit.

CAN. XXII. Si quis dixerit iustificatum [14]) vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.

CAN. XXIII. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse [15]), neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venalia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia: anathema sit.

CAN. XXIV. Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari [16]), atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: anathema sit.

CAN. XXV. Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit [17]), aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

CAN. XXVI. Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus [18]), quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint [19]): anathema sit.

CAN. XXVII. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum [20]), nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.

CAN. XXVIII. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

CAN. XXIX. Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est [21]), non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento poenitentiae, prout sancta Romana et universalis ecclesia a Christo Domino et eius Apostolis edocta hucusque professa est, servavit et docuit: anathema sit.

CAN. XXX. Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae [22]) vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio [23]), antequam ad regna coelorum aditus patere possit: anathema sit.

CAN. XXXI. Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur [24]): anathema sit.

CAN. XXXII. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: anathema sit.

CAN. XXXIII. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de iustificatione, a sancta synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriae Dei vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

[1]) cf. supra c. 1. et 3. — [2]) ib. c. 5. — [3]) Rom. V. 5.—[4]) Matth. X. 28., Luc. XII 5. — [5]) cf. supr. ead. c. 7. 8. — [6]) Gal. II. 16. cf. supr. ead. c. 7. — [7]) Rom. V. 5. — [8]) cf. supr. ead. c. 9. — [9]) — cf. cap. cit. — [10]) cf. supr. c. 12. — [11]) cf. ib. c. 13. — [12]) cf. ib. c. 11. — [13]) cf. cap. cit. — [14]) cf. supr. ead. c. 13. — [15]) cf. ib. c. 14. — [16]) cf. ib. c. 10. — [17]) cf. ib. c. 11. extr. — [18]) cf. ib. c. 16. — [19]) Matth. XXIV. 13.—[20]) cf. supra ead. c. 15.—[21]) cf. ib. c. 14. — [22]) cf. Sess. XIV. de poenit. c. 8. — [23]) cf. Sess. XXV. in pr. — [24]) cf. supra ead. c. 11. extr.

DECRETUM DE REFORMATIONE

C. I. *Praelatos convenit in ecclesiis suis residere; si secus fecerint, iuris antiqui poenae in eos innovantur, et novae decernuntur.*

Eadem sacrosancta synodus, eisdem praesidentibus apostolicae sedis legatis, ad restituendam collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam depravatosque in clero et populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui maioribus ecclesiis praesunt, initium censuit esse sumendum; integritas enim praesidentium salus est subditorum [1]). Confidens itaque per Domini ac Dei nostri misericordiam providamque ipsius Dei in terris vicarii sollertiam omnino futurum, ut ad ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis aetas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae stipendia ecclesiasticae laudabiliter acta, testimonium praebeat, secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones [2]) assumantur: omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscunque quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut attendentes sibi [3]) et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit [4]), in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos [5]) mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo iudice requirendus [6]), custodiae minime incumbant, cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriae etiam salutis immemores terrenaque coelestibus ac divinis humana praeferentes, in

diversis curis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: placuit sacrosanctae synodo, antiquos canones [7]), qui temporum atque hominum iniuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorundem residentia et reformandis in ecclesia moribus, in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire. Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana seu cathedrali ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine seu iure commissa, quacunque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento seu iustis et rationabilibus causis [8]) cessantibus, sex mensibus [9]) continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, fabricae ecclesiae et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex [10]) menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suae supremae sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

[1]) c. 5. D. LXI. (Leo I.) — [2]) cf. ex. gr. 4. D. LIX. (Coelest. I.) c. 2. D. LXI. (Hormisd.) c. 6. ead. (conc. Laodic.) — [3]) Act. XX. 28. — [4]) Tim. IV. 5. — [5]) Ioan. X. 12. — [6]) Ezech. XXXIII. 6. — [7]) cf. c. 20. C. VII. qu. 1. (Gregor. I.) et seqq.; tot. tit. X. de cler. non res. III. 4. et in Vito III. 3. — [8]) cf. infr. Sess. XXIII. de ref. c. 1. — [9]) c. 11. X. de cler. non resid. (Innoc. III.) — [10]) cf. Sess. XXIII. de ref. c. 1.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(ad Sess. VI. c. 1. et Sess. XXIII. c. 1.)

1. Episcopum teneri saltem diebus a Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref. praescriptis residere in ecclesia cathedrali ibique sacras functiones explere, S. C. resp. in *Valven.* 13. Aug. 1650., *Urgellen.* 5. Sept. 1705. et in *Calaguriten.* et *Calceaten.* 3. Sept. 1740.

2. Cum episcopus Gurcensis petiisset indultum, ut praeter tres menses a Conc. Trid. concessos per alios tres menses in praedio ab ipso cum aliis bonis empto, in dioecesi Salisburgensi sito, ei habitare liceret, quamvis praedium illud dioecesi eius conterminum esset, et facillime se ex eo sacris functionibus vacare posse affirmaret, tamen resolutum fuit *negative* d. 19. Febr. 1718.

3. S. C. resp.: Civit. Castellan. *et* Hortanum episcopum in aliqua parte alterius ex dictis dioecesibus residentem suae obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus resideat temporibus ab eodem Concilio praescriptis decreto c. 1. Sess. XXIII. 18. Jun. 1624. Id ipsum confirmavit d. 13. Aug. 1650, in *Valven.* et *Sulmonen.* alleg. I. 157.

4. Proposito dubio: An et quomodo episcopus Geruntinen. *et* Cariatensis teneatur residere in cathedrali Geruntina S. C. d. 2. Oct. 1706. rescr. *negative*, et iniungendum censuit episcopo, ut curet residere etiam in eccl. Geruntinen. saltem in aliquibus diebus solennioribus, quae resolutio confirmata fuit 11. Febr. 1708. (alleg. L. 157.)

5. In Civit. *Castell.* et *Hortana* S. C. resolvit 8. Junii 1624.: Quemadmodum episcopus in Civit. Castellana vel in eius dioecesi existens, Civit. Castellanae et Hortanae est appellandus episcopus, ita e converso, dum in civitate vel dioecesi Hortana moram trahit, Hortanae et Civit. Castellanae episcopum nominari atque inscribi debere. Quod si extra dioecesim resideat, in negotiis ad civitatem et dioecesim Hortanam respicientibus Hortanae et Civ. Castellanae,

in spectantibus vero ad Civ. Castellanam et illius dioecesim Civit. Castellanae et Hortanae episcopum esse nominandum. (alleg. XL. 76.)

6. Controversia inter episcopum Viterbiensem et Tuscanensem ac canonicos eccl. Tuscanensis, de episcopi residentia, synodis habendis et pontificalibus peragendis exorta haec proposita sunt dubia :

I. An synodus alternatim ab episcopo convocanda sit in eccl. cathedr. Viterbien. et in altera Tuscanensi, seu potius separatim in et pro unaquaque ex dictis respectivis ecclesiis in casu ? Et quatenus affirmative ad primam partem :

II. An clerus unius ecclesiae cathedralis cogi possit ad interessendum synodo celebrandae in altera ecclesia in casu etc. ?

III. An ab episcopo peragenda sint in civit. Tuscanen. pontificalia, ordinationes et consecrationes oleorum saltem alternative in casu etc.? Et quatenus affirmative :

IV. An episcopus teneatur residere in civit. Tuscanen. per aliquod temporis spatium singulis annis in casu etc. ?

V. An cancellarius episcopalis Tuscanen. retinere possit penes episcopum in quocunque loco commorantem substitutum approbandum ab episcopo pro conficiendis actis respicientibus solam eccl. Tuscanen. in casu etc. ? Et quatenus negative :

VI. An acta per ipsum episcopum extra ecclesiam Tuscanen. commorantem gesta et respicientia solam Tuscanen. ecclesiam retineri debeant per Cancellarium episcopalem Tuscanen. etiamsi perficiantur per acta Cancellariae Viterbii in casu etc. ?

VII. An acta per ipsum episcopum commorantem in eccl. Tuscanen. gesta ac respicientia solam Viterbiensem ecclesiam vicissim confici et retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu etc. ?

VIII. An acta examinis habendi coram episcopo in civit. Viterbii pro collatione parochialium aliarumque dignitatum Tuscanen. conficienda sint a Cancellario Tuscanen. seu potius ab alio quocunque arbitrio episcopi, ita ut sit standum vel recedendum a decisis d. 16. Mart. 1771. quoad dub. III. in casu etc. ?

IX. An reliquae scripturae spectantes ad eccl. Tuscanen., nec non expeditiones et commissoralia bullarum, et acta S. visitationis eccl. Tuscanen. privative expediri, peragi ac retineri debeant penes acta Cancellarii Tuscanen. in casu etc. ? et quatenus negative :

X. An vicarius capitularis eccl. Tusc. sede episc. vacante compellere possit Cancellarium eccl. Viterbien. ad sibi gratis tradendas scripturas originales vel earum copias privative respicientes eccl. Tuscanen. in casu etc. ?

XI. An in actibus privative respicientibus eccl. Tuscan. episcopus semper et ubique denominari debeat Tuscanensis et Viterbiensis ?

XII. An in actibus communibus respicientibus utramque ecclesiam, Viterb. scilicet et Tuscanensem, cui ex iisdem ecclesiis competat praenominatio in casu etc. ? Et quatenus affirmative quoad eccl. Viterbiensem:

XIII. An dicta praenominatio eidem ecclesiae Viterb. competat etiam in iis actibus communibus, qui ab episcopo conficiuntur et evulgantur in eccl. Tuscanensi ?

XIV. An exsequendum sit rescriptum episcopi sub die 4. Jan. 1779. super separata impressione calendarii pro eccl. Tusc., seu potius servanda sit impressio unius calendarii utramque eccl. complectentis?

XV. An et cuius ecclesiae praenominatio servanda sit in impressione dicti separati calendarii, seu potius quomodo sit providendum in casu etc. ?

S. C. resp. ad I. arbitrio et prudentiae episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino ad utriusque eccl. utilitatem expedire iudicaverit. Ad II. *affirmative*, si synodus indicatur pro utraque dioecesi et cleri utriusque eccl. convocentur, et amplius. Ad III. arbitrio et prudentiae episcopi, et ad mentem, et mens est, quod scribatur episcopo, decere interdum aliquas functiones pontificales peragere in eccl. cath. Tuscanensi. Ad IV. arbitrio et prudentiae episcopi et ad mentem, et mens est ut in praecedenti. Ad V. *negative*, salvo tamen arbitrio episcopi. Ad VI. VII. VIII. IX. X. praevio recessu a decisis sub die 16. Mart. 1771. episcopum posse adhibere in conficiendis actis alterutrius ecclesiae quemlibet ex notariis sibi benevisum, iuxta tamen resolutionem in *Hortana* 8. Jun. 1624., ita tamen, quod si acta conficiantur a cancellario Viterbien. pro dioecesi Tuscan., teneatur ille vel autographum vel copiam authenticam soluta duntaxat mercede scripturae tradere cancellario Tuscanen.

in cancellaria Tusc. servandam, et vicissim ad idem teneatur cancellarius Tuscan., qui acta conficiat ad dioec. Viterb. spectantia. Ad XI. *affirmative* et amplius. Ad XII. praenominationem competere ecclesiae, in qua residet episcopus, si vero extra utramque, competere eccl. Viterbiensi. Ad XIII. provisum in antecedenti. Ad XIV. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam, salvo iure et potestate episcopi et amplius. Ad XV. praenominationem competere utrique ecclesiae in suo calendario, et amplius. *Viterbien.* seu *Tuscanen.* 11. Jan. 1783. Resolutio, cuius ad dub. VI-X. fit mentio, haec est: Proposito dubio: An episcopus volens in civitate Castellanae cognoscere causas civitatis Hortanae et illius dioecesis (aeque principaliter unitae) et sic e contra, possit per se ipsum illas cognoscere scribente notario quem maluerit, nec solum processus causarum, verum etiam visitationem? S. C. resp.: « episcopum in una ex dictis civitatibus existentem posse per se ipsum cognoscere causas alterius civitatis vel dioecesis adhibito notario sibi beneviso tam in processibus scribendis quam in actis visitationis conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et aequa ex causa fiat, et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur. » *Civit. Castell.* 8. Jun. 1624. (alleg. XL. 76.)

7. Ad dubia: I. An synodus ab episcopo (Geruntinam et Cariatensem ecclesias aeque principaliter unitas moderante) celebrata in cathedrali Cariatensi sustineatur? et quatenus affirmative: II. An licet dioecesim Geruntinam? S. C. d. 2. Oct. 1706. resp. ad I. *affirmative*, ad II. *negative*. Re vero iterum proposita ad II. resp.: praevio recessu a decisis *affirmative* d. 1. Febr. 1708. (rel. LI. 155.)

8. Cum episcopus Ampuriensis exposuisset: « Approximante tempore celebrationis synodi, stante quod Ampuriensis unita sit aeque principaliter Civitanensi dioecesi, nullus in hac re fultus consuetudine supplicat edoceri, an ipse teneatur celebrare synodum in utraque dioecesi? S. C. resp. *affirmative* alternatim, d. 8. Maii 1649. (rel. LI. 155.) Eandem regulam secuta est in *Pennen.* et *Adrien.* 16. Apr. 1622. (alleg. L. 156.)

9. De concursu in ecclesiis Civitatis Castellanae et Hortana per unionem aeque principalem coniunctis habendo S. C. resp.: concursus fieri debere cum examinatoribus synodalibus dioecesis Civit. Castell. vel Hortanae, in qua exsistit ecclesia parochialis vacans, non tamen episcopum commorantem in una ex dictis civitatibus teneri se personaliter transferre ad alteram civitatem et dioecesim, sed posse dictos concursus facere in civitate et dioecesi, in qua moratur, adhibitis tamen examinatoribus civitatis et dioecesis, in qua ecclesia parochialis exsistit. *Civit. Castell.* 24. Sept. 1649. Eodem modo iudicatum est in *Tuscanen.* 16. Mart. 1771. in qua ad dub. III.: An ad effectum recipiendi dictum examen intervenire et privative se gerere debeat cancellarius dictae civitatis (in qua sita erat parochialis ecclesia) in casu? respons. est: *affirmative*.

C. II. *Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi iusta de causa ab episcopo approbanda, qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat ob curam animarum.*

Episcopis inferiores, quaevis beneficia ecclesiastica personalem residentiam de iure sive consuetudine exigentia in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine et divini cultus augmento, locorum et personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remediis residere cogantur, nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur [1]), indulgentiis vero et dispensationibus temporalibus, ex veris et rationalibus causis tantum concessis, et coram ordinario legitime probandis in suo robore permansuris; quibus casibus nihilominus officium sit episcoporum, tanquam in hac parte a sede apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum vicariorum [2]), et congruae portionis fructuum assignationem cura animarum nullatenus negligatur, nemini quoad hoc privilegio seu exemptione quacunque suffragante.

[1]) cf. c. 15. de reser. in Vito I. 3. (Bonif. VIII.) — [2]) c. 34. de elect. in Vito I. 6. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(ad Sess. VI. c. 2. et Sess. XXIII. c. 1.)

1. Cum in canonicatus cuiusdam institutione nulla residentiae facta fuisset mentio, controversia exinde exorta S. C. resp., illius canonicatus possessorem obnoxium esse residentiae legi ad tramites iuris, servata tamen consuetudine quoad servitium chori pro diebus solemnioribus, taxata ab ordinario summa pro singulis fallentiis favore fabricae ecclesiae applicandis. *Pisana* 2. Junii 1838.

2. Canonicus theologus et provicarius ecclesiae cuiusdam cathedralis, cum nomen dedisset congregationi Oblatorum et in eo esset, ut tria vota simplicia profiteretur (in quibus tamen dispensationis a Summo Pont. et Superiore generali petendae locus est), supplicavit, ut illa munera sua retinere posset per substitutum. Licet vero in ecclesia esset ministrorum inopia, tamen S. C. resp., non esse dandam retentionem, et quia per votorum illorum emissionem secundum Benedicti XIV. Constitutionem « Ex quo dilectus » beneficia non vacent ipso iure, post illam episcopum procedere debere prout de iure (id est cogendum esse professum, ut beneficium residentiale libere dimittat) *Pinerolien.* 14. Dec. 1833.

3. S. C. censuit, eum, qui habeat praebendam vel dignitatem, cui annexa sit alia parochialis ecclesia, residere debere in loco ecclesiae collegiatae, ut maioris et dignioris, praesertim cum ipsa praebenda coniuncta sit cura animarum, quamvis parochia extra locum ecclesiae collegiatae annexa plures habeat incolas. *Aquilana* 19. Julii 1732.

4. Canonicum, cui ex indulto apost. ecclesia parochialis in alia dioeceseos urbe collata fuit cum facultate residendi alternatim in alterutra ecclesia per sex menses, cum non resideret, nec bis citatus ad parochiam rediisset, sed suspectum episcopum allegasset, episcopus deputato pro exercenda cura vicario et pro fructibus colligendis oeconomo, reiecta quoque appellatione quoad effectum suspensivum, beneficio parochiali privatum declaravit et ad fructus a die apost. indulti perceptos restituendos condemnavit. Cum ille sub appellationis interpositae obtentu vicarium et oeconomum molestare non desisteret, res ad S. C. est delata, quae sententiam privationis sustinendam esse censuit. *Tridentina* 3. Dec. 1729.

(Reliqua, quae canonicorum residentiam spectant, reiecta sunt in Sess. XXII. c. 3. et Sess. XXIV. c. 12.)

—

5. Beneficium seu capellaniam censeri residentialem, quae adnexum habet servitium chori in cathedrali vel collegiata, resp. C. in *Nepesina* 16. Nov. 1708. et 5. Sept. (cit. XCIII. 442.)

6. Cum beneficio simplici *in fundatione* onus esset adiectum, ut « sacerdos ad illud electus et confirmatus teneatur et debeat in perpetuum de die ac nocte in ecclesia cum presbyteris et canonicis interesse horis et divinis ac solemnibus officiis, nisi iusto et canonico impedimento fuerit impeditus. » quamvis *nunquam* possessores *residentiam praestitissent*, nihilominus S. C. censuit: possessorem ad residentiam teneri neque ab ea esse dispensandum, in *Mutinen.* 14. Dec. 1833.

7. Capellaniam, cuius possessori onus coadiuvandi parochum et sacrificandi diebus festis singulis incumbere plures visitationes, et ipsa consuetudo probant, non esse simplex beneficium, sed residentiale, S. C. resp. in *Sublacen.* ad I. 13. Jul. 1743.

—

8. Ad quaestionem: An parochi ab ecclesiis suis abesse possint per duos menses sine licentia episcopi, S. C. an. 1573. respondit: *Negative.* Ex L. I. p. 131. Decr. rel. a *Benedicto* XIV. Inst. XVII.

9. Eodem modo, cum proponeretur, esse in Toletana dioecesi presbyteros, qui se per aliquod tempus absque ordinarii licentia abesse posse putarent, eodem anno censuit: non posse nisi causa cognita et probata ab ordinario et ab eodem in scriptis obtenta licentia. Ex L. I. p. 202. Decr. ap. *eundem* ib.

10. S. C. censuit: Solam distantiam loci etiam cum aequa causa discedendi non excusare parochum, ut possit abesse a sua ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quae non patiatur dilationem huiusmodi licentiam petendi, quo casu quamprimum de discessu et de necessitate ordinarium certiorem faciendum, ut de causa cognoscere possit. Nec parochum habentem iustam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres satisfacere suae conscientiae, si petat licentiam iurans gravem se habere causam quam non expediat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet episcopus non concedat. Similiter abesse non posse in casu, quo causam rationabilem expressit, quam vir aequus et bonus rationabilem iudicaret, licet rigidus praelatus minus aequam iudicet et licen-

tiam deneget, vel quia movetur suspicione quod ficta sit, cum tamen sit vera, sed habere posse recursum ad superiorem. Nec posse per hebdomadem abesse non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario ab ipso ordinario approbato. Nec esse liberum a culpa et a poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgente admodum causa ad curandam suam valetudinem morbo gravi instante recessit et ad huiusmodi absentiam non petiit licentiam ab episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam, ut supra dictum est. Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam iuxta formam eiusdem Conc. Sess. XXIII. c. 1. Ex L. X. Decr. p. 100. relata ab *eodem* ib.

11. Ad eliminandos plures abusus, circa parochorum residentiam in sua dioecesi obvios, supplicavit episcopus Fulginatensis a S. C. declarari: I. An rectores ecclesiarum parochialium a civitate distantium per 2. 3. aut 4. milliaria circiter possint sine expressa episcopi licentia abesse a suis ecclesiis parochialibus, relicto ibidem substituto ab eis deputato, et in civitate tam diurno quam nocturno tempore iugiter commorari, exceptis solis diebus festis, in quibus ad dictas ecclesias se conferunt revertentes illico ad civitatem? II. An parochi, qui nocturno ceteroquin tempore resident apud suas ecclesias possint, celebrata summo mane missa in dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem, et in ea diurno tempore totius vel maioris partis anni commorari, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti? III. An dicti parochi, qui ceteroquin diurno tempore resident apud suas ecclesias, possint nocturno tempore totius vel maioris partis anni commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti? S. C. resp. ad I. II. III. *negative* d. 10. Maii 1687. Relat. ab *eodem* ib.

12. Quaerente episcopo Rhegiensi an si aliqua parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo nisi indigena in eadem sede absque vitae discrimine immorari possit, alibi degere rectori liceat? S. C. a. 1573. censuit non posse. Si tamen rector infirmus esset et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc posse ab ordinario dari licentiam 3. vel 4. mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso ordinario in parochiali idoneo vicario cum congrua portione ex reditibus eiusdem parochiae. Rel. ab *eodem* ib. ex L. I. Decr. p. 51.

13. Die 10. Sept. 1576. facta SS. relatione in Concistorio S. S. decrevit, scribendas simpliciter litteras ad Cardinalem S. Praxedis (i. e. S. Carolum Borromaeum), quibus significatur: parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis ecclesiis parochialibus, posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis sacramenta baptismi et poenitentiae. Rel. ab *eodem*. De syn. dioec. XIII. 19.

14. S. C. resp. aëris intemperiem non excusare parochum a residentia d. 7. Jul. 1646. Ex L. XVIII. Decr. p. 164. relata *eodem* Inst. XVII.

15. S. C. d. 6. Apr. 1647. respondit: nec aetatem senilem nec malam valetudinem excusare parochum a residentia personali. Rel. ab *eodem* ib. ex L. XVIII. Decr. p. 329.

16. Cardinalis episcopus Portuensis in relatione status suae ecclesiae exposuit, parochos suae ecclesiae ex immemorabili consuetudine fere omnes, ut plurimum aestivo tempore, obtenta ab ordinario licentia ac idoneo pro animarum cura sacerdote deputato, ne cum maiori parte incolarum parochiae ob veneficum aërem mortem subire cogantur, quatuor mensibus a suis ecclesiis abesse consuevisse. Re examinata in S. C. ad dubium: An et quomodo propter aëris intemperiem sit providendum? 8. Aug. 1771. responsum est: arbitrio Cardinalis episcopi ad decennium, et in reliquis detur decretum ut in *Algarensi*. Hoc vero ita conceptum fuit: « Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis conciliaribus, arbitrio episcopi, cum obligatione commorandi in locis parochiae proximioribus non infectis aëris intemperie, quatenus ex iis in occurrentibus solennitatibus vel necessitatibus sine detrimento propriae valetudinis accedere possit orator ad consulendum parochianorum indigentiis, deputato idoneo vicario ab ordinario approbando, qui resideat et curam animarum ac sacramentorum administrationem laudabiliter exerceat. »

17. Cum parochus quidam petiisset ut a residentia eximeretur, « stante parvo numero familiarum, cui vicinus parochus supplebit, » S. C. censuit non annuendum d. 3. Oct. 1671. Ex L. XXVII. Decr. p. 229. rel. a *Benedicto XIV*. Instit. XVII.

18. In casu absentiae parochi cum debita licentia deberi oeconomo (i. e. vicario) provisionem in summa inter ipsos parochum et oeconomum concordanda, praevia tamen approbatione episcopi quoad personam oeconomi, S. C. resp. in *Suessana* ad dub. IV. 15. Mart. 1738.

—

19. S. C. censuit, cogendos esse rectores ad suebeunda per se ipsos et non substitutos omnia munia, ad quae parochi tenentur, tolerandum autem, ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis canonum et decretorum Concilii permissum est parochis, ut per vicarios, coadiutores vel substitutos possint officio suo fungi. *Nicien.* 7. Oct. 1604. (rel. L. 25.)

20. Parochum praesentem et non impeditum nec in aliis exercitiis parochialibus occupatum debere per se ipsum exercere munia parochialia, S. C. resp. in *Sabinen.* ad V. 10. Mart. 1742.

21. Cum beneficiatus quidem aetatis annorum 62. ex loco residentiae ante 28. annos profectus frustra undique quaesitus, neque unquam de eo habita notitia esset, quaerente episcopo, quomodo posset ad provisionem beneficii procedere? S. C. respondit, locum esse novae provisioni ad instar vacationis per obitum. *Pavent.* 28. Aug. 1841.

C. III. *Excessus saecularium clericorum et regularium degentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur.*

Ecclesiarum praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, et nemo saecularis clericus cuiusvis personalis, vel regularis extra monasterium degens etiam sui ordinis privilegii praetextu tutus censeatur [1]), quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci tanquam super hoc a sede apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat.

[1]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 4. seq.

C. IV. *Ecclesias quascunque episcopi et alii maiores praelati, quoties opus fuerit, visitent, omnibus, quae huic decreto obstare possent, sublatis.*

Capitula cathedralium [1]) et aliarum maiorum ecclesiarum illorumque personae nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis episcopis et aliis maioribus praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit visitari, corrigi et emendari etiam auctoritate apostolica possint et valeant.

[1]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 3. Sess. XXV. de ref. c. 6.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. I. Episcopo, concurrente impedimento legitimo, licere per delegatum visitare propriam cathedralem, et totum corpus capituli, nedum in temporalibus, verum etiam in spiritualibus; II. standum esse circa impedimentum *soli episcopi assertioni;* III. impedimentum esse continuum toto tempore a S. Concilio pro visit. facienda praescripto durante non oportere, sed remittendum esse episcopi conscientiae, resp. S. C. *Portucallen.* 29. Jan. 1701. (cit. IX. 100. P. II.)

2. Episcopum differre posse servatis finibus moderati et prudentis arbitrii visitationem inceptam, si fuerit impeditus, S. C. censuit in *Gerund.* ad dub. III. 19. Dec. 1739.

3. S. C. censuit, ordinarium volentem visitare in vim cap. 4. Sess. VI., teneri per se ipsum; volentem autem visitare ex c. 3. Sess. XXIV. posse per suum generalem, vicarium aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit. *Hispalen.* 12. Mart. 1593. ex L. VII. Decr. p. 98. rel. a Bened. XIV. De syn. dioec. XIII. 9.

(Reliqua vide ad Sess. VII. 8., XXI. 8., XXIV. 3. 9. 16. et XXV. 6.)

C. V. *Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant.*

Nulli episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere [1]), nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione ordinum sint ipso iure suspensi.

[1]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 2. 3. et Sess. XXIII. c. 8. cum Declarationibus et Resolutionibus.

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem celebrari die Iovis feria quinta post primam dominicam subsequentis Quadragesimae, quae erit dies tertia mensis Martii? Responderunt: *Placet.*

SESSIO SEPTIMA

CELEBRATA

DIE III. MENSIS MARTII MDXLVII.

DECRETUM DE SACRAMENTIS.

Prooemium.

Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ad errores eliminandos et extirpandas haereses, quae circa sanctissima ipsa sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt, quae catholicae ecclesiae puritati et animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum scripturarum doctrinae, apostolicis traditionibus atque aliorum conciliorum et Patrum consensui inhaerendo, hos praesentes canones statuendos et decernendos censuit, reliquos, qui supersunt, ad coepti operis perfectionem, deinceps, divino Spiritu adiuvante, editura.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Can. I. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo [1]) Domino nostro instituta; aut esse plura vel paucioria quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam [2]), poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus externi: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci [3]), licet omnia singulis necessaria non sint: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam [4]), quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, in tribus sacramentis [5], baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.

Can. X. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo [6] et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.

Can. XI. Si quis dixerit, in ministris [7], dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia: anathema sit.

Can. XII. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum: anathema sit.

Can. XIII. Si quis dixerit, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

[1]) conc. Flor. in decr. Eugen. IV. ad Armenos. — [2]) c. 9. X. de haeret. V. 7. (Luc. III.)—[3]) cf. supra Sess. VI. de iustif. c. 7. et can. 9. — [4]) conc. Flor. in decr. Eugen. IV. ad Armenos. — [5]) cf. infr. Sess. XXIII. can. 4. ex cit. decr. ad Armen. — [6]) cf. Sess. XIV. de poen. c. 6. de sacr. unct. c. 3. — [7]) conc. Flor. in decr. Eugen.

DE BAPTISMO

Can. I. Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi [1]: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi [2], atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi [3]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, in ecclesia Romana [4], quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, baptismum [5], qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, baptismum liberum esse [6], hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit, parvulos [7]) eo, quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.

[1]) cf. c. 39. D. IV. de cons. (Aug.) c. 149. ib. (Aug.) — [2]) cf. c. 5. X. de bapt. III. 42. (Innoc. III.) — [3]) Ioan. III. 5. — [4]) cf. c. 9. X. de haer. V. 7. (Luc. III.) — [5]) cf. c. 97. seq. C. I. qu. I. (Aug.) — [6]) Ioan. III. 5. — c. 142. D. IV. de cons. (Aug.) — [7]) cf. 139. D. IV. de cons. (Aug.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Baptismus est sub conditione administrandus, si de iam collato probabilis oritur dubitatio. Ita S. C. e. gr. in Neapolit. 1. Sept. 1714., *Ulyxbonen.* 26. Apr. 1732., *Ripana* 12. Dec. 1733.

2. Liberos expositos esse baptizandos sub conditione, praeterquam si schedulam portent in collo vel alia corporis parte appensam, quae habeat certitudinem et in qua scriptum sit, eos esse baptizatos, *Urbis* 15. Jan. 1725.

3. Infantes ab obstetricibus baptizatos posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem baptismi prima vice collati S. C. 29. Dec. 1682. rescr. Rel. a *Benedicto* XIV. Instit. LXXXIV.

4. Cum infans esset in utero matris aperto, ita ut capitis vertex aspiceretur, a chirurgo baptizatus fuit sub conditione. Postquam natus est, parentes instituerunt, ut iterum sub conditione baptizaretur. Parochus tamen id recusavit, et chirurgus iuramento confirmavit, aquam verticem attingere debuisse. Cum tamen non constaret, num tetigisset, S. C. censuit, baptismum esse iterandum sub conditione, in *Sutrina* 12. Jul. 1794.

5. Frater Matthias Hernandez O. P. supplici in libello a Sanctissimo remisso exponit, quod in civitate Navarra aliisque locis dioecesis S. Jacobi de Cuba in Indiis occid. parochi solent rebaptizare sub conditione tum infantes domi in casu necessitatis baptizatos non alia ratione, quam quia baptismus non fuit in ecclesia parochiali collatus, tum etiam haereticos ad catholicam fidem conversos, licet asserentes se baptizatos fuisse servata forma et adhibita materia ab ecclesia praescripta sub unico praetextu, quod ignoretur quae et qualis fuerit intentio, cum qua fuerunt baptizati? S. C. ad quaestiones: I. An infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebaptizandi? II. An et in quibus casibus haeretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam revertantur? die 27. Mart. 1683. resp.

ad I. *negative*, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. Ad II. *ut supra*. Rel. a *Benedicto* XIV. Inst. LXXXIV.

6. Iudaeus quidam, nomine David Marcus, natione Polonus ex urbe Kampsa, pluries pro se suaque uxore et quatuor filiis baptismum petierat, quin tamen unquam voti compos evasisset. Cum vero quadam die in hospitali Rottemburgensi cum tota familia maneret nilque minus cogitaret quam de baptismi actu suscipiendo, mulierecula quaedam, bona fide putans urgente necessitate quemlibet baptizare posse, nulla praemissa catechesi neque postulato baptizandorum consensu, aqua lustrali aspersit omnes dicens: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, eosdemque monuit, ipsos iam esse baptismo initiatos et Christianos effectos. Varia post itinera dictus David Marcus cum tota familia Salemium se contulit in provincia Sueviae, dubiusque de validitate baptismi a praedicta mulierecula collati, supplex rogavit Rev. Abbatem, ut rite, si opus foret, ipsos baptizare dignaretur, et in catholicae religionis mysteriis erudire. Abbas autem Salemitanus, ne quid hac in re imprudenter ageret S. C. consilium exquisivit postulavitque declarari, an dictus David Marcus cum sua familia denuo baptizari saltem sub conditione deberet.

Datae hinc sunt litterae Nuncio apostolico apud Helvetios, demandatumque examen tum mulieris, quae baptismum administravit, tum etiam baptizatorum. At cum iidem Iudaei patriam duntaxat linguam callerent, Helvetiis ignotam, mulier vero, quae baptismum contulit, moraretur in loco a monasterio Salemitano longe dissito, hinc excepto Davide Marco patre nemo ex reliquis examini subiici potuit.

Ex formali igitur Davidis examine constat, ipsum Rottemburgi ad Nicarum cum tota familia commorantem, a patribus Soc. Iesu baptismum postulasse, sed ideo fuisse repulsum, quia cum uxore et liberis ibidem se sustentare et commorari non posset. Cum autem, idem narrat, in hospitali Rottemburgensi maneret, mulierculam quandam ad eum accessisse, praemissisque his verbis: « Ecce! quilibet baptizare potest, » deinde manum in hydriam aquae attinxisse, ac primum duos natu minores, Rebeccam scilicet et Abrahamum letali morbo laborantem, aqua aspersisse, cruce signasse, proferendo verba: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, mox reliquos de familia, ipsum videlicet Davidem ac eius uxorem duosque maiores liberos eadem aqua similiter aspersisse. Ipsum autem nescire, an aliorum respectu dicta mulier quicquam pronunciaverit, certum tamen esse, ut, si alter ex infirmis moreretur, sacerdoti notum fieret, eos iam fuisse baptizatos.

Praeter Davidis examen prostat etiam extraiudicialis depositio mulieris, quae baptismum contulit, asserentis, se utrumque parentem ac filios omnes aqua seorsim aspersisse, repetita quoad singulos baptismi formula: Ego te baptizo etc. Interrogata vero cur et qua mente id fecerit? respondit, se id in ecclesia, cum infantes sacro fonte lavarentur, vidisse, atque in catechesi audivisse, quemlibet urgente necessitate posse baptizare, ideo vero ad hoc faciendum fuisse adductam, quia nemo sine baptismo salvatur. Postea vero rogata ut panderet, num quicquam Iudaeis dixerit ante baptismi collationem, declaravit, nihil ea de re cum ipsis se fuisse collocutam.

S. C. ad dubium: an baptismus ratus haberi debeat vel potius sub conditione denuo conferri in casu? die 8. Jul. 1769. decrevit: *Dilata, et scribatur episcopo iuxta instructionem.*

Datis itaque litteris Nuncio apost. apud Helvetios, iniunctum ei fuit, ut praevio accurato examine tum mulieris, quae baptismum contulit, tum etiam Marci Davidis eiusque uxoris ac filiorum, circumstantias omnes percunctaretur. Expleto examine acta transmisit laudatus Nuncius cum nova sua relatione.

« Mulier, quae baptismum contulit, de his fuit interrogata:

I. An dum versabatur cum David eiusque coniuge et familia in hospitali Rottemburgensi ipsum inter et mulierem praecedenter de baptismo sermo inciderit? *Resp.:* Marcum David patrem a se deponente interrogatum, an baptizatus esset? affirmative respondisse.

II. An verba, quae protulit ipsa mulier iuxta eius depositionem » Ecce quilibet baptizare potest « praecedentis sermonis consectaria fuerint, vel ex causa letalis morbi infantium, utque eorum aeternae saluti prospiceret, ex ore eiusdem mulieris eruperint? *Resp.:* Verum esse quod ipsa deponens dixerit, in casu necessitatis quemcunque posse conferre baptismum, addendo, absque baptismo nullum salvari posse. Ad alia ceteroquin se nullam fecisse reflexionem.

III. An Marcus David constans desiderium suscipiendi baptismum cum sua familia patefecerit, immo indicaverit? *Resp.:* Marcum David se decla-

rasse, quod si occasio se offerret et sibi in xenodochio per aliquod tempus commorari liceret, promtus foret Christianam amplecti fidem, praevia tamen instructione.

IV. An ex verbis, quae mulier proferebat atque ex aquae effusione praedictus David, uxor et filii aetate maiores agnoverint aut saltem suspicati fuerint, sibi baptismum conferri? *Resp.*: Imaginari sibi non posse, quod vel ipse David vel eius uxor vel liberi animadverterint collatum sibi fuisse baptisma.

V. An dicta mulier baptismum conferendo non una vel altera aquae gutta singulorum vestes aut capillos asperserit, sed tantum aquam in singulos effuderit, ut sacri lavacri ritus expletus remanserit? *Resp.*: Se deponentem digito in aquam benedictam intincto singulos aspersisse, signum crucis formasse, dicendo: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, non recordari autem utrum ante cuiuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.

Oblati deinde sunt 13. articuli Marco Davidi, Sarae uxori, et filiis in haec quae sequuntur verba:

I. An Marcus et eius uxor voluntatem suscipiendi S. baptismum nunquam abiecerint aut retractaverint, eo praesertim tempore, quo ipsi a muliere collatum fuit?

II. An praecedenter et catechesi Christiana ipse eiusque coniux et filii aetate maiores aut legendo aut audiendo de Christianorum ritibus, et praesertim de baptismo eiusque collationis forma edocti fuerint aut notitiam habuerint?

III. An saltem tam ipse Marcus quam uxor et filii aetate maiores, quo tempore mulier verba proferebat et aqua singulos abluebat, in suspicionem venerint baptismum conferri?

IV. Quae verba mulier baptizans protulit cum duos liberos baptizavit sc. Rebeccam et Abrahamum?

V. An aquam aspersit infantibus, an vero vola manus captam effudit, an denique statim et immediate ex urceo super caput effudit?

VI. Quid dein ulterius fecit mulier circa reliquos praesentes, sc. patrem, matrem, filium et filiam?

VII. An etiam ipsis circumstantibus aquam aspersit, an vero super caput effudit singulorum?

VIII. Quid dixit mulier, dum aquam aspersit, reliquis vobis circumstantibus?

IX. An voluistis ibidem ab eadem muliere non solum liberos infirmos, sed etiam reliquos vos omnes baptizari?

X. Annon putastis, oportere vos adultos et extra periculum constitutos prius debere instrui, et non posse nisi in ecclesia baptizari?

XI. Cur toties hac aetate petiistis baptismi gratiam pro iis pueris, qui periclitabantur infirmitatibus?

XII. Scitisne, quod aeternae damnationis reatum vobis adsciscereminí, si iam baptizati velletis rebaptizari tantum ideo, ut aliquas pecunias vel eleemosynas acquireretis?

XIII. Quid adhuc tantopere instatis pro baptismi gratia, cum eandem modo ab anno et dimidio iam habetis, quam post baptismum habituri estis?

Ad haec 13. interrogatoria separatim et ad singulos respective et secundum cuiusque capacitatem directa respondit primum Lia filia natu maior annorum 12. ad I. Nihil. Ad II. Se nihil scivisse de baptismo, nec quicquam audivisse, cum Iudaei non docti de Polonia de hoc ritu (ut quidem dicebat) nihil sciant aut loquantur, neque parentes sui desuper ipsi aliquid locuti sint, sed tantum inter semet; se etiam nescivisse, quid circa sororem et fratrem suum iuniorem mulier illa in hospitali Rottemburgico egerit, donec a muliere, dum ipsis post quadrantem valediceret, audiverit, natu minimum sc. Abrahamum esse baptizatum, nesciens quid esset baptismus. Ad III. Minime, sed nec mulierem abluisse reliquos circumstantes, nec aliqua verba protulisse, sed tantum aspersisse aqua ex praecedente manus in urceolum intinctione adhaerente versus ipsos per aërem, et se quantum putet tactam aliqua gutta fuisse; interim nec voluisse se tunc baptizari, nec suspicatam fuisse, quod modo baptizetur, cum nec, si baptismus esset, audierit. Scivisse se, quod parentes catholicam fidem amplecti conentur, et se etiam voluisse illam fidem amplecti, quam parentes amplexuri essent, sed modum nescivisse. Ad IV. Protulisse mulierem aliqua verba, dum fratrem minorem sc. Abrahamum aspergeret, et quidem clara voce, se autem verba illa tanquam valde ignota non retinuisse in memoria, maxime cum eo tempore vix aliqua pauca et summe necessaria verba germanica intellexerit et eloqui potuerit, ad alteram vero sororem suam iuniorem Rebeccam cum

venisset mulier illa, rursus manum in urceum misisse, quem ipsa Lia mox antea ad fontem impleverit et attulerit, et Rebeccam seorsim madefacta manu contigisse, sed nihil .. se audiisse pronunciatum de verbis. Dixisse tamen mulierem postea: «nunc baptizati sunt hi duo liberi; salvari possunt si moriantur.» Ad V. Tantum adspersit manu in urceum iuxta stantem immersa. Ad VI. Adspersit omnibus circumstantibus vel potius versus nos omnes aquam manui adhuc adhaerentem nihil dicens, et ego, ut dixi, aquam sensi in facie, sed non existimavi me per hoc baptizari, cum nihil scirem de baptismo, sed neque pater, quantum mihi constat, tunc voluit ibi baptizari, sed cum gemeret una cum matre, quod a Iesuitis non fuissent suscepti in illius civitatis collegio ad conversionem et mox urbe pellendi forent, mulier ipsa volens parentes meos consolari, duos iuniores infantes, ex parte etiam infirmos, ita, ut supra dixi, adspersit. Ad VII. Adspersit tantum versus nos nihil dicens, utique tamen aliquid dixit, dum adspersit Abrahamum natu minimum. Ad VIII. nihil dixit. Ad IX. Nec liberos infirmos neque liberos sanos parentes mei tunc desiderabant baptizari ab illa muliere, sed cum pater et mater tristes essent, et mater fleret, quod de civitate catholica iterum pellendi essent infirmis cum infantibus, illa ex proprio suo intellectu, non petentibus parentibus, baptizavit Abrahamum, Rebeccae autem aquam tantum adspersit. Ad X.: Utique Iesuitae nobis ibidem dixerunt, sive Lutheranus veniat sive Calvinista sive Iudaeus, prius debere de re huiusmodi instrui. Ego autem nescivi, an in domibus baptismus conferatur, cum nec de baptismo quicquam audiveram. Ad XI. Quia timuimus, ne moriatur puer elapso vere natus et tunc periculosissime infirmatus, qui nunc vocatur Anselmus Ivo, et alterum, scilicet Abrahamum, nescivimus, an a muliere sit baptizatus, et ipse morti proximus erat. Ad XII. Utique, et si pater propter pecunias baptizari voluisset apud Lutheranos, potuisset oblatum in pluribus locis, maxime in Oettingensi, baptismum et una sustentationem accipere. Ad XIII. Ad felicitatem, nam qui non sunt catholici Christiani non possunt fieri beati.

Super iisdem articulis examinata deinde fuit Sara uxor, quae respondit singulatim prout sequitur. Ad I. Se habuisse voluntatem non interruptam baptismi suscipiendi etiam tum, cum puer minimus baptizaretur, sed, cum hoc fieret, tale nihil vel pro puero vel pro semet exspectasse. Ad II. Se nec cathechesi instructos fuisse nec Pater noster scivisse, nec ritum seu modum baptismi conferendi novisse, nec voluisse, ut mulier baptismum exhiberet, sed putasse, quod soli sacerdotes possint facere catholicos per baptismum. Ad III. Se pro nihilo habuisse aspersionem illam, nec scivisse de facto, cur mulier ipsos circumstantes adsperserit, sed mox de aquali illo bibisse, proin nihil minus quam de baptismo suspicatam fuisse, tanto minus, quanto minus mulier dixerit quid velit facere. Se non ablutam fuisse nec adspersione tactam esse, sed tantum versus ipsos indeterminate in aërem aliquot forte adhaerentes guttas dispersisse sine verbis, sine cruce. Ad IV. Se linguae germanicae ignaram non advertisse, quid dicat vel quod aliquid dicat super Abrahamum. Super Rebeccam nihil audivisse pronunciatum, nec crucem formatam fuisse a muliere super Rebeccam, uti fecerat apud Abrahamum, ad quem primum accesserat. Ad V. Non fudisse, sed adspersisse intincta in aquali manu. Ad VI. Adspersit aquam versus nos nihil dicens, sed formans crucem uti apud aspersionem Abrahami. Ad VII. A longo tantum adspersit, non singulis seorsim, sed fortuito per aërem. Nescio, meam carnem attactam fuisse; forte in vestimentis aspersa sum. Ad VIII. Se nihil audivisse. Ad IX. Se nec voluisse, ut baptizaretur ipsa. Quomodo ergo potuissem desiderare, aiebat, ut baptizarer, cum nec sciverim quod mulier possit baptizare? Ego autem incolumis eram. Ad X. Se nihil scivisse, nec quod oporteret eos instrui; se etiam nescivisse an in ecclesia, an vero extra ecclesiam conferatur baptismus. Ad XI. Ut in Iudaismo non moreretur. Ad XII. Scio. Ad XIII. Adeo, quia fides catholica est optima fides. Haec Sara mater, de qua tamen animadvertitur, quod non vitio naturae, sed accidentia puerperii stupidior est ceteris, unde lingua germanica a Iesuitis cursim dicta non intellexerat, quid ii de necessitate praecedentis instructionis locuti fuerint.

Sequitur examen Davidis Marci patrisfamilias, qui ad eadem interrogatoria dixit: Ad I. Per omnia ut uxor. Ad II. Se nullatenus instructos aut catechesi informatos fuisse, nec ritum baptismi novisse, sed putasse, quod soli sacerdotes possent baptizare. Ad III. Per omnia ut uxor, neque se aqua attactum fuisse, imo se primum postea, dum mulier eis post horae quadrantem valedixit, audivisse, quod filiis iunior esset baptizatus et in casu mortis salvandus. Ex verbis autem prolatis in aspersione

pueri Abraham adhuc nihil de baptismo suspicatum fuisse, quin imo prohibiturum nec ullo modo concessurum fuisse, ut quis suorum baptizaretur seorsim et sine parentibus. Ad V. VI. VII. VIII. per omnia ut uxor eius Sara respondit. Ad IX. Nec voluisse se, ut baptizaretur ipse vel uxor, nec ut liberi infirmi, eo quod neque apud natu minimum periculum mortis proximum fuerit. Et si voluissem, aiebat, baptizari moribundum. accessissem ad sacerdotem, non ad mulierem, utpote quam baptizare posse ignorabam. Mulier vero non exspectato consensu aut responso statim, ut dixit: « Quid tristamini? Quilibet homo potest baptizare » simul intincta manu baptizavit non iussa. Ad X. Omnino se putasse, quod eos prius oporteret instrui; an vero in domo vel in ecclesia baptismus conferatur, se omnino ignorasse. Ad XI. Ut salvarentur et in coemeterium more Christiano sepelirentur. Ad XII.: Scio, nec desiderassem baptismum, si essem baptizatus, nam permaneo mendicus post baptismum sicut ante. Si pecunias habere voluissem, acceptassem oblatos a Iudaeis 200 florenos in Haigerloch prope Hechingam, item oblatam Salemii primis diebus a servo illo Iudaeo, qui saccum plenum pecuniis, si redirem, mihi obtulit, ut testes sunt ii, qui in domo latercularia habitant prope Salem. Habuissem etiam apud Iudaeos unde sustentarer. At quid mihi cibus et potus, quem et pecora habent? Volo ergo baptizari, ut via mihi aperiatur ad vivendum inter catholicos catholice et ecclesias catholicas intrare mihi liceat. Nam extra valvas tantum pro concione dicentem audire interim licet. Non habeo fiduciam, quod mea ante baptismum oratio exaudiatur. Denique volo baptizari cum meis, ut possim consequi felicitatem aeternam.

Denique Isaac filius annum sextum egressus et Rebecca filia ingressa annum quintum, super omnibus responderunt, se ignorare prorsus quid actum sit, cum ex eo tempore unus et dimidius iam elapsus sit annus et ipsi aetate sint infirmiores.

De duobus aliis filiis, Abraham scilicet et Anselmo, nihil opus est inquirere, cum utrique infantes gravi periculosoque morbo aegrotantes a sacerdote sub conditione rite baptizati fuerint. »

Nuncius Apostolicus denique, ut suam sententiam aperiret, haec scripsit: «Ex hac nova indagine seu examine tum Davidis, tum filiorum, tum mulierculae baptizantis eaedem emergunt de validitate baptismi dubitandi rationes, et sive devotae mulieri sive Hebraeis habenda sit fides, prudens adeo et rationabilis dubitatio oritur, ut pro animi mei sententia baptismum reiterandum esse arbitrarer. Defuit siquidem in adultis intentio omnino necessaria, nulla praecessit catechesis, nemo baptizandos monuit de eliciendo doloris actu, nec de sacramento, et Iudaei nec praeviderunt nec mente conceperunt quid ageret mulier quidve tentaret. Quodsi Marco patrifamilias, qui actualem consensum non habuit, aliquo modo prodesse posset voluntas, quam praecedenter habuit et in qua perseveravit, semper deesset intentio in Sara aliisque adultis, cum nunquam de baptismo cogitassent, ignari huiusce sacramenti eiusque efficaciae. Accedit ponderatio, quod iuxta omnium examen mulier baptizandos aqua seorsim non adspersit, nec constat quoad singulos repetiisse baptismi formulam, quam non intellexisse asserunt Iudaei, unde etsi de virtuali voluntate suscipiendi baptismum nullum adesset dubium, tamen de sufficienti profusione aut adspersione merito ambigendum est, cum vix una aut altera gutta baptizandos tetigerit, ut asserunt Iudaei. Adversatur quidem huic depositioni examen mulieris, quae singulos aspersisse testatur, repetita semper baptismi formula, sed inspecta mulierculae indole, asserentis quoque Marcum patrem dixisse iam baptizatum esse, eius confessioni plenam fidem habendam esse non putarem ».

Ad dubium itaque : An baptismus ratus haberi debeat, seu potius sub conditione denuo in casu etc.? S. C. resp. *Esse baptizandos sub conditione* d. 20. Jan. 1770.

7. Rectori ecclesiae S. Mariae Vallis *Forosempron.* dioec. delatus fuit infans per mulierem rusticam domi baptizatus, sed iam vita functus, ut ecclesiasticae sepulturae traderetur. Examinata per rectorem muliere baptismatis administra cognovit hanc fuisse formam adhibitam italo idiomate: « Io te battezzo *col nome* del Padre, del Figliuolo e dello Spirito santo. » Audita forma, ob ea verba *col nome* non modo pro nullitate baptismi sensum suum rector exposuit, sed illico infantile corpus extra locum sacrum humari iussit. Nunc autem petit, num bene senserit et recte se gesserit. Propositis itaque dubiis : I. An valida sit baptismi collatio in casu etc. ? II. An recte se gesserit rector denegando infanti ecclesiasticam sepulturam in casu etc.? III. An et quomodo sit providendum quoad futurum in casu etc.? S. C. resp. d. 24. Maii 1823. ad I. *affirmative*, ad II. non esse reprehendendum in casu, et nunc ab eo curandum, ut, si fieri potest, detur infanti ec-

clesiastica sepultura, ad III. detur decretum ut in *Cenetensi* 12. Maii 1753. In hoc vero decreto mandaverat S. C. episcopo, « ut suae dioecesis obstetrices de recte proferenda baptismi forma in casu necessitatis praevio examine curet edoceri, eisque huiusmodi exercitium inhibeat, nisi circa eandem formam optime instructae ac approbatae fuerint. « Causa erat quod mulier hanc adhibuerat formam: « Mi te *abbattezzo* in nome del Padre, e del Figliuolo e dello Spirito santo », qua valide ceteroquin baptismum collatum esse S. C. resolvit. Cum declaratione d. 24. Maii 1823. edita concinit quae data est in *Senensi* d. 18. Aug. 1828.

8. Sacerdotem, qui propter vitae periculum infantem sine debitis caeremoniis ab ipso baptizatum, postea, adhibita denuo forma ac materia sacramenti, baptizavit, *esse irregularem*, sed dispensandum peractis exercitiis spiritualibus, resp. S. C. in *Murana* 14. Nov. 1716. (rel. IX. 198. P. II.)

9. S. C. resp., filios Iudaeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam, et tunc, si ipsi consentiant; aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio. *Vilnen.* 16. Jul. 1639. ex L. XVI. Decr. p. 233. rel. a *Benedicto XIV.* in literis ad archiep. Tarsen. 1747. in Bullar. T. II. p. 210.

DE CONFIRMATIONE

Can. I. Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse [1]), et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum [2]), sed quemvis simplicem sacerdotem: anathema sit.

[1]) cf. c. 125. D. IV. de cons. (conc. Araus.) — [2]) cf. infr. Sess. XXIII. de ord. c. 4.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In relatione status hoc proposuit dubium episcopus Segoviensis: « An confirmationis sacramentum solis adultis aut usu rationis praeditis ministrare debeam, an etiam pueri, nulla habita aetatis ratione, ad illius sacramenti susceptionem vi consuetudinis hic vigentis admitti licite possint, in nostris praesertim tam amplis Hispaniae dioecesibus, in quibus, dum earum visitatio fit, vix ac ne vix quidem convocari queunt adulti per montes et agros dispersi, inducique, ut, priusquam tantum sacramentum suscipiant, sacramentali confessione disponantur, nisi visitatio in plures, quam commode fieri potest, dies protrahatur. Quae impedimenta meo iudicio in causa fuere, cur episcopi huius regni confirmationis sacramentum et pueris et adultis communi beneficio etiamnum conferre consueverint. » Cum itaque quaereretur: I. An attentis peculiaribus circumstantiis sacramentum confirmationis administrari possit etiam pueris vel infantibus nulla habita aetatis ratione in casu etc.? II. An etiam administrari possit pueris vel infantibus in mortis periculo constitutis in casu? S. C. resp. ad I. *affirmative* nonnisi in gravibus et urgentibus circumstantiis, super quibus conscientia episcopi oneratur, ad II. *affirmative. Segovien.* 23. Apr. 1774.

2. Invaluit usu in dioecesi Fesulana Hetruscae ditionis, ut in administratione sacramenti confirmationis unus duntaxat pro omnibus masculis a parocho vel ab episcopo deputetur patrinus, et una mulier quoad omnes feminas matrinae munere fungatur. Inde vero fit, ut, qui confirmationem acceperunt, suos ut plurimum ignorent patrinos, patrini confirmatos. Quare plures illius dioecesis incolae S. Congr. exorarunt, ut de huiusmodi usu quid sentiendum sit pro sua sapientia decerneret. Proposito itaque dubio, an et quomodo probandus sit usus Fesulanae dioecesis in casu? rescr. non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab episcopo iudicandae ad formam Pontificalis Romani. *Fesulana* 12. Jul. 1823.

3. S. C. ad dubium: An archiepiscopus teneatur saltem occasione visitationis administrare sacramentum confirmationis in locis suae dioecesis, quae visitat? S. C. resp. *affirmative. Amalphitana.* d. 18. Jul. 1699. alleg. LI. 37.

DECRETUM DE REFORMATIONE

Eadem sacrosancta synodus, eisdem praesidentibus et legatis, inceptum residentiae et reformationis negotium ad Dei laudem et Christianae religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis apostolicae auctoritate.

C. I. *Quis capax regiminis ecclesiarum cathedralium.*

Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus [1]), nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum litterarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri tertii [2]), quae incipit; *Cum in cunctis*, in concilio Lateranensi promulgatam, praeditus assumatur.

[1]) cf. infr. Sess. XXII. de ref. c. 2. — [2]) c. 7. X. de elect. 1. 6. « Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia inquirendae, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui, ad aliorum curam positus, in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari. Ea propter, ne quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est trahatur a posteris in exemplum, praesenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur ».

C. II. *Tenentes plures cathedrales ecclesias iubentur omnes excepta una dimittere certo modo et tempore.*

Nemo, quacunque etiam dignitate, gradu aut praeeminentia praefulgens, plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias in titulum sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta [1]) recipere et simul retinere praesumat, cum valde felix sit ille censendus, cui unam ecclesiam bene ac fructuose et cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra praesentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicae dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur; alioquin ecclesiae ipsae, ultimo obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.

[1]) c. 2. D. LXX. (conc. Plac.), c. 3. C. X. qu. 3. (conc. Tol. XVI.), c. 1. C. XXI. qu. 1. (conc. Nic. II.), ead. c. 2. (conc. Chalced.), c. 7. X. de elect. I. 6. (Innoc. III.), c. 5. et 13. X. de praeb. III. 5. (Alex. III.), c. 28. ib. (Innoc. III.), c. 32. de praeb. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Cum in regno Poloniae, ubi excrebrae sunt episcoporum translationes, iamdiu inoleverit abusus, ut episcopus ad aliam ecclesiam transferendus de industria differat se a prima ecclesia liberare ac litteras apostolicas suae translationis expedire, ut eo diutius utriusque episcopatus fructus assequatur, prioris nempe, cuius vinculis nondum a sede apost. exsolutus est, et posterioris, ad quem transfertur, cuius fructus universi a die vacationis ecclesiae sibi integre reservantur, cumque inde etiam fiat, ut successor in episcopatu, unde ille translatus est, negligat et ipse suae provisionis bullas expedire, quippe cum intelligat, se diu subiturum ecclesiae onera universa absque illius fructibus, quos omnes praedecessor episcopus aut ante translationem consumpsit, aut ad aliam ecclesiam secum asportavit: SS. D. N. huiusmodi corruptelam, quae cedit in grave ecclesiarum in spiritualibus ac temporalibus detrimentum, pro pastorali eius sollicitudine ac zelo, magnopere cupiens de medio sublatum iri, ex S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. sententia statuit atque decrevit, ut, si qua cathedralis ecclesia intra fines regni Poloniae deinceps vacaverit spatio quatuor mensium duntaxat vel infra, liceat quidem episcopo successori sibi fructus vindicare pro rata temporis vacationis huiusmodi iuxta antiquam illius regni consuetudinem, verum si infra praedictum terminum ecclesia de pastore non fuerit provisa, fructus pro rata illius temporis, quo sedes post quartum mensem vacabit, nullatenus successori, sed integre fabricae illius ecclesiae, quatenus indigeat, alioquin sacristiae illius absque alia declaratione applicati censeantur, et eiusdem ecclesiae capitulum, cui S. S. hac in parte necessariam facultatem impertitur, omnino curare debeat, ut applicatio huius-

modi quamprimum sortiatur effectum. Quodsi et sacristia sufficienter instructa reperiatur, liceat eidem capitulo, consulto tamen prius episcopo successore ac praevia illius approbatione, huiusmodi fructus in alios pios usus pro loco et tempore utiliores insumere, non obstantibus cet. Dat. Rom. 23. Dec. 1624. ex L. XII. Decr. p. 234. ap. *Benedictum* XIV. De syn. dioec. XIII. 76.

2. Urbanus VIII. d. 20. Mart. 1625. per apostolicas litteras hoc confirmavit S. C. decretum: Ecclesiam, a qua episcopus de suo consensu transferetur, ab eo tempore vacare, quo idem episcopus ab alio vinculo in.. Consistorio absolvitur, etiam ante explicationem litterarum apostolicarum, vel adeptam secundae ecclesiae possessionem. Postea, cum vero ex testimonio seu documento Secretarii S. Collegii vel alio modo huiusmodi absolutionis notitiam episcopus translatus habuerit, illico cum exercitio ordinariae iurisdictionis abstinere debere eamque in capitulum transire, ita ut statim capitulum eadem iurisdictione uti, sedem vacantem publicare atque officialem seu vicarium ad dicti Concilii praescriptum constituere possit et debeat. *Benedictus* XIV. ib.

C. III. *Habilibus duntaxat personis beneficia conferantur.*

Inferiora beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus, et quae in loco residere ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quae incipit: *Quia nonnulli* [1]), et aliam Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio, quae incipit: *Licet canon* [2]), editam conferantur. Aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur, et ordinarius collator poenas constitutionis concilii generalis, quae incipit: *Grave nimis* [3]), se noverit incursurum.

[1]) c. 3. X. de cler. non res. III. 4. « Quia nonnulli, modum avaritiae non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas et plures ecclesias parochiales contra sacrorum canonum instituta nituntur accipere, ut, cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de cetero fiat districtius inhibemus. Cum igitur ecclesia vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quae residere in loco, et curam eius per se ipsam valeat exercere. Quodsi aliter actum fuerit, et qui receperit quod contra sacros canones accepit amittat, et qui dederit largiendi potestate privetur. » — [2]) c. 14. de elect. in VIto I. 6.: « Licet canon, a felicis recordationis Alexandro Papa III. praedecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus regimen ecclesiae parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum aetatis annum attigerit, ac scientia et moribus commendandus exsistat, quodque talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit praefixo a canonibus tempore in presbyterum ordinatus, a regiminis eiusdem amoveatur officio, et alii conferatur; quia tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes: nos periculosam illorum negligentiam volentes iuris executione suppleri, praesenti decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis ecclesiae assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia et aetate; decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis iis, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas viribus omnino carere. Is etiam, qui ad huiusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam quaerere possit, in parochiali ecclesia, cuius rector is exstiterit, residere personaliter teneatur, et intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, ecclesia sibi commissa (nulla etiam praemissa monitione) sit praesentis constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, ut praemittitur, facienda possit ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit. » — [3]) c. 29. X. de praeb. III. 5. (conc. Lat. IV): « Grave nimis est et absurdum, quod quidam ecclesiarum praelati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis; unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, praecipimus, ut praetermissis indignis idoneos assumant, qui Deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim ita, ut qui post primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur, instituta in eodem concilio persona provida et honesta, quae suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa capitula, quae in his deliquerint, observetur. Metropolitani vero delictum superioris iudicio relinquatur ex parte concilii nunciandum. Ut autem haec salubris provisio pleniorem consequatur effectum, huiusmodi suspensionis sententia praeter Romani Pontificis auctoritatem aut proprii patriarchae minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur. »

C. IV. *Plurium beneficiorum retentor contra canones iis privatur.*

Quicunque de cetero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica [1]) sive per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocunque nomine et titulo contra formam sacrorum canonum et praesertim constitutionis Innocentii III., quae incipit: *De multa* [2]), recipere ac simul reti-

nere praesumpserit, beneficiis ipsis iuxta ipsius constitutionis dispositionem ipso iure, etiam praesentis canonis vigore, privatus exsistat.

[1]) cf. infr. Sess. XXIV. de ref. c. 17. — [2]) c. 28. X. de praeb. III. 5.: « De multa providentia fuit in Lateranensi concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas, vel plures ecclesias parochiales reciperet contra sacrorum canonum instituta; alioquin recipiens sic acceptam amitteret, et largiendi potestate conferens privaretur. Quia vero propter praesumptiones et quorundam cupiditates nullus hactenus aut rarus de praedicto statuto fructus provenit, nos evidentius et expressius occurrere cupientes, praesenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso iure privatus; et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum, et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis concilii statutum eius collatio devolvatur, verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiae, cuius est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiam si curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen et litteratas personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari. »

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Residentiam non *causativam*, (scil. qua non servata sit locus amissioni emolumentorum beneficio residentiali destinatorum), sed *praecisam* (i. e. qua non servata sit locus amissioni tituli ac privationi) incompatibilitatem inducere, S. C. iudicavit in *Ferrariensibus* 3. Mart. 1703. et 27. Mart. 1707. (VI. 77.)

2. Canonicatum retinere cum ecclesia parochiali et abbatiali, cum utrique propter distantiam et multitudinem incolarum sine cultus et animarum incommodo satisfieri non possit, denegandum esse censuit S. C. in *Bracaren.* 17. Apr. 1734. Eandem concessionem denegavit in *Casertana* 8. Aug. 1716., *Poliganen.* 8. Aug. 1716. et 19. Jun. 1717., *Panormit.* 13. Apr. 1737. et saepius.

3. Constare de incompatibilitate coadiutoriae curatae cum canonicatu S. C. iudicavit in *Lucana* 14. Maii 1831.

4. In ecclesia, quae numerata est quoad dignitates et canonicos, non numerata ratione reliquorum clericorum de massa communi participantium, cum officio coadiutoris archipresbyteri sive alterius dignitatis hanc participationem *non* esse compatibilem S. C. censuit in *Rubensi* 30. Mart. 1748.

5. Capellaniam, cuius possessori incumbat onus singulis diebus sacrum faciendi ac preces una cum pauperibus in aede hospitalis misericordiae et in eodem hospitali residendi, incompatibilem esse cum ecclesia paroch. neque a parocho posse retineri, resp. S. C. in *Lunen. Sarzanen.* 23. Nov. 1723.

6. Incompatibile esse beneficium seu capellaniam ex destinatione testatoris residentiam et habitationem in domo certa desiderans cum beneficio parochiali residentiam alibi requirente, resp. S. C. in *Aquilana* 18. Julii 1733.

7. Capellaniam, cuius possessori impositum erat ex fundatione onus inhabitandi certam domum et docendi pueros, incompatibilem esse cum archipresbyteratu, i. e. beneficio parochiali, S. C. resp. in *Bononien.* 26. Mart. 1836.

8. S. C. rogata, an capellani, qui tenebantur personaliter residere et singuli *per se ipsos* in altari privilegiato quotidie celebrare, ita tamen, ut si aliquo die cuiusvis hebdomadae legitime impediti essent, explendi munus suum per alium sacerdotem haberent facultatem, possent obtinere beneficia curata, vel oeconomias ecclesiarum parochialium, aut incumbentias excipiendi confessiones monialium, vel alia onera cum celebratione missarum incompatibilia acceptare satisfaciendo per substitutos oneri praedictarum missarum? resp. *negative*, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione missarum per se ipsos. *Neapol.* 14. Apr. 1725. Similiter capellanias, quarum possessoribus onus incumbit celebrandi per se ipsos, incompatibiles esse cum beneficiis curatis iudicavit in *Civit. Pleb.* 15. Dec. 1708. et 29. Mart. 1710., *Roman.*, 13. Mart. 1709., *Bononien.* 1. Jun. 1709., *Roman.* 17. Jun. 1728. *Senogallien.* 16. Jun. 1739. et saep. Contra vero, si capellanus missas per se ipsum celebrare iussus non sit, capellaniam cum beneficio parochiali non esse incompatibilem censuit e. gr. in *Novarien.* 12. Dec. 1705., *Civ. Castell.* 19. Maii 1708. Conf. *Roman.* 19. Aug. 1722.

9. Monachum non posse retinere simul praeposituram in cella una cum abbatia alius monasterii, responsum fuit in *Bambergen.* 23. Febr. 1715. (rel. IX. 188. P. II.)

10. Praesumptam dispensationem, qua nititur regula Cancell. de triennali possessore, contra decreta S. Conc. c. 4. Sess. VII., c. 17. Sess. XXIV., c. 15. Sess. XXV. locum non habere, itaque possidentes beneficia contra dispositiones dictorum decretorum ex tali praesumpta dispensatione suam pos-

sessionem tueri non posse, S. C. censuit in *Aquilana* 14. Aug. 1632., qua declaratione ad Sanctissimum delata, S. S. dixit, bene Congregationem censuisse atque ita exsequendum esse. Relata V. p. 200., XXX. p. 19. ex lib. XIV. Decr. p. 653., ubi notatur, in una *Leodiensi* S. C. respondisse: Obtinentem plura beneficia incompatibilia non posse se iuvare regula de triennali, (quae ita concepta est: « Item statuit et decrevit idem « D. N., quod si quicunque beneficia ec- « clesiastica, qualiacunque sint, absque si- « moniaco ingressu ex apostolica vel ordi- « naria collatione aut electione et electionis « huiusmodi confirmatione, seu praesenta- « tione et institutione illorum, ad quos be- « neficiorum huiusmodi collatio et provisio, « electio, praesentatio, seu quaevis alia dis- « positio pertinet, per triennium pacifice « possederint (dummodo in beneficiis huius- « modi, si dispositioni apost. ex aliqua re- « servatione generali in Corpore iuris clausa « reservata fuerint, se non intruserint,) su- « per eisdem beneficiis taliter possessis ne- « queant molestari, nec non impetrationes « quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis « factas irritas et inanes censeri debere de- « crevit, antiquas lites super illis motas pe- « nitus exstinguendo ».)

(Reliqua vide ad Sess. XXIV. c. 17.)

C. V. *Plura beneficia curata obtinentes ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de vicario ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.*

Ordinarii locorum quoscunque plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes dispensationes suas exhibere districte compellant, et alias procedant iuxta constitutionem Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio editam, quae incipit: *Ordinarii* [1]), quam eadem sancta synodus innovandam censet et innovat; addens insuper, quod ipsi ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem et congruae portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis et exemptionibus quibuscunque, etiam cum iudicum specialium deputatione, et illorum inhibitionibus in praemissis nemini suffragantibus.

[1]) c. 3. de off. ord. in VIto I. 16.: « Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates vel ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant dispensationes, auctoritate quarum huiusmodi ecclesias, personatus seu dignitates canonice tenere se asserunt, intra tempus pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod si forte iusto impedimento cessante nullam dispensationem intra idem tempus contigerit exhiberi, ecclesiae beneficia, personatus seu dignitates, quae sine dispensatione aliqua eos ipsos illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis huiusmodi, quae canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur, super hoc erit ad sedem apostolicam recurrendum, cuius est aestimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus et dignitatibus et aliis beneficiis, curam habentibus animarum annexam, iidem ordinarii diligentiam illam observent, ut personatum, dignitatem vel aliud beneficium, similem curam habens animarum, alicui plura similia obtinenti non ante conferre praesumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur; qua etiam ostensa ita demum ad collationem procedi volumus, si appareat per eandem, quod is, cui est collatio facienda, huiusmodi personatum, dignitatem vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel si ea, quae sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de personatibus, dignitatibus et beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti. » — cf. Sess. VI. de ref. c. 1. extr. et infr. c. 7.

C. VI. *Quae beneficiorum uniones validae censeantur.*

Uniones perpetuae [1]), a quadraginta annis citra factae, examinari ab ordinariis tanquam a sede apostolica delegatis possint, et quae per subreptionem vel per obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore citra concessae nondum in toto vel in parte sortitae sunt effectum, et quae deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

[1]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 9. cum declar., Sess. XXIV. de ref., c. 13. Sess. XXV. de ref. c. 9.

C. VII. *Beneficia ecclesiastica unita visitentur; per vicarios etiam perpetuos cura animarum exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.*

Beneficia ecclesiastica curata [1]), quae cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis aut piis locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent [2]), ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione et illorum inhibitionibus quibuscunque in praemissis minime suffragantibus.

[1]) cf. Sess. XIV. c. 9. — [2]) cf. supr. c. 5. et infr. Sess. XXV. de ref. c. 16.

C. VIII. *Ecclesiae reparentur. Cura animarum sollicite habeatur.*

Locorum ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur [1]), et opportunis iuris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur, et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.

[1]) cf. c. 10. C. X. qu. 1. (conc. Tarrac.) c. 11. ead. (conc. Tol. IV.) c. 12. ead. (conc. Brac. II.)— infr. Sess. XXI. de ref. c. 8. Sess. XXIV. de ref. c. 9.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(ad c. 7. 8.)

1. Ecclesiae collegio vel monasterio exempto unitae, ab ordinario, quamvis curam non habeant, neque unquam ab eius praedecessoribus sint visitatae, *iure delegato* visitantur. *Bononien.* 2. Oct. 1721., *Lycien.* 23. Jun. 1725.

2. Visitare potest episcopus *iure delegato* beneficia curata monasteriis perpetuo unita; monasteria et abbatias commendatas, in quibus non viget regularis observantia, et demum beneficia tam curata quam non curata saecularibus et regularibus qualitercunque commendata, et eorum membra quoties in illis non servetur regularis disciplina. Cit. *Lycien.* §. *Pluribus.*

3. Episcopum visitare posse *iure delegato* quascunque ecclesias saeculares intra fines dioecesis existentes, etiamsi ad regulares pertineant, dum tamen iis deserviatur per saeculares, S. C. censuit 15. Febr. 1596. (rel. III. 180.)

4. Ordinario competere ius visitandi collegiatam exemptam *iure delegato*, parochiam vero eidem canonice adiectam iuxta decreta Conc. Trid. Sess. VII. et Sess. XXI. c. 8., S. C. resp. in *Regien.* 30. Jan. 1736.

5. Episcopo licet visitare ecclesiam abbatiae exemptae quoad sacramenta et sacramentalia. Ita S. C. in *Larinen.* 23. Jan. 1734.

6. Visitare potest episcopus *iure ordinario* ecclesias regulares et alio modo exemptas, quibus imminet cura animarum saecularium personarum, et clerici tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quae curam et sacramentorum administrationem spectant, iurisdictioni, visitationi et coercitioni ordinarii. *Lycien.* 23. Jun. 1725. §. *Pluribus.*

7. Episcopus *nec iure ordinario nec iure delegato* visitare potest ecclesias non curatas, quae sunt de mensa monasterii eique subiective unitae. *Lycien.* cit. §. *Haec quoad.*

8. Iurisdictio vel ordinaria vel delegata episcopis super ecclesiis unitis monasteriis vel commendatis non est privativa, sed cumulativa cum inferioribus, « ita tamen, ut visitante tam episcopo quam inferiore et decreta edentibus, praevalere debeant decreta episcopi, si adversentur decretis inferiorum. 29. Jul. 1628. (cit. III. 180.)

9. S. C. censuit, licere episcopo visitare iure delegato ecclesiam campestrem non curatam et cui saeculares non deserviant, ad monasterium Carmelitarum pertinentem, posse vero celebrare patres Carmelitas

in illa ecclesia consuetas festivitates sine licentia et assistentia parochi, sedesque confessionales in ea retinere. *Placentina* 17. Aug. 1726., 11. Jan. 1727. Eodem modo episcopum visitare posse capellam ruralem Carthusianorum in ipsius dioecesi pertinentem, resp. in *Montis Regalis* 15. Mart. 1727.

10. In *Spoletana* 30. Sept. 1730. ad dubium, an episcopo competat iurisdictio cum iure visitandi capellam societatis alicuius? S. C. resp. *affirmative* ad formam decreti in *Nucerina Paganorum* 23. Jul. 1629.: « S. C. inhaerendo declarationibus alias factis censuit, confraternitates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse iurisdictioni et visitationi episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illarum capellas in eisdem ecclesiis regularium exsistentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem confratrum relationem habent. « Ad istius decreti normam resolutum quoque fuit in *Urbanien.* 23. Sept. 1690., *Firmana* 4. Aug. 1714, (alleg. V. 47.), *Ravennaten.* 7. Apr. 1731. Similiter in *Murana* 21. Jun. 1732. iudicavit, episcopum ius visitandi habere confraternitates laicorum erectas in ecclesiis regularium exemptorum, eiusque iurisdictioni illas subesse; censuras quoque episcopum iure suo ferre posse in monachos impedientes visitationem.

—

11. In parochiis, quae monasteriis, non tamen subiective, unitae sunt, deputandos esse vicarios *perpetuos* saeculares, S. C. resp. in *Spiren.* 18. Jul. 1761.

12. In casu unionis ecclesiae parochialis cum monasterio accessorie, i. e. quoad temporalia tantum factae, in ea constitui debere rectorem seu vicarium *perpetuum*, et idcirco ad eam deputari non posse personam regularem, cuius instituto repugnet beneficiorum collatio seu institutio in titulum perpetuum, a S. C. resp. fuit in *Ratisbon.* 18. Maii 1718., *Herbipolen.* 17. Sept. 1722., 16. Jan. 1723.

13. Vicario curam exercenti in ecclesia parochiali collegiata unita alii collegiatae, cui ius est nominandi seu praesentandi curatum illius, assignandam esse congruam et emolumenta, erectionemque vicarii *perpetuam* faciendam contra oppositionem ecclesiae patronalis, S. C. censuit in *Aquilana* 1. Sept. 1725. et 6. Julii 1726.

14. S. C. respondit, in ecclesia parochiali, pertinente ad capitulum monasterio incorporatum, esse deputandum pro exercenda cura animarum vicarium s. parochum *perpetuum* praevio concursu, ita tamen, ut ceteris paribus praeferantur presbyteri capituli. Vicario deputato ceteros presbyteros in administratione non amplius se debere ingerere, sed esse providendum ab ordinario, i. e. abbate, de sacerdotibus adiutoribus. *Nullius s. Montis Casini* 2. Junii 1731.

15. Abbatem posse in ecclesiis parochialib. suo monasterio a Papa unitis cum expressa facultate eas moderandi per monachos ad nutum *amovibiles* seu per sacerdotes saeculares, deputare vicarios temporaneos etiam monachos sui monasterii, remotioni vero parochi saecularis ante illam resolutionem nominati et instituti, nulla facta qualitatis amovibilitatis mentione, non esse locum sine iustis causis, S. C. rescr. in *Ratisbonen.* 23. Aug. 1721.

16. S. C. respondit, curam actualem etiam exerceri posse a vicariis seu capellanis amovibilibus, quando cura habitualis est penes capitulum in ecclesia parochiali unita collegiatae vel cathedrali, itaque non necessarium esse, ut sacerdos extra gremium a capitulo eligatur, sed deputari ab eo posse fine cuiusvis anni duos canonicos, qui curam actualem exerceant; electionis vero huiusmodi approbationem ad episcopum pertinere. *Aliphana* 12. Jan. 1726. Eandem sententiam tulerat in *Assisien.* 16. Nov. 1709. et 24. Maii 1710.

17. Cum in ecclesia hoc moris esset, ut cura excerceretur per sex menses ab aliquo presbytero nomine archipresbyteri et per sex reliquos a quodam sub nomine capellani ad nutum amovibili, eligendo a thesaurario ecclesiae cathedralis eo modo, ut illi conferretur, qui ad eam assumendam minori stipendio paratus esset, S. C. rescr., episcopum per modum provisionis mandare debere, ut archipresbyter per totum annum curam exerceat, et deputare capellanum coadiutorem cum salario ab eodem episcopo statuendo sumptibus thesaurarii, *Neocastren.* 23. Jun. 1725.

18. Episcopum in litteris patentibus pro vicario curato, nominando a canonicis regularibus aliisve, quibus unita sit ecclesia parochialis, ad cuius curam gerendam vicarius instituitur, et approbando ab ordinario, uti posse voce « deputare » ex Const. 47. §. 4. et 5. S. Pii V. et cap. 7. Sess.

VII. de ref. S. C. censuit in *Eugubina* 12. Jan. 1732.

19. Episcopo non licet post institutionem ab executore reportatam in vim litterarum apostolicarum in forma gratiosa novo examini subiicere vicarium perpetuum ecclesiae parochialis unitae monasterio non exempto, et novam institutionem eidem concedere. *Vercellen.* 9. Jul. 1735.

20. Sacerdotes, praevio examine ad curam subsidiariam sive secundariam approbati, sive saeculares sive regulares, antequam ad aliquam parochiam aut perpetuam aut amovibilem promoverentur, iterato in dioecesi Coloniensi subiiciebantur examini ut nova fieret pro cura approbatio (primaria vocari solita), non quidem indefinite, sed ad certum tempus, ut plurimum septem annorum, ita ut elapso tempore denuo renovaretur examen. Hunc vero morem locum habere non posse defendit abbas Steinfeldensis in parochia Dumwald, pleno iure abbatiae incorporata, verum praefici posse ad libitum quemvis regularem ad secundariam curam approbatum. S. C. vero ad quaestionem: An regularis in dicta ecclesia deputatus et alias ab ordinario praevio synodali examine ad excipiendas confessiones etc. approbatus teneatur se subiicere novo examini pro approbatione ad curam animarum in dicta ecclesia in casu? resp. *affirmative. Colonien.* 10. Maii 1760.

21. Licet episcopo removere regulares curam exercentes, qui ab ipso non sunt approbati. Ita S. C. in *Fanen.* 1581., *Caesaraugustan.* 1581. (alleg. VI. 349. *Constantien.* 20. Nov. 1734.

22. S. C. censuit, bullam XLVII. S. Pii. V. ed. a. 1567. (Bull. T. II.) complecti tantum in portione congrua, quae parochis curam exercentibus in ecclesiis parochialibus unitis monasteriis, collegiis, capitulis praestanda est, incerta, quae certa sint, non vero illa incerta, quae semper sint incerta et dependeant a labore personali, uti sint eleemosynae altaris et funerum atque similia, locumque habere bullam memoratam etiam in vicariis amovibilibus. *Papien.* 2. Maii 1722.

23. Cum disceptatum fuisset, an communitas, quae nominare solebat capellanum pro exercitio curae animarum amovibilem, possit illum arbitrio suo removere? rescriptum fuit a S. C. *negative, sed tantum ex causa approbanda ab episcopo*, in *Spoletana* 8. Jul. 1713. Postea, cum eadem quaestio iterum ad examen deduceretur, 1. Dec. 1731. respondit inter summaria precum: «Servetur decretum anni 1713.», et 8. Martii 1732. « stetit in decretis. »

C. IX. *Munus consecrationis non differendum.*

Ad maiores ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a iure statutum suscipiant [1]), et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur.

[1]) c. 2. D. LXXV. (conc. Chalc.) c. 1. D. C. (conc. Rav.)

C. X. *Sede vacante capitula nulli dent reverendas, nisi arctato occasione obtinendi aut obtenti beneficii; variae contravenientium poenae.*

Non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione [1]), quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subiacet interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant. In maioribus vero ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso iure suspensi.

[1]) c. 3. de temp. ord. in VIto I. 9. (Bonif. VIII.) — cf. infr. Sess. XXIII. de ref. c. 10. cum declar.

C. XI. *Facultates de promovendo sine iusta causa nemini suffragentur.*

Facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam; et tunc non ordinentur, nisi ab episcopo [1])

in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine.

[1]) cf. Sess. VI. de ref. c. 5. Sess. XIV. de ref. c. 2.

C. XII. *Facultas de non promovendo annum non excedat.*

Facultates de non promovendo, praeterquam in casibus a iure expressis [1]) concessae, ad annum tantum suffragentur.

[1]) c. 14. 34. de elect. in VIto I. 6. (Bonif. VIII.)

C. XIII. *A quocunque praesentati non instituantur sine praevio examine ordinarii et approbatione, certis exceptis.*

Praesentati seu electi vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam sedis apostolicae nunciis, ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur [1]), neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Praesentatis tamen [2]), electis seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis.

[1]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — [2]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 18.

C. XIV. *Quaenam causae civiles ab episcopis cognosci possint.*

In exemptorum causis constitutio Innocentii IV., quae incipit: *Volentes* [1]), in generali concilio Lugdunensi edita, servetur, quam eadem sacrosancta synodus innovandam censuit et innovat, addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum clerici saeculares aut regulares, extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem, a sede apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa sede delegatis, conveniri et iure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possint; privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris.

[1]) c. 1. de privil. in VIto V. 7.: « Volentes libertatem, (quam nonnullis apostolica sedes privilegio exemptionis indulsit,) sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti sive contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem (prout ius exigit) exercere.

Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique, quia nec coram ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis; nec domiciliorum praetextu locorum dioecesani, (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conveniantur,) remittendi eos illuc, vel ipsis, ut illic respondeant, iniungendi habeant aliquam potestatem; salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. Et id ipsum decernimus circa illos, quibus, ut non nisi sub uno iudice teneantur de se conquerentibus respondere, apostolico privilegio est concessum. In eos autem, quibus, ne interdici, suspendi vel excommunicari a quoquam valeant, a sede apostolica est indultum, sicut sunt religiosi quam plures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam episcopus vel archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa ullove loco interdicere, suspendere vel excommunicare praesumat: iidem ordinarii iurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non possint; nisi forsan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus ordinariis iisdem subiectos fuerint destinati. Tunc enim etsi libere possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum quam ipsorum prioratuum monachi reputentur, (cum non sit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachicum,) unum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere; ratione tamen eorundem prioratuum dicti ordinarii sua iurisdictione in ipsis etiam quod praemissa (quandiu morantur in iis) licite uti possunt. » cf. Sess. XIV. de ref. c. 6.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Nomine procuratoris generalis Ord. Fr. Carmel. in Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. expositum fuit, in Hispaniarum regnis quosdam ordinarios locorum contendere, religiosos intra claustra degentes coram ipsis ordinariis conveniri debere in

causis civilibus, cap. *Volentes* de priv. in VI. comprehensis, propter illius innovationem a Conc. Trid. factam Sess. VII. c. 14., quo praefatos religiosos eorum privilegiis abrogatis defendunt comprehendi; praeterea eosdem locorum ordinarios pariter contendere, eosdem religiosos intra claustra degentes in prima instantia coram ipsis conveniri debere ex decreto eiusdem Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 20. Cum ab eodem procuratore in eadem Congr. supplicatum fuerit, ut super utraque re responsum darent, fuit responsum: Neque constitutione generali in conc. Lugd. edita, quae incipit *Volentes*, neque decreto conc. Trid. c. 14. Sess. VII. comprehendi regulares, ideoque eos iuxta eorum privilegia coram suis superioribus vel conservatoribus esse conveniendos. Nec non decretum eiusdem conc. Trid. c. 20. Sess. XXIV. ad regulares non pertinere, nec eorum conservatorias imminuere, nec quoad primam illam instantiam aliquid novi inducere. Quod decretum Paulus V. d. 24. Aug. 1607. confirmavit. (Bull. Rom. T. V. p. III. p. 280.).

2. Ad quaestionem: « An ordinarius possit procedere et iurisdictionem ordinariam exercere contra personas et canonicos ecclesiae collegiatae in omnimoda iurisdictione subiectae alicui abbati exempto, in casu contractuum et delictorum factorum extra septa (i. e. ambitum) dictae collegiatae», S. C. resp. *negative*. *Firmana* 13. Apr. 1720. Nova vero audientia ordinario permissa, decrevit: « recedendum esse a decisis. » 3. Aug. 1720.

C. XV. *Ordinarii curent, ut hospitalia quaecunque, etiam exempta, a suis administrantibus fideliter gubernentur.*

Curent ordinarii, ut hospitalia quaecunque a suis administratoribus [1]), quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur, constitutionis concilii Viennensis, quae incipit: *Quia contingit* [2]), forma servata. Quam quidem constitutionem eadem sancta synodus innovandam duxit et innovat cum derogationibus in ea contentis.

[1]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 8. cum declar. — [2]) Clem. 2. de relig. dom. III. 11. (Clem. V.): « Quia contingit interdum, quod xenodochiorum, leprosariarum, eleemosynariarum seu hospitalium rectores, locorum ipsorum cura postposita, bona, res et iura ipsorum interdum ab occupatorum et usurpatorum manibus excutere negligunt, quinimmo ea collabi et deperdi, domos et aedificia ruinis deformari permittunt, et non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique lepra reciperentur inibi, et ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter convertentes, cum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem sedis apostolicae auctoritate) converti: nos incuriam et abusum huiusmodi detestantes, hoc sacro concilio approbante sancimus, ut ii, ad quos id de iure vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine praescripta legitime, vel privilegio sedis apostolicae pertinet, loca ipsa studeant in praedictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita et alienata indebite in statum reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium personarum receptionem et sustentationem debitam iuxta facultates et proventus locorum ipsorum rectores praedictos compelliere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam vel defectum, ordinariis locorum iniungimus, ut, etiamsi pia loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per se ipsos vel alios impleant omnia praemissa et singula, et rectores eosdem utique non exemptos propria, exemptos vero et alios privilegiatos apostolica ad id auctoritate compellant; contradictores, cuiuscunque status aut conditionis exsistant, aut praebentes eisdem circa praemissa consilium, auxilium vel favorem, per censuram ecclesiasticam et aliis iuris remediis compescendo; nullum tamen per hoc exemptionibus seu privilegiis ipsis quoad alia praeiudicium generando. Ut autem praemissa promptius observentur, nullus ex locis ipsis saecularibus clericis in beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine (quam reprobamus penitus) hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus fuerit constitutum, seu per electionem sit de rectore locis huiusmodi providendum. Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, velint et valeant loca ipsa, bona eorum ac iura utiliter regere, et eorum proventus et reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona praedicta convertere praesumptio verisimilis non exsistat; in quibus sub obtestatione divini iudicii illorum, ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientias oneramus. Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum iuramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et ordinariis, seu aliis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, collationem, provisionem seu ordinationem ipsam carere decernimus omni robore firmitatis. Praemissa vero ad hospitalia militarium ordinum aut religiosorum etiam aliorum extendi minime volumus. Quorum tamen hospitalium rectoribus in sanctae obedientiae virtute mandamus, ut in illis secundum suorum ordinum instituta et antiquas observantias providere pauperibus, et hospitalitatem debitam in illis tenere procurent; ad quod per superiores eorum arcta districtione cogantur, statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in praemissis. Ceterum nostrae intentionis exsistit, quod, si quae hospitalia, altare vel al-

taria, et coemeterium ab antiquo habentia, et presbyteros celebrantes, et sacramenta ecclesiastica pauperibus ministrantes, seu in parochiales rectores consueverint in illis exercere, praemissa antiqua consuetudo servetur quoad exercenda et ministranda spiritualia supradicta.

Indictio futurae sessionis.

Item haec sacrosancta synodus statuit et decrevit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse die Iovis, feria quinta post sequentem dominicam in Albis, quae erit vigesima prima mensis Aprilis praesentis anni MDXLVII.

BULLA FACULTATIS

TRANSFERENDI CONCILII.

Paulus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ioanni Mariae episcopo Praenestino, et dilectis filiis Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, ac Reginaldo S. Mariae in Cosmedin diacono cardinalibus, nostris et apostolicae sedis legatis de latere salutem et apostolicam benedictionem.

Regimini universalis ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, nostri officii partes esse putamus, ut, si quid gravius causa reipublicae Christianae constituendum sit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo et idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper, postquam suspensionem celebrationis sacri oecumenici et universalis concilii, alias per nos in civitate Tridentina ex causis tunc expressis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum de simili consilio et assensu factam, audita pace inter carissimos in Christo filios nostros, Carolum Rom. imperatorem semper augustum, et Franciscum Francorum regem Christianissimum conciliata, pari consilio et assensu sustuleramus et amoveramus, nequeuntes ipsi tunc legitime impediti ad dictam civitatem personaliter accedere et eidem concilio interesse, vos nostros et apostolicae sedis legatos de latere in eodem concilio de simili consilio constituerimus et deputaverimus, vosque ad eandem civitatem tanquam pacis angelos destinaverimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur: Nos, ne tam sanctum celebrationis concilii huiusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, parique consilio et assensu vobis insimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento seu inde forte absente, quandocunque vobis videbitur, concilium praedictum de eadem civitate Tridentina ad quamcunque aliam commodiorem et opportuniorem seu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi et mutandi, ac illud in ipsa civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi, nec non praelatis et aliis personis concilii huiusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibendi, ac idem concilium in alia civitate huiusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud praelatos et alias personas concilii Tridentini huiusmodi, etiam sub periurii et aliis in litteris indictionis concilii huiusmodi

expressis poenis, evocandi, eidemque sic translato et mutato concilio nomine et auctoritate praedictis praesidendi ac in eo procedendi, ceteraque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna alias iuxta priorum vobis directarum litterarum continentiam et tenorem faciendi, statuendi, ordinandi et exsequendi, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus potestatem et facultatem; ratum et gratum habituri quicquid per vos in praemissis factum, statutum, ordinatum exsecutumve fuerit, idque facturi auctore Domino inviolabiliter observari; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDXLVII. VIII. Kalend. Mart. Pontificatus nostri anno XI.

Fab. Episcopus Spol.
B. Motta.

SESSIO OCTAVA

CELEBRATA

DIE XI. MENSIS MARTII MDXLVII.

DECRETUM DE TRANSLATIONE CONCILII.

Placetne vobis decernere et declarare, de huiusmodi morbo ex praemissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut praelati in hac civitate sine vitae discrimine commorari, et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? itemque attento recessu multorum praelatorum post proxime praeteritam sessionem, et attentis protestationibus aliorum complurium praelatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui iuste detineri non possunt, et ex quorum discessu concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate praelatorum bonus eius progressus impediretur; et attento etiam imminenti periculo vitae, et aliis causis per aliquos ex patribus in ipsis congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis; placetne vobis similiter decernere et declarare, pro conservatione et prosecutione ipsius concilii, securitate vitae ipsorum praelatorum, concilium ipsum ad civitatem Bononiae, veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum, pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri, et ibidem sessionem iam indictam statuta die vigesima prima Aprilis celebrandam esse et celebrari; et successive ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo domino nostro et sacro concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo caesare, Christianissimo rege, et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum concilium reduci possit et debeat? Responderunt: *Placet*.

SESSIO NONA

BONONIAE CELEBRATA

DIE XII. MENSIS APRILIS MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Haec sacrosancta oecumenica et generalis synodus, quae dudum in civitate Tridentina congregata erat, nunc Bononiae in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia Papae III., eisdem reverendissimis dominis, D. Ioanne Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, S. R. E. cardinalibus et apostolicis de latere legatis, considerans, quod die undecima mensis Martii praesentis anni in generali publica sessione, in eadem civitate Tridenti et in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus et legitimis, interveniente etiam auctoritate sanctae sedis apostolicae, eisdem reverendissimis praesidentibus etiam specialiter concessa, decrevit et ordinavit, concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit, itemque sessionem pro praesenti die vigesima prima Aprilis illic indictam, ut de sacramentorum et reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur et promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiae celebrari debere; consideransque, nonnullos ex patribus, qui in hoc concilio interesse consueverunt, his superioribus maioris hebdomadae et solemnitatis paschalis diebus in propriis ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos huc nondum accessisse, quos tamen brevi adfuturos sperandum est, ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta synodus desiderabat, praelatorum frequentia potuerint materiae ipsae sacramentorum et reformationis examinari et discuti: ut omnia maturo consilio, cum dignitate et gravitate debita fiant, bonum, opportunum et expediens censuit censetque, sessionem praedictam, quae hoc ipso die, ut praefertur, celebranda erat, ad diem Iovis infra octavam Pentecostes proxime futuram quoad ipsas materias expediendas differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem et rei gerendae maxime opportunam, et patribus praesertim absentibus percommodam iudicavit et iudicat: hoc tamen adiecto, quod terminum ipsum ipsa sancta synodus pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in privata congregatione restringere et imminuere possit et valeat.

SESSIO DECIMA

BONONIAE CELEBRATA

DIE II. MENSIS IUNII MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Quamvis haec sacrosancta oecumenica et generalis synodus sessionem, quae die vigesima prima mensis Aprilis proxime praeteriti super sacramentorum et reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiae ex decreto in urbe Tridentina in publica sessione die undecima mensis Martii promulgato celebranda

erat, propter aliquas causas, ac praesertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi adfuturos sperabat, ad hunc praesentem diem differendam et prorogandam esse decreverit: volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere, eadem sacrosancta synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et apostolicae sedis legatis, statuit et decernit, sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunii praesentis anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi celebrare decreverat, ad diem Iovis post festum Nativitatis beatae Mariae Virginis, quae erit decima quinta mensis Septembris proxime futuri, quoad praedictas et alias materias expediendas differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat; ita tamen, quod prosecutio discussionis et examinationis eorum, quae tam ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, et terminum ipsum ipsa sancta synodus pro eius libito et voluntate etiam in privata congregatione abbreviare et prorogare libere possit et valeat.

Die XIV. Septembris MDXLVII. in congregatione generali Bononiae prorogata fuit sessio, quae futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri concilii.

BULLA RESUMPTIONIS

CONCILII TRIDENTINI

SUB IULIO III. PONT. MAX.

Iulius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cum ad tollenda religionis nostrae dissidia, quae in Germania longo tempore non sine totius Christiani orbis perturbatione et scandalo viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper augustus nobis per suas litteras et nuncios significari fecit, ut sacrum oecumenicum generale concilium per fel. rec. Paulum Papam III. praedecessorem nostrum indictum, et per nos, tunc cardinalatus honore fungentes atque ipsius praedecessoris nomine una cum duobus aliis sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus ipsi concilio praesidentes, inceptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publicae et solemnes habitae fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos, ut summos pro tempore Pontifices, spectat generalia concilia indicere et dirigere, ut ecclesiae pacem et Christianae fidei atque orthodoxae religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et, quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniae, quae sane provincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra vicariis, debita obedientia et reverentia nulli Christianorum provinciae fuit unquam secunda, paterne consulamus; sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Christiani iustis piisque nostris hac in re votis an-

nuant, faveant atque assistant: venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de iure vel consuetudine vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, quosque idem praedecessor noster in suis indictionis et aliis quibusque desuper confectis et publicatis litteris concilio interesse voluit, per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi hortamur, requirimus et monemus, ut proximis futuris Kal. Maii, quem diem ad ipsum concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum et prosequendum, praevia matura deliberatione et ex certa nostra scientia, et de apostolicae auctoritatis plenitudine ac venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio et assensu statuimus et declaramus, in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire et se congregare, ac ipsius concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos, si per aetatem nostram valetudinemque et sedis apostolicae necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce, ipsi concilio praesidebimus; quacunque ipsius concilii translatione et suspensione ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque, ac praesertim illis, quae idem praedecessor noster in suis litteris praedictis, quas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et, quatenus opus sit, innovamus, voluit non obstare; irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis et decretorum infringere: vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae MDXLVIII. Kalendis Decembris Pontificatus nostri anno I.

M. Cardinalis Crescen.
Rom. Amasaeus.

SESSIO XI.

CONCILII TRIDENTINI

QUAE EST PRIMA

SUB IULIO III. PONT. MAX.

CELEBRATA KALENDIS MAII MDLI.

DECRETUM DE RESUMENDO CONCILIO.

Placetne vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianae, sacrum oecumenicum et generale concilium Tridentinum iuxta formam et tenorem litterarum sanctissimi domini nostri resumi debere, et procedendum esse ad ulteriora? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse in futuris Kal. Septembris? Responderunt: *Placet.*

SESSIO XII.

QUAE EST SECUNDA

SUB IULIO III. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE PRIMA SEPTEMBRIS MDLI.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, quae in proxime praeterita sessione sequentem hanc hodie habendam et ad ulteriora procedendum esse decreverat, cum ob inclytae germanicae nationis, cuius praecipue causa agitur, absentiam, ac non magnam ceterorum Patrum frequentiam procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum et filiorum suorum, Moguntini et Trevirensis archiepiscoporum ac sacri Romani imperii principum electorum, et complurium ipsius aliarumque provinciarum episcoporum sub hanc ipsam diem adventu in Domino exsultans, et dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quamplurimos alios tam ipsius Germaniae quam aliarum nationum praelatos, et sui officii debito et hoc exemplo commotos, propediem esse venturos, futuram sessionem ad quadragesimam diem, quae erit undecima mensis Octobris proxime sequentis, indicit, et concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, cum in praeteritis sessionibus de septem sacramentis novae legis in genere, et in specie de baptismate et confirmatione definitum fuerit, statuit et decernit, de sanctissimae eucharistiae sacramento, necnon, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quae ad faciliorem et commodiorem praelatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere; ac monet et hortatur omnes patres, ut interim Domini nostri Iesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, ieiuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in saecula sit benedictus, Deus corda hominum ad verae suae fidei agnitionem, et sanctae matris ecclesiae unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

SESSIO XIII.

QUAE EST TERTIA

SUB IULIO III. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XI. OCTOBRIS MDLI.

DECRETUM DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae le-

gato et nunciis, etsi in eum finem non absque peculiari Spiritus sancti ductu et gubernatione convenerit, ut veram et antiquam de fide et sacramentis doctrinam exponeret, et ut haeresibus omnibus et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei ecclesia misere nunc exagitatur et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret, hoc praesertim iam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania [1]) exsecrabilium errorum et schismatum, quae inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctae eucharistiae superseminavit, quam alioqui Salvator noster in ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta synodus, sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica ecclesia ab ipso Iesu Christo Domino nostro et eius Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente [2]) edocta retinuit et ad finem usque saeculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum atque definitum.

[1]) Matth. XIII. 30. — [2]) Luc. XII. 12., Ioan. XIV. 26. XVI. 13.

C. I. *De reali praesentia Domini nostri Iesu Christi in sanctissimo eucharistiae sacramento.*

Principio docet sancta synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae eucharistiae sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat [1]) iuxta modum exsistendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo [2]), cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illi praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est [3]); quae verba a sanctis Evangelistis commemorata [4]) et a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri, quae, tanquam columna et firmamentum veritatis [5]), haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

[1]) cf. Sess. III. in symb. — [2]) Matth. XIX. 26., Luc. XVIII. 27. — [3]) Matth. XXVI. 26-28., Marc. XIV. 22-24., Luc. XXII. 19. seq. — [4]) 1. Cor. XI. 24. seq. — [5]) 1. Tim. III. 15.

C. II. *De ratione institutionis sanctissimi huius sacramenti.*

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, me-

moriam faciens mirabilium suorum [1]), et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit [2]), suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc [3]) tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me* [4]) *et ipse vivet propter me*, et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput exsistit [5]), cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata [6]).

[1]) Psalm. CX. 4. — [2]) Luc. XXII. 19., 1. Cor. XI. 24-26. — [3]) Matth. XXVI. 26. seq. — [4]) Ioan. VI. 58. — [5]) 1. Cor. XI. 3., Eph. V. 23. — [6]) 1. Cor. 1. 10.

C. III. *De excellentia sanctissimae eucharistiae super reliqua sacramenta.*

Commune hoc quidem est sanctissimae eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem [1]); verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant [2]), cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat; et semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus [3]) verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere: sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus [4]), inter se copulantur [5]), divinitatem porro, propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie [6]) atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus exsistit.

[1]) c. 32. D. II. de cons. (Aug.) — [2]) Matth. XXVI. 26., Marc. XIV. 22. — [3]) cf. infr. ead. can. 1. — [4]) Rom. VI. 9. — [5]) cf. c. 58. (Aug.) 71. (Paschas.) 78. (missal. Ambros.) D. II. de cons. — [6]) c. 35. D. II. de cons. (Euseb. sive Eucher.) — cf. infr. can. 3. Sess. XXI. de comm. c. 3.

C. IV. *De transubstantiatione.*

Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat [1]), vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri [2]), et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transubstantiatio est appellata.

[1]) Luc. XXII. 19., Ioan. VI. 48. seq., 1. Cor. XI. 24. — [2]) c. 55. D. II. de cons. (Ambros.) — cf. infr. can. 2.

C. V. *De cultu et veneratione huic sanctissimo sacramento exhibenda.*

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant [1]). Neque enim

ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum [2]). Nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit [3]): *Et adorent eum omnes angeli Dei*, quem magi procidentes adoraverunt [4]), quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse [5]) scriptura testatur.

Declarat praeterea sancta synodus, pie et religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse hunc morem [6]), ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur [7]). Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur. Ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae ecclesiae laetitia positi vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

[1]) cf. infr. can. 6. — [2]) Matth. XXVI. 26. — [3]) Hebr. I. 6. — [4]) Matth. II. 11. — [5]) Matth. XXVIII. 17., Luc. XXIV. 52. — [6]) cf. ep. Urbani IV. relatam in Clem. 1. de relig. tom. III. 16. — [7]) cf. infra can. 6.

C. VI. *De asservando sacrae eucharistiae sacramento, et ad infirmos deferendo.*

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam eucharistiam adeo antiqua est [1]), ut eam saeculum etiam Nicaeni concilii agnoverit [2]). Porro deferri ipsam sacram eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in conciliis praeceptum invenitur [3]), et vetustissimo catholicae ecclesiae more est observatum. Quare haec synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

[1]) c. 93. D. II. de cons. (Cap. Franc.), c. 10. X. de celebr. miss. III. 41. (Honor. III.) — cf. infr. can. 7. — [2]) conc. Nic. I. c. 13. (c. 6. C. XXVI. qu. 6. — [3]) cf. e. gr. conc. Ancyr. c. 5., Agath. c. 15. (D. L. c. 63.), Lat. IV. c. 20.

C. VII. *De praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat.*

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus [1]): *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum [2]): *Probet autem se ipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur [3]), absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.

[1]) 1 Cor. XI. 29. — [2]) 1 Cor. ib. 28. — [3]) cf. infr. c. 11.

C. VIII. *De usu admirabilis huius sacramenti.*

Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur [1]), fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter [2]); hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant [3]). In sacramentali autem sumptione semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent [4]), qui mos, tanquam ex traditione apostolica descendens [5]), iure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium [6]), et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem angelorum [7]), quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere nisi detegantur et refellantur errores: placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes, iam agnita catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant.

[1]) Gal. V. 6. — [2]) cf. infr. c. 8. — [3]) Matth. XXII. 11. — [4]) cf. 11. D. II. de cons. (conc. Tol. XII.) — cf. infr. c. 10. — [5]) Hebr. VII. 27. — [6]) Ioan. VI. 56. seq. — [7]) Psalm. LXXVII. 25.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

CAN. I. Si quis negaverit [1]), in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura aut virtute: anathema sit.

CAN. II. Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transubstantiationem appellat [2]): anathema sit.

CAN. III. Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie [3]), et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, peracta consecratione [4]) in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum [5]), vel ex ea non alios effectus provenire: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae [6]) etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari [7]), sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, Christum in eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter [8]): anathema sit.

Can. IX. Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus [9]), cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae: anathema sit.

Can. X. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare [10]): anathema sit.

Can. XI. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae eucharistiae sacramentum [11]): anathema sit. Et, ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat.

[1]) cf. supr. c. 3. — [2]) ib. c. 4. — [3]) ib. c. 3. et infr. Sess. XXI. de comm. c. 1. — [4]) cf. supr. c. 3. — [5]) ib. c. 2. — [6]) ib. c. 5. — [7]) ib. c. 6. — [8]) ib. c. 8. — [9]) cf. Sess. XIV. de poen. can. 8. — [10]) cf. supr. c. 8. — [11]) ib. c. 7.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae communionis, etiam in feria sexta Parasceve, et simul affirmari, eandem quotidianam communionem praeceptam esse a iure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet quod aliqui non in ecclesiis, sed in privatis oratoriis et domi, immo cubantes in lecto et non laborantes ulla gravi infirmitatis nota, sumant SS. eucharistiam, quam argentea theca inclusam, in crumena aut secreto illis deferunt sacerdotes saeculares aut regulares, aliique in communione percipiant plures formas ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem alii confiteantur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario: cum autem haec SSimus consideranda commiserit S. Congr. Card. Conc. Interpr., eadem S. C. praevia matura discussione super prae-

dictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens quotidianusque SS. eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in ecclesia probatus, nunquam tamen aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Conc. Trid. praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: «Optaret, quidem SS. Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali eucharistiae perceptione communicarent, « idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, varia ob negotia spiritus alienationes, multae e contra gratiae et Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possint, nihil certi de cujusque dignitate atque integritate, et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui, et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In coniugatis autem hoc amplius animadvertant, quod cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimae eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut frequenti aut quotidiana Sac. communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a Sac. convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici corporis suavitatem degustet. Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto constitutis communicent, si quae vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim ad illud sumendum de magna praeparatione orationem habeant generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive coniugati sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate sacramenti ac divini judicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri, et, si quando se minus paratos senserint, ab eadem abstinere, seque ad maiorem praeparationem accingere. Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget huiusmodi devotio erga SS. sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si iis, qui devoto huiusmodi studio divina praestante gratia tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere et probare cum timore et caritate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et se pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno in praemium est daturus, precatur S. C., ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur.

Porro episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de iure divino; doceant in ecclesiis, seu oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis, de manu sacerdotis sumendam SS. eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad exsistentes domi vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valent, et ad eos, si ab ecclesia, deferatur publice et cum pompa, si vero ab oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria VI. Parasceve missalis rubricae et ecclesiae Romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario. Si parochi et confessarii, etiam regulares,

aut quicunque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, neque defuturam episcoporum et ordinariorum iustam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes etiam regulares, etiam Soc. Jesu, facultate ipsis episcopis et ordinariis per hoc decretum per sedem apost. specialiter attributa. Et facta de praemissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, S. S. approbavit, ac praesens decretum typis mandari ac publicari voluit. Dat. Rom. 12. Febr. 1679.

F. Card. Columna Praef.
S. Archiep. Brancaccius Ep. Viterbien. Secr.

—

2. Non licet sanctam eucharistiam ad aegrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam sumere non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit. Ex regestis rel. a *Bened.* XIV. De SS. missae sacr. III. 19.

—

3. Ad dubium: An familiares et domestici degentes in archihospitali, eidemque inservientes, *praeceptum paschale* adimplere teneantur in ecclesia archihospitalis, seu potius accedere teneantur ad ecclesiam collegiatam et *parochialem* S. Petri in casu etc.? S. C. resp. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. *Avenion.* 12. Sept. 1750. ad dub. III.

4. Exstitit Florentiae collegium, quod centum pacificorum dicebant, in eorum, qui dissidiorum inter Guelphos et Gibellinos tempore olim urbis gubernatori in tuenda civitate et quiete restituenda fidelem operam praestiterant, memoriam erectum. Cui cum mandatum esset in apostolico privilegio, ut duabus infra annum vicibus, nimirum die Paschatis et die Nativitatis, tenerentur una cum gubernatore et cancellario sacramentum poenitentiae et sacramentum eucharistiae sumere in eccl. cathedrali civitatis Faventinae, id usque ad annum 1776. ita semper observarunt, ut communione die Paschatis sumpta in eccl. cathedrali, praecepto quoque paschali se satisfecisse crederent. Cum vero quaereretur: An liceat centum pacificis civ. Favent. sine licentia proprii respective parochi adimplere praeceptum paschale in cathedrali ecclesia dictae civitatis, seu potius dictum praeceptum paschale sit ab eis adimplendum in eorum propria respective parochia in casu etc.? S. C. resp. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. 29. Nov. 1777.

5. In districtu Castri Bastiae sita est villa Marranellae, cuius incolae praeceptum communionis paschalis in parochiali dicti castri ecclesia adimplere tenentur. Inter illius villae homines recensebantur Sebastianus Carolus et Jacobus quondam Sebastiani Caroli illius frater, qui plura in eo territorio bona possidebant et domum, quam maxima anni parte inhabitare solebant. Horum maiores a parocho Bastiae sacram communionem in paschate recipere nunquam detrectarunt. Cum vero anno 1770. Sebastiani et Jacobi pater praedium intra fines paroeciae S. Donati acquisivisset, ab eo tempore paschale praeceptum in ecclesia Castri Bastiae adimplere minime curarunt. Aegre id ferens parochus hac de re conquestus est apud vicarium foraneum Saxiferrati, qui iussu episcopi Nucerini praeceptum Jacobo indixit, ut sub poena scutorum 50. ipse cum tota familia eucharistiam sumeret in paschate in parochiali illius castri ecclesia. Re ad S. C. delata, et dubio proposito: An praeceptum curiae episcopalis Nucerinae demandans adimplementum praecepti paschalis in ecclesia parochiali castri Bastiae sustineatur in casu? resp. *negative* et *amplius*. 14. Maii 1774.

6. Proposito dubio: An parochi villae Castilionis teneantur adimplere praeceptum paschale in parochiali ecclesia S. Antonii dictae villae (cuius rectorem ad nutum amovibilem nominandi ius habet archidiaconus ecclesiae cathedralis Cerviensis), seu potius in ecclesia cathedrali Cerviae in casu etc.? S. C. resp. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. *Cervien.* 16. Mart. 1782.

7. Consuetudinem immemorabilem, ex qua unusquisque etiam parochiae alienae, in ecclesia cathedrali paschatis tempore communionem paschalem recipere poterat, esse improbandam censuit S. C., confirmando episcopi decretum, quo mandabatur, ut ad satisfactionem communionis paschalis quilibet SS. eucharistiam non in cathedrali sumere debeat, sed a proprio parocho, in *Amerina* 10. Sept. 1803.

8. Ad dubium, an archipresbyter S. Blasii olim S. Victorini urbis Aquilae, qui habet territorium separatum cum qualitate nullius, possit inferre contra parochiae incolas non implentes paschale praeceptum interdicta vel excommunicationes? S. C. resp., eum procedere posse ad formam textus cap. *Omnis utriusque* de poen. et remiss. *Nullius* seu Aquil. 4. Maii 1726.

—

9. S. C. censuit, archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive administrare non valeant personis saecularibus sacramentum communionis, posse tamen iisdem prohibere ut personis saecularibus die Paschatis non administrent sanctissimum eucharistiae sacramentum, etiamsi dictae personae saeculares in alia die satisfecerint praecepto ecclesiae hac de re edito. *Burdigalen.* 9. Jul. 1644., confirm. ab Innoc. X. Bull. Rom. T. VI. P. III. p. 21. Similiter S. C. iudicavit in *Suessana* ad dub. I. 14. Jan. 1736.

10. Proposito dubio: An Patres Soc. Iesu aliique regulares possint ministrare SS. eucharistiae sacramentum personis saecularibus a dominica Palmarum usque, et per totam dominicam in Albis? S. C. resp. *affirmative* excepto die Paschatis, ita tamen, ut in aliis diebus sumentes eucharistiam a regularibus intra duas hebdomadas Palmarum et Paschatis non satisfaciant praecepto. *Mechlin.* 31. Jan. 1652. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IX. 16.

—

11. S. C. censuit, non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum eucharistiae sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo sanctissimum sacramentum e tabernaculo non extrahatur et sit velatum ita, ut ipsa sacra hostia videri non possit. *Neapol.* 17. Aug. 1630. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XXX, qui hoc decretum, licet in peculiari causa emissum, tamen pro generali norma a S. C. receptum esse refert, ita ut, quoties huius generis causae proponerentur, idem statuendum responderit, quod in Neapolitana antea fuit sancitum.

12. Cum episcopus Milevitanus decrevisset, ut in parochiali ecclesia S. Pauli Ap. civitatis Valettae expositio SS. sacramenti non in altari confraternitatis S. Michaelis archangeli in vestibulo posito, sed in altari maiori fieret, reclamarunt sodales, exponentes nullam oriri irreverentiam, cum ingressus duabus ianuis pateat, et bona quaedam societatis altari ea lege esse donata, ut nisi SS. sacramentum qualibet prima dominica mensis exponeretur, ipsa donatio nulla esset. His rationibus perpensis S. C. iudicavit, expositionem in societatis altari faciendam, ab episcopo vero providendum, ne inconvenientia inde sequerentur. *Milevitan.* 4. Febr. 1719.

DECRETUM DE REFORMATIONE

C. I. *Episcopi prudenter moribus subditorum reformandis invigilent; ab eorum correctione non appelletur.*

Eadem sacrosancta Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, intendens nonnulla statuere, quae ad iurisdictionem pertinent episcoporum, ut iuxta proximae sessionis decretum [1]) illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos regere et in vitae ac morum honestate continere potuerint: illud primum eos admonendos censet, ut se pastores [2]), non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio [3]), ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe [4]) plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correpti fuerint emendentur, aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur, cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis

ovium levia primum adhibere fomenta ; post , ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere; sin autem nec ea quidem proficiant illis submovendis , ceteras saltem oves a contagionis periculo liberare [5]). Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas poenas et episcoporum subterfugienda iudicia querelas et gravamina simulent, et appellationis diffugio iudicis processum impediant , ne remedio ad innocentiae praesidium instituto [6]) ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut huiusmodi eorum calliditati et tergiversationi occurratur , ita statuit et decrevit : In causis visitationis et correctionis , sive habilitatis et inhabilitatis , nec non criminalibus , ab episcopo seu illius in spiritualibus vicario generali ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appelletur , neque episcopus seu vicarius appellationi huiusmodi tanquam frivolae deferre teneatur , sed ea , ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata, nec non omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante , ad ulteriora valeat procedere , nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari [7]) vel ab ipsa definitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant.

[1]) Sess. XII. extr. — [2]) 1. Petr. V. 2. seq.— [3]) Tim. IV. 2.—[4]) verba Leonis III. in c. 6. D. XLV. —[5]) sec. Hieron. in c. 16. C. XXIV. qu. 3. et Aug. in c. 17. ib.—[6]) cf. c. 3. X. de appell. II. 28. (Alex. III.) [7]) cf. c. 59. X. ib. (Innoc. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Dubio proposito: « An, quando ordinarii ad evitanda scandala procedunt, non citata parte, nec adhibita causae cognitione , in causis visitationis aut correctionis morum, possit iudex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere? « resp. fuit: « *negative* quoad effectum suspensivum » in *Sardiniae* 15. Maii 1700. (rel. IX. P. II. p. 97.) ad dub. I.

2. Non licere curiae metropolitanae inhibitiones concedere adversus decretum ordinarii residentiam parochorum iubentis , dandumque esse decretum in *Feretrana* a. 1591, resp. S. C. in *Suessana* 15. Mart. 1738. ad dub. I. In hoc vero ita rescripserat ad episcopum : « ut huiusmodi inhibitione, utpote nulla et contra dispositionem Concilii decreta, non obstante, compelleret curatum ad residentiam. Ad vicarium vero apost. scribendum esse decrevit, a praecepto episcopi sive alio actu , cum procedit ad compellendos curatos ad residentiam, non dari appellationem ad effectum suspensivum,itaque sciat,eam inhibitionem ab episcopo sperni posse, et propterea de cetero caveat ab huiusmodi inhibitionibus. « *Feretrana* 6. Sept. 1591.

3. S. C. censuit, episcopum posse recte vetare, peccatorem publicum et qui non satis instructus sit in mysteriis fidei , admitti ad recipiendum SS. eucharistiae sacramentum, neque in causis morum, non obstante quacunque consuetudine, appellari posse... ab interlocutoria (ante definitivam sententiam) vel alio quocunque gravamine, nisi hoc per definitivam reparari vel ab ipsa definitiva appellari non possit. *Gravinen.* 10. Junii 1724.

4. Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto Conc. Trid. ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curae, sed ille appellavit et, praecepto episcopi contempto, celebravit et curam exercuit. Quaeritur , an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curae factus fuerit irregularis? S. C. censuit , ab huiusmodi suspensione non dari appellationem, et parochum , qui sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem contraxisse. *Sagonen.* 21. Jun. 1623, ex l. XXIV. Posit. p. 1. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XII. 8.

5. S. C. censuit , metropolitanum non posse concedere inhibitionem vigore appellationis a suspensione duorum sacerdotum ab ordinario suffraganeo ex causis ipsi notis et informata conscientia facta , neque licuisse eidem metropolitano committere absolutionem cum reincidentia non episcopo , sed parocho alicui ; carcerationem porro illorum sacerdotum suspensorum a celebratione missae , qui post absolutionem a metropolitano factam publice celebraverant, non intimato prius episcopo curiae metropolitanae decreto , non esse at-

tentatam, sed ab episcopo fieri potuisse; esse vero e contrario attentatam illorum excarcerationem decretam a metropolitano et ab eius commissario factam. *Capritana* 16. Dec. 1730.

6. Retulit episcopus Egitaniensis, in generali dioecesis visitatione plerumque contingere, ut dum episcopus vel eius visitatores eidem incumbunt officio, a delinquentibus ad impunitatem consequendam uti suspecti allegentur seu recursentur. Cum vero iuxta leges seu consuetudinem regni in inquisitione et cognitione criminum ulterius procedere nequeant, exinde oriri ut et delicta pessimo exemplo impunita saepe remaneant, et delinquentes non sine scandalo liberi evadant. Facultatem itaque sibi, ut huiusmodi frivolo impedimento a quavis persona, quantumvis potente, ecclesiastica vel saeculari, opposito non obstante, ulterius inquirere et procedere quoad emendationem, correctionem et punitionem possit, concedi postulabat. Ad quas preces Clemens VIII. ex voto S. Congr. declaravit, episcopum in visitatione uti suspectum allegari seu recusari non posse. 21. Maii. 1603. (Bull. Rom. T. V. P. III. p. 8.)

C. II. *In criminalibus appellatio ab episcopo quando metropolitano aut uni ex vicinioribus committenda sit.*

A sententia episcopi vel ipsius in spiritualibus vicarii generalis, in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano, seu illius etiam vicario in spiritualibus generali, aut, si ille aliqua de causa suspectus foret vel ultra duas legales diaetas distet [x]), seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus episcopis seu illorum vicariis, non autem inferioribus iudicibus, committatur.

[x]) cf. c. 11. de rescr. in VIto I. 3. (Bonif. VIII.)

C. III. *Acta primae instantiae intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.*

Reus, ab episcopo aut eius vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioquin absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

C. IV. *Qua ratione clerici ob gravia crimina sacris exauctorandi.*

Cum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem a sacris ordinibus deponendae, et curiae sint tradendae saeculari, in quo secundum sacros canones [x]) certus episcoporum numerus requiritur, quos si omnes adhibere difficile esset, debita iuris exsecutio differretur, si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit et decrevit: Episcopo per se seu illius vicario in spiritualibus generali contra clericum in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem nec non verbalem depositionem, et per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem abbatibus usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, et in civitate aut dioecesi reperiri et commode interesse possint; alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac iuris scientia commendabiles existant.

[x]) c. 2. C. III. qu. 8. c. 4. C. XV. qu. 7. (conc. Carth. II.), c. 1. 7. ib. (conc. Hisp. II.), c. 5. ib. (conc. Carth. III.), c. 6. ib. (Statt. eccl. ant.)

C. V. *Summarie cognoscat episcopus de gratiis aut absolutionem criminis aut remissionem poenae respicientibus.*

Et quoniam per fictas causas, quae tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli eiusmodi gratias extorqueant, per quas poenae illis episcoporum iusta severitate inflictae aut remittuntur omnino, aut minuuntur, cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet [1]), non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti: idcirco, ut sequitur, statuit et decrevit: Episcopus apud ecclesiam suam residens, de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum tanquam sedis apostolicae delegatus etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam [2]), postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.

[1]) Exod. XXIII. 1., Levit. XIX. 11. al. — [2]) cf. c. 20. 22. X. de rescr. I. 3. (Innoc. III.)

C. VI. *Non citetur personaliter episcopus, nisi depositionis aut privationis causa.*

Quoniam vero subditi episcopo, tametsi iure correpti fuerint [1]), magnopere tamen eum odisse, et, tanquam iniuria affecti sint, falsa illi crimina obiicere solent, ut quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant, cuius vexationis timor plerumque illum ad inquirenda et punienda eorum delicta segniorem reddit: idcirco, ne is magno suo et ecclesiae incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statuit et decrevit: Episcopus, nisi ob causam [2]), ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex officio; aut per inquisitionem, seu denunciationem vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

[1]) sec. verb. Ps.-Evar. in c. 21. C. II. qu. 7. — [2]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 5.

C. VII. *Qualitates testium contra episcopum describuntur.*

Testes in causa criminali ad informationem vel indicia seu alias in causa principali contra episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis et famae fuerint, non recipiantur; et si odio, temeritate aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus poenis mulctentur.

C. VIII. *Graves episcoporum causae a Pont. Max. cognoscantur.*

Causae episcoporum, cum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Max. referantur [1]), ac per ipsum terminentur.

[1]) conc. Sard. c. 4. (c. 7. C. VI. qu. 4.) — cf. Sess. XXIV. 5.

DECRETUM

Prorogationis definitionis quatuor articulorum de sacramento eucharistiae, et salvi conductus protestantibus dandi.

Eadem sancta synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro dominico evellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis, inter alios ad hoc sacramentum pertinentes articulos diligentissima veritatis catholicae inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque praestantissimorum theologorum sen-

tentiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem et divino iure praeceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant? et: Num minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque communicat? et: An erravit sancta mater ecclesia, laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie duntaxat communicando? et: An parvuli etiam communicandi sint? Sed quoniam ex nobilissima Germaniae provincia ii, qui se protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri a sancta synodo cupiunt, et eam ob causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire, et in hac urbe commorari ac libere coram synodo dicere atque proponere quae senserint, et postea cum libuerit recedere liceat: sancta ipsa synodus, licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses exspectarit, tamen ut pia mater, quae ingemiscit et parturit, summopere id desiderans ac laborans, ut in iis, qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata, sed, quemadmodum eundem omnes Deum et Redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant, confidens Dei misericordiae, et sperans fore, ut illi in sanctissimam et salutarem unius fidei, spei caritatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem, et fidem, ut petierunt, publicam, quam salvum conductum vocant, quoad se pertinet, eius, qui infra scriptus erit, tenoris dedit atque concessit, et eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit; quam, ut illi commode ei interesse possint, in diem festum Conversionis D. Pauli, quae erit XXV. die mensis Ianuarii anni sequentis, indixit. Illudque praeterea statuit, ut in eadem sessione de sacrificio missae agatur propter magnam utriusque rei connexionem, interea sessione proxima de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis tractandum. Illam autem die festo divae Catharinae virginis et martyris, qui erit XXV. Novembris, habendam esse decrevit, simulque, ut in utraque materiam reformationis prosequatur.

SALVUS CONDUCTUS

DATUS

PROTESTANTIBUS.

Sacrosancta et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, omnibus et singulis, sive ecclesiasticis sive saecularibus personis universae Germaniae, cuiuscunque gradus, status, conditionis et qualitatis sint, quae ad oecumenicum hoc et generale concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quae in ipsa synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere et tractare, ac ad ipsum oecumenicum concilium libere et tuto venire et in eo manere et commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto quam verbo offerre, proponere, et cum Patribus sive iis, qui ab ipsa sancta synodo delecti fuerint, conferre et absque ullis conviciis et contumeliis disputare, necnon, quando illis placuerit, recedere possint et valeant, publicam fidem et plenam securitatem, quam salvum conductum appellant, cum omnibus et singulis clausulis et decretis necessariis et opportunis, etiamsi specialiter et non per verba generalia exprimi deberent, quae pro expressis haberi voluit, quantum

ad ipsam S. synodum spectat, concedit. Placuit praeterea sanctae synodo, ut, si pro maiori libertate ac securitate eorum certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis iudices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiamsi delicta ipsa quantumcunque enormia ac haeresim sapientia fuerint.

SESSIO XIV.

QUAE EST QUARTA

SUB IULIO III., PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XXV. NOVEMBRIS MDLI.

DOCTRINA DE SANCTISSIMIS POENITENTIAE ET EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, quamvis in decreto de iustificatione [1]) multus fuerit de poenitentiae sacramento propter locorum cognationem necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostra hac aetate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo exactiorem et pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis et convulsis Spiritus sancti praesidio universis erroribus, catholica veritas perspicua et illustris fieret; quam nunc sancta haec synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

[1]) supr. Sess. VI. de iustific. 14.

C. I. *De necessitate et institutione sacramenti poenitentiae.*

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum [1]) ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia [2]), cognovit figmentum nostrum [3]), illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit [4]) quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait [5]): *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit [6]): *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis poenitentiam commendans dicebat [7]): *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius

cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens [8]): *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes [9]), magna ratione ecclesia catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium annunciandi contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

[1]) cf. infr. de poen. c. 5. — [2]) Ephes. II. 4. — [3]) Psal. CII. 14. — [4]) supr. Sess. VI. de iustific. c. 14. — [5]) Ezech. XVIII. 30. — [6]) Luc. XIII. 5. — [7]) Act. II. 38. — [8]) Ioan. XX. 22. seq. — cf. infra de poen. can. 3. — [9]) Euseb. Hist. eccl. VI. 8.

C. II. *De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi.*

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur [1]). Nam praeterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus [2]), *de iis, qui foris sunt, iudicare?* Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit [3]). Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari. Alius praeterea est baptismi, et alius poenitentiae fructus. Per baptismum enim Christum induentes [4]) nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus [5]) a sanctis Patribus dicta fuerit. Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

[1]) cf. infra de poen. can. 8. et supr. Sess. VI. de iust. c. 14. — [2]) 1 Cor. V. 12. — [3]) 1 Cor. XII. 13. — [4]) Gal. III. 27. — [5]) cf. Greg. Naz. Or. In sancta lumina (39), Ioan. Damasc. de fide orthodoxa IV. 10.

C. III. *De partibus et fructibus huius sacramenti.*

Docet praeterea sancta synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo etc.*, quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio [1]), confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque

et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur. Sane vero res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu huius sacramenti sancta synodus tradens simul eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt.

[1]) cf. infr. de poen. c. 4. supr. Sess. VI. de iust. c. 14. et inf. can. 8.

C. IV. *De contritione.*

Contritio [1]), quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato [2]) et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud [3]): *Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit: *Tibi* [4]) *soli peccavi, et malum coram te feci. Laboravi* [5]) *in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo* [6]) *tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*, et alios huius generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae [7]) ad Ionae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam ecclesia Dei docuit neque sensit. Sed et falso docent, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

[1]) cf. Sess. XIV. de iust. c. 6. et 14. — [2]) cf. infr. de poen. can. 5. — [3]) Ezech. XVIII. 31. — [4]) Psalm. L. 6. — [5]) Psalm. VI. 7. — [6]) Isa. XXXVIII. 15. — [7]) Ion. III. 5.

C. V. *De confessione.*

Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata universa ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem [1]), et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere, quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit [2]) tanquam praesides et iudices [3]), ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim, sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, nec aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur [4]), oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa [5]), quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Nam venialia [6]), quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quanquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios [7]) et Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quaerere. Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim, nihil aliud in ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus [8]): *Ab occultis meis munda me, Domine.* Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica

essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque a Patribus [9]) in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur; neque enim per Lateranense concilium ecclesia statuit [10]), ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde iam in universa ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec sancta synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum.

[1]) Luc. V. 14. XVII. 14., Iac. V. 14., 1 Ioan. I. 9. — [2]) Matth. XVI. 19., Ioan. XX. 23. — [3]) cf. c. 51. D. I. de poen. (Ambros.) — [4]) cf. infr. de poen. can. 7. — [5]) Deut. V. 21. — [6]) cf. supr. Sess. VI. can. 23. — c. 20. D. III. de poen. (Aug.) — [7]) Ephes. II. 3. — [8]) Psalm. XVIII. 13. — [9]) cf. infr. de poen. c. 8. et 14. — [10]) c. 12. X. de poenit. V. 38.

C. VI. *De ministro huius sacramenti et absolutione.*

Circa ministrum autem huius sacramenti declarat sancta synodus, falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines [1]) praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini [2]): *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* et [3]): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita fuisse dicta [4]), ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti [5]) in ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis [6]), quo ab ipso velut a iudice sententia pronunciatur. Atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.

[1]) cf. infr. de poen. c. 10. — [2]) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. — [3]) Ioan. XX. 23. — [4]) cf. Sess. VII. de sacr. can. 10. — [5]) cf. c. 8. D. XIX. (Anast. II.) — [6]) cf. infr. de poen. can. 9.

C. VII. *De casuum reservatione.*

Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem [1]). Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere san-

ctissimis Patribus [2]) nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur, unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare [3]). Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt [4]), ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi [5]), in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis [6]), atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

[1]) c. 2. de poenit. in VIto V. 10. (Bonif. VIII.) — [2]) cf. e. gr. c. 52. C. XVI. qu. 1. (Greg. I.), c. 29. C. XVII. qu. 4. (conc. Lat. II.) et al. — [3]) cf. e. gr. c. 2. 29. C. XVII. qu. 4. (conc. Lat. II.), c. 1. 3. X. de sent. exc. V. 39. (Alex. III.), c. 19. 22. 24. ib. (Clem. III.), c. 32. ib. (Innoc. III.), c. 11. h. t. in VIto V. 11. (Greg. X.), c. 18. ib. (Bonif. VIII.), c. 1. h. t. in Extr. comm. V. 10. (Bonif. VIII. et al. — [4]) Rom. XIII. 1. — [5]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 6. — [6]) cf. c. 5. de poenis in VIto V. 9. (Bonif. VIII.), Clem. 3. h. t. V. 8. (Clem. V.), c. 1. de privil. in Extr. comm. V. 7. (Bened. XI.)

C. VIII. *De satisfactionis necessitate et fructu.*

Demum quoad satisfactionem, quae ex omnibus poenitentiae partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra aetate summo pietatis praetextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt, sancta synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti [1]), quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur [2]), quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare [3]) et Spiritum sanctum contristare non formidaverint [4]). Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et contumeliosi Spiritui sancto [5]) in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae [6]). Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae [7]) opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit [8]), ex quo omnis nostra sufficientia est [9]), conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham ha-

bentes, quod, si compatimur [10]), et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus [11]). Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est [12]), in quo vivimus [13]), in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae [14]), qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas [15]) etiam antiqui Patres et credunt et docent. Nec propterea existimarunt, sacramentum poenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex huiusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Iesu Christi vel obscurari [16]), vel aliqua ex parte imminui; quod dum novatores intelligere volunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

[1]) cf. Sess. VI. c. 14. et c. 30. de iustif. ib. et huius Sess. de poen. can. 12. — [2]) cf. Gen. III. 16. seqq., 2. Reg. XII. 13. seq., Num. XII. 14. seq. XX. 11. seq. — [3]) 1. Cor. III. 17. — [4]) Ephes. IV. 30. — [5]) Hebr. X. 29. — [6]) Rom. II. 5., Iac. V. 3. — [7]) cf. Matth. III. 2. et 8. IV. 17. XI. 21. et al. — [8]) Rom. V. 10., 1. Ioan. II. 1. seq. — [9]) 2. Cor. III. 5. — [10]) Rom. VIII. 17. — [11]) 2. Cor. III. 5., Phil. IV. 13. — [12]) 1. Cor. I. 31., 2. Cor. X. 17., Gal. VI. 14. — [13]) Act. XVII. 28. — [14]) Matth. III. 8., Luc. III. 8. — [15]) Matth. XVI. 19., Ioan. XX. 23., cf. supr. c. 1. et infra ead. de poen. can. 3. et 15. — [16]) cf. infr. l. c. can. 14.

C. IX. *De operibus satisfactionis.*

Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Visum est autem sanctae synodo, precedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat [1]) et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum [2]), quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat [3]) et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius

ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos [4]), quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.

[1]) cf. infr. de sacr. extr. unct. can. 1. — [2]) Ephes. VI. 10. seqq. — [3]) 1. Petr. V. 8. — [4]) cf. infr. c. 2. extr.

C. I. *De institutione sacramenti extremae unctionis.*

Instituta est autem haec sacra unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum novi testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum [1]), per Iacobum autem Apostolum [2]) ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; formam deinde esse illa verba: *Per istam unctionem etc.*

[1]) Marc. VI. 13. — [2]) Iac. V. 14. seq.

C. II. *De effectu huius sacramenti.*

Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur [1]): *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim haec gratia est Spiritus sancti [2]), cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis [3]) calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.

[1]) Iac. V. 15. — [2]) cf. infr. de sacr. extr. unct. can. 2. — [3]) Gen. III. 15.

C. III. *De ministro huius sacramenti, et tempore, quo dari debeat.*

Iam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere, et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum. Nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti ministros esse ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes [1]) ab ipsis rite ordinati [2]) per impositionem manuum presbyteri. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent [3]), hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habentem; et qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana ecclesia in huius sacramenti administratione observat, Iacobi Apostoli sententiae repugnare [4]), atque ideo in

alium commutandum esse; et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quae huius sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Iacobus praescripsit. Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset.

Haec sunt, quae de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis sancta haec oecumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

[1]) c. 3. D. XCV. (Innoc. I.) cf. infr. 1. c. can. 4. — [2]) 1. Tim. IV. 14. — [3]) Iac. V. 14. seq. — [4]) cf. infr. 1. c. can. 3.

DE SANCTISSIMO POENITENTIAE SACRAMENTO.

Can. I. Si quis dixerit [1]), in catholica ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.

Can. II. Si quis sacramenta confundens [2]), ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari [3]): anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum* [4]); *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium: anathema sit.

Can. IV. Si quis negaverit [5]), ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit [6]), eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae [7]), ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium: anathema sit.

Can. VI. Si quis negaverit [8]), confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et

observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit [9]), in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta [10]), et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit [11]), confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni concilii Lateranensis constitutionem [12]) semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit [13]), absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit [14]), sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum [15]): *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*; et [16]): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit [17]), episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit [18]), totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit [19]), pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit [20]), satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

CAN. XV. Si quis dixerit [21]), claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporal plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.

[1]) cf. supr. de poen. c. 1. — [2]) cf. cap. cit. — [3]) cf. c. 72. D. I. de poen. — [4]) Matth. XVI. 19., Ioan. XX. 23. seq. — cf. Sess. VI. de iustif. c. 14. et hui. sess. c. 1. de poen. — [5]) cf. supra de poen. c. 3. — [6]) cf. ib. c. 4. — [7]) Isa. XXXVIII. 15. — [8]) cf. supr. de poen. c. 5. — [9]) cf. cap. cit. — [10]) Deut. V. 21. — [11]) cf. supr. de poen. c. 5. — [12]) c. 12. X. de poen. V. 38. « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quispiam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare.» — [13]) cf. supr. de poen. c. 6. extr. — [14]) cf. c. 5. 6. ib. — [15]) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. — [16]) Ioan. XX. 23. — [17]) cf. supr. de poen. c. 7. — [18]) cf. ib. c. 8. — [19]) cf. ib. c. 8. seq. — [20]) cf. ib. c. 8. — [21]) cf. ib. c. 1. extr. et c. 8. extr.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Praelatos saeculares, episcopis inferiores, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem in loco et nulli dioecesano nec ipsi nec eorum subditi subsunt, habere facultatem sibi reservandi casus S. C. censuit in *Salernit.* 1584. et *Marsicana* 1587. Ex l. IV. Decr. p. 36. 250. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. V. 4.

2. Facultatem relaxandi peccata episcopo reservatam canonicum poenitentiarium non sola muneris assecutione nancisci, sed opus esse speciali episcopi concessione, S. C. censuit in *Fossanen.* 5. Dec. 1637. (rel. XXX. 292.)

3. Proposito dubio, an episcopus cogere possit canonicum poenitentiarium ad acceptandam delegationem facultatis absolvendi poenitentes a casibus reservatis? S. C. resp. *affirmative* et *amplius*, in *Pisauren.* 21. Nov. 1761.

4. Absolvere qui potest ab omnibus casibus sedi ap. reservatis, non ideo potest absolvere a casibus episcopis reservatis. *Andrien.* 29. Nov. 1710. et 14. Jan. 1711.

5. Regularibus ex facultatibus per Mare magnum aliave privilegia eis concessa factam non esse potestatem absolvendi in casibus ab episcopo sibi reservatis, S. C. interrogante S. Carolo Borromaeo, approbante Gregorio XIII. censuit d. 10. Sept. 1572. Rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. V. 5.

6. I. Confessarii regulares non possunt saeculares absolvere extra mortis periculum a casibus ordinario reservatis.

II. Confessarii monialium exemptarum et praelatis regularium subiectarum easdem etiam extra mortis periculum absolvere possunt a casibus episcopis reservatis praeterquam a casibus ab episcopis reservatis in materia clare spectante ad iurisdictionem delegatam.

III. Absolvere nequit confessarius regularis saecularem extra mortis periculum, si sit complex criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum patrati et hic casus ab episcopo sibi sit reservatus.

IV. Absolvere potest confessarius regularis monialium exemptarum monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, si non fuerit violata clausura, etiamsi ordinarius generaliter sibi reservaverit casum complicitatis criminis a parte confessarii. Ita S. C. in *Colonien.* 16. Nov. 1720.

7. Cum vicarius generalis Tridentinus rogasset regulares oppidi Bulganensis, ut sibi, adiecta ceteroquin severa lege secreti, quam se religiose servaturum promittebat, manifestarent, quaenam in genere essent graviora peccata, quae eo in loco magis communiter committerentur, et regulares vicario morem gerere renuissent, re delata ad S. C. censuit, regulares ad id cogi non posse et monendum vicarium, ut ab eiusmodi interrogationibus abstineret. 19. Aug. 1673. Ex l. XXVIII. Decr. p. 150. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. V. 4.

8. Absolutionem poenitentibus indultam, qui fraudulenter et sub eo fine in aliam dioecesim se transtulerunt, non sustineri S. C. censuit in *Compsana* 16. Sept. 1649. Ex l. XVIII. Decr. p. 677, ap. *Bened.* XIV. l. c. V. 5.

9. Sacerdotes ab ordinario ad audiendas confessiones per dioecesim approbatos posse omnino dioecesanorum confessiones audire absque ulla parochianorum licentia, eosque, qui sic confessi fuerint, nisi aliud obstiterit, esse legitime absolutos, S. C. censuit in *Aretina* 26. Oct. 1631. (rel. III. 141.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Can. I. Si quis dixerit [1]), extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum [2]) et a beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit [3]), sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, extremae unctionis ritum [4]) et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi Apostoli [5]), ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit [6]), presbyteros ecclesiae, quos beatus Iacobus [7]) adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: anathema sit.

[1]) cf. supr. de extr. unct. pr. et c. 1.—[2]) Marc. VI. 13. Iac. V. 14. seq.—[3]) cf. supr. l. c. c. 2.—[4]) cf. ib. c. 3.—[5]) Iac. V. 14. seq.—[6]) cf. supra l. c. c. 3.—[7]) Iac. V. 14.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Prooemium.

Episcoporum munus est, subditos, praesertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.

Cum proprie episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere [1]), hoc illis praecipue cavendum erit, ne clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent [2]), qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quae corripiunt [3])? Monebunt propterea episcopi suos clericos, in quocunque ordine fuerint [4]), ut conversatione, sermone et scientia commisso sibi Dei populo praeeant, memores eius, quod scriptum est [5]): *Sancti estote, quia et ego sanctus sum.* Et iuxta Apostoli vocem nemini [6]) dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum; sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei, ne illud Prophetae dictum impleatur in eis [7]): *Sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem.* Ut autem ipsi episcopi id liberius exsequi, ac quoquam praetextu desuper impediri nequeant, eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legato et nunciis, hos, qui sequuntur, canones statuendos et decernendos duxit.

[1]) cf. c. 13. X. de off. iud. ord. I. 31. (conc. Lat. IV.)—supr. Sess. VI. de ref. c. 3.—[2]) 1. Cor. IX. 27.—[3]) verba Hieronym. in c. 6. D. XXVI.—[4]) cf. Sess. XXII. c. 1. de ref.—[5]) Lev. XI. 44. XIX. 2. XX. 7., 1. Petr. I. 16.—[6]) 2. Cor. VI. 3. seq.—[7]) Ezech. XXII. 26., Sophon. III. 4.

C. I. *Si prohibiti ascendere ad ordines ascendant, si interdicti; si suspensi, puniantur.*

Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates sive honores restitutio suffragetur.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. S. C. censuit, episcopum posse ex causa sibi nota clericum interdicere tam sacrorum exercitio quam ascensu ad altioris ordinis gradum, ut neque teneatur causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum sedi apostolicae, si suspensus ad eam recursum habuerit. *Vercellen.* 21. Mart. 1643. Ex l. XVII. Decr. p. 170. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XII. 8. Itaque suspensionem a divinis ab episcopo Capritano duobus sacerdotibus ex informata tantum conscientia inflictam d. 16. Dec. 1730. sustineri dixit, idemque responsum dedit in *Oritana* 20. Aug. 1735.

2. S. C. interrogata ab episcopo Alerien-si: An verba illa « ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter » expressa duntaxat in prima parte periodi, censeantur repetita in secunda parte, adeo ut inde colligi valeat, praelatum nedum posse ob occultum crimen extraiudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad ordines, sed itidem ob occultum crimen posse etiam extraiudicialiter illum suspendere ab ordinibus iam susceptis? censuit, non recedendum ab antiquis declarationibus, super hoc eodem dubio pluries datis, ac proinde *affirmative* respondit. 24. Nov. 1654. Ex l. XXI. Decr. p. 134. rel. a *Bened.* XIV. ib.

3. S. C. rescr. ad archiepisc. Remensem: « Cum nullus ordinari debeat, quem episcopus suae ecclesiae utilem aut necessarium non iudicaverit, Congr. non semel declaravit, ab huiusmodi iudicio nullam dari appellationem, sed recursum tantum ad sedem apost., quae iuxta ipsius Congr. sententiam per Gregorium XIII. fel. rec. approbatam, quotiescunque ordinarius recusaverit aliquem ordinare, metropolitano aut viciniori episcopo committit, ut ab eodem ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eundem recusatum ordinare. Itaque si qui ex dioecesanis episcoporum Emin. V. provincialium sedem apostolicam adiverint, iuxta praenarratam formulam eorum querimoniis consuletur, cui formulae ut unum in praesens addatur, censuerunt Emin. PP. videlicet, ut metropolitanus aut vicinior episcopus, antequam commissas sibi partes exsequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos episcopos per tres vices suppliciter petant. « 21. Apr. 1668. Ex l. XVIII. lit. vis. sacr. lim. p. 401. ap. *Bened.* XIV. ib.

C. II. *Si episcopus quoscunque ordines contulerit sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii praelati consensu, uterque decretae poenae subiaceat.*

Et quoniam nonnulli episcopi ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes et populo Christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves [1]) inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam synodum se pontificalia officia in alterius dioecesi, nisi de loci ordinarii expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum exercere prohibitos vident, in legis fraudem et contemptum quasi episcopalem cathedram in loco nullius dioecesis sua temeritate eligunt, et quoscunque ad se venientes, etiam si suorum episcoporum seu praelatorum litteras commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, et ad sacros etiam presbyteratus ordines promovere praesumunt, quo plerumque fit, ut minus idonei, et rudes ac ignari, et qui a suo

episcopo tanquam inhabiles et indigni reiecti fuerint, ordinati nec divina officia peragere, nec ecclesiastica sacramenta recte valeant ministrare: nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis [2]) ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

[1]) cf. infr. de ref. c. 8. et Sess. VI. de reform. c. 5. — [2]) cf. Sess. VI. de ref. c. 5. Sess. XXIII. de ref. c. 3. 8. 10. cum declar. et resol.

C. III. *Episcopus suos clericos ab alio male promotos suspendere potest, si minus idoneos repererit.*

Episcopus quoscunque suos clericos [1]), praesertim in sacris constitutos, absque suo praecedenti examine et commendatitiis litteris quacunque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, et illis, ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

[1]) cf. cap. prox. antec. et Sess. XXIII. de ref. c. 8. cum declar. et resol.

C. IV. *Nullus clericus eximatur a correctione episcopi, etiam extra visitationem.*

Omnes ecclesiarum praelati [1]), qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, et a quibus nullus clericus per huius sanctae synodi statuta cuiusvis privilegii praetextu tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit, si in ecclesiis suis resederint, quoscunque saeculares clericos, qualitercunque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi facultatem habeant [2]): quibuscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae suos tantum obligent auctores, ipsis clericis, ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, et aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus.

[1]) supra de ref. in pr. et Sess. VI. de ref. c. 3. — cf. c. 13. X. de off. iud. ord. I. 31. (conc. Lat. IV.) — [2]) cf. Sess. VI. de ref. c. 4. et Sess. XXIV. de ref. c. 5.

C. V. *Conservatorum iurisdictio certis finibus concluditur.*

Insuper, cum nonnulli, qui sub praetextu, quod super bonis et rebus ac iuribus suis diversae eis iniuriae ac molestiae inferantur, certos iudices per litteras conservatorias deputari obtinent, qui illos a molestiis et iniuriis huiusmodi tueantur ac defendant, et in possessione seu quasi bonorum, rerum ac iurium suorum manu teneant et conservent, neque super illis eos molestari permittant, eiusmodi litteras in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant: idcirco nemini omnino, cuiuscunque dignitatis et conditionis sit, etiam si capitulum fuerit, conservatoriae litterae, cum quibuscunque

clausulis aut decretis, et quorumcunque iudicum deputatione, quocunque etiam alio praetextu aut colore concessae, suffragentur ad hoc, ut coram suo episcopo sive alio superiore ordinario in criminalibus et mixtis causis accusari et conveniri, ac contra eum inquiri et procedi non possit, aut quo minus, si qua iura ei ex concessione competierint, super illis libere valeat apud iudicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor exstiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minime liceat. Quod si in iis causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos iudices, conservatorem et ordinarium, controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus vero eius, qui huiusmodi litteris conservatoriis tueri se solent, nihil illae prosint, praeterquam duobus duntaxat, si tamen illi propriis eius sumptibus vixerint. Nemo etiam similium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque conservatoribus iudicibus ullum habere tribunal erectum. In causis vero mercedum aut miserabilium personarum huius sanctae synodi super hoc decretum [1]) in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium, et regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum et hospitalium huiusmodi personae in praesenti canone minime comprehensae, sed exemptae omnino sint et esse intelligantur.

[1]) cf. Sess. VII. c. 14. de ref.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In constitutione de conservatoribus edita a s. m. Gregorio XV. ex sententia S. Congr. Concilii (20. Sept. 1621., Bull. Rom. T. V. P. IV.) inter cetera statutum est, ut coram conservatoribus regulares quidem conveniri aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint, ita ut memorati conservatores in causis, in quibus regulares et alii actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei exstiterint. Dubitatur nunc, an per haec verba sublata sit facultas, quam habent conservatores, defendendi regulares et alios a manifestis iniuriis et violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus deiiciuntur et propriis bonis uti ac frui impediuntur. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. censuit, eiusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent conservatores defendendi regulares a manifestis iniuriis ac violentiis, dummodo observent formam praescriptam in const. Innocentii IV. et Bonifacii VIII. relatis in c. 1. et in fine de off. deleg. in VI. (Bull. Rom. l. c. p. 387.)

2. Cum inter Ioannem Palafox episc. *Angelopolitanum* et fratres Soc. Iesu con-

troversiae essent exortae, lis ea peculiari Congregationi examinanda commissa est, in qua propositae ab utraque parte et resolutae a Congregatione sunt quaestiones, quae sequuntur.

—

I. An in casu, quo episcopus praecipiat decreta aliqua Conc. Trid. a regularibus observari et exsecutioni demandari, regulares quicunque, etiam Soc. Iesu, sub praetextu quod huiusmodi praecepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? Congr. resp.: si episcopus praecipiat regularibus, etiam Soc. Iesu, ut decreta aliqua conc. Trid. observent ac exsequantur in illis casibus, in quibus per ipsum concilium vel constitutiones apost. regulares exempti subiiciuntur iurisdictioni et correctioni episcopi, minime licere ipsis regularibus ob eam causam conservatores eligere.

II. An quando ordinarius procedit iuris ordine servato adversus regulares praedictos in casibus, in quibus per conc. Trid. vel constitutiones apost. ipsi subiiciuntur, possint conserva-

tores iudices assignare? Resp., ut ad proximum, non posse.

III. An regularibus, etiam Soc. Iesu, asserentibus se habere privilegia, quominus episcopo obediant in exsecutione decretorum conc. Trid. et constitutionum apost., ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione huiusmodi privilegiorum? Resp. ordinarios debere huiusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.

IV. An in casu, in quo regulares quicunque, etiam Soc. Iesu, exhibeant aliqua privilegia, et ordinarii iudicent, ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, regulares praefati possint et debeant provocare ad S. Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad metropolitanum, sive ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere iudices conservatores? Resp.: si verba privilegiorum sint ambigua et obscura, non licere recurrere ad metropolitanum vel viciniorem episcopum, nec conservatores eligere, sed S. Pont. pro declaratione esse adeundum.

V. Utrum const. fel. rec. Gregorii XV. circa conservatores regularium publ. a. 1621. cum declarationibus Emin. S. Congr. Conc. Trid. Interpr. desuper editis aeque afficiat et comprehendat regulares Soc. Iesu ac reliquos regulares, ita ut omnia alia praedictae Soc. privilegia fuerint redacta ad terminos dictae constitutionis, et sic in posterum debeant ab iis eligi conservatores iuxta formam et tenorem praedictae constitutionis? S. C. resp.: huiusmodi constitutionem cum declarationibus, ut praetenditur, editis aeque afficere religiosos Soc. Iesu atque aliorum ordinum, et conservatores ad illius praescriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quae omnia sunt redacta ad terminos ipsius constitutionis.

VI. An regulares praedicti gravati aere alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum exsecutores, possint conveniri coram ordinario, si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab ordinario praescriptum? Resp.: regulares in causis praefatis coram ordinario loci esse conveniendos, si ad praescriptum const. s. m. Gregorii XV. conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra praefinitum tempus in actis curiae ipsius ordinarii non exhibuerint ac dimiserint.

VII. An dicti regulares, conservatores sive ad iura sive ad privilegia assumentes, teneantur ante exercitium commissionis praestare cautionem coram ordinario sive alio iudice competente de iudicio sisti et iudicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? Resp., non teneri.

VIII. An quando episcopi iura vel decimas cathedralium adversus regulares praedictos dote sua spoliantes ecclesias coram iudice competente tuentur, librosque, memorialia et allegationes producunt ius ecclesiarum cathedr. exprimentes, et acquisitiones religiosorum aliaque id generis adnumerantes, huiusmodi scriptorum occasione possint regulares nominare conservatores praetendentes iniuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Resp.: si episcopi pro tuendis iuribus cathedr. eccl. coram iudice competente huiusmodi scripta producant, et regularium immoderatas acquisitiones veraciter et modeste referant, non licere regularibus eam ob causam ad conservatores recurrere.

IX. An conservatores, nominati et electi a regularibus praedictis, ante exercitium suae iurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram ordinario sub poena nullitatis actuum? Resp., utique teneri.

Contra vero ex parte Soc. Iesu quaesitum est VII. An facultas eligendi conservatores concessa Societati a Greg. XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt iudices synodales? Resp.: ubi non adsunt iudices synodales, privilegium Greg. XIII. non suffragari quoad hoc, ut Soc. non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma const. Greg. XV. hac de re editae. VIII. An conservatores Soc. vicarios generales episcoporum auctoritate apostolica per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas compellere possint virtute bullae Gregor. XV. incip. *Aequum reputamus*, dat. ult. Febr. 1573? Resp.: posse a manifestis iniuriis et violentiis eos compescere, etiam censuris et poenis ecclesiasticis. Dat. Rom. 16. Apr. 1648.; confirm. ab Innoc. X. 14. Maii 1653. (Bull. Rom. T. VI. P. III)

3. Iudex conservator non potest cogno-

scere causas criminales aut mixtas aut civiles, quae iudicialem indaginem requirunt, sed eas solum, in quibus agitur de manifestis iniuriis aut violentiis (ad terminos cap. fin. de off. del. in VIto); nec potest erigere tribunal pro cognitione dictarum causarum et deputare officiales et ministros, sed solum notarium. Ita resol. fuit in congreg. particulari deputata. *Auxim.* 22. Maii 1720. Eandem, quoad primam partem, sententiam S. C. secuta fuerat in resol. 20. Jul. 1657., *Papien.* 30. Maii 1680. rel. ib.

4. Conservatores erigere non possunt tribunal, nec proprios assumere ministros, excepto solo notario. *Faventina* 17. Sept. 1667. Dub. general. de conservat. 28. Jan. 1679. (alleg. II. 275.)

5. Conservator collegii Soc. Iesu potest procedere tantum in casibus manifestae violentiae et iniuriae et quando Patres sunt rei. Lite aliqua coram ordinario introducta cum consensu eorum, vel post eum, iis non licet convolare ad iudicem conservatorem, cuius neque inhibitio in casu litis hoc modo iam introductae, si quae fiat ordinario et parti, neque successiva decreta annullativa actorum ab ordinario post dictam inhibitionem factorum sunt attendenda. *Ianuen.* 20. Febr. 1723.

6. S. C. censuit, denegandam esse facultatem ab universo dioec. Pampilonensis clero petitam, assumendi et eligendi personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro observantia privilegiorum in tribus constitutionibus apostolicis contentorum. Primum enim « exorbitantia quaedam et ordinariae auctoritati nimis praeiudicialis visa est consistere in hoc, quod clerus universus suum haberet conservatorem, licet cum facultate ad memorata tria brevia apost. restricta ». Deinde, cum in editione brevium non designati fuerint conservatores, « novum atque insolitum visum est, quod ex post iidem deputentur. » Demum reiectae sunt preces, quia in hypothesi, in qua disputationes oriantur et controversiae vel circa intelligentiam vel circa exsecutionem brevium, possit clerus adire tribunal Nuncii apost. et instare pro iustitia ». *Pampilonen.* 31. Jul. et 28. Aug. 1723.

—

C. VI. *Poena decernitur in clericos, qui in sacris constituti aut beneficia possidentes ordini suo congruente veste non utuntur.*

Quia vero, etsi habitus [1]) non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcunque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postea, quam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V. in concilio Viennensi editam, quae incipit [2]): *Quoniam*, innovando et ampliando.

[1]) verba Innoc. III. in c. 13. X. de regular. III. 31. — [2]) Clem. 2. de vit. et hon. cler. III. 1.: « Quoniam qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumere, et in publico portare rationabili causa cessante praesumit, professorum illius ordinis praerogativa se reddit indignum, praesenti constitutione sancimus, quod quicunque clericus virgata vel partita veste publice utetur, (nisi causa rationabilis subsit), si beneficiatus exstiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinet, sit eo ipso suspensus; si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Idem quoque censemus de clericis aliis, vestem talarem simul et tonsuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, personatum seu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non ceteri in sacerdotio constituti, ac religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si (praeterquam ex causa rationabili) publice vestem ferant huiusmodi, aut infulam seu pileum lineum publice portent in capite, sint eo ipso, beneficiali videlicet, a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinent, suspensi per annum. Ceteri

vero sacerdotes et religiosi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcunque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Sed et tales et ceteri quicunque clerici utentes epitogio seu tabardo foderato usque ad oram, et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur, epitogium ipsum saeculares clerici et religiosi administrationem habentes teneantur intra mensem dare pauperibus; ceteri vero religiosi administrationem non habentes intra idem tempus illud teneantur suis superioribus assignare, in pios usus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati suspensionis, ceteri vero inhabilitatis poenas praedictas per idem tempus se noverint incurrisse.

Huic insuper adiicimus sanctioni, ut clerici, praesertim beneficiati, caligis soccatis, rubeis aut viridibus publice non utantur. »

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Prolato edicto ab episcopo occasione visitationis a. 1707., ut ecclesiastici omnes tam in ingressu in ecclesiam quam in egressu, et in exercitio ordinum aliisque sacris functionibus habitum talarem deferrent, maioribus poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, minoribus poena denegationis sacrorum ordinum et beneficiorum, et interdicti ab ingressu ecclesiae iniuncta, dubium motum est, an hoc edictum ferri possit. S. C. censuit valere, moderatis tamen poenis arbitrio cardinalis Praefecti, qui inobedientibus iniungendam esse suasit quinque librarum cerae mulctam, et in subsidium suspensionis et interdicti ferendae sententiae respective. *Ruben.* 18. Aug. 1708. (IX. 153. P. II.)

2. Cum episcopus Spoletanus mandasset, ut clerici omnes in divinis officiis, sacris functionibus et missarum celebratione non brevi veste, sed talari deinceps uterentur, reclamarunt sacerdotes comitatus Nursiae aliique propterea, quod in ipsorum regionibus montuosis viae essent asperiores et difficiliores. S. C. statuit, validum etiam eorum ratione esse edictum, et *ad mentem. Spolet.* 28. Jan. 1764.

3. Proposito dubio, an milites professi ord. Hierosol. ex apostolica dispensatione possidentes pensiones et beneficia ecclesiastica saecularia possint illa retinere etiamsi non incedant in habitu et tonsura, dummodo gestent insignia proprii ordinis? S. C. resp. *affirmative. Melevit.* 26. Febr. 1763.

C. VII. *Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi.*

Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat [x]), qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium, et beneficia quaecunque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa metropolitano seu viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

x) Exod. XXI. 14., relat. in c. 1. X. de hom. V. 12.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Sacerdotes homicidas etiam voluntarios ad sacrum faciendum restitui solere constat, si recens non sit delicti memoria, signa emendationis ediderint, absolutionem criminis a fisco obtinuerint et partis compositio accedat, episcopus denique imploratae restitutioni suffragetur. Quam regulam secuta est S. C. in *Anglonen.* 25. Jan. 1794., *Maceraten.* 28. Febr. 1795. et saepius.

—

2. Quidam in decimo quinto aetatis anno constitutus cum alio iuvene ludens eum parvo cultro percussit, ex cuius vulneris causa vulneratus intra quadraginta dies mortuus est. Delictum neque fuit notorium neque unquam ad forum contentiosum deductum. Cum percussor post 18. annos ordinibus vellet initiari, episcopo petenti sensum S. Congregat., haec respondit, ordinarium in irregularitate ex hoc homicidio contracta dispensare non posse, cuius sententiae ita causa refertur: « Homicidium voluntarium est non solum, quando occidens explicite vult occidere, sed etiam quando eius voluntas tendit in eum actum,

ex quo per se ac immediate mors sequitur, non per accidens, uti contingit in eo, qui alium percutit, volens ei iniuriam irrogare, sed non occidere ; si enim ex percussione mors sequatur, dicitur homicida voluntarius, cum voluntas percutientis feratur in percussionem , et in omne id quod immediate fuit secutum. « *Papien.* 21. Maii 1718.

3. Homicidium cum patratum fuisset ad tuendam propriam vitam, sed cum excessu moderaminis inculpatae tutelae, homicidam esse irregularem , neque posse , quamvis absolutum ab ordinario , concurrere ad dignitates et beneficia ecclesiastica absque dispensatione apost. , sed esse dispensandum (praevia dispensatione apost. ratione ordinis) quoad beneficia et dignitates, resp. S. C. in *Elboren.* 16. Mart. 1737.

4. Irregularis non est, qui, licet a iudice laico uti homicidii particeps condemnatus fuerit , a S. Congr. fuit innocens declaratus. *Hispal.* 25. Jan. 1726.

5. Clericum , qui furem balista ignea persequens occiderat, quamvis ignoraretur consultone id factum fuerit necne, dispensandum non esse , resp. S. C. in *Ferentina* 19. Dec. 1801.

6. Sacerdos ad exsequendam sententiam in foro laicali contra debitorem reportatam cum ministris laicis ad debitorem se contulit. Qui cum exsecutionis impediendae gratia securi in sacerdotem erecta irrueret, neque ipsius atque uxoris sororisque precibus flecti posset , sacerdos propriae vitae consulens sclopo, quem parvis globulis onustum venandi causa portabat, eum percussit, ita ut moreretur; S. C. censuit eum irregularem quidem esse , sed dignum dispensatione. *Murana* 12. Mart. 1763.

7. Sacerdos quidam anno 1716. furem nocturnum in domus suae horreo absconditum, postquam ille lumen allatum ab ancilla exstinxerat , sclopo exploso occidit. S. C. cum perpenderet , sacerdotem aut tacendo aut se non movendo aut fugiendo sibi vitaeque suae absque sclopi explosione cavere potuisse, perpensa quoque temporis brevitate, cum iuxta disciplinam receptam modicum aliquod tempus praeterlapsum esse debeat , licet non agatur de promovendo, sed de promoto: constare censuit de irregularitate nec locum esse dispensationi. *Casalen.* 24. Sept. 1718.

8. Homo quidam ab altero, propter veterem , quae inter ipsorum familias erat , inimicitiam erat interfectus. Sacerdos occisi frater, cum interfectorem advenientem e fenestra videret , et mortis , quam coniurati inimici universae eius familiae inferre nitebantur , periculum timeret , dolore excitatus fratris occisi sclopo arrepto eum interfecit. Moderamen inculpatae tutelae eum non servasse non negabatur. Cum tamen concurrerent ab adversario facta provocatio, mortis timor, vitae ante et post homicidium actae optima ratio , lenis animus, carceris poena per quadriennium passa, compositio alteri parti et fisco praestita, sexennium denique a crimine patrato praeterlapsum , et episcopi commendatio , S. C. censuit eum absolvendum esse ab irregularitate. *Frequent.* 6. Aug. 1808.

9. Frater , contendens a fratre sacerdote sibi pecuniam deberi, non solum iniuriis eum affecit, in facie percussit et ad terram deiecit, sed mortem quoque ei, nisi solveret , comminatus est. Accurrentibus aliis consanguineis ereptus est ex eius manibus sacerdos et in cubiculum cum matre se recepit. Frater vero illum sequens quominus effugeret , arripuit eum violenter et una manu eius genitalia comprimens altera ad crumenam extensa pecuniam surripere tentavit. Sacerdos cum frustra eum exorasset et pro auxilio clamasset, e genitalium compressione se moriturum esse sentiens, ut mortem evitaret, cultrum domesticum in mensa contigua positum arripuit, et in ventrem fratris iniecit, qui statim in terram corruens paulo post exspiravit. S. C. censuit dispensandum esse sacerdotem ad cautelam. *Papien.* 18. Maii 1726.

10. Irregularem esse sacerdotem , qui , fratrem ob controversiam quandam super nonnullorum bonorum mobilium divisione exortam maxima iracundia corripi videns, illum complexus cultro (non quidem data opera, sed casu, sicut ipse constanter semper asseruit) ita vulneravit, ut paucas post horas, confessus tamen et extrema unctione inunctus ex hac vita migraverit, dispensationemque quoad ordines et beneficia denegandam, censuit S. C. in *Vicentina* 19. Apr. 1738.

11. Antonius clericus , post nonnullorum verborum cum Michaele fratre habitam contentionem , fratrem , qui arrepto baculo rixam ioco coeptam prosequebatur, ense in costa vulneravit, quo facto hora vix transacta frater syncope correptus decessit. S. C., licet medici mortis non leve illud vulnus , sed stomachi morbum , quo Michael angi solebat, causam fuisse sensissent , tamen Antonium irregularitatem contraxisse iudicavit. Cum vero communiter existimaretur , rixam iocosam fuisse , et esset propter dioeceseos amplitudinem penuria sacerdotum, homini propter vitam

et mores ab episcopo commendato censuit impertiendam esse dispensationem, ut ad sacros ordines admitti posset. *Guatimal.* 14. Maii 1729., 22. Mart. 1732.

12. S. C. proposito: Utrum is, qui gravibus ab aliquo affectus iniuriis famulo mandavit, ut illi in facie vulnus leve caesim infligeret, inhibuitque ne illum interficeret, si mandatarius fines istos excedens pluribus mortiferis vulneribus ei mortem intulerit, censeatur incidisse in irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, adeo ut omni spe dispensationis ad praescriptum decreti Conc. c. 7. Sess. XIV. perpetuo carere debeat? censuit, incidisse in irregularitatem, sed non eam, quae provenit ex homicidio voluntario, ac propterea oratorem decreto Concilii non excludi a spe dispensationis, imo perpensis eius qualitatibus dignum esse dispensatione, atque ita referendum Sanctitati suae. *Alben.* 7. Sept. 1604. (alleg. XXXII. 112.)

13. Clericum, qui consuluit, ut honor defenderetur sanguine, secuta de facto occisione, irregularem esse S. C. censuit 15. Dec. 1674. (alleg. XLI. 29.)

14. Irregularem esse eum, qui causam dederit rixae, ex qua secutum fuerit homicidium, declaravit dispensationemque denegavit S. C. in *Caputaquen.* die 24. Martii 1725.

15. Postquam clerico, qui socius adfuerat homini aliquem occidenti, post poenam civilem peractam concessum erat breve dispensationis ad cautelam, ut ad sacros ordines promoveri posset, eum non simplicem socium, sed auxiliatorem fuisse apparuit. Itaque breve illud non esse exsecutioni mandandum, S. C. censuit. *Compostellan.* 4. Maii 1743.

16. Clericus quidam bello italico copias secutus fuit atque ipse milites hostem aggredi iusserat. Incertus erat, num ipse in aestu pugnae quendam occidisset; bis vero extra pugnam certaverat atque semel alicui leve vulnus inflixerat. Mores eius cum maxime commendarentur, S. C. censuit esse eum dispensandum ab irregularitate, in *Veronen.* 16. Febr. 1805.

17. Henricus Boffaert in sacro diaconatus ordine constitutus et canonicus eccl. cath. Ipren. alias saeculari militiae nomen dedit ac arma tulit pro servitio regis catholici in Germania inferiori se immiscendo in variis bellicis expeditionibus, in quibus, ut moris est, homicidia, furta, rapinae, incendia aliaque huiusmodi secuta fuerunt, absque eo quod tamen quenquam interfecerit aut mutilaverit, et deinde forsan in suis ordinibus non tamen in contemptum clavium se exercuit. Cupiens autem ad S. presbyteratus ordinem promoveri, supplicem SS. porrexit libellum pro absolutione cum rehabilitatione et dispensatione ad ordines et beneficia, dubitans ne ex causa praemissa aliquam irregularitatem contraxerit. Illoque ad S. C. et ab ista ad episcopum pro informatione remisso, iste de expositorum veritate testatur, et ait, oratorem ex levitate animi praedicta perpetrasse, sed metu irregularitatis incurrendae sclopum semper in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse neminem occidisse, mutilasse aut etiam laesisse, et a tempore, quo arma tulit, nunquam altari ministrasse, nec ullas sui ordinis functiones exercuisse, quod iuramento declaravit coram eodem episcopo. Testatur insuper, illum a tribus annis ad meliorem frugem reversum poenitentiae signa dedisse et ab anno commoratum esse in seminario, in quo etiam de praesenti reperitur, spiritualibus exercitiis ac studiis vacando, proindeque eum petita gratia dignum censet. S. C. postquam oratorem bina vice reiecerat, d. 30. Sept. 1702. resp. *Expectet.* Postea autem cum causa reproponeretur, ad quaestiones: I. an indigeat dispensatione, et quatenus affirmative, II. an sit concedenda in casu? resp. *affirmative* ad utrumque d. 13. Jan. 1703. Ex ipsis actis rel. a *Bened.* XIV. Inst. CI.

18. Homo quidam, cupiens adscribi militiae clericali, petiit et obtinuit a sede apost. dispensationem ab irregularitate, quam incurrerat, ex eo quod militiae saeculari nomen dederat... nemine tamen interfecto aut mutilato. Quia vero occasione, qua ipse erat dux seu officialis subalternus cohortis militum praesidiariorum in quadam arce, habuit in mandatis a suo superiore, ut quosdam insequeretur, qui ad furandum illic advenerant, alteri mandavit officiali, ut haec adimpleret, et hic eos insecutus apprehendit et ad carceres publicos duxit, et capti subinde per iudices damnati fuerunt et ultima supplicii poena affecti; stimulis conscientiae agitatus, dubitat, an dispensatio obtenta sub ea expressione, quod neminem occiderit aut mutilaverit, sibi prodesse possit. S. C. censuit, dispensationem ei suffragari non posse. *Bisuntina* 22. Apr. 1719.

19. Diaconus quidam, qui praetoris absentis vicem gerebat, satellites accersivit, ut si quos iuvenes per oppidum vagantes et cantantes noctu invenirent, caperent eos et in carceres traherent. Exorta inde contentione inter ipsos satellites et eos quos

vagantes invenerant, unus cultro leviter vulneratus est, alter vero occubuit. Cum itaque quaereretur, an constet de irregularitate in casu, et an sit locus dispensationi? S. C. ad utrumque resp. *affirmative*. *Terracinen.* 10. Mai. 1766.

20. Scribas scribentes processus, quorum vi rei ad ultimum supplicium damnati fuerunt, irregulares esse, S. C. censuit 19. Jan. 1687. (alleg. XLI. 29.)

21. Ad capiendum hominem quendam ad triremes in contumaciam condemnatum, territorio varia damna inferentem, magistratus usus erat sacerdote Alberto eius amico, qui sub aliquo praetextu ad aliud oppidum eum traduxit. Cum ad pontem quendam pervenissent, et signo dato satellites ibidem latitantes accurrissent, homo ille, ut eorum manus evaderet, praeceps se proiecit in flumen, in quo nemine opem ferente periit. Proposito itaque dubio S. C. resp., sacerdotem Albertum dispensandum esse super irregularitate ad cautelam. *Albinganen.* 23. Mart. 1697. (rel. XLI. 29.)

22. Sacerdos, in cuius domo puella infantem ex illicito actu susceptum necaverat, ne molestias a curia ecclesiastica pateretur, sollicitus oppidi baronem adiit, habuitque indicata persona et loco confugii delinquentis sermonem, quo facto scelerata femina capta condignaque capitis poena mulctata fuit. S. C. ad dubia: I. an constet de irregularitate, et II. an sit locus dispensationi in casu? resp. esse locum dispensationi ad cautelam. *Senogallien.* 15. Febr. 1772.

23. Sacerdotem, qui puer novem annorum et sex mensium iussu matris venenum emit pro patre interficiendo, qui tamen alia ex causa occubuit, post acceptos usque ad diaconatum ordines, praevia episcopi sententia absolutionis definitiva, dispensandum esse ad cautelam, resp. S. C. in *Alexanen.* 17. Dec. 1740.

24. Sacerdotem, qui, velociter equitans, nullo edito vocis sono, quo circumstantes monerentur, ita praeceps in quendam hominem irruerat, ut is vulneratus quinque diebus post, febri secundum medicorum ac chirurgorum testimonia ex alia causa quam vulneribus accedente, mortuus sit, ad cautelam esse dispensandum, resp. in *Montis Falisci* 26. Maii 1639. (IX. 55. P. I.)

25. Cum de mandato curiae episcopalis transmissi fuissent satellites pro captura sacerdotis cuiusdam, hic certioratus, ut se in tuto poneret, circa secundam noctis horam exiit de domo, sclopo venatoris armatus, iniungens cuidam villico, ne de domo discederet. Cum ad plateam pervenisset, animadvertit, se continuo fuisse a dicto villico associatum, cumque obvios ibidem etiam haberet satellites, ne carceraretur, sclopum explosit adversus eos, absque tamen alicuius offensa; unus tamen illorum e converso sclopo exonerato infelicem villicum interfecit. Dispensandum esse sacerdotem ad cautelam S. C. iudicavit. *Assisien.* 9. Febr. 1697. (rel. VI. 238.)

26. Ioannes Baptista Mazziapoti canonicus insignis collegiatae Casciae, cum vidisset in foramine turris campanariae columbum, arrepto sclopo eum interemit, quin tamen deciderit, cum ex vi ictus repulsus fuerit in foramen. Ut illum extraheret rogavit adolescentem fabrum murarium, qui mandato vel precibus annuens spe muneris allectus per funem se dimisit suspensum mortuumque columbum eduxit e foramine et ex alto proiecit. At cum funis qualitatem non explorasset, distracto fune per altitudinem 82. palmorum in terram decidit, unde post biduum ruptis visceribus obiit. Cum itaque dispensationem ab irregularitate petiisset canonicus pace cum defuncti parentibus facta, S. C. ad quaestiones: I. an constet de irregularitate in casu? et quatenus affirmative: II. an sit locus dispensationi in casu? resp. pro dispensatione ad cautelam. *Spoletan.* 22. Jun. 1776.

27. Clericus Palentinus orator alias cum coniugata deprehensus a marito vulnere affectus fuit. Post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte marito superveniente orator aufugerit, sed maritus de fuga animadvertit, quare uxorem interfecit. Propter hoc ordinarius irregularitatis praetextu denegat oratori ascensum ad sacros ordines, proindeque per libellum a SS. remissum quaeritur, an propter hoc incurrerit irregularitatem? S. C. resp. *negative* d. 22. Apr. 1679. (rel. XLVIII. 61.)

28. Sacerdos Emanuel Cohelo quadam nocte anni 1677. permanens inventus a marito in domo Ludovicae non sine magna difficultate et periculo ab illius manibus aufugit relicto gladio, cum quo maritus infelicem uxorem etiam praegnantem pluribus verberibus una cum foetu misere interfecit. Hac de causa orator alias condemnatus in poenam exilii et pecuniariam, nunc concordata parte et fisco supplicat pro absolutione cum rehabilitatione ad beneficia. S. C. re mature perpensa censuit, oratorem non incurrisse irregularitatem. *Ulixbonen.* 14. Apr. 1696. (rel. XLVIII. 61.)

29. Cum presbyter quidam audisset, laicum quendam cum nepti sua solere carnaliter commisceri, quadam nocte armatus et ab aliis sociatus ad domum neptis accessit, ut laicum ad matrimonium contrahendum compelleret. Laicus vero, ut presbyterum foras pulsantem audivit, e fenestra sese proiecit et statim occubuit. Disputatum fuit an presbyter propterea irregularitatem contraxerit. S. C. vero resp. secundum ea, quae proponuntur, non incidisse in irregularitatem d. 29. Nov. 1602. (alleg. XC. 108.)

30. Cum subdiaconus quidam, rixa propter sororis sponsalia exorta, hominem quendam Vitum cum cultro vulgo baionetta aggressus esset, et putarent qui circumstabant, hunc ex receptis vulneribus cito esse moriturum, falsus de morte eius rumor ad Catharinam ipsius uxorem convolavit, quae maximo timore et moerore perculsa fuit. Cum autem duodecim post dies abortum pateretur, huius culpa subdiacono fuit imputata. Postea, licet ex testium et peritorum iudicio constaret, ne minimo quidem vulnere Vitum affectum fuisse, et probatum esset per medicos, abortum Catharinae non unice ex dicto timore, sed ex aliis etiam causis obvenire potuisse, dubitabatur tamen, anne irregularitatem incurrisset. S. C. dubio prolato resp. *negative. Barensis.* 17. Jul. 1779.

31. Onuphrius Piasechi sacerdos Camenecensis dioec. ritus graeci uniti, dum parochi Cuniszezovacensis munus agebat, uxoricidium intra parochiae septa a quodam Matthia Zingari perpetratum audivit. Ignorantia, aut zelo vel alia de causa motus in exemplarem de reo vindictam modo penitus insueto et barbaro sumendo consensit. Cogitanti enim dispositori (i. e. ministro criminum ultioni praeposito) sepelire superstitem virum cum cadavere uxoris, in pluribus favit et adhaesit. Ipse enim reum quaerentes associavit; ipse illius asportationi adstitit; ipse passus est, ut dum lugubri comitatu cadaver defunctae uxoris trahebatur, etiam uxoricida fune in collum iniecta ligatus traheretur; ipse postquam uxori parentatum est, confessionem uxoricidae excepit et ad mortem eum disposuit; a parochianis de re huiusmodi rogatus non improbavit; uxoricidam in tumulum descendere et decumbere iussit super uxoris defunctae cadaver, terramque super corpus decumbentis proiecit. Cum tanquam voluntarii homicidii particeps irregularis declaratus, beneficio privatus et ad carcerem per octodecim menses condemnatus esset, ad S. C. convolavit et dispensationem ab irregularitate petiit. Quae tamen ad dubium: an sit consulendum SSimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.? resp. *negative absque spe gratiae. Camenecen.* 30. Jul. 1785.

C. VIII. *Nulli alienos clericos ex privilegio punire liceat.*

Praeterea, quia nonnulli [1]), quorum etiam aliqui veri sunt pastores ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quaerunt, et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant: quicunque, etiam episcopali praeditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi non subiectos, praesertim in sacris constitutos, quorumcunque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso episcopo deputandae interventu nequaquam procedere debeat; alias processus et inde secuta quaecunque viribus omnino careant.

[1]) cf. supr. ead. de ref. c. 2. et Sess. VI. de ref. c. 5.

C. IX. *Beneficia unius dioecesis nulla de causa uniantur beneficiis alterius.*

Et quia iure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae [1]), ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: beneficia unius dioecesis, etiam si parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae, aut simplicia beneficia, seu praestimonia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacunque de causa, alterius dioe-

cesis beneficio, aut monasterio, seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur [2]); decretum huius sanctae synodi super huiusmodi unionibus in hoc declarando.

[2]) cf. c. 9. X. de his, quae fiunt a prael. III. 10. (Innoc. III.)—cf. Sess. XXIV. de ref. c. 13. extr. 1. et c. 7. — [3]) cf. Sess. VII. de ref. c. 6. seq. Sess. XXIV. de ref. c. 13. et 15.

C. X. *Regularia beneficia regularibus conferantur.*

Regularia beneficia [1]), in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant [2]), conferantur.

[1]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 21. — cf. c. 5. de praeb. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.)—[2]) Deut. XXII. 11. — cf. c. 27. de elect. I. 6. (Innoc. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Beneficium saeculare a presbytero regulari retineri non posse, quamvis patronus eum praesentaverit, et episcopus affirmaverit, monasterium paupertate laborare et penuriam adesse idoneorum sacerdotum saecularium, S. C. censuit in *Colonien.* 9. Febr. 1732.

2. Canonicos regulares Lateran. absque apostolico indulto ad ecclesias curatas promoveri non posse, S. C. anno 1581. respondit, quod responsum S. P. Gregorius XIII. confirmavit. In eandem sententiam S. C. abiit in S. *Miniatis* 28. Aug. 1649. et extenso in canonicos reg. S. Salvatoris aliósque decreto in *Brixien.* 15. Mai. 1655., quibus cum resolutionibus consonat decretum congr. Epp. et Reg., a Clemente X. d. 18. Mart. 1671. confirmatum. (Bull. Rom. T. VII.) Postea, cum regulares his decretis ac sententiis non acquiescerent, ut rationes suas proferrent, eis est permissum, et S. C. tribuit quidem canonico regulari facultatem, ut saecularem parochiam impetraret, simul vero indixit, ut collectis in unum decretis antea editis expenderetur, an canonicis regularibus liceret beneficia saecularia cum animarum cura percipere, interposita solum abbatis generalis facultate? (*Placentina* 14. Nov. 1693.) Idque Innoc. XII. approbavit et litteras apostolicas evulgari iussit, quae rem eandem confirmarent. Deinde, cum Clemens XI. Pontificatum gereret, procurator generalis Lateranensium postulavit examinari, utrum ipsi parochias et canonicatus assequi posse videretur, ita tamen, ut nulla mentio fieret de sententiis ac decretis SS. Congr., aut de oraculis SS. Pont., quae a Gregorio XIII. ad illud usque tempus adversa seu propitia haberentur, sed tantum in examen adduci liceret ius commune (c. 5. X. de stat. mon.). Tridentina synodus, verba, quibus vota solemnia ab ipsis nuncupantur, et postremo ratio instituti atque ordinis, cui nomen dederunt. Quare S. P. d. 30. Apr. 1713. ad S. Congr. hanc causam reiecit *iuxta petita.* (*Bened.* XIV. Inst. XCVII.)

Demum controversia decisa est a Bened. XIV. in const. *Quae inscrutabili* 9. Jul. 1745., qua decretum est canonicos regulares incapaces esse cuiuslibet beneficii saecularis aut pensionis eccl. absque apostolico indulto, quod tamen praevio superioris consensu facilius esse concedendum liquet ex eiusd. const. §. 16. (Bull. Bened. XIV. I. 239.)

3. Si capellania habet solum naturam legati pii cum onere missarum, eius incapaces non esse religiosos, eosque obtinere posse istiusmodi capellanias non solum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis saecularibus, resp. S. C. in *Mileten.* 27. Nov. 1694. et 11. Jun. 1695. et 1. Dec. 1696. (alleg. V. 325.)

—

C. XI. *Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces existant.*

Quia vero regulares, de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur; nemo cuiuscunque ordinis praelatus vel superior vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum et professionem admittere possit,

nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat [1]), ac taliter translatus, etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax existat.

[1]) cf. c. 4. Sess. XXV. de reg. cum declar. et resol.

C. XII. *Nemo nisi ex fundatione vel dotatione ius patronatus obtineat.*

Nemo, etiam [1]) cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut capellam de novo fundaverit et construxerit, seu iam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit; ius patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur.

[1]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. cum declar. et resol.

C. XIII. *Praesentatio fiat ordinario; alias praesentatio et institutio sit nulla.*

Non liceat praeterea patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui iuris patronatus [1]), nisi episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo praesentare; alias praesentatio ac institutio forsan secutae nullae sint et esse intelligantur.

[1]) cf. Sess. et cap. cit. cum declar. et resol. — cf. c. 8. 21. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.)

C. XIV.

Declarat praeterea sancta synodus, in futura sessione, quam ad XXV. diem Ian. subsequentis anni MDLII. habendam esse iam decrevit, una cum sacrificio missae agendum et tractandum etiam esse de sacramento ordinis, et prosequendam esse materiam reformationis.

SESSIO XV.

QUAE EST QUINTA

SUB IULIO III. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XXV. IANUAR. MDLII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Cum ex eo, quod proximis sessionibus decretum fuit, sancta haec et universalis synodus per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quae ad sanctissimum missae sacrificium et ad sacramentum ordinis spectant, ut hodierna sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggessisset, decreta de his rebus et quatuor praeterea articulos ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pertinentes in hanc tandem sessionem dilatos publicaret; atque interim adfuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum concilium eos, qui se protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat, et ut libere ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam sive salvum conductum concesserat [1]): tamen, cum illi nondum venerint, et eorum nomine

supplicatum huic sanctae synodo fuerit, ut publicatio, quae hodierno die facienda fuerat, in sequentem sessionem differatur, certa spe allata adfuturos eos esse omnino multo ante illam sessionem, salvo conductu amplioris formae interim accepto, eadem sancta synodus in Spiritu sancto legitime congregata, iisdem legato et nunciis praesidentibus, nihil magis optans, quam ex praestantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere, ac eius quieti, paci otioque consulere, parata ipsos, si venerint, et humaniter excipere et benigne audire, confidensque, eos non fidei catholicae pertinaciter oppugnandae, sed veritatis cognoscendae studio esse venturos, et, ut evangelicae veritatis studiosos decet, sanctae matris ecclesiae decretis ac disciplinae ad extremum esse acquieturos, sequentem sessionem ad edenda et publicanda ea, quae supra commemorata sunt, in diem festum sancti Iosephi, qui erit die XIX. mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant non solum ad veniendum, verum etiam ad ea, quae voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam sive salvum conductum eius, qui recitabitur, tenoris et sententiae libenter dat et concedit. Interea vero de matrimonii sacramento agendum, et de eo, praeter superiorum decretorum publicationem, definiendum esse, eadem sessione statuit et decernit, et prosequendam esse materiam reformationis.

[1]) Supr. Sess. XIII.

SALVUS CONDUCTUS

DATUS

PROTESTANTIBUS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, inhaerendo salvo conductui in penultima sessione dato, et illum iuxta tenorem infrascriptum ampliando, universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, et aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status et conditionis aut qualitatis existant, Germanicae provinciae et nationis civitatibus, et aliis locis eiusdem, et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus; praesertim Augustanae confessionis personis; qui aut, quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvum conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque scripturis sacris, et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, adstruendi et persuadendi, et, si opus fuerit, etiam ad obiecta concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a concilio delecti fuerint, disputandi christiane aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac

contumeliis penitus semotis; et signanter, quod causae controversae secundum sacram scripturam et Apostolorum traditiones, probata concilia et catholicae ecclesiae consensum et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impartitur ac omnino concedit, sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere aut quocunque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur; et ut his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore et personis vice versa possint iuxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult etiam sancta synodus in hac publica fide salvoque conductu omnes quascunque clausulas includi ac contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando et redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam aut illorum aliqui sive in itinere Tridentum veniendo sive ibidem morando aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari, vult et concedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione cum emenda sufficienti per partem ipsius synodi merito approbanda et laudanda mox puniantur; illorum assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliqui ex ipsa synodo sive in itinere aut manendo aut redeundo aliquid enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione et emenda sufficienti per partem dominorum Germanorum Augustanae confessionis tunc hic praesentium merito laudanda et approbanda mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa synodus, quod liceat ipsis ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescunque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina et reverti ad eandem, nec non nuncium vel nuncios suos ad quaecunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos seu missum et destinatum suscipere toties quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem salvus conductus et securitas stare ac durare debeat a tempore et per tempus, quo in ipsius synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, et rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint, aut concilium habita huiusmodi audientia ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente, restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscunque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus perso-

nis, cuiuscunque status et conditionis exsistant aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet. Insuper omni fraude et dolo exclusis vera et bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure vel statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcunque conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae ipsis per ipsam synodum concessae praeiudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea vel suis, cuiuscunque conditionis, vel status aut praeeminentiae exsistens, praescriptae assecurationis et salvi conductus formam et modum in quocunque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam synodum et habere poterunt incidisse in omnes poenas, quas iure divino et humano aut consuetudine huiusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte contradictione.

SESSIO XVI.

QUAE EST SEXTA ET ULTIMA

SUB IULIO III. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XXVIII. APRILIS MDLII.

DECRETUM SUSPENSIONIS CONCILII.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea reverendissimis dominis Sebastiano archiepiscopo Sipontino, et Aloysio episcopo Veronensi, apostolicis nunciis, tam eorum proprio, quam reverendissimi et illustrissimi domini Marcelli tit. S. Marcelli sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Crescentii legati ob adversam eius gravissimam valetudinem absentis nomine, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc concilium oecumenicum Tridentum primo a Paulo fel. rec. convocatum et collectum fuisse; deinde a sanctissimo domino nostro Iulio III. efflagitante Carolo quinto augustissimo imperatore ea praecipue de causa fuisse restitutum, ut religionem in multis orbis partibus et praesertim in Germania in diversas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum revocaret, abusus et mores Christianorum corruptissimos emendaret, cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres nulla laborum suorum periculorumque habita ratione e diversis regionibus alacriter confluxissent, resque strenue magno fidelium concursu feliciterque procederet, ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in concilium venturos, sic animatos, ut veris ecclesiae rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quaedam rebus afful-

sisse videretur, caputque attollere inciperet profligata antea et afflicta respublica Christiana: ii repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutia exarserunt, ut concilium velut haerere ac suum cursum interrumpere satis incommode cogeretur, spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur; tantumque aberat, ut sancta synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes praeter sui animi sententiam irritaret potius quam placaret. Cum igitur ipsa sancta synodus omnia et praecipue Germaniam armis ardere et discordiis videret, omnes fere episcopos Germanos, praesertim principes electores, suis consultum ecclesiis e concilio abiisse: decrevit tantae necessitati non reluctari, et ad meliora tempora reiicere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas ecclesias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, huius oecumenici concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout praesenti decreto suspendit; ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit ac tranquillitas pristina revertatur, quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo forsan spatio futurum, ipsius concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio praedicta legitima impedimenta non fuerint submota, cum primum cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor et robur concilio sit restitutum et esse intelligatur sine alia nova concilii convocatione, accedente ad hoc decretum, consensu et auctoritate Sanctitatis suae et sanctae sedis apostolicae.

Interea tamen eadem sancta synodus exhortatur omnes principes Christianos et omnes praelatos, ut observent, et respective, quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis et ecclesiis omnia et singula, quae per hoc sacrum oecumenicum concilium fuerunt hactenus statuta et decreta.

BULLA CELEBRATIONIS

CONCILII TRIDENTINI

SUB PIO IV. PONT. MAX.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad ecclesiae regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes reipublicae Christianae partes, cernentesque non sine magno horrore, quam longe lateque pestis haeresum et schismatis pervasisset, et quanta Christiani populi mores correctione indigerent, in eam curam et cogitationem pro suscepti muneris officio incumbere coepimus, quemadmodum ipsas haereses exstirpare, tantumque et tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos et depravatos emendare possemus. Cum autem intelligeremus, ad haec sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta haec sedes adhibere consuevisset, oecumenici generalisque concilii, eius congregandi et Deo iuvante, celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit a fel. rec. Paulo III. et eius successore Iulio praedecessoribus nostris, sed variis de causis saepius impeditum et interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus, cum id primo in urbem Mantuam [1]), deinde Vicen-

tiam indixisset, quasdam ob causas in litteris eius expressas id primo suspendit, postea Tridentum transtulit; deinde cum quibusdam de causis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem suspensione sublata in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum sessionibus aliquot habitis et nonnullis decretis factis, ipsum se postea concilium aliquibus de causis, accedente etiam sedis apostolicae auctoritate, Bononiam transtulit [2]). Iulius autem, qui ei successit, in eandem civitatem Tridentinam id revocavit, quo quidem tempore facta alia quaedam decreta sunt [3]). Sed cum novi in propinquis Germaniae locis tumultus excitati fuissent, et bellum in Italia et Gallia gravissimum exarsisset, rursus concilium suspensum et dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste aliasque ex aliis difficultates et impedimenta obiiciente, ut tantum ecclesiae commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctae fuerint et multiplicatae ac propagatae haereses, quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus nec referre. Sed tandem pius et misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur [4]), ut misericordiae obliviscatur, regibus et principibus Christianis pacem et unanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tantis quoque ecclesiae malis eadem concilii via finis imponatur. Nos itaque ad schisma haeresesque tollendas, ad corrigendos et reformandos mores, ad pacem inter Christianos principes conservandam, celebrationem eius non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus carissimis in Christo filiis nostris Ferdinando Romanorum imperatore electo et aliis regibus atque principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate et sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius concilii celebrationem adiuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem, honorem et gloriam, atque universalis ecclesiae utilitatem, de eorundem fratrum nostrorum consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale concilium ex auctoritate eiusdem Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti et subnixi, in civitate Tridentina ad sanctissimum diem Resurrectionis dominicae proxime futurum indicimus, et ibi celebrandum sublata suspensione quacunque statuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres nostros omnibus ex locis patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates ceterosque, quibus in concilio generali sedere et sententiam dicere iure communi vel ex privilegio vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur et monemus, atque etiam districte praecipiendo mandamus in virtute sanctae obedientiae, in vi quoque iuramenti, quod praestiterunt, et sub poenis, quas in eos, qui ad conciha generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo praepediti; quod tamen impedimentum per legitimos procuratores synodo probare debebunt. Monemus praeterea omnes et singulos, quorum interest interesseve poterit, ut in concilio adesse ne negligant. Carissimos vero in Christo filios nostros Romanorum imperatorem electum ceterosque reges et principes, quos optandum sane esset concilio interesse posse, hortamur et rogamus, ut, si ipsi concilio interesse non potuerint, at oratores suos, prudentes, graves et pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis praelati sine recusatione

ac mora tam necessario tempore Deo et ecclesiae officium suum praestent, eosdem etiam curaturos esse minime dubitantes, ut per ipsorum regna et dominia tutum ac liberum iter praelatis, eorumque familiaribus, comitibus, et aliis omnibus ad concilium euntibus et ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus; qui nihil omnino praetermittere decrevimus, quod ad tam pium et salutare opus perficiendum a nobis in hoc loco constitutis praestari possit, nihil, ut Deus scit, quaerentes aliud, nihil propositum habentes in hoc concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem ac salutem, et perpetuam Christianae reipublicae tranquillitatem ac quietem. Ut vero hae litterae et quae in eis continentur ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit, praesertim cum non ad omnes, quos de his litteris certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus: volumus et mandamus, ut in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam clara voce a curiae nostrae cursoribus seu notariis aliquibus publicis recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, quo legi et omnibus innotescere possint, aliquandiu relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem omnes et singulos, qui his litteris comprehenduntur, post duos menses a die publicationis et affixionis earum volumus perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae coram editae et lectae fuissent. Transumptis quoque earum, quae manu publici alicuius notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae indictionis, statuti, decreti, praecepti, admonitionis et adhortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDLX. III. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florebellus Lavellinus.
Barengus.

[1]) supr. pag. 2. — [2]) supr. Sess. VIII. — [3]) supr. Sess. XI. — [4]) Habac. III. 2.

SACROSANCTI OECUMENICI ET GENERALIS

CONCILII TRIDENTINI

SESSIO XVII.

QUAE EST PRIMA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XVIII. IANUARII MDLXII.

DECRETUM DE CELEBRANDO CONCILIO.

Placetne vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianae, sacrum oecumenicum et generale concilium Tridentinum in Spiritu sancto legitime congregatum ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Ian. anni a Nativitate Domini millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, cathedrae Romanae B. Petri Apostolorum principis consecrato, sublata quacunque suspensione, iuxta formam et tenorem litterarum sanctissimi domini nostri Pii IV. Pont. Max. celebrari, et in eo ea debito servato ordine tractari, quae proponentibus legatis ac praesidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, ecclesiae veram atque Christianam pacem conciliandam apta et idonea ipsi sanctae synodo videbuntur? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post secundam dominicam Quadragesimae, quae erit die vigesima sexta mensis Februarii? Responderunt: *Placet.*

SESSIO XVIII.

QUAE EST SECUNDA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XXVI. FEBRUARII MDLXII.

DECRETUM DE LIBRORUM DELECTU, ET OMNIBUS AD CONCILIUM FIDE PUBLICA INVITANDIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Iesu Christi, qui os et sapientiam ecclesiae suae daturum se promisit [1]), ope et auxilio freta, illud praecipue cogitat, ut catholicae fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus pluribus locis inquinatam et obscuratam, in suam puritatem et splendorem aliquando restituat, et mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitae rationem revocet, corque patrum ad filios [2]) et cor filiorum

ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multae censurae in variis provinciis et praesertim in alma urbe Roma pio quodam zelo editae fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam: censuit [3]), ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquam zizania [4]) a Christianae veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare et statuere, quae ad scrupulum ex complurium animis eximendum et tollendas multarum querelarum causas magis opportuna videbuntur. Haec autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta esse vult, prout etiam praesenti decreto deducit, ut, si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quae vel de hoc librorum et censurarum negotio, vel de aliis, quae in hoc generali concilio tractanda praedixit, non dubitet a sancta synodo se benigne auditum iri.

Quoniam vero eadem sancta synodus ex corde optat Deumque enixe rogat quae ad pacem [5]) sunt ecclesiae, ut universi communem matrem in terris agnoscentes, quae quos peperit [6]) oblivisci non potest, unanimes uno ore [7]) glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi, per viscera misericordiae eiusdem Dei et Domini nostri omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam et reconciliationem, et ut ad hanc sanctam synodum veniant, invitat atque hortatur, utque caritatem, quod est vinculum perfectionis [8]), amplectantur, pacemque Christi exultantem in cordibus suis prae se ferant, in quam vocati sunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus sancti vocem audientes ne obdurent corda sua [9]), sed in suo sensu non ambulantes [10]), neque sibi placentes [11]), ad tam piam et salutarem matris suae admonitionem excitentur et convertantur. Omnibus enim caritatis officiis sancta synodus eos ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem sancta synodus decrevit, fidem publicam in congregatione generali concedi posse, et eandem vim habituram, eiusdemque roboris et momenti futuram, ac si in publica sessione data et decreta fuisset.

Indictio futurae sessionis.

Eadem sacrosancta Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, statuit et decernit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum Ascensionis Domini, quae erit die XIV. mensis Maii.

[1]) Luc. XXI. 15. — [2]) Luc. I. 17. — [3]) cf. infr. Sess. XXV. extr. de indice libr. — [4]) Matth. XIII. 30. — [5]) Psalm. CXXI. — [6]) Isa. XLIX. 15. — [7]) Rom. XV. 6. — [8]) Colos. III. 14. seq. — [9]) Psalm. XCIV. 8., Hebr. III. 8. — [10]) Eph. IV. 17. — [11]) Rom. XV. 1—3.

SALVUS CONDUCTUS

CONCESSUS

GERMANICAE NATIONI

IN CONGREGATIONE GENERALI DIE IV. MARTII MDLXII.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus, prin-

cipibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus et aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status et conditionis aut qualitatis exsistant, Germanicae provinciae et nationis civitatibus, ac aliis locis eiusdem, et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae confessionis, personis, qui aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvum conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque scripturis sacris et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, adstruendi et persuadendi, et, si opus fuerit, etiam ad obiecta concilii generalis respondendi et cum iis, qui a concilio delecti fuerint, disputandi aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac contumeliis penitus semotis; et signanter, quod causae controversae secundum sacram scripturam et Apostolorum traditiones, probata concilia et catholicae ecclesiae consensum et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impertitur ac omnino concedit; sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere aut quocunque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur, et ut his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore et personis vice versa, possint iuxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult etiam sancta synodus in hac publica fide salvoque conductu omnes quascunque clausulas includi et contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando et redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam aut illorum aliqui, sive in itinere Tridentum veniendo sive ibidem morando aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari, vult et concedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione cum emenda sufficienti per partem ipsius synodi merito approbanda et laudanda mox puniantur; illorum assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliqui ex ipsa synodo sive in itinere aut manendo aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione et emenda sufficienti per partem dominorum Germanorum Augustanae confessionis tunc hic praesentium merito laudanda et approbanda mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa synodus, quod liceat

ipsis ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescunque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina et reverti ad eandem, nec non nuncium vel nuncios suos ad quaecunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos seu missum et destinatum suscipere toties quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem salvus conductus et securitates stare ac durare debeant et a tempore et per tempus, quo in ipsius synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, et rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint aut concilium habita huiusmodi audientia ipsis recessum indixerit a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum Deo favente restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscunque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cuiuscunque status et conditionis existant, aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet. Insuper omni fraude et dolo exclusis vera et bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure vel statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcunque conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae ipsis per ipsam synodum concessae praeiudicium quovis modo usuram aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea vel suis, cuiuscunque conditionis vel status aut praeeminentiae exsistens, praescriptae assecurationis et salvi conductus formam et modum in quocunque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam synodum et habere poterunt incidisse in omnes poenas, quas iure divino et humano aut consuetudine huiusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte contradictione.

Extensio ad alias nationes.

Eadem sacrosancta synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis de latere legatis, omnibus et singulis aliis, qui nobiscum in iis, quae sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus ac locis, in quibus publice et impune praedicatur vel docetur sive creditur contrarium eius, quod sancta Romana sentit ecclesia, dat fidem publicam sive salvum conductum sub eadem forma et eisdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX.

QUAE EST TERTIA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XIV. MAII MDLXII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, decreta ea, quae hodie in praesenti sessione statuenda ac sancienda erant, iustis nonnullis ac honestis causis in feriam quintam post proximam solemnitatem Corporis Christi, quae erit pridie Nonas Iunii, proroganda esse censuit ac prorogat, dictaque die sessionem habendam esse ac celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus est Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi auctor pacis, ut sanctificet corda omnium, quo adiuvante sancta synodus et nunc et semper meditari atque peragere valeat quae ad eius laudem et gloriam pertineant.

SESSIO XX.

QUAE EST QUARTA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE IV. IUNII MDLXII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentius maiorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis, quae ad reformationem spectant, simul tractentur et sanciantur, ea, quae statuenda videbuntur tam de reformatione quam de dogmatibus in proxima sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis mensis Iulii, definienda esse decrevit; hoc tamen adiecto, quod dictum terminum ipsa sancta synodus pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione, restringere et prorogare libere possit et valeat.

SESSIO XXI.

QUAE EST QUINTA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XVI. MENSIS IULII MDLXII.

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET PARVULORUM.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, cum de tremendo et sanctissimo eucharistiae sacramento varia diversis in locis errorum monstra nequissimi daemonis artibus circumferantur, ob quae in nonnullis pro-

vinciis multi a catholicae ecclesiae fide atque obedientia videantur discessisse, censuit ea, quae ad communionem sub utraque specie et parvulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de iis aliter vel credere, vel docere vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum.

C. I. *Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie.*

Itaque sancta ipsa synodus a Spiritu sancto, qui spiritus est sapientiae [1]) et intellectus, spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta [2]), declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit [3]) et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem VI. recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcunque iuxta varias sanctorum Patrum et doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit [4]): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque [5]): *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit [6]): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, dixit etiam [7]): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit [8]): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus [9]): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

[1]) Isa. XI. 2. — [2]) conc. Constantiens. Sess. XIII. — cf. infr. can. 2. — [3]) Matth. XXVI. 26–28., Marc. XIV. 22-24., Luc. XXII. 19. seq. 1. Cor. XI. 24. seq. — [4]) Ioan. VI. 54. — [5]) ib. VI. 52. — [6]) ib. VI. 55. — [7]) ib. VI. 52. — [8]) ib. VI. 57. — [9]) ib. VI. 59.

C. II. *Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiae.*

Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse: cum ait: *Sic nos existimet homo* [1]) *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa eius usum: *Cetera*, inquit [2]), *cum venero disponam.* Quare agnoscens sancta mater ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit [3]), et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

[1]) 1. Cor. IV. 1. — [2]) Cor. XI. 34. — [3]) conc. Constantiens. Sess. XIII.

C. III. *Totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi.*

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa coena hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit [1]) et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum [2]) verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

[1]) cf. loc. alleg. ad cap. antec. not. 3. — [2]) cf. supr. Sess. XIII. de euch. c. 3. et can. 3.

C. IV. *Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.*

Denique eadem sancta synodus docet [1]), parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati [2]) et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.

[1]) cf. infr. ead. can. 4. — [2]) Tit. III. 5.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET PARVULORUM.

Can. I. Si quis dixerit [1]), ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit [2]), sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit.

Can. III. Si quis negaverit [3]), totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, parvulis [4]), antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem: anathema sit.

Duos vero articulos alias propositos [5]), nondum tamen excussos, videlicet: an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et: an, si honestis et Christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam sint illae, eadem sancta synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos atque definiendos reservat.

[1]) cf. supr. ead. c. 1. — [2]) cf. cap. cit. — [3]) cf. supr. c. 3. Sess. XIII. de euch. c. 3. et can. 3. — [4]) cf. supr. c. 4. — [5]) cf. Sess. XIII. extr. et infr. Sess. XXII. in decr. fin.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis lega-

tis, ad Dei omnipotentis laudem et sanctae ecclesiae ornamentum ea, quae sequuntur, de reformationis negotio in praesenti statuenda esse censuit.

C. I. *Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias et testimoniales litteras dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii autem quod in decreto praefinitum est, accipiant.*

Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, episcopi et alii ordinum collatores aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. Nec episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quae potius abusus et corruptelae simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando et interdicendo, et qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes ultra divinam ultionem poenas a iure [1]) inflictas ipso facto incurrant.

[1]) c. 6, C. I. qu. 1. (Gelas.) c. 8. ead. (conc. Chalc.) c. 101. ib. (conc. Tol. XI.) c. 107. ib. (Nicol. II. in conc. Rom.) c. 113. ib. (Gregor. VII. in conc. Rom.), c. 14. C. II. qu. 5. et c. 4. X. de sim. V. 3. (Gregor. I.) c. 5. X. eod. (id.) c. 11. 13. eod. (Alex. III.) c. 30. ib. (Innoc. III.) et al.

C. II. *Arcentur a sacris ordinibus qui non habent unde vivere possint.*

Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint. Atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari aut exstingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint; antiquorum canonum [1]) poenas super his innovando.

[1]) cf. 2. X. de praeb. III. 5. (Epit. Nov. Iul.) c. 4. ib. (conc. Lat. III.) c. 16. et 23. ib. (Innoc. III.) c. 37. h. t. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In ordinatione, quae fit titulo beneficii residentialis, non attenditur taxa loci originis, sed loci beneficii. *Romana* 27. Maii 1713.

2. A beneficio, ad cuius titulum quis ordinari intendit, detrahenda non esse onera missarum eidem adiecta, nisi in fundatione cautum sit, ut illius possessor in casu impedimenti teneatur per alium celebrare, et donec ascendat ad sacerdotium pro rata missarum aliunde habeat, quo vivere possit, resolvit S. C. in *Tyburtina*, 8. Julii 1690. *Signina*, 14. Apr. 1696. (alleg. II. 307.)

3. Ordines sacros suscipere posse capellanum ad titulum capellaniae absque patrimonii supplemento, licet ille non haberet onus celebrandi per se ipsum, et, detractis oneribus missarum, non remaneret summa sufficiens pro sacris ordinibus suscipiendis iuxta taxam synodalem, rescriptum fuit in *Firmana* 14. Jan. 1708. (II. 307.)

4. Quaestionem: Utrum onera missarum adiecta beneficio seu capellaniae, ad cuius titulum quis intendit ad sacros ordines promoveri, detrahenda sint ab eodem beneficio seu capellania, quando beneficiatus non tenetur missas per se ipsum celebrare; an potius, oneribus non detractis, sive illae celebrandae sint per eum ipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a synodali constitutione vel regionis more requisita pro sacris ordinibus recipiendis? relinquendam esse arbitrio et conscientiae ordinarii, resp. S. C. in *Ariminen.* 17. Julii 1723.

5. Capellaniam ex testamento instructam non esse legatum pium, cuius sint capaces etiam feminae et infantes, sed potius ecclesiasticum, non tamen collativum in titulum, S. C. censuit in *Maceraten.* 18. Sept. 1726.

6. Clerico cuidam propriis bonis destituto collata erat a sodalitate quadam capellania, facta eidem potestate, ut in sacrum patrimonium eam assignaret. Capitulum quoque cathedralis ecclesiae, cui incumbebat onus agendi annua sacra centum propter reditus conventus uniti, eundem clericum assignata certa pecunia nominavit, ut haec sacra ageret. Demum quod deerat, supplevit assignata annua pensione homo quidam privatus. Constare itaque de sufficienti congrua ad formam taxae synodalis et clericum ad sacrum subdiaconatus ordinem ad titulum supradictarum capellaniarum cum supplemento patrimonii promoveri posse episcopus pronunciavit. Controversia postmodum orta, cum illegitimam ordinationem fuisse, suspensionemque clericum propterea incurrisse, quod capellaniae manuales essent, episcopus contenderet, S. C. iudicavit, de legitima ordinatione constare. *Nepesin.* 21. Nov. 1750.

7. (I.) Ordinatus ad titulum beneficii in illius resignatione individualiter debet exprimere, se ad eius titulum fuisse ordinatum; (II.) neque in futuris resignationibus haec individua expressio suppletur per assertionem « *forsan ordinatus.* » (III.) Constare debet per probationes concludentes, resignantem habere quo commode vivere possit; (IV.) quae probatio plena esse non censetur per solam resignantis iuratam confessionem. (V.) Resignans vero tenetur aliud beneficium obtentum vel alia bona subrogare beneficio resignato et (VI.) haec subrogatio facienda est per episcopi declaratoriam. *Lancianen.* 9. Febr. 1726.

8. Beneficii simplicis, ad cuius titulum sacros ordines receperat, resignatio facta a beneficiario, postquam parochialem ecclesiam obtinuit, valida fuit declarata, quamvis reticuisset, se ad titulum dicti beneficii esse ordinatum, cum tamen expressisset ordinario, coram quo resignationem expleverat, etiam aliunde eius rei conscio, se habere unde vivere posset. Ita S. C. in *Asten.* 3. Apr. 1734. Die 22. Mai. ei. a., instante iterum beneficiato pro nullitate resignationis, rescr. fuit: « standum esse in decisis verbo facto cum SSimo, et facta subrogatione parochialis per episcopum. »

9. Canonicus N. N. praebendam suam, ad cuius titulum ordinatus erat, altera recepta resignavit, novaeque die 18. Maii 1800 possessionem nactus est, statimque eam in sacrum patrimonium alteri subrogavit. Rixa orta inter eum ac successorem R. super fructibus maturatis post dimissionem, S. C. resp.: fructus anni 1800 competere pro rata ad diem 18. Maii canonico N. N., in *Fabrianen.* 19. Dec. 1801.

10. Canonicus quidam metu correptus, se posse compelli a potestate laica ad illicitum reprobatumque fidelitatis iuramentum, e re sua censuit die 10. Jan. 1810. in actis Cancellariae emittere renunciationem, quam episcopus admisit cum clausula « Si et in quantum ». Postulavit anno 1814, ut renunciatio nulla et irrita declararetur tanquam facta vi et metu, et S. C. censuit, esse irritam et canonicum reintegrandum ad omnia iura et honores a die recursus, in *Balneoregien.* 14. Dec. 1814.

11. Privari posse illegitime absentem a residentia beneficio, licet ad eius titulum fuerit ordinatus et suspensus remaneat, S. C. resp. in *Nullius Guastallae* 31. Jul. 28. Aug. 1660, *Firmana* 30. Maii 1665. (rel. LXXXI. 247.)

12. Si beneficii reditus non sufficiant, licitum esse S. C. declaravit ut titulus partim ex propriis bonis, partim ex beneficio constituatur. 12. Mart. 1718.

13. Ad quaestionem: An clericus alioquin idoneus habens beneficium insufficiens per se, sed qui iuncto patrimonio habeat quod sufficiat ad honestam vitae sustentationem, possit promoveri? S. C. resp. posse iuxta formam conc. Trid. *Segunt.* Oct. 1589. relata ex l. XVII. Decr. p. 58. a *Bened.* XIV. Instit. XXVI.

14. Cum ad obtinendam ordinationem *extra tempora* ea verba in diplomate pontificis inserantur: « Ut parentibus tuis in solatio esse possis et fervore devotionis accensus ad sacros extra tempora ac interstitiis non servatis ad titulum patrimonii tui, seu perpetui beneficii ecclesiastici, dummodo illud pacifice possideas, promoveri possis concedimus »: dubitante archiepiscopo Urbinate, an vigore huiusmodi brevium quis promoveri possit ad titulum patrimonii, non obstante, quod non concurrat ecclesiae necessitas vel commoditas, dum causa motiva concessionis videtur solatium parentum, S. C. die 9. Sept. 1679. resp. *negative.* Ex l. XXX. Decr. p. 400. relata ab *eodem* ib.

15. Cum a S. C. petitum fuisset: Si quis tantum habeat, quod ex industria vel honesto labore lucratur, puto quod sit musicus, magister grammaticae, lector, scriptor aut alterius licitae professionis, idque sit sufficiens ad sustentationem vitae, possitne promoveri? decretum fuit *non posse. Segunt.* Oct. 1589. relata ab *eodem* Instit. XXVI. ex l. VI. Decr. p. 58.

16. Obligationem personalem patrimonii titulo satis non facere, etiamsi emissa fuisset ab episcopo, resp. S. C. in *Seguntina.* Oct. 1589. (rel. XCVIII. 241.), vel si hypotheca omnium bonorum munita fuisset, ut censuit in *Tolent.* 2. Oct. 1717.

17. Communitas S. Angeli dioec. Sipontinae exponit per ordinarium admitti ad sacros ordines clericos assignato patrimonio in bonis mobilibus et semoventibus, et cum hoc tendat in grave damnum eiusdem communitatis, dum fraudantur impositiones et alia onera communitatis, quibus animalia sunt obnoxia, et credat esse contra canonicas dispositiones, ad tollendas controversias instat declarari, an possit patrimonium assignari super mobilibus rebus et dictis animalibus? S. C. respondit *negative. Sipontina* 29. Nov. 1670. (alleg. XCVIII. 240.)

18. Ad quaestiones: I. An patrimonia sacra assignata sive constituta per promotos ad sacros ordines in bonis sitis in *aliena* dioecesi sustineantur in casu etc? II. An patrimonia sacra assignata per promotos ad sacros ordines in bonis existentibus in aliena dioecesi sustineantur, quando tempore ordinationis promoti possidebant bona in *propria* dioecesi in casu etc.? S. C. resp. *affirmative* ad utrumque *et amplius*, in *Lauretana* 6. Dec. 1749.

19. S. C. censuit anno 1573., posse aliquem ad sacros ordines promoveri ad titulum bonorum, quae ei donentur, si tamen episcopus iudicaverit, eum assumendum pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum, donationesque huiusmodi vere et absque ulla fraude et in forma valida fiant de tot bonis, quae promovendo sufficiant ad vitam honeste sustentandam, quae deinceps alienari nullo modo possint absque licentia episcopi, donec ille beneficium ecclesiasticum sufficiens adipiscatur, vel aliunde habeat unde vivere possit. Rel. ex l. I. Decr. p. 115. a *Bened.* XIV. Instit. XXVI.

20. Clerico N. habenti annua decem N. laicus supplendo usque ad viginti quinque promisit annua quindecim, ut ad sacros ordines promoveri posset, eique super eius proprio fundo donavit sub infrascriptis conditionibus et declarationibus, quod praedicta annua quindecim essent in supplementum patrimonii ecclesiastici, quod solveretur de sex mensibus in sex menses a die subdiaconatus, et quod statim ac ipse clericus donatarius beneficium ecclesiasticum consequeretur, vel aliter haberet unde viveret, donatio huiusmodi intelligeretur cessasse. Dictus clericus per multos annos vixit sine praefatis annuis quindecim, eaque per dictum tempus nunquam petiit, et hodie etiam scholasticam habet industriam, cum qua vivere posset si vellet. Quaeritur: I. An talis laicus teneatur pro dictis annuis quindecim praeteritis? II. An excusari clericus possit in futurum a dicta scholastica industria? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. *negative*. Relata ex l. XXVII. Decr. p. 43. ab *eod.* ibid.

21. Quaeritur: An verba illa concilii in c. 2. Sess. XXI.: « atque deinceps alienari etc. », ita intelligenda sint, ut, postquam ordinatus adeptus fuerit unde vivere possit, requiratur etiam licentia episcopi? S. C. censuit requiri licentiam, quamvis ordinatus sit adeptus. *Terracinen.* 20. Jul. 1619. l. XII. Decr. p. 17., 16. Nov. 1686. l. XXXVI. Decr. p. 449., rel. ab *eodem.* De syn. dioec. XII. 9.

22. S. C. censuit, eum, qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius titulum fue-

rat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem ut proponitur factam esse ipso iure nullam. 6. Mart. 1638. (alleg. XL. 233.)

23. Ad supplementum patrimonii sacri alicuius (ordinati ad titulum capellaniae) assignata fuit ab eius patre aliqua domus. Filius sacerdos, acceptis aliis reditibus, sine licentia ordinarii consensum praestitit, ut pater domum venderet. Alienationem eam non esse sustinendam resp. S. C. in *Fanen.* 21. Aug. 1717. (IX. 200. P. II.)

24. Clericus, qui nullum beneficium habebat, nec praeter bona patrimonii sacri alia bona possidebat, ex quibus sustentari posset, in emphyteusin perpetuam absque licentia episcopi eadem bona concesserat cum reservatione annui canonis, qui fructibus responderet. Quaesitum fuit, an huiusmodi contractus sustineatur non obstante dispositione S. Conc. Trid. c. 2. Sess. XXI. de ref.? S. C. resp., secundum ea, quae proponuntur, contractum supradictae concessionis in emphyteusin absque licentia episcopi factae non sustineri. *Parmen.* 20. Jul. 1641. (rel. LII. 81.) Eandem regulam secuta est in *Tusculana* 10. Mai. 1783.

25. S. C. resp., renunciationem patrimonii, ad cuius titulum clericus simpliciter sacris ordinibus fuit initiatus, absque licentia episcopi factam non sustineri etiam post assecutionem beneficii ad eius vitam sufficientis. *Aquilana* 24. Febr. 1652. (rel. XXXVIII. 167.)

26. Cum supplicaretur declarari: An dispositio S. Conc. in c. 2. Sess. XXI. de ref. prohibens alienationem patrimonii clericorum absque licentia episcopi, extendatur ad fideiussiones per eosdem clericos factas, ita ut respectu dicti patrimonii obligatio non sustineatur? die 15. Mart. 1652. S. C. resp., extendi etiam ad fideiussiones iuxta tamen distinctionem factam in declaratione huius S. Congr. tenoris sequentis: « die 5. Febr. 1604. Congr. censuit neque in eiusmodi patrimonio, neque in eius fructibus ad clericum alendum necessariis executioni locum esse posse. Licere autem capere in causa iudicati eam fructuum partem, quae quotannis superesset ultra eam, quae ad ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, iudicis ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum atque vendere ius sibi competens ad huiusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad creditorem uti res hereditaria pertinebit. « Libr. XVII. Decr. p. 18. Relat. a *Bened.* XIV. Instit. XXVI.

27. Donationem eius patrimonii, ad cuius titulum quis fuerit ordinatus, utpote prohibitam decreto Concilii c. 2. Sess. XXI. iuramento donantis nequaquam confirmari declaravit S. C. d. 11. Maii 1599. Rel. ex l. IX. Decr. ab *eodem* ib.

28. Patrimonium, ad cuius titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia episcopi permutari cum aliis bonis non minoris reditus aut valoris, sed debere episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant nisi servata forma a Concilio praescripta, S. C. censuit d. 20. Jul. 1619. Relat. ex l. XVII. Decr. p. 17. ab *eod.* ib.

29. Proposito dubio: An bonis ad commodam sustentationem postea quaesitis vel beneficio sufficienti adepto, statim patrimonium evanescat, vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum seu beneficii assecuti ab episcopo facienda loco patrimonii, qua subrogatione expresse non facta patrimonium adhuc vigeat? S. C. censuit danda esse decreta alias edita et signanter 8. Aug. 1602. tenoris sequentis: « Quaeritur: An verba illa concilii in c. 2. Sess. XXI. « *atque deinceps alienari* » ita intelligenda sint, ut postquam ordinatus adeptus fuerit unde vivere possit, requiratur etiam licentia episcopi? S. C. censuit: requiri licentiam, quamvis ordinatus sit adeptus. « *Bitecten.* 28. Nov. 1686., Jul. 1687. (rel. XXXVIII. 167.)

30. Antistes Montis Politiani, ut sacrorum ministrorum et titulorum sacrae ordinationis defectui prospiceret, nonnulla sacra patrimonia suo aere erigere cogitavit, addita tamen praeter alias hac clausula, ut eo patrimonio ipso facto privatus esset, quisquis absque ordinarii licentia dioecesim esset deserturus. S. C. de huius clausulae approbatione consulta, resp. ad dubium: An et quomodo conditio privationis sit approbanda in casu etc.? *affirmative* in omnibus iuxta preces. *Montis Politiani* 21. Jul. 1821.

31. Clericus minoribus ordinibus initiatus cum ad s. ordines accedere cuperet, neque vero beneficium neque patrimonium possideret, parochus quidam, qui « praeter parochiae ac divitis domus suae reditus beneficio quodam simplici potiebatur, ab omni onere libero et taxam synodalem superante, proposuit illi se occurrere velle praevia ordinaria licentia, illius beneficii fructus eidem clerico libere concedendo ea quantitate, quae ad constituendam pro s. ordinibus congruam iuxta dioecesis statuta requiritur, donec aliter provideatur,

hac tamen adiecta conditione, quod interim ipse plebanus beneficii titulum constanter sibi retineat, eiusque tenuem congruam, imo fructuum portionem ad sui obitum usque percipere semper valeat. « S. C. resp., admittendum non esse hunc titulum sacrae ordinationis; conditionem vero super reservatione fructuum partis non esse simoniacam, in *Suanen.* 15. Sept. 1838.

32. Cum imperator clerico cuidam concessisset diploma seu titulum mensae pro sua honesta sustentatione, quousque provideretur de sufficiente beneficio, et in dubium revocatum fuisset: An licite et valide ordinari possit ad titulum dictae mensae? S. C. resp. *negative. Florent.* 28. Jun. 1704. (alleg. XCVIII. 240.)

—

33. Extant privilegiorum exempla, quibus concessum est, ut clerici ordinari possint, etsi nec beneficium nec patrimonium obtineant. Eiusmodi privilegio ab Eugenio IV. concesso gaudet ecclesia Metrop. Florentina. — Alumni sem. Pragensis ad titulum missionis ordinantur, Urb. VIII. 13. Mart. 1640, aeque ac discipuli collegii de prop. fide 18. Maii 1638. Alumni collegii Illyrici privilegio gaudent ordinationis sine beneficio et patrimonio, nulla facta tituli missionis mentione. Simile privilegium concessum est collegio Fuldensi pro scholaribus germ. Nat. et collegio Pragensi. Episcopo S. Crucis de la Sierra idem privilegium concedendum esse suasit S. Pontifici S. C. 6. Julii 1719. (cf. I. 215.)

(cf. decl. ad c. 8. Sess. XXIII.)

—

34. Sacerdoti ad titulum religiosae paupertatis in Societate Iesu ordinato et deinde ab ea dimisso congruam portionem subministrare Societas non tenetur. 8. Aug. 1705. confirm. 28. Febr. 1722.

35. S. C. resp. gradum doctoratus tam in theologia quam in iure canonico non esse titulum, ad quem aliquis ad sacros ordines promoveri queat, sed requiri omnino vel beneficium vel patrimonium ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficiens. 23. Maii 1609. Relat. a *Bened.* XIV. ex l. XI. Decr. p. 53. in Instit. XXVI.

C. III. *Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur; quibus debeantur; non servientium contumacia punitur.*

Cum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta [1]), ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur: statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae [2]) vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcunque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter iuxta divisionem ab episcopo, etiam tanquam apostolicae sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur, salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt; non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscunque. Crescenteque [3]) non servientium contumacia liceat contra eos procedere iuxta iuris ac sacrorum canonum dispositionem.

[1]) cf. c. 15. in VIto de rescr. I. 3. (Bonif. VIII.) — [2]) cf. Sess. XXII. c. 3. de ref. et c. 12. Sess. XXIV. cum declar. et resol. — [3]) cf. c. 16. 17. X. de cler. non res. III. 4. (Greg. IX). et Sess. XXIII. de ref. c. 1.

C. IV. *Coadiutores curae animarum quando sint assumendi. Ratio novas parochias erigendi traditur.*

Episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum di-

vinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus iuxta formam constitutionis Alexandri III. [x]), quae incipit: *Ad audientiam*, constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus, et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam; quacunque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis ecclesiis non obstantibus. Neque huiusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

[x]) c. 3. X. de eccl. aedif. III. 48. « Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa quae dicitur H., tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire; unde non valent congruo tempore ecclesiasticis interesse officiis. Quia igitur dicta ecclesia ita dicitur reditibus abundare, quod, praeter illius villae proventus, minister illius convenienter valet sustentationem habere, mandamus, quatenus, si res ita se habet, ecclesiam ibi aedifices, et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad praesentationem rectoris ecclesiae maioris cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem villae obventiones ecclesiasticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci matrici servetur, quod quidem fieri posse videtur, cum eiusdem villae dominus viginti acras terrae frugiferae velit ad usus sacerdotis conferre. Si vero persona matricis ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas. »

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Parochum curatum ecclesiarum, quarum altera ab altera tam longe distat, ut debiles ad eam non sine magna difficultate accedere possint, cogi debere ab ordinario in alterutra ex ipsis ab ordinario designanda retinere coadiutorem pro administratione sacramentorum propriis sumptibus et expensis, ab episcopo approbandum, S. C. resp. in *Aquen.* 2. Aug. 1721.

2. S. C. censuit, supposita numerositate populi et tenuitate redituum prioratus, cui annexa est cura animarum, cogendum esse priorem sibi adiungere pro administrandis sacramentis et cultu divino sacerdotem, eique subministranda esse per populum ad vitam sustentandam necessaria. 16. Apr. 1639. Ex l. XVI. Decr. p. 190. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XCIII.

3. Parochi duabus parochiis, quarum una intra alterius limites erat, praepositi expensis debere capellanum curatum constitui, donec statuatur, an locus sit dissolutionis alterius ab altera, resolv. S. C. in *Placentina* 13. Aprilis 1726.

4. Administrationem oblationum et emolumentorum parochialium spectare ad locum-tenentem, neque vero ad vice-parochum, S. C. censuit in *Toletana* 2. Julii 1729.

5. Ecclesia parochialis alicui monasterio erat unita, ita ut deputandus esset vicarius saecularis perpetuus. Intra parochialis limites altera posita erat ecclesia, ad quam plus nongenta capita non numeratis parvulis spectabant, quaeque per unam et alteram horam ab antiqua parochiali distabat. Episcopum in hac ecclesia erigere posse vicariam perpetuam liberae collationis, non obstante monasterii contradictione, assignata vicario congrua dote ex aliis quam monasterii et antiquae parochialis bonis, ita tamen, ut servetur in provisionibus concursus, resp. S. C. in *Brixinen.* 16. Mart. 22. Jun. 1743.

6. Parochiae incolae, qui in villa Meridii domicilium habebant, instabant, ut nova ibidem parochia erigeretur, etenim villam 1500 passus ab ecclesia parochiali distare viamque ita asperam et arduam esse dicebant, ut nec missae secundum praeceptum interesse, nec fidei rudimenta a parocho recipere possent, et aegroti saepe decederent absque extrema sacramentorum expiatione. Quamvis vero dotem aliaque necessaria sese suppeditaturos esse spopondissent, denegavit tamen S. C. petitam dismembrationem et constituit, erigendam esse vicariam perpetuam cum assignatione congruae a communitate Meridii solvenda. *Lunen. Sarzanen.* 27. Sept. 1732. Acriter postea Meridiensibus contendentibus et non satis sibi consultum pu-

tantibus, redintegrata fuit quaestio de plena veteris parochiae sectione, et S. C. decisionem confirmavit iuxta modum, scilicet: ut vicarius perpetuus eligeretur per concursum, et episcopus ei assignaret emolumenta stolae, reliquis reditibus parocho reservatis. 24. Jan. 1733.

—

7. Plenae dismembrationis propter longam sive arduam viam concessae exempla prostant e. gr. in *Mileten.* 29. Jan. 1735., *Derthonen.* 28. Jan. 1736., *Asculan.* 11. Apr. 1739., *Novarien.* 20. Sept. 1760., *Arimin.* 26. Mart. 1763., 8. Aug. 1789. Similiter cum in civitate Frusinonis duae essent parochiae et septem millia parochianorum, novam in commodiori urbis loco erigendi licentiam S. C. concessit in *Verulana* 22. Maii 1784.

—

8. Fontem baptismalem episcopum in ecclesia intra fines alterius eiusdemque parochialis sita erigere non posse, sed, concurrente necessitate vel incommodo propter distantiam, novam potius constituendam esse parochiam ad praescriptum Sess. XXI. c. 4., resp. S. C. in *Sedunen.* 17. Aug. 1626. (cit. XI. 126.) *Urbevet.* 22. Sept. 1742.

9. Cum inter duas ecclesias haec esset ratio, ut in altera esset fons baptismalis, et infantes suos suscipiendi baptismi gratia ad eam deferre parochiani consuevissent, alterius vero parochus ab illius archipresbytero oleum sacrum, quo aegrotantes in extremo inunguntur, petere solitus esset, de illius matricitate constare S. C. resp. in *Ariminen.* 28. Jul. 1731.

10. Fontis baptismalis in altera ex duabus eiusdem urbis ecclesiis parochialibus erectionem ab episcopo praescriptam perficiendam non esse S. C. propterea mandavit in *Urbevetana* 22. Sept. 1742., 2. Dec. 1747., quod non constaret de praetensa asperitate atque longitudine viae ad alteram ecclesiam, in qua fons baptismalis ab antiquo erat constitutus. Postea vero erectionem quidem concessit, sed episcopo mandavit, ut omnino incumberet, ne ecclesia, in qua fons ab antiquo positus erat, debitis fraudaretur obsequiis. 3. Aug. et 14. Dec. 1748.

11. Erectionem fontis baptismalis sumptibus parochianorum ab episcopo factam relicta tamen libertate parochianis, deferendi iuxta solitum filios baptizandos etiam ad alias ecclesias, sustinuit S. C. in *Fulginat.* 22. Junii 1720.

12. A tempore, cuius nulla est hominum memoria, ius baptizandi erat apud solam ecclesiam cathedralem Camerin., reliquarum eiusdem urbis ecclesiarum parochialium matrem. Petierunt itaque unius ex his ecclesiis canonici, ut ipsorum quoque ecclesiae erectio fontis baptismalis iusque baptizandi concederetur, tum propter necessitatem, tum quoniam secundum communem regulam ius baptizandi haberi debeat pro parochiali. Attamen S. C. respondit: *negative. Camerin.* 10. Febr. 1748.

C. V. *Possunt episcopi facere uniones perpetuas in casibus a iure permissis.*

Ut etiam ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur, possint episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, iuxta formam iuris, sine tamen praeiudicio obtinentium, facere uniones [1]) perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem et in ceteris casibus a iure permissis, etiam si dictae ecclesiae vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata aut qualitercunque affecta. Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscunque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis aut suspensionis.

[1]) cf. c. 8. X. de excess. prael. V. 33. (Alex. III.) et Sess. XIV. de ref. c. 9., Sess. XXIV. c. 13.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Cum episcopus Fulginas exposuisset, esse in sua dioecesi ecclesias plures parochiales summa inopia laborantes et quarum parochiani ad exiguum numerum essent redacti, itaque se de earum unione cogitare, S. C., licet unioni capitulum eccl. cathedralis, rectores et incolae refragarentur, tamen ei locum esse censuit. *Fulginat.* 30. Jan. 1723.

2. Unionem ad componenda vetera inter ecclesias iurgia recte factam fuisse, ideoque decretum super ea editum susti-

nendum esse S. C. resolvit in *Novarien.* 17. Dec. 1762. Contra vero, cum dissidia alia ratione tolli possent, denegavit S. C. petitam unionem. *Pisauren.* 11. Jan. 1744.

3. Cum ad ecclesiarum unionem proceditur auctoritate non ordinaria, sed delegata, non opus est capituli consensu. *Caesenaten.* 17. Jul. 1723. §. ult.

4. Ecclesiarum duarum parochialium unionem propter deminutos reditus factam episcopus dissolvit imposita alteri parocho pensione alteri solvenda. Cum vero parochiarum incolas neque interpellasset neque audivisset, deesset legitima separationis causa, reditus denique ita essent, ut parochus inde vivere non posset, unionis dissolutionem non sustineri et episcopum providere debere, ne cura animarum negligeretur, resolv. S. C. in *Montis Alti* 5. Dec. 1744.

C. VI. *Imperitis parochis vicarii assignata parte fructuum deputentur; in scandalo perseverantes privari beneficiis possint.*

Quia illiterati [1]) et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant, episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, coadiutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacunque appellatione et exemptione remota. Eos vero [2]), qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant ac castigent, et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant.

[1]) cf. c. 1. D. XXXVI. (Gelas.), c. 1. D. XXXVIII. (conc. Tol. IV.), c. 18. X. de renunc. I. 9. (Innoc. III.) — [2]) cf. c. 13. 14. 15. X. de vita et hon. cler. III. 1. (conc. Lat. IV.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. S. C. censuit, episcopos successores posse superveniente rationabili causa iterum ex officio, etiam extra visitationem, examinare parochos alias ad ecclesias parochiales approbatos. *Placentina* 26. Aug. 1628. l. XIII. Decr. p. 520. Eodem modo iudicatum est 13. Jan. 1635. l. XV. Decr. p. 146. Rel. a Bened. XIV. De syn. dioec. XIII. 9.

2. Cum sub die 15. Jan. 1667. episcopo Pampilonen. a S. C. responsum fuisset I. posse episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam, quando adsit vehemens suspicio de illorum imperitia, II. posse ad huiusmodi examen procedere etiam extra visitationem, III. ad dictum examen faciendum haud necesse esse ut iudiciales probationes imperitiae praecedant, ulterius declarari supplicavit: An in actu visitationis dioecesis possit episcopus examinare parochos quotquot visitat, etiamsi contra illos vel aliquot ipsorum non vigeat suspicio imperitiae? S. C. resp. *negative* d. 22. Sept. 1668. Relata a Bened. XIV. Instit. IX. ex l. 26. Decr. p. 108.

3. Episcopus Legionen. retulit in status sui relatione, contingere in sua dioecesi, ut vacantibus parochialibus ecclesiis non alii se offerant concursui quam miserabiles provinciae filii, qui nullo alio sunt exculti studio, quam rudis grammaticae et summae moralis vernaculo idiomate compositae, quam approbationis in concursu adipiscendae causa memoriae mandent. Concludit itaque nullam aliam viam superesse huic malo occurrendi, quam ut sibi aliisque episcopis tribuatur facultas parochos dioecesanos denuo appellatione remota ad examen vocandi, praesertim eo consilio, ut studia non omnino beneficiis obtentis derelinquant. Ad quas preces S. C. mandavit ut dentur decreta (cf. supra). *Legionen.* 15. Dec. 1725.

4. Cum episcopus parochum, qui per scandala commissa, vitam inhonestam et negligentiam parochianos tam sibi infestos reddiderat, ut omnino ab eo sacramenta recipere denegarent, de permutanda intra certum tempus parochia cogitare iussisset, alioquin vero permutationem ex officio locum esse habituram ei indicasset, sententiam sustinendam esse, ita tamen, ut permutatio per episcopum fieret cum beneficio reditus aequivalentis, S. C. resp. in *Eystetten.* 11. Aug. et 22. Sept. 1742.

5. Episcopus Sedunensis, cum populum parochiae Camperiacensis rectoris senio confecti et indocti culpa rudem omnino et in Christiana doctrina minus bene versatum invenisset, et ad coadiutoris deputationem propter tenues eiusdem ecclesiae reditus procedere non posset, saluti plebis ita providendum esse censuit, ut sacerdotem eiusdem loci ad pascendas oves eligeret; rectori vero iniunxit, ut a publicis concionibus abstineret, et solum catechismum dioecesanum, nihil tamen de suo addito, aliumve probati auctoris librum populo perlegeret. Mandatis tamen episcopi non obtemperavit sacerdos, quare episcopus eum ad resignationem movere studuit, et, cum ex proventibus beneficii congrua vitae sustentatio assignari non posset, iniunxit ei, ut in seminarium se conferret, ibique ad vitam permaneret atque aleretur. Verum cum etiam hanc legem contemneret, praecepit episcopus, ut novum coram examinatoribus synodalibus examen subiret, persistente vero rectore in contumacia, ademit ei potestatem administrandi sacramenta exercendique ceteras praeter missae sacrificium functiones; tandem illum declaravit a divinis suspensum et beneficio privavit. Re ad S. C. a rectore delata, ad quaestionem: An remotio rectoris curati Camperiacensis sit sustinenda, seu potius idem rector sit redintegrandus in casu? S. C. resp.: Episcopus se gerat ad formam concilii Sess. XXI. c. 6. de ref. (eique scribatur iuxta instructionem.) 9. Sept. 1775.

C. VII. *Episcopi transferant beneficia ex ecclesiis, quae nequeunt restaurari: alias vero reparari curent; quid in hoc servandum sit.*

Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales vero ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus et proventibus quibuscunque [x]) ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut, in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales quam alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

[x]) c. 1. (conc. Mogunt.), c. 4. (Alex. III.) de eccl. aedif. III. 38.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Episcopo Narniensi postulante, an possit beneficia (quorum tituli translati fuerant in aliam ecclesiam, quae reparatione indigebat), quacunque dignitate beneficiati praefulgeant, et etiamsi gaudeant palatinorum privilegiis, ad restaurandam ecclesiam, in quam transferentur tituli, quatenus restauratione indigeat, gravare? S. C. resp., dictos rectores beneficiorum, etiam in quacunque dignitate constitutos, teneri post translationem secutam ad futuram restaurationem ecclesiarum, ad quas beneficia fuerunt translata. 24. Mart. 1657. Ex l. XIX. Decr. p. 642. rel. a Bened. XIV. Instit. C.

2. In reaptatione ecclesiae parochialis contribuendum esse a parocho et beneficiatis, quorum beneficia ad illam ecclesiam sunt translata, ad ratam redituum, resp. S. C. in *Nullius Farfen.* 8. Febr. 1721.

3. Monasterii sumptibus reparanda est ecclesia parochialis, si eidem monasterio illius bona fuerunt incorporata. *Clusina* 22. Sept. 1725.

4. Cum ageretur de restauranda ecclesia civit. Umblae, per terrae motum diruta, capitulum ecclesiae metrop. Ragus., quod parochos iure suo nominabat, reficiendi onus populo imponere studuit. S. C. tamen ad quaestionem: An et cuius expensis reaedificanda seu reparanda sit ecclesia? ita resp.: Praefigendum esse capitulo terminum sex mensium ad reaedificandum vel ad renunciandum iuri praesentandi. 3. Aug. 1686. Rel. a Bened. XIV. Inst. C.

5. Cum ille, ad quem ecclesiae fructus pertinebant, episcopi praecepto, ut ecclesia restauraretur, non obtemperasset, fructuum sequestrationi ad perficiendam restaurationem locum esse, S. C. resp. in *Asculana* 21. Jun. 1721.

6. Episcopum ius habere sequestrandi quartam fructuum et decimarum partem in reparationem ecclesiae parochialis unitae monasterio quoad temporalia, debitam ab abbate commendatario ex vigore litterarum apost., resp. S. C. in *Rossanen.* 11. Mart. 1741.

7. Ab ecclesia oppidi Rotenfels, unita capitulo Spirensi, reservatis capitulo decimis, dismembrata fuerat villa de Seelbach novaque in illa erecta parochialis ecclesia sub iure patronatus L. B. de Eberstein. Quam ecclesiam villae de Seelbach cum reaedificari necesse esset, onus hoc capitulo tanquam decimatori incumbere parochiani contendebant, et aediles Margravii Badensis, tunc temporis domini eiusdem villae, decreverunt decimarum sequestrum, collectaque inde pecunia ecclesiae constructionem sciente et annuente episcopo inchoarunt. Quaestione itaque de onere aedificandi ad Summ. Pont. relata, S. C., ad quam preces remissae sunt, ad quaestiones: I. An et ad quem spectet reaedificatio ecclesiae parochialis oppidi Seelbacensis? II. An sit locus restitutioni decimarum et a quo sint restituendae in casu? censuit ad I. spectare primo loco ad reditus fabricae, secundo loco ad populum, tertio ad patronum. Ad II. *affirmative* et esse restituendas a regimine Badensi. *Spiren.* 30. Maii 1761.

8. Cum ecclesia aliqua, terrae motu diruta, omnibus careret reditibus, S. C. rescr. ad eam reaedificandam teneri populum et *possidentes* in districtu parochiae per aes et libram, in *Imolen.* 5. Sept. 1783, 10. Jan. 1784, 16. Mai. 1795. *Assisien.* 24. Mart. 1838.

9. Pro reparanda ecclesia S. Venantii Spolet. archidioecesis omnia ex archiepiscopi testimonio deficiebant media a canonibus statuta atque unus supererat populus, ad quem itaque necessario confugiendum erat. Quaesitum vero erat, utrum *qui fundos possident*, licet alibi degant, an potius parochiani quicquid ad ecclesiam aedesque parochiales reficiendas requiritur impendere deberent. Dubiis itaque propositis: I. An et quomodo *possidentes* teneantur ad reparandam paroeciam in casu etc.? II. An et quomodo teneantur coloni in casu? S. C. resp. ad I. *Affirmative* per aes et libram, ad II. *affirmative* et operas praestare teneri prudenti arbitrio archiepiscopi. *Spoletana* 20. Maii 1824. Eandem de *possidentibus* etiam *exteris* obligatis sententiam secuta est in *Tiburtina* 15. Dec. 1827.

—

10. Ecclesiam, maxima restauratione indigentem et derelictam concedi posse arbitrio episcopi ad usum ecclesiae, et sub expressa conditione restaurationis faciendae, vendi vero non debere, resp. S. C. in *Bononien.* 24. Febr. 1720.

11. Beneficium simplex ex ecclesia fere diruta translatum fuit ad ecclesiam parochialem, exstructo ibi altari sub priore invocatione. Facta illius ecclesiae *ex piis fidelium oblationibus et eleemosynis* restauratione et rectore beneficii contendente, titulum reportandum esse ad ecclesiam restauratam, S. C. resp., non esse reportandum, cum ecclesia nova dici non possit eadem atque antiqua. *Tudertina* 12. Aug. 1741.

12. Ecclesia quadam parochiali S. Mariae Magdalenae collapsa, capitulum suspensionem collationis illius parochiae ad decennium obtinuit, ut interim omni eius cura assumpta et adnexis oneribus impletis, reditus superexstantes in cathedrale templum instaurandum impenderet. Decennio elapso, petentibus canonicis illius suppressionem et ut ecclesiae cathedrali per suos vicarios administranda uniretur, attenta parochianorum utilitate maiore ac reparatione ecclesiae perdifficili, cum parochiani prope cathedralem habitarent et ipsi quoque id optarent, S. C. resp.: «locum esse suppressioni et unioni erecto in cathedrali altari cum icone S. Mariae Magdalenae, translatis oneribus, et addita celebratione missae solemnis in festo S. Mariae Magdalenae cum assistentia totius capituli, et per Breve.» *Fulginaten.* 22. Maii 1841.

13. Ecclesia parochiali ad aliam recens erectam translata, titulum antiquum ecclesiae esse retinendum atque ad ecclesiam subrogatam transferendum, quamvis addi possit titulus secundus, S. C. iudicavit in *Amerina*, 31. Mart. 1708., *Burgen.* 14. Nov. 1733. et 9. Jan. 1734.

C. VIII. *Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecunque quotannis ab episcopis visitentur.*

Quaecunque in dioecesi ad Dei cultum spectant, ab ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est. Propterea commendata monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praeposituraе nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab episcopis, etiam tanquam apostolicae sedis delegatis, annis singulis visitentur [1]); curentque iidem episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quae renovatione indigent aut restauratione reficiantur, et cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exerceantur; appellationibus quibuscunque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore praescriptis, conservatoriis, iudicum deputationibus, et eorum inhibitionibus non obstantibus. Et, si in eis vigeret observantia regularis [2]), provideant episcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium superiores iuxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent et observari faciant, et sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint vel correxerint, tunc iidem episcopi, etiam ut delegati sedis apostolicae, eos visitare possint et corrigere, prout ipsi superiores possent iuxta eorum instituta; quibuscunque appellationibus, privilegiis et exemptionibus penitus remotis et non obstantibus.

[1]) cf. Sess. VII. de ref. c. 8., Sess. XXIV. de ref. c. 9., Sess. XXV. de regular. et mon. c. 20.— [2]) cf. Sess. XXV. cap. cit.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In ecclesia parochiali commendata monasterio (ord. S. Hierosolymitano) cuius rector nominatur a commendatario, episcopus in visitatione ecclesiae potest etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum;

uti sedis apost. delegatus corrigere parochos aliosque ecclesiae ministros tam in actu visitationis quam extra;

inquirere contra parochum non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem, sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus et in omnibus circa morum correctionem civilibus et mixtis;

in casu impedimenti procedere cum censuris contra impedientes tam commendatarium quam ministros;

procedere tam in actu visitationis quam extra contra laicos et ministros oppidi commendati, exceptis commendatario et aliis ministris habentibus tria requisita, pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus v. g. usuris, concubinatibus, percussione clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione iurisdictionis episcopalis, et tali casu censuris ecclesiasticis uti;

mandare in actu visitationis, ut calices et decentia paramenta ad decus administrationis provideantur;

cognitionem facere status liberi eorum, qui matrimonia ibi contrahunt et litteras eis dare;

tueri immunitatem ecclesiasticam in eo oppido etiam adversus commendatarium et ministros ita, ut eos valeat declarare excommunicatos:

praestare consensum alienationi bonorum ecclesiae parochialis vel alterius pii loci iuxta terminos cap. *Terrulas* XII. qu. 2, praeter quam quoad bona religionis;

destinare concionatorem in illo oppido et concionandi licentiam praestare.

Parochus et beneficiarii tenentur acce-

dere ad synodum dioecesanam, nec parochus ultra terminum praefixum abesse absque episcopi licentia potest. *Guardien.* 5. Sept. 1693., 15. Jan. 1695. (rel. V. 254.)

Denique episcopum libros quoque administrationis bonorum eccles. paroch. commendatarum iure delegato recognoscere et administrationis rationem petere posse, S. C. censuit in alia *Guardien.* 14. Nov. 1733.

2. Monasterium monialium Ord. Cist. propter redituum inopiam monasterio Vallis Olivetanae Leo X. P. M. ea lege perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ut in ecclesiis eius praepositus per aliquem vel aliquos monachos, vel alium regularem cuiusvis alterius ordinis vel saeculares sacerdotes singulis dominicis vel aliis festivis diebus missas celebrari et alias in divinis eidem ecclesiae deserviri facere tenerentur. Nulla inter monachos Vallis Olivet. et episcopum de hoc unito monasterio exorta erat controversia. Verum postea cum episcopus ius sibi visitandi arrogaret, mota est status quaestio, contendentibus monachis, monasteria quidem locis exemptis *aequaliter* unita, nec vero *accessorie* et *subiective* unita iure delegato visitari ab episcopis posse. Demum ad quaestionem: An episcopus visitare possit ecclesiam unitam in casu? S. C. respondit *negative*. *Naulen.* d. 2. Dec. 1752. Eandem sententiam tulit in *Lycien.* 29. Jan. 1724. et 23. Jun. 1725., in *Placentina* 17. Aug. 1726. et 11. Jan. 1727. et *Montis Regal.* 15. Mart. 1727.

(reliqua vide ad Sess. XXIV. c. 9., Sess. XXV. de reg. c. 20.)

C. IX. *Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur. Indulgentias et spirituales gratias ordinarii publicent. Duo de capitulo eleemosynas gratis accipiant.*

Cum multa a diversis antea conciliis, tam Lateranensi [1]) ac Lugdunensi, quam Viennensi [2]), adversus pravos eleemosynarum quaestorum [3]) abusus remedia tunc adhibita posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscunque Christianae religionis locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur; non obstantibus privilegiis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis et quibusvis cuiuscunque gradus, status et dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit. Quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem coelestes hos ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.

[1]) c. 62. X. de poenit. V. 38. — [2]) Clem. 2. h. t. V. 9. — [3]) cf. Sess. V. de ref. c. 2., Sess. XXV. decr. de indulg.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Monachis (ord. Franc. Min. Obs.) non licere quaestuare eleemosynas, et oblationes pecuniarias pro defunctis cum retentione disci eleemosynis colligendis destinati in ecclesia parochiali invito parocho accipere, quamvis iis pluries fuerit ab episcopo concessum et consuetudo plus centum annorum iis faveret, resp. S. C. in *Pampilonen.* 6. Maii 1741.

2. Parocho non licere discum occasione, qua sacramentum extremae unctionis administrat, recipere, resp. S. C. in *Albanen.* 20. Febr. 1723.

3. Contenderat abbas Luculensis, indulgentiarum publicationem faciendam ex c. 9. Sess. XXI. C. T. per ordinarios locorum, ad se pertinere, quoniam ordinarii locorum non solum episcopi, sed praelati quoque quasi episcopalem iurisdictionem habentes dicerentur. Deinde cum abbatiam habere territorium a dioecesi Aquilana separatum contenderet, ita ut ipse in territorio suo ordinarius esse videretur, edicta et reliquas scripturas iurisdictionales ita se subscribere posse censebat: *Datum Aquilae ex palatio nostrae residentiae* etc.

Aegre id ferente episcopo Aquilano res delata est ad S. C., quae ad quaestiones: I. An et ad quem spectet publicatio iubilaei et indulgentiarum in terra Luculi? II. An subscriptio edictorum et quarumcunque scripturarum iurisdictionalium posset ab abbate S. Ioannis de Luculo expleri cum dato: «Dat. Aquilae *ex palatio nostrae residentiae*», in casu etc.? resp. ad I. spectare ad episcopum; ad II. *negative*, et esse apponendam datam ex abbatia S. Ioannis civitatis Aquilae. *Aquilan.* 21. Jun. 1760.

4. Quaestuationem pro suffragio animarum purgantium fieri solitam iniungi posse per episcopum personae laicae in ecclesia cathedrali, resp. S. C. in *Sancti Marci* ad dub. III. 13. Apr. 1720.

Indictio futurae sessionis.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, statuit et decrevit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post octavam festi Nativitatis beatae Mariae Virginis, quae erit decima septima mensis Septembris proxime futuri; hoc tamen adiecto, quod dictum terminum, ac unicuique sessioni in posterum praefigendum, ipsa sancta synodus pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione restringere et prorogare libere possit et valeat.

SESSIO XXII.

QUAE EST SEXTA

SUB PIO IV. PONT. MAX.,

CELEBRATA

DIE XVII. SEPTEMBRIS MDLXII.

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSAE.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ut vetus, absoluta atque omni ex parte perfecta de magno eucharistiae mysterio in sancta catholica ecclesia fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate propulsatis erroribus atque haeresibus conservetur, de ea, quatenus verum et singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta haec, quae sequuntur, docet, declarat et fidelibus populis praedicanda decernit.

C. I. *De institutione sacrosancti missae sacrificii.*

Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech [1]) surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, et si semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non erat [2]), in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret [3]), atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quo-

tidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans [4]), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem* [5]), uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit. Nam celebrato veteri pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat [6]), novum instituit pascha se ipsum, ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque [7]) de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam [8]) nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit, et quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens [9]), cum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum [10]) naturae et legis tempore similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

[1]) Hebr. VII. 11. — [2]) Hebr. VII. 24. — [3]) 1. Cor. XI. 24. seqq. — [4]) Psalm. CIX. 4. — [5]) Luc. XXII. 19., 1. Cor. l. c. — [6]) Exod. XIII. — [7]) Coloss. I. 13. — [8]) Malach. I. 11. — [9]) 1. Cor. X. 20. seq. — [10]) Gen. IV. 4. XII. 8. et al.

C. II. *Sacrificium missae est propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis.*

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit [1]), docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis [2]) rite iuxta Apostolorum traditionem offertur.

[1]) Hebr. IX. 28. — [2]) cf. infr. can. 3. et Sess. XXV. in pr.

C. III. *De missa in honorem sanctorum.*

Et quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas ecclesia celebrare consueverit [1]), non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule, sed, Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.

[1]) cf. infr. can. 5. et Sess. XXV. de invoc. sanct.

C. IV. *De canone missae.*

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit [1]) ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

[1]) cf. c. 1. D. c. XLVII. seqq. et c. 6. X. de celebr. miss. III. 41. (Innoc. III.)

C. V. *De missae caeremoniis et ritibus.*

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit, caeremonias item adhibuit [1]), ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

[1]) cf. infr. can. 7.

C. VI. *De missa, in qua solus sacerdos communicat.*

Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat, siquidem illae quoque missae vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

C. VII. *De aqua miscenda vino in calice offerendo.*

Monet deinde sancta synodus, praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent [1]), tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit [2]); quod sacramentum hac mixtione recolitur, et, cum aquae in Apocalypsi beati Ioannis populi dicantur [3]), ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.

[1]) cf. c. 4. 5. D. II. de cons. (conc. Carth. III.), c. 7. ead. (conc. Brac. III.), cit. c. 6. X. de celebr. miss. — [2]) Ioan. XIX. 34. — [3]) Apoc. XVII. 1. et 15.

C. VIII. *Missa vulgari lingua non celebretur. Eius mysteria populo explicentur.*

Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta Romana ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant [1]) et non sit qui frangat eis, mandat sancta synodus pastoribus [2]) et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum

celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.

[1]) Thren. IV. 4. — [2]) cf. Sess. V. de ref. c. 2. Sess. XXIV. de ref. c. 7.

C. IX. *Prolegomenon canonum sequentium.*

Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto evangelio, Apostolorum traditionibus sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur et disputantur, sancta synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi omnium consensu quae huic purissimae fidei sacraeque doctrinae adversantur damnare et a sancta ecclesia eliminare per subiectos hos canones constituit.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Can. I. Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, illis verbis [1]): *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes [2]), aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium [3]); vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missae sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum [4]) et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, canonem missae errores continere [5]), ideoque abrogandum esse: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit [6]), caeremonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat [7]), illicitas esse ideoque abrogandas: anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse [8]); aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo [9]), eo quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.

[1]) 1. Cor. XI. 25. — [2]) cf. supr. c. 1. — [3]) supr. c. 2. — [4]) supr. c. 3. — [5]) supr. c. 4. — [6]) supr. c. 5. — [7]) supr. c. 6. — [8]) supr. c. 8. — [9]) supr. c. 7.

DECRETUM DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSAE.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris [1]) eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate [2]) atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem restituatur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus [3]), vel irreverentia, quae ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit.

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quicquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat. Neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus [4]), atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscunque peragi, ac nisi prius qui intersint decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse. Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item saeculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis [5]) esse videatur ac dici possit.

Postremo, ne superstitionis locus aliquis detur, edicto et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant praeter eas, quae ab ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint. Quarundam vero missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu quam a vera religione inventus est, omnino ab ecclesia removeant, doceantque populum, quis sit et a quo potissimum proveniat sanctissimi huius sacrificii tam pretiosus ac coelestis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas [6]) parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedant. Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta synodo potestate, ac etiam ut delegati sedis apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illo-

rum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque.

[1]) Ier. XLVIII. 10.—[2]) cf. Sess. XIII. c. 7. de sacr. euch.— [3]) c. Eph. V. 5.—[4]) cf. c. 12. D. I. de cons. (conc. Mog.), c. 34. ead. (conc. Trull.) et al. — [5]) Isa. LVI. 7., Matth. XXI. 13.— [6]) cf. c. 35. D. I. de cons. (conc. Agath.) c. 4. 5. C. IX. qu. 2. et c. 2. X. de paroch. III. 29. (conc. Nannet.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

I. DE MISSARUM CELEBRANDARUM MODO, TEMPORE AC LOCO.

1. Sacerdotem, qui post factam hostiae oblationem, repertis urceolis vino vacuis, post lapsum alicuius temporis ministro frustra discurrente taedio affectus ab altari discessit, quamvis eodem die in alia ecclesia missam celebraverit, idque per plures dies insequentes fecerit, donec ab episcopo utpote suspensus ex cap. *Nullus episcopus*, de consecr. Dist. I. et consequenter irregularis a celebrando prohiberetur, neque suspensionem neque irregularitatem incurrisse, et imposita aliqua salutari poenitentia denuo admittendum esse ad altaris ministerium, resp. S. C. in *Juvenacen.* 3. Dec. 1735. Eandem regulam secuta erat in *Placentina* 16. Dec. 1719.

—

2. Missae sacrificium in comitis cuiusdam oratorio et in quadam urbis Matrit. ecclesia iteraverat duabus vicibus sacerdos, quia defuit alius presbyter, quem rogaverat, ut in ecclesia vices eius celebrando suppleret. Fassus praeterea fuit, se non solum ablutionem in utraque missa sumpsisse, sed post primam missam refectiunculam quoque una die degustasse. Propositis dubiis: I. An constet de irregularitate in casu, II. An sit locus dispensationi in casu? S. C. resp., esse locum dispensationi arbitrio ordinarii ad cautelam. *Toletan.* 15. Febr. 1772.

3. Praxin a S. C. in concedendis indultis bis celebrandi observari solitam, haec exempla docent:

I. Aleriensis episcopus a. 1622. occasione visitationis SS. liminum retulit, plura esse in sua dioecesi oppida, quorum incolis unus tantum praeerat rector, qui ob suam et parochianorum paupertatem sibi adiungere nequibat coadiutorem capellanum, ex quo fiebat, ut plures, ac praesertim mulieres, ob inimicitias extremamque inopiam, qua fere denudatae incedebant, non possent diebus festis pro audienda eiusdem rectoris missa ad oppida vicina accedere. Petiit hinc, concedi eiusmodi rectoribus, ut possent diebus festis bis sacrum facere. S. itaque C. d. 20. Sept. ei. anni ita rescripsit: « Cum parochi ob extremam eorum et parochianorum paupertatem nequeant sibi coadiutores adiungere, qui in locis aliis eiusdem parochiae missam celebrent, neque parochiani, praesertim mulieres, ad finitima oppida accedere valeant ad missam audiendam, debere eius Amplitudinem eiusmodi parochianorum necessitatibus aliqua ratione consulere iuxta facultatem ei a sacris canonibus et Trid. Conc. decretis attributam. »

II. Cum die 1. Sept. 1657. exposita fuisset haec consultatio: An episcopus absque apostolico indulto possit bis in die sacrificium offerre, ex causa, quae supponitur ut infra, nempe cum in civitate, quam dicunt *dell'Assunta*, in provincia Paraguariensi pars magna nobilium domi se contineat, quod apparatu vestium decenti careat, ideo, ut nobiles mulieres ac viri e domibus ad templa educerentur, opus fuit missam ante solis ortum celebrare. Sed non reperto sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, episcopus ipse missam antelucanam nobilium gratia, aliam vero paulo ante meridiem pauperum gratia celebrare sibi licuisse praetendit. S. Congr. resp.: *in casu proposito non posse* (ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est alium non adesse sacerdotem, qui missam antelucanam celebraret pro nobilibus). (Cf. *Bened.* XIV. litteras ad ep. Oscensem in eiusd. Bull. T. II. p. 22.)

III. Episcopus Adiacensis a. 1658. in visitatione SS. liminum exposuit, aliquos suae dioecesis parochos, cum duos parvos haberent pagos pauperes et miserabiles, bis celebrare in diebus festis ex antiqua consuetudine ab episcopis tolerata. Addit praeterea, quosdam alios esse, qui ob locorum distantiam et parochorum incommodum idem sibi concedi exposcebant. S. vero C. d. 25. Jan. 1659. resp.: « Circa indultum quoque duas in diebus festis missas celebrandi, quod ratione loci

ac distantiae petunt parochi. Emin. PP. in re adeo sancta nihil inconsulto et absque sedula et matura disquisitione concedendum rati, postquam ab Amplitudine tua explicite ac distincte circa locorum distantiam, et parochianorum numerum et qualitates, et num alia commodiori ratione consuli possit, certiores facti fuerint, pro sua ipsorum pietate atque providentia id statuant, quod divino cultui et spirituali animarum saluti expedire censebunt. »

IV. Cum unus vicarius praeesset duabus ecclesiis parochialibus monasterio unitis, proposito dubio: An teneatur episcopus Aurien. concedere praedicto vicario licentiam celebrandi duas missas in quolibet die festo, die 4. Mai. 1715. rescr. fuit, *negative*, sed simul S. C. per modum provisionis deputari iussit duos presbyteros assignato eis congruo stipendio ex reditibus utriusque ecclesiae parochialis.

V. Honoratus d'Estienne de Caussegros, dynasta oppidi de Lioux, cum parochialis ecclesia in eodem oppido non parum distaret ab aliis locis eiusdem suae ditionis, atque etiam ab aedibus, in quibus ille sedem habebat, nec facilis esset ob itineris asperitatem aditus ad eandem parochialem eccl., sacellum construxerat domicilio suo proximum, in quo res divina fieri diebus festis posset. Sed cum impar esset constituendo censui pro stipendio sacerdotis missam ibidem celebraturi, impetraverat tam a praedecessore quam a tunc existente episcopo (Aptensi), tribui parocho dicti oppidi de Lioux facultatem sacrum bis agendi omnibus festis, semel nempe in parochiali ecclesia, et iterum in dicto sacello, idque ipsum per pontificium diploma sibi indulgeri rogavit. At proposito dubio: An sit consulendum SSimo pro concessione petiti indulti in casu etc.? S. C. d. 27. Jun. 1733. rescr.: Dilata et adhibeantur diligentiae iuxta mentem, nec non scribatur episcopo iuxta instructionem. Ad litteras datas respondit episcopus: 1) difficillime haberi posse alterum sacerdotem, qui diebus festis sacrificet in publico oratorio, de quo agitur, cum non sit alius nec in dicto oppido, nec in vicinis locis. 2) Ecclesiam parochialem distare circ. duo milliaria a quibusdam dicti loci villis, viamque esse perdifficilem ob interfluentes torrentes, praesertim hiberno tempore. 3) Esse circiter centum incolas; qui ad audiendam missam non possunt commode accedere ad ecclesiam parochialem. 4) Necessarias fore 150 libras ut alter sacerdos missam celebraret in dicto publico oratorio. 5.) Denique nec dominum loci eiusmodi eleemosynam subministrare nec ab incolis aliquid contribui posse. S. C. tamen d. 8. Maii 1734. resp.: *negative*. (Ex voto archiep. Petrensis S. C. secretarii XXXVII. 275. in causa *Derthusen.* indecisa.)

4. Episcopus Segnensis in visitatione praeter alia duo tulerat decreta, de quibus actum est a presbyteris eius coram S. C. Quaestionibus igitur propositis: I. An decretum, quo praecipitur, ut omnes presbyteri praeter legitime impeditos interesse teneantur missae sacrificio, per unum canonicum cum expositione SS. sacramenti quolibet die Iovis servari solito, sub poena suspensionis sustineatur? II. An aliud decretum eiusdem visitationis, quo interdicitur celebratio missarum lectarum; dum episcopus missam pontificaliter celebrat, vel sacrum solemniter die Iovis cum expositione SS. sacramenti perficitur, et etiam si ex gravi causa celebrentur, non pulsentur campanulae pariformiter sub d. poena, sustineatur in casu etc.? S. C. respondit ad I. *negative*, et esse hortandos, sed non cogendos, *et amplius*. Ad II. quoad sonum campanularum *affirmative*, in reliquis *negative*. *Segnen.* 13. Sept. 1749.

5. Quoties oratorium est publicum habetque ianuam in via, ita ut cuique pateat accessus, nec desunt alia requisita, non comprehenditur sub prohibitione decreti Conc. Trid. de obs. et evitandis etc., quod vetat ne extra ecclesias et in oratoriis missae celebrentur. *Florentina* 2. Dec. 1628.

6. Oratorium, etsi in aula baronis vel in atrio palatii situm sit, nihilo tamen minus pro publico habendum esse, quando cetera publicitatis signa concurrant, S. C. iudicavit in *Compsana* 31. Maii 1704. (rel. V. 8.), in qua de procuratione a beneficiato cuiusdam oratorii praestanda agebatur, quod situm erat intra atrii palatii claustrum, et habebat altare fixum marmoreum, et campanile cum campana pro plebis ad sacrum audiendum convocatione.

7. Quoties populus, accedendo diebus festis ad audiendum sacrum in oratorio publico, verbum Dei non audit a parocho, caret catechismo et doctrina christiana, spernit vigilias et festivitates de praecepto, et denunciationibus matrimonialibus non

interest, interdici solet celebratio missae in oratorio publico diebus festis de praecepto, excepto festo Sancti titularis. Ita e. gr. in *Lucana* 7. Dec. 1720. et 13. Sept. 1721 et 19. Sept. 1722, *Barchinonen.* 30. Sept. 1730.

8. Cum de sacris in oratorio quodam publico a capellano, a patrono praesentato, peragendis a parocho quaestio mota esset, S. C. quae sequuntur dubia proponebantur: I. An in festo titulari ecclesiae, de qua agitur, aliisve festis missae decantari valeant independenter a parocho? II. An ven. sacramentum exponi possit in dicta ecclesia, sola impetrata licentia episcopi et independenter ab eodem parocho? III. An in supradicta ecclesia per sacerdotes ab ordinario approbatos excipi possint quocunque tempore sacramentales fidelium confessiones independenter a dicto parocho? IV. An independenter a parocho extra tempus paschae administrari possit in eadem eccl. ven. eucharistiae sacramentum? V. An ibidem de licentia episcopi et independenter a parocho haberi possint panegyricae conciones? VI. An anniversaria et officia pro defunctis celebrari valeant independenter a parocho in eadem ecclesia? VII. An et cui competat ius peragendi exequias et officium funebre super cadaveribus, quae tumulantur in sepulcro d. ecclesiae? S. C. resp.: ad I. *negative*, ad II. *affirmative*, ad III. *negative*, ad IV. *negative* praeterquam in actu celebrationis missarum, ad V. et VI. *affirmative*, ad VII. competere parocho. *Comen.* 17. Mai. 1749.

—

9. Cum cautum sit, ne episcopus quemquam patiatur missam celebrare extra ecclesiam in altari portatili, idcirco S. C. licuisse censuit archiep. Tolet. contravenientes regulares etiam censurarum inflictione coërcere. d. 4. Jun. 1672. ex l. XXVII. Decr. p. 406. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IX. 15.

10. Cum vetitum sit per conc. Trid., ne in privatis domibus missae celebrarentur, quaestio exorta est inter quosdam monachos et archiepiscopum Toletanum, contendentibus illis, se oratorium habere posse in grangia, i. e. in domo rurali, in qua aliquis religiosus pro cura bonorum vel recreationis causa moratur, hoc vero negante. S. C., ad quam haec controversia delata est, ad dubia: I. An dictis monachis liceat habere oratorium in domo rurali? II. An eisdem monachis liceat in eodem oratorio audire sacramentales confessiones saecularium servitio monasterii addictorum aliarumque personarum ad praedictum oratorium accedentium, eisque alia sacramenta ministrare? resp.: *negative*. *Tolet.* 29. Aug. 1761.

11. S. C. censuit, cardinales non secus ac episcopos sine ulla episcopi dioecesani licentia uti posse privilegio altaris portatilis ad praescriptum constitutionis fel. mem. Bonifacii VIII., quae incipit: *Quoniam episcopi*, nec huiusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii Decreto c. un. Sess. XXII. Ex l. XII. p. 120. Decr. ap. *Bened.* XIV. De SS. missae sacr. III. 6.

12. „SS. Dominus noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpr., inhaerendo declarationibus alias hac de re editis expresse declarat: episcopis et his maioribus praelatis, etiam cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in Corpore iuris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere, extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi (quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur) erigere altare ibique SS. missae sacrificium celebrare sive celebrari facere. Ac pari modo in oratoriis privatis, quae per S. sedem concessa fuerint, non licere regularibus cuiusvis ordinis aut instituti aut congregationis, etiam Soc. Iesu. aut etiam cuiuscunque ordinis militaris, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunque sacerdotibus, etiamsi essent episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini aliisque anni festis solemnioribus ac diebus in indulto exceptis; in reliquis vero diebus praedictis regularibus et sacerdotibus quibuscunque, etiam episcopis in praefatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa, quae in indulto conceditur, fuerit celebrata, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere et de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius et declarando, in omnibus huiusmodi casibus personas quascunque dictas missas audientes nullatenus praecepto ecclesiae satisfacere.

Quo vero ad altare portatile iterum inhaerendo declarationibus supradictis censuit, licentias seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. *In his* de priv. per aliquos SS. Pontifices aliis regularibus communicata, utendi dicto altari portatili in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Conc. Trid., atque idcirco eosdem regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentium tenore mandat, episcopis aliisque ordinariis locorum, ut contra quoscunque

contravenientes, quamvis regulares, procedant etiam tanquam ap. sedis delegati ad poenas praescriptas per idem S. Con. Trid. Sess. XXII. c. un. usque ad censuras latae sententiae, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi perinde ac si per sanctam sedem specialiter concessa fuisset. Et ita S. S. declarat et servari mandat.“ Decr. Clementis XI. 15 Dec. 1703. (Bull. Bened. XIV. T. III. p. 389.) quod a Bened. XIII. in bulla *Apostolici magisterii* 13. Maii 1723. (Bull. Rom. T. XI. p. II.) confirmatum est, hac tamen addita restrictione: « Declaramus tamen, quod, cum in praedicto decreto statuatur, non licere episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique SS. missae sacrificium celebrare seu celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit ,, de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali sedis ap. licentia absentes a domo propria ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis. »

13. Tametsi S. Card. Congr. Conc. Trid. Interpr. optimis innixa rationibus saepissime responderit, celebrandi licentiam in privatis oratoriis non nisi a Sede Ap. esse concedendam, . . Illustrissimi Patres . . SS. D. N. iussu signandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse soliqueBeatissimo R. P. esse reservatam. Ita S. C. in litteris encyclicis iussu Pauli V. editis 1615. *Bened.* XIV. De SS. missae sacr. III. 6. Declaravit tamen 1623., capellas et oratoria ad episcoporum usum ubique locorum exstructa minime comprehendi in prohibitione constitutionis iussu s. m. Pauli V. iam pridem edita de non celebrando in privatis oratoriis.“ *Bened.* XIV. ib.

14. S. C. censuit, per bullam, quae dicitur *Cruciata*, facultatem celebrandi in privatis oratoriis *non concedi*, cum in ea ex particulari supponatur indulto, in *Calaritana*. 14. Nov. 1648. (rel. LXVI. 137.)

15. Dubiis propositis: I. An vigore bullae *Cruciatae* celebrari valeant quotidie plures missae in oratorio privato, pro unica missa concessa? II. An missae praecepto satisfaciant diebus festis omnes indiscriminatim, qui missam in oratorio privato audiant, dummodo bullam Cruciatam habeant? S. C. respondit ad I: et II: *negative*, in *Santandrien.* 15. Jul. 1797.

16. In oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a sede apostolica concessum est, ut missa die nativitatis Domini celebretur, tres missae ab eodem sacerdote celebrari possunt illo die. *Dub. orat.* 13. Jan. 1725.

17. In oratorio privato, in quo missae celebratio concessa fuit domino eo modo, ut ,,in vestra ac vestrorum et consang. etc. praesentia“ celebraretur, privilegium stricte esse interpretandum, neque ibi missam celebrari posse in absentia domini i. e. indultarii, ac sola familia praesente, resp. S. C. in *Marsicen.* 3. Dec. 1740.

—

18. Cum iuxta stylum secretariae brevium in indultis altarium pro animabus fidelium defunctorum a poenis purgatorii liberandis, ut vocant, privilegiatorum praefiniri soleat certus numerus missarum in ecclesiis, in quibus altaria huiusmodi sita sunt, quotidie celebrandarum, adiecta nimirum clausula: « dummodo in dicta ecclesia tot missae quotidie celebrentur; » frequenter vero contingat, eiusmodi conditionem non ita exacte adimpleri, et nihilominus nonnulli favorabiliter illam interpretantes asserant sufficere, quod missae in iisdem indultis, sicut praemittitur, praefinitae pluribus saltem diebus cuiuslibet hebdomadae celebrentur, nec necesse sit illas singulis diebus celebrari; idcirco exortum fuit dubium de mandato SS. D. N. in hac S. C. discutiendum, an, attenta clausula supradicta, necessaria omnino sit singulis diebus celebratio missarum in indultis huiusmodi praefinitarum, vel potius sufficiat aliquibus, licet non omnibus diebus cuiuslibet hebdomadae etc.? S. C. d. 5. Jun. 1694. resp. *affirmative* quoad primam partem, *negative* quoad secundam, ac proinde celebrationem missarum indultis praefatis, ut praefertur, praefinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem ecclesia. Et facta de praemissis relatione Sanctissimo die 17. Jul. ei. anni, S. S. sacrae Congr. sententiam benigne approbavit et publicari mandavit d. 11. Sept. 1694. L. XXIV. Decr. p. 467. Rel. a *Bened.* XIV. Inst. LVI.

19. Petentibus regularium ac saecularium coetibus: I. An absentibus religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione festivitatum vel funerum aut similium a superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, indulgentiae concessae cum certo numero missarum, qui ob dictas causas expleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, sint suspensae vel potius remaneant in suo robore? II. An idem sit statuendum deficiente praefixo numero mis-

sarum ob infirmitatem sacerdotum tam regularium quam saecularium? III. An pariter sit statuendum, deficiente dicto numero missarum ob absentiam ab ecclesiis saecularibus canonicorum et sacerdotum per aliquot dies vel menses? S. C. ad I. quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae censuit remanere suspensas, non autem in reliquis dummodo raro contingat. Ad II. censuit non remanere suspensas. Ad III. satis provisum in primo. d. 30. Julii 1706. Bullar. Clem. XI. P. II. p. 592.

20. Cum Trid. syn. nihil accipiendum sanxerit, cum novi sacerdotes primo sacrificium offerunt, disputari coepit an novus sacerdos in medio altari se ad populum convertere possit et oblata munera suscipere, et an caveatur solum a concilio ne ob hanc causam ecclesiam circumiret. Hinc Gregor. XIII. anno 1573. audita prius S. Congregationis Conc. opinione ita statuit: S. D. N. audita relatione S. C. C. decrevit, licere se vertere in medio altaris ad populum et accipere oblationes, sed non circumire ecclesiam. Ex l. I. Decr. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LVI.

—

II. DE MISSA CONVENTUALI.

21. Canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur ad applicandam quotidie missam conventualem pro benefactoribus in genere, non obstante quacunque contraria consuetudine etiam immemorabili aut redituum tenuitate. Ita S. C. in *Squillacen.* 17. Mart. 1714., *Camerinen.* 9. Jun. 1714., *Ferrarien.* 18. Mart. 1719. ad dub. I., *Comen.* 11. Maii 1720. ad dub. I., *Veliterna* 14. Mart. 1722. ad dub. II., *Spolet.* 19. Dec. 1722. ad dub. II., *Spalat.* 23. Jul. 1729. et saepius. Eximuntur tamen ab hoc onere ecclesiae seu presbyterorum consortia, quae vere et proprie collegiatae non sunt et apostolica carent institutione. *Alex.* 18. Dec. 1773. §. 9.

22. Missa conventualis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis singulis diebus applicari debet, iuxta resolutiones S. C. in *Camerinen.* 6. Jun. 1705 et 5. Jun. 1706. (II. 84.), *Tusculana* 21. Apr. 1708. (IX. 146. P. II.) *Montis Falisci* 12. Febr. 1718, *Fundana* 2. Oct. 1721. et saep. Itaque cum in capitulo missa conventualis aliter celebraretur, S. C. id reprobavit et definivit: missam conventualem esse celebrandam et applicandam quotidie pro benefactoribus, missam pro populo esse celebrandam omnibus diebus festis ad formam encyclicae Bened. XIV. « Cum semper oblatas », in *Caietana*, 20. Jan. 1838.

23. In vigiliis, tempore Quadragesimae ac similibus diebus, quibus duplicantur vel triplicantur missae conventuales cantatae, omnes esse applicandas pro benefactoribus, resp. S. C. in *Brundusin.* 28. Febr. 1722., *Camerin.* ad IV. 24. Aug. 1743.

24. Missas de anniversario cantari in choro solitas diebus non impeditis, cedere non debere in locum missae conventualis S. C. resp. in *Balneoregien.* 8. Jul. 1713. (IX. 182. P. II.)

25. Propter iniunctam missae conventualis applicationem canonici non eximuntur ab applicandis in posterum aliis oneribus et missis, quae antea pro iisdem benefactoribus applicari solebant, ut S. C. resp. in *Ferrarien.* 18. Mart. 1719., *Spalaten.* 23. Jul. 1729.

26. Attenta praebendarum tenuitate S. C. benigne indulgere solet, ut missa conventualis applicetur tantum diebus festis de praecepto. Ita S. C. in *Camerinen.* 5. Jun. 1706., *Narnien.* 11. Jun. 1712., *Veliterna* 14. Mart. 1722. ad dub. III., *Spolet.* 19. Dec. 1722. ad dub. III., *Pientina* 19. Jan. 1729., *Spalaten.* 23. Jul. 1729. et saep.

27. Canonici ecclesiae collegiatae, quibus propter redituum tenuitatem et cum pro iisdem benefactoribus etiam in qualibet hebdomade plura missarum onera adimpleant, ex S. Congr. decreto permissum est, ut missam conventualem pro benefactoribus applicent diebus tantum dominicis ac festis, omnino tenentur ad hanc applicationem nulla prorsus habita tenuitatis redituum ulteriore ratione, nec possunt simul applicare pro populo et benefactoribus. Ita S. C. resp. in *Pientina* 17. Febr. 1731.

28. Canonici ecclesiae collegiatae noviter fundatae, licet iussi essent in erectione a Bened. XIV. adimplere onera a pio fundatore praescripta, et praesertim apud eandem ecclesiam personaliter residere et in ea singulis diebus et debitis temporibus missam conventualem decantare ac horas canonicas aliaque divina officia recitare, tamen aut immunes sese declarari ab onere applicationis aut illius reductionem ob tenuitatem redituum ad dies dominicos indulgeri postularunt. Quas preces, cum bina vice reiectae essent, denuo proposuerunt, missam enim conventualem applicandam esse in illis ecclesiis cathedralibus vel collegiatis dixerunt, quarum perempta esset benefactorum memoria, non autem in ecclesia collegiata noviter erecta ex

unius benefactoris fundatione, qui praescripta aliarum missarum applicatione, eam expresse non requisiverit in missa conventuali. Reditus suos non excedere annua scuta 22., itaque aut praesumendum esse, fundatorem noluisse missae convent. applicationem praeter alia gravissima onera praescripta iniungere, aut indulgendam esse reductionem ad dies festos. Verum S. C. ad quaestiones: I. An canonici S. N. fuerint et sint immunes ab applicatione missae conventualis? et quatenus negative: II. An sit locus reductionis oneris applicationis eiusdem missae ad dies dominicos tantum in casu etc.? resp. ad I. *negative* et *amplius*; ad II. *negative*. *Nullius* s. *Ruffilli* prov. Rav. 8. Aug. 1761.

29. S. C. censuit, abolendam prorsus esse consuetudinem vel potius abusum, qui in Auximano templo invaluit, applicandi missam conventualem beneficiorum fundatoribus impositisque sustinendis oneribus, quibus eadem beneficia subiiciuntur. Illud si quidem sacrificium fieri tantum debere pro fundatoribus ac benefactoribus canonicalis patrimonii. 1734. (rel. LXXX. 311.)

30. Clerus ecclesiae Auximanae constat ex tribus ordinibus. Ad primum pertinent dignitates et canonici, qui omnes sunt ex ordine presbyterali; ad secundum novem parochi, canonici supernumerarii dicti, qui in ordine diaconorum inservire tenentur; ad tertium undecim mansionarii, canonici supernumerarii pariter nuncupati, qui tanquam subdiaconi inserviunt. Extra vero clerum cathedr. sunt beneficiati, qui cum ipso clero nihil commune habent, sed peculiari aliquo beneficio altaribus ecclesiae addicto fruuntur. Mota de missis canendis a supernumerariis mansionariis quaestione S. C. ad dubium: (I.) An et ad quos spectet onus celebrandi missam quotidianam conventualem in casu etc.? resp. *affirmative*, et spectare ad capitulares tantum ad formam Benedictinae constitutionis. Eleemosynam vero missarum pro benefactoribus ex massa distributionum solvendam esse ad dubium II. decrevit. Demum consuetudini, qua taxa quaedam pro cantu missae conventualis a beneficiatis, qui non sunt de clero capituli, exigebatur, locum non esse ad dub. III. definivit. *Auximan.* 16. Dec. 1820. Re vero ad examen iterum perducta ad I. dubium rescripsit standum esse in decisis, nempe teneri omnes capitulares canonicos et mansionarios ad formam tabellae, d. 24. Aug. 1822., quod confirmavit d. 25. Jan. 1823.

III. DE MISSA PRO POPULO.

31. Anno 1681. iussu cardinalis Carpinei S. Congr. cum aliis impressum fuit decretum, in quo haec statuuntur: « Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura permissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe alias S. C. censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut, si reditus sint pingues, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis». *Benedict.* XIV. Inst. X.

32. Cum parochi ecclesiarum Pistorien. et Praten. inter varias doctorum opiniones involuti negligant in dies celebrationem et respective applicationem sacrificii pro populo iuxta dispositionem canonum et conc. Trid., episcopus ad consulendum nedum propriae, verum etiam dictorum parochorum conscientiae, supplicat declarari: An parochi teneantur omnibus diebus festis applicare sacrificium pro populo sive non? Die 14. Febr. 1699. S. Congr. Emin. S. R. E. Card. Conc. Trid. Interpr. censuit, dandas esse resolutiones alias de hac re editas et signanter in *Nullius Nonantulan.* Eminentissimo abbati 30. Aug. 1698. tenoris ut infra: « Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe alias S. Congr. censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis proposito et respective resoluto sub die 10. Mai. 1692. his praecisis verbis concepto: « An parochus missam celebrare teneatur, et sacrificium applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis, sive habeat congruam sive non? S. C. iuxta alias declarationes censuit teneri, nec posse iisdem diebus aliam eleemosynam recipere. » Ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt. Emin. Patres quoad parochos Nonantulanae dioecesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo pastorali zelo detrectantes parochos compellere non gravetur. » *I. Cardinalis Sacripantes Praefectus, F. Nuptius Secretarius.* Hanc resolutionem, in forma Brevis ab Innocentio XII. d. 24. Apr. 1699. (Bullar. Rom. T. IX.) confirmatam repetiit S. C. in *Forosempronien.* 8. Febr. 1716., in qua propositis dubiis: I. An parochi non habentes congruam teneantur applicare missam pro populo saltem diebus festis, itaque sint cogendi in casu etc.? II. An parochi habentes pingues reditus teneantur quotidie missam applicare pro populo in casu etc.? resp. ad I. *affirmative*, censuitque danda esse decreta alias hac de re edita; ad II. *negative*, et huiusmodi du-

bia amplius non proponi mandavit. Rel. a *Benedicto* XIV. Inst. X.

33. Parochum et beneficiatos ecclesiae parochialis pro missa, quam tenentur applicare pro populo, recipere stipendium illamque applicare pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus non posse, resp. S. C. in *Pampilonen.* 18. Nov. 1702. (IX. 111. P. II.)

34. Proposita rogatu cardinalis Tanarii Ep. Ostiensis quaestione: utrum castri Romani, Porciliani ac Decimi rectores Ostiensi ep. subiecti diebus festis sacrificium pro populo offerre deberent, cum exiguos solum proventus a dominis castrorum acciperent, et nihil ab egenis illis hominibus inhospita fere loca colentibus referrent? responsum fuit d. 29. Jan. 1724.: *teneri*, et *ad mentem*, scilicet « posse ab iis parochis ad egestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis praebeatur, et sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadae die pro populo offerentes suo muneri satisfaciant. » *Benedict.* XIV. loc. cit.

35. Parochos cathedralium et collegiatarum, qui sunt primae dignitates vel membra earundem, debere ultra missam conventualem celebrare et applicare diebus dominicis et festis missam pro parochianis, tenerique eosdem, quando per turnum ab ipsis canenda est missa conventualis diebus dominicis et festis, celebrari facere pro parochianis aliam missam propriis sumptibus, resp. S. C. in *Viterbien.* 31. Mart. 1708. (IX. 145. P. II.), *Balneoregien.* 19. Aug. 1713. ad VI. (ib. p. 182.)

36. Parochos ecclesiarum collegiatarum teneri per se ipsos applicare diebus festis missam pro populo, neque posse per beneficiatos aliosque sacerdotes oneri illi satisfacere, censuit S. C. in *Castri Albi.* 18. Jul. 1789. ad I.

37. Proposito dubio: An canonici collegiatae ecclesiae S. Mariae de Plano oppidi Montellae Nuscanae dioec. teneantur unam tantum missam pro populo diebus festis celebrare, seu potius tot missas quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae in casu? S. C. resp. 17. Jan. 1756. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

38. In civitate Balneoregii ex duobus capitulis una erecta fuit cathedralis, et animarum cura pro ea civitatis parte, quae *Civita* nuncupabatur, commissa exstitit uni ex canonicis, pro altera vero parte, quae appellabatur *Rota*, duobus aliis canonicis fuit demandata. Obortis inde contentionibus inter alia hoc quoque dubium proponebatur: An, quatenus missa parochialis celebranda sit in diebus festis a canonicis curatis in parochia Rotae, sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo, seu potius ambo canonici curati teneantur ad applicationem supradictae missae in casu? S. C. d. 19. Aug. 1713. resp. sufficere unicam celebrationem et applicationem. (rel. XLII. 57.)

39. Proposito dubio: An parochi duabus ecclesiis praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alium applicare pro populo in casu? S. C. resp. « *affirmative*, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur episcopo iuxta instructionem. » Lucen. 12. Mart. 1774. (XLIII. 49.) In hac autem instructione Emin. Patres certiorem episcopum faciendum esse putarunt, « ipsos nunquam dubitasse, quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis, quae vel aeque principaliter vel subiective coniunctae essent atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterutrius evaserit. » (LXXXVI. 253.)

40. In loco, ubi duo parochi curam animarum exercuerant, altero defuncto alter superstes unicus fuit constitutus eique duo vicarii perpetui adiuncti, qui ex resol. S. C. d. 16. Maii 1790. « nisi de licentia et consensu parochi » iura parochialia exercere non debebant. Dubio inter eos atque parochum exorto, S. C. resp., vicarios perp. non teneri ad missam applicandam pro populo, in *Tyburtina* 21. Nov. 1801.

41. Episcopus enarrat, in sua dioecesi esse nonnullas filialium nomine rurales ecclesias, earumque parochos, qui ad nominationem principalium rectorum quotannis ab episcopo instituuntur, non applicare missam pro populo, eo quod ex illorum opinione ecclesiae, quibus praesunt, individuae sint cum matricibus. Episcopus fatetur, se ecclesiarum naturam atque institutionem ignorare. S. C. censuit, teneri eos ad missam applicandam pro populo neque id spectare ad ecclesiarum principalium parochos, in *Castri Albi* ad II. 18. Jul. 1789. Similiter iudicavit in *Egitanien.* eod. die.

42. Quaeritur, an parochus prohibere possit, ne in capella ruri per laicum aedifi-

cata in solo publico celebrari possit, antequam missa celebretur in ecclesia parochiali matrice. S. C. resp., supposita facultate legitima celebrandi in dicta capella, de rigore iuris non posse prohiberi, sed episcopum pro prudentia curare posse, ut in diebus festivis prius celebretur missa in ecclesia parochiali. 28. Jan. 1640. Ex l. XVI. Decr. p. 331. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XLIV.

43. S. C. resp., de rigore iuris non posse prohiberi, ut missae (in sacellis) non celebrentur ante missam a parocho non celebratam, in *Urbinat.* d. 27. Jun. 1641. Ex l. XVI. Decr. p. 543. rel. ab eodem ib.

44. S. C. saepius censuit, constitutiones synodales disponentes, ut diebus festis missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali, esse observandas, ita tamen, ut missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur. d. 25. Maii 1652. Ex l. XIX. p. 191. Decr. rel. ibid.

45. Ad quaestionem: An religiosi conventuales terrae Bruneatori Squillac. dioec. moniti ab episcopo debeant se abstinere a celebrandis missis aliisque peragendis functionibus cum sonitu campanarum ante missam parochialem vel donec illa absolvatur? S. C., declarationes in *Taurin.* 28. Sept. 1742., *Nullius Prov. Ravennat.* 15. Sept. 1629., *Aquen.* 9. Jun. 1708., *Comen.* 19. Dec. 1750. datas secuta resp. *negative. Squillac.* 28. Febr. 1767.

46. Diebus festis de praecepto, a Papa Pio VI. suppressis, applicandam esse missam pro populo resp. S. C. in *Camerin.* 28. Mart. 1801.

—

IV. DE MISSARUM FUNDATIONIBUS, MISSIS MANUALIBUS ET MISSARUM ELEEMOSYNIS.

47. Missas in capellania fundata celebrandas esse iuxta dispositionem ordinarii factam in approbatione fundationis, non vero iuxta dispositionem postea emissam, neque licere fundatori novas leges et conditiones adiicere, per quas laedatur ius inde quaesitum aliis, resp. S. C. in *Aquen.* 12. Jan. 1732.

48. Cum capellaniam quidam fundasset, eiusque possessori onus celebrandi annuatim certum missarum numerum iniunxisset, episcopus in tabulis erectionis missas pro ecclesiae salute per menses et dies diviserat et celebrandas destinaverat. Executores vero testamentarii obstiterunt, et S. C. resp., ea onera adiicere episcopo non licuisse. *Reatina.* 4. Apr. 1840.

49. Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellani pro tempore sacrum faciendi singulis dominicis aliisque festivis diebus, nulla adiecta declaratione ad cuius suffragium applicandum esset sacrificium. Ideo ep. Tinen. supplicat declarari an huiusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperit? S. C. resp. applicandum esse sacrificium pro anima testatoris, *Tinen.* 18. Aug. 1668. Ex l. XXVII. Decr. fol. 63. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LVI.

50. Capellanus non tenetur applicare pro suffragio animae fundatoris missam celebrandam, cum reditus detractis detrahendis sint infra manualem iuxta morem regionis, sed orare debet pro fundatore; eleemosynam vero ab eo, pro quo missam applicat, percipere potest. *Novarien.* 22. Nov. 1727.

51. Gubernatores humiliter supplicant pro declaratione, an sacerdos ad celebrationem missae eligendus teneatur illam applicare attentis verbis testatoris et in ea orare pro anima ipsius testatoris nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud missam applicare? S. C. resp., sacerdotem teneri ad applicationem missae. 27. Apr. 1700. Rel. a *Bened.* XIV. De SS. missae sacrif. III. 9.

52. Si testator plura legaverit pia legata, alteri iniungens onus applicandi missam pro sua anima expressis verbis, alteri non, quamvis hoc posterius sit capellania perpetua cum onere missarum, in qua regulariter ex sensu Congr. Conc. sacrificium est applicandum pro fundatore, hoc casu capellanum non teneri ad applicandum pro anima fundatoris, sed ad eius solam memoriam in orationibus habendam, S. C. decl. in *Ferrarien.* 11. Jun. 1729.

53. Legato in haec verba concepto: « Continue celebrent missas ita, quod diebus ferialibus pro anima N. N. patris matrisque etc. missas celebrent mortuorum » licet inesset tantum mentio suffragii pro diebus ferialibus, nihilominus tamen, quia discretiva referri poterat ad qualitatem missae mortuorum eisdem diebus ferialibus celebrandae, S. C. rescr. pro applicatione quocunque die. *Ferrarien.* 26. Mart. 1718.

54. Missas celebrandas ex legato, etsi acceptato cum clausula « absque applicatione » neque ulla a testatore missarum celebrationi applicationis lege apposita, applicandas esse in suffragationem animae

testatoris, S. C. censuit in *Cornetana* 25. Jun. 1725.

55. S. C. constanter tenuit, capellaniis perpetuis applicationem sacrorum suapte natura adiunctam esse, etiamsi de sola missarum celebratione, non autem de applicatione lex data fuerit. *Spolet.* 11. Jan. 1710., *Roman.* 15. Dec. 1712., *Ferrarien.* 26. Mart. 1710., *Senogallien.* 20. Dec. 1731. et saep. Ab hac regula recedendum censuit, si contraria mens testatorum, licet ex urgentibus tantum coniecturis, appareat, e. gr. si mandata fuerit celebratio pro commodo populi aut monialium in certa ecclesia, ut in *Collen.* 17. Dec. 1679., *Tricastinen.* 8. Mai. 1711., *Mantuana* 9. Dec. 1718. et saep., vel si *certum* missarum numerum pro sua expiatione *applicandum* mandarint expresse, de aliis nihil dixerint, aut arbitrium omne reliquerint capellano, ut in *Collen.* 1685., *Rom.* 8. Febr. 1710., *Tricastinen.* 8. Jun. et 8. Aug. 1711. Ita Secr. in *Vicen.* 13. Jul. 1765.

56. Regulares, quibus ecclesia concessa fuit in perpetuum cum onere celebrandi quotidie in ecclesia unam missam pro fundatoribus et benefactoribus, quamvis non constaret, num id onus iam antea adfuisset vel potius in concessione novum iniunctum, neque annui reditus essent concessi, teneri ad applicationem missae, resp. S. C. in *Camerin.* 28. Jan. 1708., *Panormit.* 15. Dec. 1731.

57. Cum ecclesiam S. Hieronymi, aedesque adiacentes, quas dimiserant FF. minores de observantia, Clemens VII. tradidisset archiconfraternitati Caritatis adiecta conditione, ut presbyteri ibidem permansuri octo saltem missas quotidianas celebrare tenerentur, S. C. respondit, sacerdotes ecclesiae illius posse sacrificium applicare in satisfactionem aliorum onerum a testatoribus iniunctorum post unionem ecclesiae archiconfraternitati praedictae factam, nec teneri applicare pro benefactoribus ante unionem, in *Romana* 7. Jul. 1708., 24. Aug. 1709. (rel. V. 181.)

58. Regulares, qui missae quotidie celebrandae onus per contractum, nulla facta mentione de applicatione, cum communitate initum sibi sumpserant, una cum iure patronatus nec non cum sacra suppellectili ceterisque proventibus, tam constituentibus dotem ecclesiae, quam destinatis perficiendo eius sacrificio, teneri ad applicationem, resp. fuit in *Mediolanen.* 16. Maii 1733.

59. Ubi in legato non appareat fuisse habitam peculiarem rationem ministrorum illius ecclesiae, in qua missae sunt celebrandae, sed onus sit tantummodo iniunctum heredi, in eius arbitrio censeri positum, ut quos maluerit sacerdotes ad id eligat, resp. S. C. in *Rom.* 15. Jan. 1639., *Macerat.* 15. Mart. 1692., *Asculana* 26. Jan. 1732, *Papien.* 12. Dec. 1733. Itaque in alleg. *Romana* rescriptum est, « regulares teneri patientiam praestare, ut in eorum ecclesiis sacerdotes saeculares missas relictas celebrent, eisdem tamen fieri debere contributionem pro cera, vino, hostiis et usu paramentorum ». (rel. VI. 171.) Spectare tamen S. C. causam solet, ob quam regulares celebrationi in propria ecclesia consensum praestare nolint, quae si sufficiens esse videatur, in contrarium iudicare solet. Ita in causa *Romana*, in qua de fundationis sensu controvertebatur et regulares capellaniae in propria ecclesia consensum denegabant, proposito dubio: An religiosi ecclesiae S. Nicolai de Perfectis teneantur praestare patientiam pro celebratione missarum in casu? resp. *negative*. 17. Jul. 1773.

60. Ubi coniectura adsit de testatoris mente, esse praeferendos in missarum celebratione ministros eiusdem ecclesiae, censuit S. C. in *Bitunt.* 19. Nov. 1729., *Rom.* 12. Jan. et 22. Mart. 1732.

61. Ad quaestionem: An casu, quo regulares ex rationabili causa id negent, liceat legatariis onus missarum in alia ecclesia arbitrio ordinarii impleri facere? S. C. resp. *affirmative* d. 13. Nov. 1683., rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 25.

62. Impensas pro ceris, vino, hostiis usuque paramentorum ab eo solvendas esse, qui vi beneficii vel capellaniae perpetuae celebrare debeat missas in alia ecclesia, resp. S. C. in *Romana* 15. Jan, 1639., in *Auximana* 23. Febr. 1726., *Derthonen.* 6. Julii 1726., *Maceraten.* 14. Maii 1729., *Romana* 16. Junii 1731, et saepius.

63. Si vero regulares, in quorum ecclesia missae relictae celebrantur, eas ipsi celebrant, pro utensilibus nihil esse solvendum, S. C. e. g. resp. in *Romana* 22. Maii 1732. Similem rationem secuta erat in *Romana* 10. Maii 1727.

64. Modernus ep. Collensis dioecesim visitando comperiit, non sine maximo conscientiarum periculo plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos discutiendum ac resolvendum videtur: I. An sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati aut stipendii, celebrare quotidie missam per se ipsos possint aliquando a celebratione vacare? et quatenus affirmative: II. Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint? III. An

diebus licitae vacationis possint missam pro se ipsis vel aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare? et quatenus affirmative: IV. An pro aliis celebrando possint stipendium pro huiusmodi celebratione recipere? V. An aliis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur missam ab aliis celebrari facere iuxta intentionem fundatorum? VI. An sacerdotes ut supra obligati celebrare missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare? S. C. resp.: ad I. *affirmative* concurrente aliqua legitima causa, ad II. ut ad proximum, ad III. *negative*, ad IV. *negative*, ad V. distulit resolutionem, ad VI. *negative*. 18. Sept. 1683. rel. a *Bened.* XIV. De SS. missae sacrif. III. 3.

65. Sacerdos, qui potest celebrare per alium, si infirmetur, tenetur hoc onus adimplere et alteri eleemosynam dare, ut celebret, iuxta resol. S. C. in *Collen.* 18. Sept. 1683.

66. Obligatus vero ad celebrandum per se ipsum, tenetur celebrare per alium in casu saltem longae infirmitatis, iuxta resp. S. C. in *Rom.* 4. Jun. 1689., *Rom.* 2. Oct. 1721.

67. S. C. resp., non posse sacerdotem eleemosynam recipere et duabus oblationibus unica missa satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, quod non teneatur sacrificium applicare. 13. Jul. 1630. rel. a *Bened.* XIV. De SS. missae sacr. III. 9.

68. Superioribus diebus significatum fuit SSimo D. N. paucis abhinc annis in Hispania novam consuetudinem, recentiorum aliquot theologorum opinioni nixam, sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes eius valorem applicent his, qui postea missae celebrationem postulaturi ac pro ea eleemosynam praebituri sint, tametsi, antequam missae sacrificium perageretur, neque a sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam praestitissent. Quam rem cum S. S. ad S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. pro materiae gravitate examinandam reiecisset, in S. C. primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad S. S., quae ex eiusd. Congr. sententia huiusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto ecclesiae more nimis abhorrentem explosit ac improbavit. Quod Clementis VIII. decretum postea Paulus quoque V. confirmavit. *Bened.* XIV. ib. III. 22.

69. Proposito dubio: An sacerdos sic electus a patre rectore possit dare alteri sacerdoti ad hoc, ut celebret dictas missas in dicta ecclesia S. Gregorii iuxta eleemosynam currentem, retento sibi quod superest? S. C. resp. *negative*. *Roman.* 21. Febr. 1688. (rel. XLIX. 63.)

70. Proponitur dubium: An possit episcopus prohibere sub poena censurarum laicis, ne pinguius stipendium taxae solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus missam celebrantibus, et quod iidem sacerdotes illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus? S. C. resp. prohibere non posse, ideoque moderandum decretum. *Pistorien.* 16. Jan. 1649. Ex l. XVIII. p. 575. Decr. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LVII.

71. Eleemosynam pro qualibet missa per regulares celebranda in eorum ecclesiis taxandam arbitrio ordinarii iuxta morem regionis, S. C. cens. 15. Jan. 1639. Ex l. XVI. Decr. p. 138. rel. ab eod. Inst. LVI.

72. Ad quaestiones: I. Quanta esse debeat eleemosyna missarum manualium? II. Quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus? S. C. ad I. et II. resp., attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus, statuendam esse per episcopum eleemosynam competentem eius arbitrio. *Interamnen.* 15. Nov. 1698. Rel. ex l. XLVIII. p. 548. Decr. ib.

73. Episcopus Sancti Severini narrat, SS. missae sacrificium quodammodo vilescere, dum sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii Iulii pro qualibet missa, unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri Iulii pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate? S. C. resp. *affirmative* quoad eleemosynam manualem. 16. Jul. 1689. rel. a *Bened.* XIV. De SS. missae sacr. III. 21.

74. Prop. dubio: An sacerdotes, qui nulla alia obligatione in confraternitatibus vel monasteriis monialium celebrant, quam pro ornatu ecclesiae, vel ut confratres vel moniales satisfaciant praecepto audiendi missam, possint ultra stipendium, quod recipiunt a confraternitatibus vel monialibus, aliud stipendium accipere? S. C. resp., non posse. *Tragurien.* 9. Jan. et 6. Febr. 1627. rel. ab *eodem*, quem vide.

—

75. Onera missarum ac fundationes beneficiorum et capellaniarum perimi non posse longissimi temporis aut saltem centenaria praescriptione S. C. tenuit in *Romana* 30. Jul. 1768., *Comaclen.* 8. Jul. 1818., *Lucana* 9. Jan. 1825.

76. Missae planae « celebrandae in perpetuum, durante saeculo « onus durare ultra spatium centum annorum, transactoque dicto termino non remanere exstinctum, resp. S. C. in *Bononien.* 17. Dec. 1718.

(cf. decreta ab Urbano VIII. et Innocentio XII. approbata in fine posita.)

—

V. DE MISSARUM REDUCTIONE, TRANSLATIONE ET ABSOLUTIONE.

77. S. C. censuit, ex decreto Conc. c. 4. Sess. XXV. de ref. non licere episcopo reducere onera missarum beneficio in fundatione imposita. *Ferrarien.* 3. Mart. 1597. Ex l. IX. Decr. p. 7. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 25.

78. S. C. dubio per manus delato ac mature perpenso censuit, facultatem reducendi onera missarum tributam episcopis ex decreto c. 4. Sess. XXV. de ref. intelligi tantum de prima synodo post idem concilium celebrata ac de oneribus missarum ante idem concilium impositis. Oct. 1597. Die 15. Dec. 1629. constituit hoc decretum a secretario dandum esse omnibus petentibus absque eo quod amplius verbum fiat in congregatione. Ex l. XIV. Decr. p. 206. rel. ab *eodem* ibid.

79. Cum episcopo conceditur facultas reducendi missarum onera, haec ad eum transmitti solita fuit instructio: « Quomodo autem se gerere debeat in executione quoad legata *taxative* vel *demonstrative* concepta, S. S. Amplitudini tuae notificandum iussit, quod mature pensatis ac perlectis dispositionibus et fundationibus quibuscunque, quibus praefata missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu iudicialis instantiae pro illorum rescissione titulo laesionis) illa legata seu fundationes erunt *taxative* conceptae, si fundatores legando aut aliquo modo disponendo orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde missarum onus adiecerint, et hoc casu huiusmodi onera ad rationem eleemosynae manualis ut supra moderari possit; secus vero, si fundatores orationem seu dispositionem inceperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint; tunc enim onus dicitur *demonstrative* conceptum ac fundatorum heredes per Amplitudinem tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem tam pro praeterito, quam pro futuro tempore ». Rel. ab *eodem* ib. In eundem modum quoad legata taxative et demonstrative concepta S. C. e. gr. iudicavit in *Mediolan.* 9. Sept. 1702., 9. Apr. 1718., 1. Apr. 1719., *Venet.* 4. Febr. 1719.

80. Prius alia, quam missarum onera reducenda esse, S. C. saepius definivit, e. gr. in *Rom.* 6. Maii 1803.

81. Licet inter pia opera diversi generis missae postremum sibi vindicent locum, quando de onerum reductione agitur, tamen, si testatorem eodem animi fervore tam suffragia missae quam alia pia opera demandasse et exoptasse constiterit, non est absolute et simpliciter facienda aliorum piorum onerum reductio, praeservatis in totum missae suffragiis, sed reductio est secundum proportionem quoad missas et alia pia opera explenda. *Bracaren.* 11. Sept. 1717.

82. Conceditur onerum reductio, cum reditus absque dolo seu culpa possessorum ita deminuti sunt, ut amplius ad satisfaciendum oneribus non sufficiant. Ita S. C. definivit e. gr. in *Vallisolet.* 17. Aug. 1793., *Romana* 12. Jul. 1802., *Januen.* 19. Maii, *Mazzarien.* 21. Jul. 1821., et idem procedere iudicavit, cum reditus tempore fundationis sufficientes, aucta sive per consuetudinem sive per statuta synodalia missarum manualium mercede, non sufficerent amplius quam pro tertia missarum parte. *Senogallien.* 20. Dec. 1732.

Itidem S. C. ob paupertatem sacerdotum, tum quia deessent qui missas pro statuta eleemosyna tenui celebrarent, reductionem concessit, in *Vicen.* 27. Mart. 1819., *Viglevanen.* 4. Apr. 1789, et saep.

Porro ad solvendam quoque patronorum inopiam missarum aliorumve piorum operum onera vel suspensa vel imminuta sunt, ut in S. *Michaelis de Clusa* 2. Dec. 1775., *Januen.* 31. Aug. 1819., *Derthonen.* 20. Jan. 1820.

Ad fundos restaurandos vero, quibus casu fortuito damnum factum est, nunquam perpetua, sed temporanea iuxta necessitatem onerum suspensio concedi solet, ut in *Interamnen.* 29. Nov. 1777., *Mathelicen.* 24. Sept. 1787., *Lunen. Sarzanen.* 15. Dec. 1792.

Exiguus quoque subditorum numerus non est iusta reductionis causa. Cum enim animarum curatores intra parochiae limites residere teneantur, etiamsi in illa tres tantum vel quatuor incolae remanserint, eo magis ad missae applicationem pro populo singulis diebus festis obstricti dicendi sunt. Ita S. C. in *Ostien.* 29. Jan. 1724., *Montisfalisci* 26. April. 1828. Cf. Secretarii relationes LXXXII. 33., LXXXIII. 143. 235., LXXXVIII. 64.

Porro regula est S. Congr., non concedi reductionem reductionis. Ita in *Neapol.* 16. Nov. 1729., *Interamnen.* 30. Aug. 1788. Quae tamen vires non exercet, si post concessam reductionem nova supervenerit fundorum deminutio, ut S. C. censuit in *Novarien.* 7. Sept. 1793.

Deinde si agitur de oneribus iam diu acceptatis et impletis, reductio concedi non solet. Ita in *Novarien.* 16. Jun. 1797.

83. S. C. censuit, quoad missas *cantatas*, quae habent reditus sufficientes ad rationem eleemosynae currentis pro missa cantata, iuxta morem regionis et cuiuscunque dioecesis, in qua siti sunt conventus, esse omnino celebrandas et applicandas iuxta praescripta in legatis seu fundationibus; quo vero ad alias missas cantatas, quae non habent reditus sufficientes ut supra iuxta morem cuiuscunque dioecesis, faciendam esse illarum reductionem in unoquoque conventu in eum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione redituum cuilibet legato seu fundationi assignatorum, et supradictae eleemosynae de praesenti vigentis in unaquaque dioecesi pro missis cantatis, factaque modo praemisso reductione quicquid ex reditibus cuicunque legato seu fundationi assignatis supererit, erogandum esse in celebrationem tot missarum *lectarum*, et tam missas *cantatas* reductas quam *lectas* esse collective applicandas pro animabus et iuxta intentionem eorum, qui missas cantatas reliquerunt. *Romana* 3. Febr. 1725., *Bened.* XIV. de syn. dioec. XIII. ult.

84. S. C. censuit, quando aliquod legatum est complexivum missae *cantatae* et missarum *lectarum*, tunc omnes legati reditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo, erogandos esse in celebrationem tot missarum lectarum, deleto onere missae cantatae. *Romana* 4. Aug. 1725. *Benedict.* XIV. ib.

85. Indultum a sede apost. concessum pro moderandis missarum oneribus non suffragari quoad onera per contractum suscepta, ideoque factam reductionem non sustinendam esse, resp. S. C. in *Macerat.* 15. Nov. 1687., *Mont. Polit.* 3. Sept. 1716. (alleg. VI. 63.) *Bergom.* 10. Jul. 1728., *Mediolan.* 7. Apr. et 1. Sept. 1731., *Rom.* 18. Apr. 1733., *Faventin.* 27. Febr. 1734., *Nolana* 14. Maii 1739.

—

86. Translationem missarum accedente iusta et urgente causa S. C. facilius concedere solet, cum testator animae suffragium in legato respexit, quia sacrificium in quacunque ecclesia celebretur, defunctis eodem modo semper prodest.

Secus vero, si missae demandatae fuerint ex speciali affectione vel pro decore alicuius ecclesiae, aut peculiari erga Sanctum devotione, quo casu ne testatorum menti fiat iniuria et ne cultus ecclesiae quoquo modo imminuatur, translatio non permitti solet. *Auximan.* 15. Febr. 1771. §. 9.

Inprimis non conceditur, quando certus locus, in quo sacra fiant, sit praescriptus, sive in ecclesia, de qua agitur, sepultum iaceat corpus testatoris, ut S. C. iudicavit in *Neapolit.* 17. Nov. 1731., *Ariminen.* 19. Jul. et 16. Dec. 1732., *Roman.* 28. Jul. 1731., *Trident.* 24. Jan. 1739., *Florent.* 3. Jul. 1762., *Comen.* 11. Jan. 1766., *Auximan.* 14. Mart. 1772., *Roman.* 26. Sept. 1795. et saepius.

Similiter non est translationi locus, quando appareat, testatorem commodum populi respexisse, ut scilicet missa ei singulis hebdomadis non deesset. *Placent.* 7. Aug. 1773. §. 7., *Amerin.* 17. Jul. 1773. §. 6., *Fanen.* 10. Maii 1794. §. 6.

Contra vero, ne laederetur voluntas testatoris, S. C. improbavit translationem missarum factam ab episcopo eo consilio, ut populus occasione missae ibidem audiendae orthodoxae fidei elementis possit informari, in *Casalen.* 24. Sept. 1718., quamvis ei non impossibilis, saltem difficilis esset accessus, tempore potissimum hiberno, ad ecclesiam seu capellam, utpote sitam in alto et praecipiti colle, nivibus et gelo obsito. Similiter iudicavit in *Ariminen.* 14. Mart. et 13. Jun. 1711.

87. Absolutionem a missarum omissione concedendam esse rata est S. C., cum appareret, missas *bona fide* omissas fuisse, in *Firmana* 21. Nov. 1761., *Messan.* 16. Maii 1778., *Anconitan.* 20. Apr. 1782., *Melevitan.* 20. Dec. 1788. et saep. Pariter absolutionem concedendam esse suasit, cum propter inopiam missarum onus non esset expletum. *Imolen.* 14. Febr. 1778., *Messan.* 16. Mai. 1778., *Novarien.* 7. Aug. 1779., *Faventin.* 15. Jan. 1780. et 7. Febr. 1784. et saep.

88. Absolutionem a missis non celebratis ac reductionem missarum in posterum celebrandarum non esse sustinendam, resp. S. C., ubi onus missarum per transactionem erat fixum bonaque propter alienationem factam deminuta, in *Mediol.* 7. Apr. et 1. Sept. 1731.

89. Missarum conventualium applicatione neglecta, ubi necesse est, S. C. consuevit relaxare rigorem et episcopo demandare, ut non ad integram mensuram missarum, quae erant applicandae, et applicatae

non sunt, celebrare faciat et applicare, sed cum aliqua diminutione, uti resolutum fuit in *Comen.* 11. Maii 1720. ad dub. II. et saepius.

—

90. Prohibent decreta Urbani VIII. (cf. num. 92.) missas adventitias accipere, nisi reliquae omnes, pro quibus antea stipendium collatum fuit, penitus absolvantur. Cum vero postea responsum esset, novas eleemosynas admitti posse, dummodo infra modicum tempus possent omnibus satisfacere, nonnulli regularium superiores denuo quaerebant, an dictum modicum tempus celebrandi missas reputetur tempus duorum vel trium mensium. S. C. resp., modicum tempus intelligi infra mensem, 17. Jul. 1655. Ex libr. XIX. Decr. p. 597. rel. a Bened. XIV. Instit. LVI.

91. S. C., postquam de missarum praeteritarum onere supplendo per alios capellanos a quibusdam confratribus edixerat, haec addidit: « De cetero vero non suscipienda esse nova onera missarum, nisi sacrista vel alius minister, missarum numero describendo atque eleemosynis accipiendis pro tempore praeficiendus, admonuerit singulos, qui eleemosynas offerunt, tam magno missarum numero celebrandarum illorumque intentioni satisfieri non posse ipsa missarum celebratione ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore missarum, quae singulis diebus in dicta ecclesia pro benefactoribus celebrantur. Id vero ut commodius praestare valeant, loco, quo ponuntur eleemosynae, palam affigatur tabella, in qua eademmet declaratio distincte et clare descripta sit, adeo ut sacrista vel minister, ut supra, accipiens oblationes, praemittat declarationem vel tabellam indicet offerentibus, quibus cautionibus adhibitis accipi tuto posse quascunque eleemosynas ". *Senogallien.* 13. Jun. 1626. l. XIII. Decr. p. 22.

In praxim tamen frequentius deductus fuit alter modus, de quo hoc S. C. responsum extat: S. C. censuit, missas, pro quibus usque in hanc diem receptae fuerunt eleemosynae, esse quantocitius in eadem ecclesia iuxta oblatorum intentionem celebrandas; in posterum vero novas eleemosynas nullatenus recipi debere nisi praevia expressa et clara monitione, per sacristam seu per alium ipsis eleemosynis recipiendis praepositum facienda offerentibus, non posse tam magnum numerum missarum in eadem ecclesia seu altari confestim celebrari, sed quod vel tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia ecclesia celebrabuntur. Id vero, ut facilius innotescat, loco, ubi eleemosynae pro missis offeruntur, affigendam esse tabellam, in qua praenarrata admonitio dilucide descripta sit, adeo ut sacrista vel praefatus praepositus eleemosynis colligendis aut offerentes, ut supra, expresse admoneat, vel tabellam indicet. Quodsi nihilominus Christi fideles eleemosynas elargiri voluerint, posse eas recipi et missarum celebrationi ad formam antedictae monitionis et diligenter et quam primum fieri possit satisfaciendum. 8. Mart. 1659. Ex libr. Decr. XXI. p. 570. rel. a Bened. XIV. De syn. dioec. XIII. 25.

—

92. §. 1. Alias super celebratione missarum, ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque sedis apostolicae licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quam plura decreta tenoris sequentis.

§. 2. Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis, tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus caritatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum, absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam caritatique ac iustitiae consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana republica convellere atque eradicare, aucto-

ritate SSmi Domini nostri Urbani divina providentia Papae VIII. sibi specialiter attributa, infra scripta decreta edidit.

§. 3. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne, episcopi in dioecesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis vel commutandis ad apostolicam sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

§. 4. Deinde ubi pro pluribus missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcunque incongrua et exigua, sive ab uno sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscunque tam saecularibus quam regularibus, S. Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat et praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

§. 5. Id vero ut deinde observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis, tam saecularibus quam regularibus cuiuscunque ordinis, congregationis et instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

§. 6. Ac similiter omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

§. 7. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla aut parva sint utilitate coniuncta statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam saecularibus quam regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae, ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac, si eadem bona immobilia auctoritate apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem poena ut supra deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat. Ad haec Sacra Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine episcopi vel eius generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda: alioquin saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso, regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activae ac passivae absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa „*eleemosyna pro missis*“ vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

§. 8. Episcopus vero seu eius vicarius aut generalis vel provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis

iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiuscunque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

§. 9. Postremo illustrissimi patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori regularium numero, quam ferant reditus et eleemosynae cuiusque monasterii, inhaerentes Summorum Pontificum ac Sacri Concilii Tridentini decretis hac de re aeditis, Sanctissimi Domini nostri auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscunque aliis superioribus monasteriorum, conventuum ac domorum regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium, cuiuscunque ordinis, congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet in qualibet provincia, adhibitis duobus aut tribus illius regularibus sui ordinis, vel congregationis probationibus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus et proventus omnes, consuetas itidem eleemosynas, et obventiones tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habita ratione diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere. Eaque omnia scripta fideliter exarata idem superior, cuius interest, in proximo capitulo seu congregatione generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis sedulo examinent, quot religiosi homines connumeratis etiam laicis aliisque necessariis servientibus, in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari iuxta regionis et proprii instituta morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet capitulo seu congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae monasterii, conventus ac domus regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus patrum capitularium voto praefigatur, quae reditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant. Numerumque familiae singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium capituli seu congregationis generalis vel provincialis sententia et auctoritate praefinitum, iidem superiores tam generales et provinciales omnes quam locales perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti redituum, absque Sacrae ipsius Congregationis licentia; superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum ut supra praescriptum quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tum temporis obtinebunt, vocisque activae et passivae, et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a sede apostolica infligendis poenis S. Congregatio subiacere voluit et declaravit.

§. 10. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita in singulis huiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere, et ex reditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant ad praescriptum decreti fel. recordationis Gregorii XV., hac de re editi; alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi ut supra sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, ordinarii loci visitationi, correctioni atque omni modo iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

§. 11. Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem ob-

eant, superiores locales cuiusque monasterii, conventus ac domus regularis curare atque efficere teneantur sub poena privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria sexta post octavam corporis Christi, praesentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

§. 12. Omnibus tam ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis quocunque honore et potestate praeditis, praesentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

§. 13. Non obstantibus quoad supra scripta omnia et singula in praesentibus contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcunque personarum atque ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario et individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcunque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Mari magno, seu bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suae auctoritate specialiter et expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscunque.

§. 14. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut praesentes ordinationes in valvis basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, et principis apostolorum de urbe, ac in acie campi Florae, ut moris est, affixae omnes, ad quos pertinet, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

§. 15. Utque earundem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die 21. Jun. 1625. « *Cosmus Cardinalis de Torres. Prosper Fagnanus S. Congregationis Secretarius.*

Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentia seu interpretatione infra scriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributa responsiones seu declarationes inferius apponendae.

Super primo Sacrae Congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur, ne episcopi in dioecesana synodo aut generales in capitulis generalibus vel alias quoquo modo reducant onera illa missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, quaeritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et si recurrendum sit ad sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur episcopo in fundatione, ut possit huiusmodi onera moderari?

Secundo: An super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint, quaeritur, an verba illa « *praescriptae fuerint* » intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente vel ab ordinario?

Tertio: An cum ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur missas illas ab offerente praescriptas celebrare?

Quarto: An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere, et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto: Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro eius anima centum missae, absque ulla praescriptione eleemo-

synae, quaeritur, an liberum sit heredibus, eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab ordinario?

Sexto: Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat, quaeritur an verba «*in futurum suscipiendis*» intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Septimo: Super quarto eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat, quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

Octavo: An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, id est an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii?

. . . . . .

Decimo: An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo: Super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba: « eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant etc. » quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo: Quid si offerens eleemosynam audito impedimento consentiat, ut sacerdos missam celebret, cum primum potcrit?

Decimotertio: An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

Decimoquarto: An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum et vulgo dicuntur *Casse de' Morti?*

Decimoquinto: An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

Decimosexto: Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum tam saecularium quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali « *et aliis, ad quos pertinet*, » supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimo: Super septimo eiusdem Sacrae Congregationis decreto, quo cavetur, ut in singulis monasteriis religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis reditibus aut eleemosynis commode possit sustentari; quaeritur, an, ubi haec praefixio iam facta fuit in vim similis decreti san. mem. Pauli V. absque tamen computatione redituum cuiusque religiosi, sit denuo facienda necne?

Decimoctavo: An novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri commode ali non possunt?

Decimonono: Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus regularium, nisi praeter alia ad id requisita duodecim saltem fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint iurisdictioni ordinariae, quaeritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas religiones, quae non consueverunt onera missarum recipere, ut sunt religiones Cappuccinorum ac Societatis Iesu:

Ultimo: An idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur monasteria, nisi etc. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam.

Declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad primum: Et si legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi ab iis, ad quos pertinet, sedem apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse iudicaverit; verum tamen, si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo iniunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad secundum: Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab ordinario; quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad tertium: Teneri.

Ad quartum: Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellae, legati aut salarii si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eandem missam utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum: Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad sextum: Ita esse intelligenda.

Ad septimum: Respondit, permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae, at nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis, ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum: Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

. . . . . .

Ad decimum: Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum: Respondit, non prohibere absolute; ac propterea et si oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen eleemosynam offerens pro aliarum missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimumtertium: Has poenas non habere locum nisi in suscepturis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia episcopi vel eius generalis vicarii, aut generalis vel provincialis.

Ad decimumquartum: Comprehendi.

Ad decimumquintum: Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad XII.

Ad decimumsextum: Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad decimumseptimum: Numeri praefixionem esse iterum faciendam servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad decimumoctavum: Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio eiusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad decimumnonum censuit comprehendere.

Ad ultimum: Habere locum extra Italiam.

Cosmus Cardinalis de Torres.
Prosper Fagnanus Sacrae Congregationis Secretarius.

—

§. 16. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quam plures querelae et recursus ad apostolicam sedem pervenerint: cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum huiusmodi detestabiles abusus e christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus ac emendata negligentia piae disponentium seu benefactorum vo-

luntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo maior gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SSmum D. Nostrum Innocentium Divina Providentia Papam XII. ei specialiter attributa, infra scripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem suam deputata, et postea in generali huiusmodi Cardinalium Congregatione matura re et accurate discussa, recognita, examinata edidit.

§. 17. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis penitus observari et omnimodae exsecutioni demandari decernit, sancit et praecipit.

§. 18. Insuper, ut in re tanti momenti consultius ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes missarum celebrationem omittunt sub malitiosa vel irrationabili spe earundem condonationem vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi: Congregatio praefata tum eosdem tum quoscunque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis et praesertim cum illa « *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullomodo suffragetur* » admitti consuevisse et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium quam praefatarum missarum usum, seu satisfactionem et quascunque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, iniustas et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat et interdicit.

§. 19. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcunque tum saecularium tum regularium ecclesiarum, seu illarum capitula, ne onera seu missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque id ipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligentibus descriptorum, quorum implemento si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias missas sive perpetuas sive temporales sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse.

§. 20. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare, et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam praefati, a quibus rationes debent reddi, quam superiores, quibus reddendae erunt, describere seu annotare, sive describendas vel annotandas respective curare.

§. 21. Quibus semper salvis debeant ulterius regulares praedicti omnes et quascunque eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum coram patribus discretis seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere.

§. 22. Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et superiores tum sac-

cularium tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activa et passiva, ac gradibus et officiis, quae obtinent, ipso facto et absque alia declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur et inhabilitati sint et intelligantur.

§. 23. Porro ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cuiuscunque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur sub poena privationis officiorum, quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

§. 24. Meminerint igitur et satagant ordinarii, ut a personis et in ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis, missae ea, qua par est, fide et diligentia celebrentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis, quos expedire et convenire toties quoties iudicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

§. 25. Caveant etiam respective omnes regulares tum subditi tum superiores quicunque, nedum locales, sed etiam provinciales et generales, ne missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum, quibus missae sunt applicandae, et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum, quae obtinent, necnon inhabilitationis ad huiusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

§. 26. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere, et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii seu cuiuscunque domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis, tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus seu obligationibus ad limites et tenorem praesentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione possit etiam huiusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta, et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicunque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

§. 27. Praeterea provinciales, vicarii et visitatores provinciarum seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis vel domibus regularibus provinciae seu congregationibus de omnibus et singulis oneribus et obligationibus, ac insimul satisfactionibus missarum exactam et diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittuntur.

§. 28. Caeterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitia, altaria, capellas, oratoria et ecclesias ac alia loca et opera pia quomodolibet nuncupata, quae cuicunque curae, seu regimini aut administrationi, vel directioni laicorum cuiuslibet gradus, status, conditionis et praeeminentiae etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcunque ecclesiasticorum et laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocunque commissa vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis

missarum, sive manualium, sive ad tempus vel in perpetuum pertinet: hinc salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicunque huiusmodi archiconfraternitatum, societatum, congregationum, hospitalium, altarium, capellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum locorum, et operum piorum rectores, seu administratores vel directores, et alii huiusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellarum libros et haec decreta respective iuxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio et in subsidium excommunicationis teneantur.

§. 29. Postremo omnibus et quibuscunque tam ecclesiasticis personis cuiuscunque ordinis, status, gradus, regulae, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis quocunque honore et potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in huiusmodi decretis relaxandi vel sub quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis et quaecunque facultas sit penitus interdicta.

§. 30. Non obstantibus quoad suprascripta omnia et singula in huiusmodi decretis contenta constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, militarium, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, et congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti etiam necessario et in individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum, et aliorum quorumcunque tam saecularium, quam regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, etiam Mari magno, seu bulla aurea aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, et formis specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die 23. Novembris 1697. *Ioseph Card. Sacripantes* Praefectus. *Ferdinandus Nuptius* Sacrae Congr. Secretarius».

Confirmata sunt haec decreta plenissime et absolute in constitutione, data 23. Dec. 1697. (Bull. Rom. T. IX.)

—

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ut reformationis negotium prosequatur, haec in praesenti sessione statuenda censuit.

C. I. *Decreta de vita et honestate clericorum innovantur.*

Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum [1]), qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos [2]) vitam moresque suos omnes componere [3]), ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam

delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo maiore in ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus arbitrio ordinarii imponendis observentur; nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant; non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant.

[1]) cf. infr. Sess. XXV. de ref. c. 1. — [2]) cf. c. 1. D. XXI. (Isid.) — [3]) cf. tot. tit. de vita et hon. cler. apud Greg., in VIto et in Clem. (III. 1.), Sess. XXV. de ref. in pr.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. De illicita negotiatione sacerdotis S. C. constare censuit, qui ex superexstantibus parochiae reditibus, ex missarum eleemosynis, ex ludimagistri stipendio et fructibus patrimonialibus boum aliorumque animalium societatem iniit, et tum hoc modo tum per cambia activa scutorum mille lucrum reportavit, licet in eleemosynis distribuendis tenax non fuerit. Inde in 360 scutorum, in pauperes parochiae erogandorum restitutionem eum condemnavit. *Apuana* 20. Febr. 1796.

2. Beneficiatis musicis in theatris canentibus ab ordinario imponendam esse privationis poenam, S. C. decrevit in *Varcellen.* 1. Oct. 1720.

C. II. *Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi.*

Quicunque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate [1]), moribus et vita ac aliis, quae a sacris canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus. Quarum rerum instructio, si eius notitia nulla aut recens in curia fuerit, a sedis apostolicae legatis seu nunciis provinciarum, aut eius ordinario, eoque deficiente a vicinioribus ordinariis sumatur. Scientia vero praeter haec eiusmodi polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in universitate studiorum magister sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel iure canonico merito sit promotus, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suae religionis similem fidem habeat. Praedicti autem omnes, unde instructio seu testificatio erit sumenda, haec fideliter et gratis referre teneantur; alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient, ac Deum et superiores suos habebunt ultores.

[1]) c. 5. D. LI. (conc. Tol. IV.), c. 7. X. de elect. I. 6. (conc. Lat. III. 19.) c. 19. ib. (Innoc. III.), Sess. VII. de ref. c. 1., Sess. XXIV. de ref. c. 1. et 12.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Doctoratus non receptus in publica universitate non suffragatur quoad beneficia et dignitates ecclesiasticas iuxta Pii V. const. LX. (Bull. T. II.) et resolutionem S. Congr. confirmatam a Clem. X. (instante studio Ticinensi editam, qua statuitur, quod gradus doctoratus recipi debeant in publica et approbata universitate, alias dignitates vel beneficia aliter collata vacent eo ipso, ac proinde taliter provisi non faciant fructus suos); sufficit vero gradus ille ex privilegio receptus in aliis casibus. *Fanen.* 5. Jun. et 26. Nov. 1723.

2. In statutis collegiatae ecclesiae terrae Messapiae a Clemente X. confirmatis sancitum est, ut doctores vel theologi ceteris

licet anterioribus in servitio praeferrentur. Hinc presbyter privilegio baccalaureatus a fratribus Ord. Praed. civ. Lyciensis decoratus presbyteris supernumerariis se praeferendum esse contendit. Proposito super hac re dubio S. C. privilegium illud pro obtinenda praelatione non sufficere statuit. *Brundusina* 2. Dec. 1741.

C. III. *Statuendae distributiones quotidianae ex tertia parte quorumcunque fructuum; portio absentium quibus cedat; certi casus excepti.*

Episcopi, etiam tanquam delegati apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscunque omnium dignitatum, personatuum et officiorum, in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones [1]) eorum arbitrio assignandas dividere possint, ut scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium iuxta formam ab eisdem episcopis praescribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur. Crescente vero contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedant [2]). Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis de iure seu consuetudine iurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata ecclesia resederit ac ministraverit, tanquam praesens sit ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur. Haec in iis tantum ecclesiis constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum et proventuum adscendat; non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus et constitutionibus, etiam iuramento et quavis auctoritate firmatis.

[1]) cf. Sess. XXI. de ref. c. 3. — [2]) cf. Sess. XXI c. cit.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Saepius S. C. respondit, canonicos in choro teneri omnino psallere, alioquin obligationi suae non satisfacere, d. 12. Jan. 1619. Ex l. XII. Decr. p. 1. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

2. S. C. resp., canonicos in choro alta voce non psallentes distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante. *Vicent.* 7. Jun. 1626. l. XV. Decr. p. 365. ib.

—

3. Ubi in ecclesia adsunt dignitates, quae habent fructus distinctos a massa capitulari, quorum certa pars assignata fuit in distributiones quotidianas iuxta dispositionem S. Conc. Trid. in cap. 3. Sess. XXII. de ref., S. C. resp., huiusmodi distributiones, quae amittuntur ab iis, qui competens servitium non praestiterint, esse primo applicandas ecclesiae cathedralis fabricae, *quatenus indigeat*, ac nisi indigeat, tunc demum esse in facultate episcopi, illas alteri pio loco suo arbitrio applicare. *Caurien.* 7. Nov. 1621., 23. Apr. 1701. (IX. 103. P. II.)

4. In ecclesia collegiata plures erant canonici supranumerarii, quibus neque vox erat in capitulo, neque participatio massae communis. Cum episcopus propter augendum cultum divinum statuisset « punctationes pro omnibus, qui ad horarum canonicarum pensum in choro persolvendum obstringuntur, sive canonici sunt massae capitularis sive supranumerarii, et amissas (distributiones) dividendas esse inter omnes tam massae quam supranumerarios canonicos pro rata servitii, quod praestiterint, « et denunciasset: » omnes tam massae quam supranumerarios canonicos iisdem comitiis, ut decretum super punctationibus executioni demandetur, interesse teneri, » mota de ea re apud S. C. quaestio fuit. Quae censuit: Interesse debere canonicos supranumerarios comitiis capitularibus, quibus decretum episcopi proponitur de punctaturis; distributionem et participationem moderandam esse quoad canonicos primae erectionis secundum taxam ab episcopo factam, quoad supranumerarios se-

cundum decretum cap. 3. Sess. XXII. Conc. Trid. *Aquipenden.* 23. Aug. 1834.

—

5. Ad dubium : An lucra provenientia ex punctaturis et absentiis canonicorum , quae praesentibus debeantur canonicis , *coadiutoribus* sive potius coadiutis cedant in casu? S.C. resp. deberi canonicis coadiutis. *Romana* 19. Aug. 1730.

6. Disputato dubio: An in congruam canonici curati imputari debeant distributiones quotidianae , quae dantur ratione servitii spiritualis et interessentiae choro, nec non cetera emolumenta parochialia expressa in sententia episcopi (i. e. oblationes et eleemosynae, quae dantur pro funeribus, sponsalitiis et similibus)? S. C. resp. *affirmative* quoad primam partem , *negative* quoad secundam. *Isernien.* 20. Apr. 1697. (rel. LII. 187.)

7. Ut basilicarum et collegiatarum Urbis frequentiori servitio divinique cultus splendori prospiceret , s. m. Innocentius XII. particularem congregationem deputavit, quae ad examen vocatis omnibus indultis sive ratione munerum sive studiorum causa concessis pro exemptione a chorali servitio , moderationes , reformationes ac etiam revocationes , quae opportunae visae fuissent, proponeret.

Quid censuerit S. illa Congr. , ex hoc patet decreto d. 2. Maii 1693.: « Censuit, si SSimo D. N. placuerit , indulta quoad nuncios apostolicos nec non intimos et eidem SSimo actu inservientes familiares ac Subdatarium et Cam. Apost. Commissarium non esse immutanda.

Quoad gubernatores et vicelegatos provinciarum, civitatum et locorum Status ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possunt ecclesiis interesse, nec non Procuratorem generalem montium, ac familiares S. R. E. Cardinalium, firmo tamen quoad eorundem Cardinalium caudatarios remanente decreto moderatorio S. Congr. Emin. Card. S. Conc. Trid. Interpr. die 19. Aug. 1690. edito , esse revocanda et expedire , quod in posterum non concedantur.

Indultum inserviendi secretariae S. Congr. Emin. Card. consultationibus negotiorum ditionis temporalis eiusdem. S. R. E. praepositorum concessum esse reformandum et in posterum restringendum ad illos dies et horas duntaxat, quibus ratione huiusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit , eius conscientia desuper strictissime onerata.

Indulta causa studii pro lucrandis fructibus duntaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro ecclesiis, quarum reditus consistunt vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat , nec pariter concedenda ultra triennium, neque maioribus XXV. annis, quin immo huiusmodi aetate XXV. annorum expleta eadem indulta, licet idem triennium adhuc completum non fuerit, exspirare. Omnes denique habentes indulta pro singulis diebus et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint , adhuc esse punctandos toties quoties ecclesiae seu choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomade huiusmodi puncta posse et debere deleri seu tolli pro illis tantum diebus et horis , quibus indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorundem munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata , et circa huiusmodi impedimentorum relevantiam iudicio proprii Vicarii cuiuslibet ecclesiae, in ecclesiis vero, ubi non est huiusmodi vicarius, iudicio dignioris canonici esse deferendum. »

Facta harum resolutionum S. P. relatione, die 8. eiusdem mensis et anni ita eas probavit: «S. S. illas probavit et a die 1. Junii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari , indultis tam a se quam a RR. PP. praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis contrariis quibuscunque non obstantibus , quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit. »

Anno 1820., cum nova revisione opus esse videretur, res illa a S. Pont. S. Congr. Conc. commissa est , cui proposita sunt haec dubia :

I. An et quomodo sit confirmandum vel concedendum indultum abessendi a choro addictis S. Sedis servitio sive in temporali sive in ecclesiastico munere?

II. An et quomodo sit concedendum indultum iis , qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, nunquam possunt durante muneresuis ecclesiis deservire et chorali officiaturae personaliter interesse?

III. An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus secretariis Congregationum Emin. S. R. E. Cardinalium, pro expediendis negotiis tum ecclesiastici tum temporalis regiminis?

IV. An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus Pontificiae capellae sive munere magistri caeremoniarum, sive acolythorum et clericorum?

V. An et quomodo sit concedendum indultum lectoribus in publicis universitatibus?

VI. An sit confirmandum vel concedendum indultum pro excipiendis fidelium confessionibus sive in ecclesia beneficii sive in alia ecclesia vel monasterio, vel vacantibus exercitio SS. missionum aliisque pietatis operibus?

VII. An et quomodo sit concedendum indultum coadiutoribus sive ratione munerum sive causa studiorum?

VIII. An sit concedendum indultum addictis servitio particularium personarum quavis etiam dignitate fulgentium?

IX. An et quomodo sit providendum in futurum?

S. C. resp. ad I. *Affirmative* in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter praesentes tantum. Ad II. *Negative* exceptis nunciis et internunciis. Ad III. *Affirmative* pro diebus et horis, amissis. Ad IV. *Affirmative* pro diebus et horis, dummodo personaliter et ex munere intersit, amissis distributionibus (i. e. distributionibus inter praesentes), onerata. Ad V. *Affirmative* pro diebus et horis, amissis. Ad VI. *Negative*, excepto tantum casu verae necessitatis. Ad VII. *Negative* in omnibus. Ad VIII. *Negative*, exceptis caudatariis S. R. E. Cardinalium ad formam decreti d. 19. Aug. 1640. Ad IX. ad D. Secretarium cum SSimo iuxta mentem, et mens est: indulta adhuc concessa esse confirmanda sive reformanda sive revocanda ad formam praecedentium resolutionum, et supplicandum SSimo, ut in posterum non concedantur nisi per sacram Congr. Conc. sub poena nullitatis, utque ea indulta non valeant, nisi obtento decreto executoriali ordinarii vel legitimi superioris. *Roman.* 6. Maii 1820.

Responsum hoc facta relatione S. P. d. 10. eiusdem mensis approbavit: « S. Sua resolutionem S. Congr. ad novem praedicta dubia in omnibus benigne approbavit et respective confirmavit, voluitque ut in casibus particularibus sub praemissis dubiis non comprehensis provideatur pariter ab eadem S. Congr. Conc. ad formam sacrorum canonum et S. Conc. Trid. et iuxta praxin ab ea hactenus servatam, atque omnia praemissa inviolabiliter in posterum servari mandavit a die 1. Jul. proxime futuri, indultis omnibus tam a se quam a RR. PP. praedecessoribus suis quomodolibet concessis et aliis quibuscunque non obstantibus, quibus pro executione praemissorum amplisssime derogavit. »

Conc. Trid.

S. vero C. ad dubium III., de quo quaestio mota erat ab indultariis secretariis inservientibus, resolvit standum esse in decisis d. 25. Maii 1822.

—

8. « S. C. saepius censuit, canonicum absentem a residentia suae ecclesiae ex quavis causa quamvis iusta et legitima, percipere non debere distributiones quotidianas, nisi copulative obtinuerit expressam licentiam episcopi dioecesani, etsi capitulum vellet ad illas admittere canonicum absentem. » *Ripana.* 24. Mart. 1657.

—

9. Canonico absenti ex iusta causa cum permissione Congregationis Concilii, etsi denegata ab ordinario ultra tres menses absentia, dummodo omnia adimpleverit per substitutum, deberi « massam grossam », emolumenta quarumcunque missarum et quascunque oblationes, decl. S. C. in *Pampilonen.* 11. Sept. 1728.

10. Canonicis, qui legitime fuerunt impediti et choro interesse non potuerunt, etiam fallentiae debentur aliorum sine legitima causa absentium. *Alexandrina* 29. Sept. 1657., *Romana* 5. Maii 1703. et 27. Jul. 1705., *Mediolanen.* 7. Dec. 1715.

—

11. Joannes de Abreu portionarius eccl. de Barsellos visu orbatus supplicat pro exemptione a servitio chori et interim omnes fructus et distributiones quotidianas percipere. S. C. censuit, danda esse decreta hac de re edita et signanter in *Mercatelli* d. 8. Jan. 1597. tenoris sequentis: « S. C. censuit, oratorem si vere coecus existit, a celebratione missarum in collegiata prorsus immunem esse, neque alium sui loco, cum sit legitime impeditus, substituere teneri. » Ex l. XXV. Decr. (1667.) rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

12. S. C. die 29. Jan. 1661. resp.: tribuendas coeco distributiones a die, quo lumine caruit. Ex l. XXII. Decr. rel. ib.

13. Canonicum tempore infirmitatis participare de omnibus distributionibus tam ordinariis quam extraordinariis ac quibuscunque aliis oblationibus et emolumentis, exceptis iis, quae sive ex voluntate testatoris sive ex statuto et consuetudine ecclesiae dantur tantum actu interessentibus, S. C. resp. in *Savonen.* 18. Dec. 1745.

14. S. C. censuit, eos, qui absunt a servitio chori ob infirmitatem vel aliam causam, percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus perinde ac si statis horis interessent; percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui divinis non interfuerint. 15. Apr. 1611. Ex

l. XI. Decr. p. 98. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

15. S. C. censuit, distributiones quotidianas ita demum oratori aegroto deberi, si alias ecclesiae solitus erat inservire, cuius iustificatio remittitur conscientiae episcopi. *Mantuana* 6. Febr. 1627. Ex l. XIII. Decr. p. 197. rel. ib.

16. S. C. censuit oratori dandam esse declarationem alias editam sequentis tenoris: « S. C. censuit, canonico infirmo durante eius infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus, nec non distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem solitus fuerit inservire. » Ceterum infirmitatem ipsam coram iudice probandam. *Reatina* 5. Mart. 1667. ex l. XXV. Decr. p. 345. rel. ib.

17. Propositis dubiis: I. An canonico, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque divinis officiis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quindenniis, capitulis aliisque capitularibus anniversariis, festivitatibus, processionibus et pro quibuslibet functionibus in ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cuiusvis generis et speciei communia et nuncupata, ac etiam victualia et candelas? II. An eidem canonico competat pro sua rata parte etiam ius accrescendi earum distributionum et communionum, quae ob absentiam vel vacationem canonicorum interessentibus accrescunt et a qua die supradicta omnia debeantur in casu? S. C. resp. ad I. *affirmative* etiam quoad laudemia, exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum, ad II. *affirmative*, a die praesentationis indulti. *Roman.* 5. Maii 1703. (rel. XXXIV. 15.) Eodem modo iudicatum est in *Segobric.* 9. Febr. 1765.

18. Proposito dubio: An archipresbytero oratori tempore infirmitatis debeantur omnes et quaecunque distributiones quotidianae et signanter mortuaria et anniversaria? rescr. fuit *affirmative* iuxta consuetudinem ecclesiae, in *Tranen.* 13. Jan. 1703. (alleg. XXXIX. 146.)

19. Sacerdotem provisum de simplici beneficio residentiali ecclesiae cathedralis, ex causa infirmitatis absentem, et qui vicarium substituerit, fructus et distributiones percipere potuisse resp. S. C. in *Osnabrugen.* 20. Sept. 1727.

20. Indultum datum canonico, qui plures per annos nocturnis horis nunquam, rarissime vero diurnis interfuerit, cum infirmitas eius non toto tempore, quo abfuisset, durasset, et tempore, quo choro vacavit, cauponas cum populi scandalo consueverit frequentare, non esse sustinendum resp. S. C. in *Constantien.* 4. Maii 1737.

21. S. C. censuit, canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus interesse minime consueverunt. *Ferrarien.* 12. Sept. 1648. Ex l. XVIII. Decr. p. 522. rel. a *Bened.* XIV. l. c.

22. Cum petitum fuisset: I. An distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus, qui solitus ceteroquin inservire a civitate legitimo vacationis tempore decedens, in vicinum oppidum, (unde sub finem dictae vacationis potest opportune se reddere ad servitium ecclesiae), se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita continetur, ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat? et quatenus affirmative: II. An hoc locum habeat, quamvis in ecclesia vigeat contraria consuetudo? S. C. resp. ad I. lucrari, ad II. non habere locum, si consuetudo sit legitime praescripta. *Nullius* 2. Dec. 1666. Ex l. XXV. Decr. p. 190. rel. ib.

23. S. C. censuit, canonicis causa pestis absentibus deberi quotidianas distributiones, si pestis grassetur et petentes soliti sint inservire, et probetur legitima consuetudo, quod distributiones huiusmodi dentur absentibus ex iusta causa. Quando autem dicatur pestis grassari, ut sit iusta causa absentiae, iudicio episcopi esse reliquendum. *Mediol.* 9. Nov. 1630. Ex l. XIV. Decr. p. 337. rel. ib.

24. Presbytero, qui propter vexationem ministrorum laicorum, quibus rationem reddere de reditibus ecclesiasticis detrectaverat, confugit, deberi fructus a tempore discessus ob illatum impedimentum, resp. S. C. in *Maioricen.* 14. Apr. 1736.

25. Canonico absenti ex causa inimicitiarum, vel propter metum principis temporalis, *utpote absenti ex iusta causa*, deberi distributiones quotidianas et fructus ad normam absentium ex causa infirmitatis, censuit S. C. in *Fundana* 3. Julii 1734. Similiter iudic. in *Carpen.* 17. Sept. 1616. (alleg. V. 141.)

26. Sacerdoti in ecclesia receptitia cooptato, absenti ultra annum ab episcopo concessum propter metum viri potentis, debetur portio massae communis, deductis tantum missarum oneribus. Ita in *Caputaquen.* 18. Aug. 1731.

27. Canonicos absentes ex causa deportationis (quam passi erant propter recusatum fidelitatis iuramentum a gubernio prae-

scriptum) lucrari posse pro tempore absentiae emolumenta ex legatis et ex funeribus, censuit S. C. in *Nullius Sublacen.* 14. Jun. 1817.

28. Canonico (de thesauraria) per apost. indultum proviso et a capitulo impedito, quominus choro potuerit interesse, deberi fructus, reditus et distributiones a die professionis, excepto primo anno solvendo defuncti heredibus, damna vero omnia et interesse passa ex causa molestiarum et litium a capitulo inductarum resarcienda, cogendum esse denique capitulum sub poenis arbitrio nuntii taxandis et in subsidium suspensionis a divinis ad exhibenda omnia instrumenta et iura, quae respiciant reditus, praeeminentias et iura dignitatis thesaurariae et canonicatus, resp. S. C. in *Nullius Tudelae* 22. Nov. 1727. et 13. Aug. 1729.

—

29. S. C. censuit canonicis episcopo pontificaliter celebranti assistentibus deberi distributiones quotidianas, non autem inservientibus episcopo dioecesim visitanti vel missam privatam celebranti. *Amerin.* 3. Febr. 1629. Ex l. XIV. Decr. p. 17. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

30. Canonicis episcopo assistentibus vel in palatio vel in aliis ecclesiis pontificalia exercenti non deberi omnes distributiones quotidianas, sive annexae sint sive separatae a corpore praebendae, sive in anniversariis sive aliis piorum memoriis et fundationibus consistant, quando aliter non fuerit dispositum a testatore, censuit S. C. in *Colon.* 9. Maii 1671. (alleg. VI. 211.), *Leodien.* 10. Jul. 1717. (alleg. ib.)

—

31. Cum petitum fuisset: An canonicis eccl. cathedralis assistentibus episcopo, pontificalia exercenti vel in suo palatio vel in aliis ecclesiis suae dioecesis, debeantur anniversariorum emolumenta, quae ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter praesentes? et quatenus negative: An sit consulendum SSimo pro concessione indulti ex gratia in casu? S. C. resp. ad utrumque *negative Bosanen.* 16. Febr. 1734. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

32. Quaeritur, an canonici inservientes episcopo missam privatam celebranti lucrentur distributiones quotidianas? S. C. censuit non lucrari. 25. Jan. 1625. ex l. XII. Decr. p. 253. rel. ab eod. *Arianen.* 17. Maii 1704. (rel. VI. 210.)

33. Canonicum caeremoniarum magistrum tum demum distributionibus gaudere, cum episcopo assistit pontificalia in ecclesia *cathedrali* celebranti, censuit S. C. in *Ravennat.* 1. Aug. 1739.

—

34. S. C. censuit, dandam esse declarationem alias editam tenoris sequentis: « S. C. censuit, unum vel duos canonicos episcopo inservientes iuxta privilegium ad favorem episcoporum in cap. *De cetero* de cler. non resid. lucrari praebendam suorum canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas; si vero reditus omnes ipsius distributionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari. *Soran.* 22. Apr. 1679. ex l. XXX. Decr. p. 301. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

35. Ex privilegio inserto in corpore iuris episcopum uti posse opera duorum canonicorum sive cathedralis sive collegiatae, eosque interim lucrari fructus praebendae, non autem distributiones quotidianas; quod si omnes fructus eiusmodi distributionibus constent, tum percipere eos debere duas tertias illarum partes, omissa tertia, quae inservientibus accrescat, S. C. censuit in *Fesulan.* 4 Jun., 1633., *Aversana* 10. Mart. 1635., *Sypon.* 29. Apr. 1702. (rel. ex act. XXXIV. 183) Similiter iudicavit in *Venusin.* 30. Jul. 1763.

—

36. Canonici ordinario inservientes fructus quidem praebendae, non autem distributiones quotidianas in illis ecclesiis percipiunt, in quibus fructus a distributionibus sunt distincti. Quod si in distributionibus universi reditus consistant, percipiunt ipsas distributiones dimissa tertia parte, quae inservientibus accrescit. Verum huiusmodi de causis absentes nullo modo recipere possunt eleemosynam pro missa relictam vel praestitam, nisi ecclesiae per se ipsos servitium praestiterint. *Avenionen.* 13. Jan. 1635. (rel. II. 312.)

37. Ex privilegio in corpore iuris clauso licet episcopo uti opera duorum canonicorum, qui servitio huiusmodi durante reputantur praesentes ad effectum lucrandi fructus suarum praebendarum iuxta cap. *De cetero* de cler. non resid. cum concordantibus. Hoc posito quaerit episcopus Calaguritanus, an vigore dicti privilegii possit uti opera canonici *coadiutoris*, qui itidem servitio durante reputetur praesens ad effectum praedictum? S. C. censuit *negative* respondendum 15. Jan. 1684. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

38. Canonicis vel dignitatibus, qui gerunt animarum curam, episcopum pro servitio uti non posse, S. C. censuit d. 26. Apr. 1659. Ex l. XXI. Decr. p. 618. rel. ib.

—

39. Cum proponeretur dubium, an comes de Hoensbroeck canonicus scholasticus ecclesiae Aquisgran. et canonicus eccl. cath. Leodien., assumptus ab episcopo Leodien. in cancellarium et canonicum de latere et in eius servitio existens, haberi debeat pro praesente et residente ad effectum percipiendi fructus praebendae et gaudendi iure turni in casu etc., negante id capitulo Aquisgr. propterea, quod ipse exemptuus et non de dioecesi esset, licet in dioecesi existeret? S. C. censuit *affirmative* in omnibus d. 28. Sept. 1765.

40. S. C. respondit, canonicum inservientem episcopo in officio *vicarii (generalis)* non lucrari distributiones quotidianas pro illis divinis horis, quibus non intersit. *Bittet.* 17. Dec. 1627. ex l. XIII. p. 267. rel. a *Bened.* XIV. l. c. Eodem modo rescripsit S. C. in *Tanaten.* 9. Maii 1671. Ex l. XXVII. Decr. p. 113 *ib.*

41. S. C. censuit, canonicum *examinatorem synodalem*, vocatum ad interessendum examini pro parochialibus ecclesiis vacantibus vel pro collatione ordinum, tempore, quo divina officia celebrantur, si eis non intersit, non lucrari distributiones quotidianas. *Brixien.* 19. Jun. 1638. ex l. XVI. Decr. p. 38. ap. *Bened.* XIV. l. cit.

42. Petitum fuit: An examinatores synodales, si non intersint choro occasione assistendi examini, lucrentur distributiones quotidianas non aliter ac si divinis interessent? S. C. resp. non lucrari. *Cremonen.* 20. Sept. 1642. ex l. XVII. Decr. p. 95. rel. apud *eundem* l. cit.

43. S. C. resp.: canonicos suum episcopum in *visitatione liminum* comitantes distributiones quotidianas lucrari debere, comitantes vero in visitatione dioecesis, si omnes fructus, ut supponitur, in distributionibus quotidianis consistant, lucrari duas partes amissa tertia, quae inservientibus accrescat. *Sulmonen.* 5. Dec. 1626. Ex l. XIII. Decr. p. 329. rel. ib.

44. Canonico absenti, misso ab episcopo ad visitanda limina Apostolorum, deberi distributiones quotidianas, censuit S. C. in *Culmen.* 23. Jan. 1627., *Regien.* 18. Dec. 2627., *Monaster.* 15. Maii 1723. (alleg. II. 312.) Idem iudicavit in *Pennen.* 1. Oct. 1672. cit. ex libr. decr. XXVII. p. 510. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

45. S. C. censuit, canonicum, qui divinis non interest, quantumvis sit *inquisitor haereticae pravitatis*, non lucrari distributiones quotidianas, (*Civitaten.* 1587. Ex l. VIII. Decr. p. 39. rel. ib.), nisi ex apost. privilegio indultum sit canonicis inquisitoribus, ut fructus et distributiones lucrentur etiam in absentia; iuxta res. S. C. in *Toletana* 4. Jun. 1594.

46. S. C. resp., praedictos *ministros SS. Inquisitionis* non lucrari distributiones quotidianas nisi ex speciali sedis ap. privilegio, ac propterea oratorem pro eo obtinendo congregationem SS. Inquisitionis adire posse. *Mediolan.* 3. Febr. 1635. ex l. XV. Decr. p. 156. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

47. S. C. censuit, *theologo* pro tota die, qua legit, deberi distributiones quotidianas. *Mediol.* 1589. Ex l. VI. Decr. p. 71. rel. ib.

48. S. C. decrevit, theologum qua die legit distributiones quotidianas lucrari, tametsi a choro legitime vacare possit. *Limen.* 18. Jun. 1622. Ex l. XII. Decr. p. 103. ib.

—

49. S. C. resp.: canonicos, dum horae canonicae recitantur, non posse a choro abscedere ad confessiones audiendas aut missas celebrandas devotionis causa, ac, qui discesserint, illius horae distributionem amittere. 14. Mart. 1620. Ex l. XII. Decr. p. 35. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

50. Dubio proposito: An canonici, quibus non incumbit uti canonicis onus audiendi confessiones, si pro iis audiendis absint a chori servitio, lucrentur quotidianas distributiones? S. C. resp. *non lucrari*, in *Neriton.* 22. Jun. 1624. (alleg. XXXV. 362.) Eodem modo resp. in *Maceraten.* 14. Febr. 1767.

51. Canonicos ecclesiae cathedralis, absentes ad audiendas confessiones in ecclesia cathedr., eo tempore pro praesentibus haberi non debere neque lucrari distributiones quotidianas *excepto poenitentiario*, resp. S. C. in *Sancti Miniatis* ad I., 8. Febr. 1817.

52. S. C. censuit, oratori (qui ab episcopo substitutus erat poenitentiario) in locum poenitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate et ex legitima causa ab episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas non secus, ac si divinis in choro interesset. *Lucen.* 10. Mart. 1635. Ex l. XV. Decr. p. 175. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

53. S. C. censuit, oratorem habentem onus curae animarum annexum, si tempore, quo divina officia celebrantur, audiat confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, lucrari debere distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit. *Mediol.* 13. Febr. 1639. Ex l. XVI. Decr. rel. ib.

54. S. C. censuit, praeposito ecclesiae collegiatae Castrinovi, cui annexa est cura animarum cum administratione sacramen-

torum, deberi distributiones quotidianas tempore divinorum officiorum, si eo tempore sit in actu dictam curam exercendi et sacramenta ministrandi. *Torton.* 19. Sept. 1643. ex l. XVII. Decr. ib.

55. Archipresbyter dignitarius praebendae, cui annexa est cura animarum in ecclesia parochiali, ita ut parochialis residentiae lege obstrictus sit, admitti debet ad participationem fructuum et distributionum ecclesiae collegiatae pro tempore, quo non intervenit choro, quatenus eodem tempore sit actualiter occupatus ministerio ecclesiae parochialis. *Montis Regalis* 8. Jun. 1726. et 6. Dec. 1732.

56. Iussu Pontificis S. C. hoc decretum promulgavit: « Quia quandoque in cathedralibus et collegiatis sunt aliqui canonici vel alii officiales, qui in eisdem habent capellas, vel in titulum vel tanquam mercenarii, quaeritur: An eo tempore, quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro, et quid de illis canonicis, qui celebrant in eadem ecclesia suae devotionis gratia, an et quando hac de causa a choro absunt, distributiones recipere possint, et dato quod non, quid, si a superiore ecclesiae iniungatur, ut eo tempore celebrent? Re ad SSimum relata, ex sententia S. Congregationis Conc. declaravit, non posse nisi quando sic iussissent superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab huiusmodi iussu se abstineant » a. 1573. (alleg. LXXVII. 17.) Idem « nisi de licentia praefecti choro in populi commodum absint » censuit S. C. in *Sancti Miniatis* 8. Febr. 1817. ad II.

57. Proposito dubio: An canonici voluntarie missas tempore divinorum officiorum celebrantes et dicto tempore choro non assistentes percipere seu potius amittere debeant distributiones? S. C. definivit: Canonicos non posse, nisi illa hora ad missas celebrandas ab eo, ad quem spectat, compulsi aut iussi fuerint. *Reatina* 15. Mart. 1692. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

—

58. S. C. resp.: capitulum non esse habendum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur. Quodsi secus fiat, canonicos nequaquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis, quibus divinis non interfuerunt, et eo casu posse archiepiscopum, non obstante quacunque consuetudine, ad subtractionem fructuum et ad mulctas pecuniarias imponendas contra canonicos procedere. *Turritana*, 2. Jul. 1633. ex l. XIV. Decr. p. 751. ib.

59. S. C. censuit, oratori deberi distributiones quotidianas ex quo vere abfuit *pro negotiis capituli*. *Panorm.* 1588. Ex l. V. Decr. p. 104. ap. *Bened.* XIV. loc. cit.

60. S. C. censuit, quod si (canonici aut alii choro addicti) ex causa negotiorum capituli recedere voluerint, percipere eos tam fructus praebendae quam distributiones, nec esse necessariam licentiam archiepiscopi, ad cuius tamen officium pertinebit examinare, an causa negotiorum vere subsit, et quascunque collusiones et illicitas remissiones inter canonicos prohibere. *Segovien.* 1589. ex l. V. Decr. p. 287. ib.

61. Canonico absenti ob litem, quae requirat personalem eius assistentiam, cum id ordinario necessarium esse visum fuerit, deberi distributiones, S. C. resolv. in *Monasterien.* 15. Maii 1723., 30. Sept. 1724.

62. Canonico prosequenti litem in curia pro consecutione aliarum distributionum ei debitarum (non litem super titulo beneficii) non deberi distributiones, S. C. censuit in *Aquilana* 23. Maii 1626.

63. Canonico absenti propter litem in Urbe de beneficio gerendam, accepto a S. C. indulto abessendi a residentia et participandi de omnibus fructibus sui canonicatus omissis quotidianis distributionibus, et cum solita clausula: « quodsi fructus omnes in distributionibus consisterent, vel reditus praebendae earum tertiam partem non attingerent, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective perciperet amissa tertia parte, quae inservientibus accresceret », amissa tertia parte deberi fructus sui canonicatus ad formam indulti, quamvis maximam partem proveniant ex piis testatorum dispositionibus, S. C. censuit in *Mediolanen.* 17. Apr. 1728.

64. Sacerdoti, qui propter causam collegii portionariorum gerendam in Urbe procurator adfuit et deinde a S. Congr. Conc. obtinuit indultum non residendi in certum tempus et fruendi nihilominus distributionibus quotidianis, deberi etiam fructus pro tempore consumpto in itinere usque ad diem accessus ad Urbem et concessionis (primi) indulti, non vero ei deberi distributiones tempore intermedio inter unum alterumque indultum concessum neque tempore, quo indultum fuit finitum, sed capitulo renuente necessariae fuerant litterae executoriae, usque ad earum acceptationem. Sub indultis vero comprehendi distributiones extraordinarias ex massa communi in certis solemnioribus festis repartiri solitas, censuit S. C. in *Conchen.* 6. Febr. 1734.

65. Canonicus indultum absentiae propter munus gerendum pro tribus annis acceperat... « amissis distributionibus quotidianis; quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae, ac distributionum insimul cumulatarum respective recipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.» Quaestione exorta inter indultarium et capitulum de eius interpretatione, S. C. dubiis: I. An canonicus F. indultarius choro praesens per aliquot dies distributiones quotidianas percipere valeat iis diebus respondentes in casu? II. An distributiones, quae dimitti debent ab eodem indultario, computandae sint super fructibus totius anni seu potius super fructibus decurrentibus in hebdomada servitii tantum? respondit: ad I. *affirmative*, ad II. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam, in *Firmana* 3. Jun. 1843.

66. Ecclesiae Leodiensis canonico, cum in eo esset ut in Angliam pergeret, iis, qui ad catholicam fidem et Romanae sedis obsequium redire vellent, opem laturus, a S. P. privilegium erat concessum, ut « durante sua in Angliae regno absentia et toto occasione missionum peragendarum tempore, omnia et singula canonicatus et praebendae... emolumenta..., exceptis distributionibus quotidianis, ad eum ratione eorundem canonicatus et praebendae, si in dicta ecclesia resideret, et divinis officiis singulis diurnis et nocturnis horis assidue interesset, spectantia et pertinentia cum ea integritate percipere.... licite et libere possit, non secus ac si choro et divinis officiis praesens personaliter resideret et interesset ». Huius itaque privilegii vigore non solum reditus massae grossi, sed anniversariorum quoque massae per novem annos percepit. Postea vero de anniversariis controversia mota, quae praesentibus tantum deberi eidemque cum distributionibus legi subiectas esse canonici contenderunt, portionem ex anniversariis tam fixis quam incertis et extraordinariis ei competere sumptusque litis non e massa communi erogandas, sed ab illis, qui litem moverunt, solvendas, S. C. censuit in *Leodien.* 28. Aug. 1751.

67. Canonicus capituli cuiusdam, vocatus ad munus vicarii generalis in aliena dioecesi gerendum, indultum obtinuerat « ut valeat abesse a residentia et servitio chori et nihilominus omnes et singulos sui canonicatus fructus, reditus et proventus, exceptis distributionibus, quae fieri dicuntur inter praesentes, percipere possit, perinde ac si choro interesset. « S. C. censuit: comprehendi hoc indulto nedum distributionem frumentariam, sed pecuniariam quoque, quae penes illud capitulum in more est, atque adeo ab anno, quo hanc petierat, restituendam fore ab illis capitularibus, qui illegitime perceperant illam per plures annos. *Anagnina* 22. Aug. 1840.

—

68. Petitum fuit in causa Tudertina: An canonici visitantes devotionis causa ecclesiam Lauretanam ac Angelorum de Assisio aliaque pia huiusmodi loca, dum in tali sunt peregrinatione, possint fructus praebendae et distributiones quotidianas lucrari iuxta constitutionem antiquam ipsius ecclesiae, qua eis permittitur, ut ipsi peregrinantes certis diebus et mensibus abesse possint ab ecclesia? S. C. censuit, non posse lucrari quotidianas distributiones, fructus vero praebendae posse, si intra tres menses a decreto Conc. Sess. XXIV. c. 12. concessos fecerint hanc peregrinationem. Sine anno rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

69. Cum capitulum Ulyssiponense peculiari statuto concessisset distributiones pro certo temporis spatio iis canonicis, qui pias aliquas peregrinationes inirent, eiusque statuti confirmationem petiisset, S. C. censuit, confirmationem petitam nequaquam esse concedendam, nisi aliter SS. D. N. fuerit visum, et peregrinare volentes posse recurrere ad hanc S. Congr., quae iuxta stylum non denegabit licentiam. 1631. Ex l. XIV. Decr. p. 553. rel. ib.

—

70. Canonico studiis operam danti et indulto fruenti debentur fructus et emolumenta quaecunque, distributiones quotidianae ordinariae et extraordinariae, etiam solis praesentibus dari solitae, non vero emolumenta interessentium anniversariis funeralibus et missis assignata. *Neapolit.* 20. Febr. 1677. (alleg. VI. 212.)

71. Canonicus studiorum causa absens ex indulto fructus quidem praebendae facit suos, sed amittit quotidianas distributiones, aut duas tantum earum partes lucratur, utpote subrogatas in locum fructuum praebendae, si isti aut nulli sunt, aut admodum tenues. *Arianen.* 18. Aug. 1731.

—

72. S. C. censuit, canonicos studiorum causa absentes eam tantum portionem amittere, quam residentes non percipiunt, nisi divinis interfuerint, aliam vero partem, quam residentes lucrantur, etsi ecclesiae non inserviant, deberi absentibus studiorum causa, quia sacris canonibus pro prae-

sentibus habentur. *Maceraten.* 10. Dec. 1616. (alleg. LII. 70.)

73. Ioannes Petrus Strada canonicus collegiatae SS. Celsi et Iuliani, obtento brevi exemptionis a choro causa studii, petit decerni, id non solum suffragari pro diebus, quibus antecessor legit in publica aula Sapientiae, verum etiam quando in suis privatis aedibus legit. S. C. resp., suffragari etiam pro diebus, quibus lector legit domi propriae, dummodo tunc etiam vere et actu ipso studiis incumbat. *Roman.* 23. Mart. 1675. Ex l. XXIX. Decr. p. 45. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

74. Canonicum absentem ex indulto studiorum causa teneri ad poenam punctaturarum indictam in statuto ecclesiae contra non interessentes divinis officiis; eandemque poenam esse solvendam ex tertia parte fructuum ex indulto relinquendarum et repartiendam interessentibus, resp. S.C. in *Nullius Farfen.* 20. Dec. 1738. ad I. et II.

75. Cum ecclesiae statuto cautum esset, ut loco distributionum quotidianarum punctaturae a canonicis absentibus persolverentur, quaestio exorta est: I. An indultum concessum canonico studiorum causa absenti eidem suffragetur etiam ad effectum non solvendi punctaturas in casu etc.? et quatenus negative: II. An et a quo tempore sint solvendae dictae punctaturae in casu etc.? S. C. resp. ad I. *negative* pro tertia parte tantum fructuum sui canonicatus et amplius, ad II. *affirmative* a die nonin teressentiae choro. *Eugubin.* 5. April. 1783.

76. Cum temporis sex mensium spatium « ad se magis instruendum et edocendum, tam circa sacros ritus, quam materias morales » canonicus in subdiaconatus ordine constitutus ad recipiendum presbyteratus ordinem in seminario permanere iussus erat ab episcopo, S. C. resp.: « Oratorem pro tempore sex mensium, quibus praemissa de causa permanserit in seminario, frui deberi omnibus fructibus, sui beneficii, *amissis tamen distributionibus quotidianis* », in *Camerinen.* 6. Julii 1726.

77. Canonico diacono, qui, ut concilio Romano satisfieret (T. XXX. 8.) ab episcopo, nullam ceteroquin maioris minorisve idoneitatis rationem habente, in seminario per sex menses ad suscipiendum presbyteratus ordinem permanere iussus erat, deberi distributiones quotidianas, S. C. resolv. in *Setina* 1. Dec. 1731.

—

78. « Canonicos primo inquisitos et deinde absolutos uti non culpabiles per sententiam, licet cum clausula « ex hactenus deductis », debere utique percipere distributiones quotidianas totius temporis, quo talem ob causam divinis interesse non potuerunt, resolvit S. C. in *Arianen.* 28. Apr. 1635., *Anagnina* 23. Aug. 1681., *Theatina* 19. Nov. 1707., *Reatina* 5. Maii 1708., *Lucana* 23. Jul. 1718., *Ferentina* 2. Aug. 1721.

79. Canonico inquisito de mandato cuidam cum pecuniae solutione ad offendendum et verberandum certum hominem dato, licet tanquam non repertus culpabilis absolutus, et liberatus esset, cum tamen episcopus propter reperta in secreta exploratione indicia « ex informata conscientia » ei accessum ad chorum interdixisset, neque distributiones quotidianas, neque fallentias adiudicandas esse, S. C. resp. in *Lauretana* 17. Sept. 1722.

80. Canonico ad triremes damnato et postea adgratiato non debentur fructus pro tempore absentiae. *Ferentina* 19. Nov. 1718.

81. Sacerdotem a curia episcopali a divinis suspensum, relegatum in certam terram et restrictum in conventu, obtento rescripto congregationis episcoporum et regularium « non esse amplius molestandum » distributiones temporis, quo suspensus et absens fuerit, recipere non debere, respondit S. C. in *Castrensi* 13. Apr. 1726.

82. S. C. saepe censuit, indebite carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo ecclesiae inservisset. 23. Sept. 1685. Ex l. XXV. Decr. p. 405. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

83. Canonicus quidam propter falsam criminis delationem in carcerem fuit a iudice laico coniectus et reis delatis propter innocentiam absolutis, ex gratia dimissus. Quamvis non condemnatus esset calumniae, iusta tamen ex causa fuit detentus. Distributiones itaque tempore, quo abfuit, quamvis omnes fructus in distributionibus consisterent, ei non deberi, resp. S. C. in *Anagnina* 29. Febr., 28. Mart. 1744.

C. IV. *In ecclesia cathedrali vel collegiata sacro ordine non initiati vocem in capitulo non habeant. Qualitates et onera obtinentium beneficia in illis.*

Quicunque in cathedrali vel collegiata, saeculari vel regulari ecclesia, divinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi

ab aliis libere fuerit concessum. Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent, quocunque ii privilegio, exemptione, praerogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur iusto impedimento cessante infra annum ordines suscipere requisitos; alioquin poenas incurrant iuxta constitutionem concilii Viennensis [1]), quae incipit: *Ut ii, qui*, quam praesenti decreto innovat. Cogantque episcopi eos diebus statutis dictos ordines per se ipsos exercere [2]), ac cetera omnia officia, quae debent, in cultu divino praestare, sub eisdem et aliis etiam gravioribus poenis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui iam aetatem et ceteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.

[1]) Clem. c. 2. de aet. et qual. et ord. praef. I. 6.: « Ut ii, qui divinis in cathedralibus vel collegiatis, saecularibus vel regularibus ecclesiis sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos sacros ordines propensius inducantur, statuimus, ut nullus de cetero in huiusmodi ecclesiis vocem in capitulo habeat, (etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur), nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus. Illi vero, qui dignitates, personatus, officia vel praebendas, quibus certi ordines sunt annexi, pacifice nunc obtinent in eisdem ecclesiis, vel obtinuerint in futurum, nisi (iusto impedimento cessante) ad huiusmodi ordines se promoveri fecerint intra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant earundem; ipsisque distributionum, quae dantur iis, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis. Poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in suo robore permansuris. » — [2]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 12.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Canonicos aliosque pro tempore obtinentes canonicatus, ordini presbyterali annexos, teneri ad huiusmodi presbyteratus ordinem se promoveri facere intra annum, licereque in casu contraventionis ordinario ad poenam privationis procedere ad formam SS. canonum, non obstante consuetudine, qua sacerdotales functiones expleri possent per substitutos, resp. S. C. in *Hildesimen.* 16. Dec. 1730.

2. Instituendum ad capellaniam esse eum, qui fuerit praesentatus a patrono, quamvis tempore praesentationis nondum esset sacerdos et fundator demandasset, ut ipse applicaret missas, dummodo intra annum ascenderet ad sacerdotium, S. C. resolv. in *Romana* 4. Febr. 1719.

—

3. S. C. resp., canonicum ordinem subdiaconatus non habentem, donec in sacris fuerit constitutus, vocem in capitulo non habere, neque id praescribere potuisse, atque ne in capitulo suffragia ferat, ab episcopo esse prohibendum, immo a canonicis nequaquam esse ad id admittendum. *Bononien.* 27 Mart. 1602. (rel. LII. 107.)

4. Quaestione mota intra canonicos ecclesiae S. Mariae in Cosmedin Rom., cuius canonicatus ex institutione conferri possunt etiam iis, qui prima tantum tonsura sunt insigniti, et disputato dubio: an canonici clerici dictae ecclesiae intervenire possint in capitulo ibique habere vocem activam in casu? d. 22. Jul. 1663. resp. fuit, posse intervenire, sed non habere vocem. (rel. LII. 108.) Eandem regulam secuta est S. C. in *Romana* 22. Jul. 1741.

5. Mansionarios ceterosque beneficiatos cathedralis vel collegiatae ecclesiae, quamvis de iure non reputatos de gremio capituli neque sub eius appellatione comprehensos, posse nihilominus capitularibus actis aliquando interesse ibique suffragium ferre, si id iuris sive ex indulto apost., vel ecclesiae statuto, vel legitima consuetudine, sive ex illius reservatione quoad aliquem actum per fundatorem facta acquisierint, constat ex res. S. C. in *Montis Pelusii* 6. Jun. 1682., *Asten.* 7. Jun. 1688., *Fanen.* 16. Jun. 1731., *Calarit.* 23. Aug. 1738.

—

6. Canonicum, qui obtinuit apostolicam aetatis dispensationem, vocem in capitulo habere et distributiones quotidianas, dum divinis officiis interest, lucrari, ita tamen ut ordinem suae praebendae annexum, cum ad aetatem legitimam pervenerit, suscipiat, S. C. resp. in *Montis Politiani* 13. Jan. 1629. (rel. LII. 108.)

7. S. C. censuit, canonicos coadiutores, etiam coadiutis absentibus, non posse capitulis interesse, nec in illis vocem dare, nec officium nuncupatum « anziano della chiesa » exercere, nisi ista in litteris apostolicis coadjutoriae explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem

legantur. *Narnien.* 20. Mai. 1649. (rel. LII. 109.)

8. Canonicus ecclesiae collegiatae, cuius praebendae ex statuto sunt presbyterales, dispensationem tam super aetate quam super residentia studiorum causa nactus erat, ea tamen lege, ut substitueret alium presbyterum, qui pro ipso choro inserviret. Qui cum in camerarium esset electus, propter eius absentiam vero sacerdos ad subeunda canonicatus munia subrogatus ei esset substitutus, tam de electione illa, quam de hac substitutione controversia movebatur. S. C. itaque ad dubia: I. An sustineatur electio in casu? II. An officium camerarii exerceri possit a substituto in casu? resp. ad I. *negative* et *amplius*, ad II. *negative* et *amplius*. *Sabinen.*, 31. Mai. 1783.

9. Canonicum, qui ordinem praebendae annexum non habeat, in capitulo, ubi viget consuetudo, tales non nisi dimidiam distributionum quotidianarum accipere partem, distributiones quotidianas omnes recipere non debere, *quamvis ei a Pontifice collata sit praebenda*, resp. S. C. in *Spolet.*, 26. Mart. 1746.

10. Canonico etiam in minoribus constituto propter aetatem, non existente consuetudine immemorabili contraria, deberi integram portionem distributionum et redituum canonicalium, donec in minoribus fuerit et quousque ad ordinem sacerdotalem ascenderit, etiam studiorum causa absenti ex indulto, resp. S. C. in *Fundana* 25. Sept. 1734.

11. Admissionem ad integram participationem tam distributionum quotidianarum quam alterius cuiuscunque reditus provenientis e massa communi et e praebendis canonicalibus pro aequali cum aliis canonicis sacerdotibus ecclesiae collegiatae, (licet exceptis oneribus missarum et aliorum requirentium sacrum ordinem,) indulgendam non esse canonicis clericis *non sacerdotibus*, quamvis totum chori servitium praestent, sed servandam esse consuetudinem, censuit S. C. in *Sorana*, 26. Nov. 1723.

C. V. *Dispensationes extra curiam episcopo committantur et ab eo examinentur.*

Dispensationes, quacunque auctoritate concedendae, si extra Romanam curiam committendae erunt, committantur ordinariis illorum, qui eas impetraverint; eae vero, quae gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem tanquam delegatis apostolicis summarie tantum et extraiudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subiacere.

C. VI. *Circumspecte commutandae ultimae voluntates.*

In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non nisi ex iusta et necessaria causa fieri debent [x]), episcopi, tanquam delegati sedis apostolicae, summarie et extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur.

[x]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 4.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. De iure commutandi ultimas voluntates in causa *Arianen.* 7. Febr. 1733. haec afferuntur: «Commutare ultimas voluntates episcopis non licere, sed soli Rom. Pont. esse reservatum, deducitur ex Clem. *Quia contingit* de rel. dom., ubi glossa in verba: «*sedis apostolicae*» sic ait: «*Nota per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum, quae per fideles donata sunt vel relicta*», quam glossam communiter sequuntur canonistae. Idque etiam non obscure supponit S. Conc. Trid. Sess. XXII. c. 6. de ref... Abs re autem non erit aliqua indicari decreta, quae in similibus prodierunt causis:

Erectionem canonicatus, capitulo etiam assentiente, factam ab episcopo ex suppressione mansionariatus, non subsistere declaravit S. Congr. in *Isernien.* 5. Sept. et 14. Nov. 1705., ut in lib. LV. Decr. p. 237.

Rescissa itidem fuit erectio novi canonicatus, quam fecerat episcopus, addictis praebendae eiusdem canonicatus nonnullis proventibus spectantibus ad seminarium, in *Nicoteren.* 11. Julii 1706, ut in lib. LVI. Decr. p. 225.

Non licuisse episcopo novum canonicatum supra numerum instituere assignata ei in dotem capellania, resp. S. C. in *Murana*, 12. Dec. 1711., ut in lib. LXI. Decr. p. 554.

In *Savonen.* episcopus certam partem proventuum, quos pius testator reliquerat arae maximae ecclesiae parochialis, assignavit doti septem capellaniarum, quas instituit, adiecto eis onere persolvendi divina officia in choro. Disceptato autem dubio: An sustineatur erectio capellaniarum, canonicatuum nuncupatarum? die 23. Mart. 1722. rescriptum fuit *negative*, ut in libr. LXXII. Decr. p. 233.

Perpendendum insuper videtur, an distractio bonorum, quae possidebant aliae ecclesiae, eorumque perpetua assignatio in dotem novorum canonicatuum ab episcopo facta repugnet Extravaganti *Ambitiosae*, de reb. eccl. non alien. Quam ob rem non posse episcopum sine beneplacito apost. bona unius ecclesiae in alteram, etiam inopem, transferre, resp. S. Congr. 11. Jul. 1712. ad primum postulatum Emin. Bellugae tunc Carthagin. eccl. pastoris vigilantissimi in visitatione SS. Lim. his verbis: »Respondentes autem Emin. Patres postulatis, et primo: An reditus exuberantes divitum ecclesiarum applicari possint ecclesiis pauperioribus? censuerunt, id fieri non posse absque beneplacito apostolico.« ut lib. XX. Litterarum. » (VI. 46. sq.)

2. Cum voluntas testatoris sive ob redituum inopiam sive ob aliam causam impleri non potest, commutanda est in aliud pium opus proxime accedens ad illud, ad quod testator animum intenderat. Itaque e. gr. cum hereditas relicta esset ad erigendum conservatorium puellarum pauperum periculo expositarum et insufficientes essent reditus, atque opus illud urbi, cui destinatum erat, minus utile esse videretur, annuit S. C. commutationi faciendae in favorem monasterii monialium pauperis sub conditione, ut puellam pauperem ab administratoribus nominandam sine dote reciperet. *Montis Politiani* 19. Aug. 1724.

3. Petrus Franciscus Nardius cathedr. eccl. canonicus post heredis usufructuarii mortem quamplurima pia opera fieri mandavit, quibus impletis voluit ut quod superesset quam celerius fieri posset in sacrorum celebrationem erogaretur. Cum vero scuta circ. mille superexstarent, capitulum cathedr. petiit, ut dimidia pars in dotem unius mansionariae in eadem ecclesia erigendae, cetera autem in chori ampliationem et novae sedis pro dignitate a testatore fundatae constructionem impenderetur. Negativum tamen d. 5. Dec. 1744. tulit responsum.

4. Dominicus Magliotti uxori suae heredi mandavit, ut bona omnia venderet atque ex pretio vel sacra celebrari faceret vel eleemosynas erogaret; donec vero facta esset alienatio, quam mature fieri voluit, uxorem ex reditibus voluntatem implere iussit. Quae cum bona vendere aequo pretio non posset, PP. Carmelitis ea sub hac lege cessit, ut, donec ea alienare possent, ex fructibus sacra celebrarent. Neque ab his vero fieri alienatio potuit. Hinc capitulum eccl. cathedr. a SS. Pont. petiit, ut invendita bona ipsi addiceret pro constructione altaris cum onere census fabricae S. Petri praestandi et missae quotannis pro anima testatoris celebrandae. Quam commutationem, licet Carmelitae contradicerent, S. C. indulsit. *Interamnen.* 8. et 29. Maii 1756.

5. Testator quidam novem beneficia in cathedrali eccl. in incrementum cultus et ne deesset ministrorum numerus erigenda mandaverat. Cum dos ab eo relicta detrimentum passa esset, petebatur, ut in hoc opus fieret legatorum ab eodem testatore pauperibus incertis relictorum commutatio. Quam quidem petitionem episcopus his verbis commendavit: « Huiusmodi legata saniori consilio uniri posse doti novem beneficiorum, ut congruo stipendio allecti beneficiati diligentius incumbant servitio ecclesiae, quod vergit in incrementum divini cultus, usque pro singulis beneficiatis expleatur quantitas requisita pro titulo ordinationis, ad quam beneficiatos assumi titulo eorundem beneficiorum testator ipse concessit. Cum enim voluntas testatoris... impleri nequeat quoad omnia legata ob insufficientiam relictae substantiae, ea expedit servare, quae utiliora videntur, praesertim quia per institutionem beneficiorum utilius consulitur suffragio testatoris ob missas conventuales pro benefactoribus celebrandas aliasque preces Deo fundendas, et pinguius completur eius voluntas principaliter intenta ad honorem patriae et levamen pauperum, atque ad promovendas litterarum scientias, quia cum testator beneficia instituere professus sit in honorem patriae et decorem ecclesiae, et in beneficiatos cooptari praeceperit qui pietate, scientia et paupertate praestarent, non videtur plenius et utilius impleri posse eius voluntatem quam applicando potiori causae beneficiatorum id, quod pauperibus incertis relictum est. » Quas rationes secuta S. C. commutationem indulsit. *Fulginat.* 20. Nov. et 4. Dec. 1762.

6. Nosocomii alicuius reditus cum imminuti essent, auctus vero numerus infirmorum, ad commutationem oneris missarum in pauperum alimoniam et hospitalis subsidium animum appulerunt eius pro-

tectores. Cum vero obstaret testatoris voluntas ususque longaevus, S. C. precibus non esse annuendum censuit. *Albintimilien.* 17. Febr. 1772.

7. Mandavit sacerdos Franciscus Cristofanetti, ut heredes fiduciarii eius bona venderent et pretium in celebrationem missarum statuta eleemosyna manuali erogarent. Cum pauca tantum bona vendi potuissent, et reliqua, quae valoris erant maioris, invendita adhuc essent, petiit capitulum eccl. collegiatae oppidi Montis S. Viti, ut in erectionem quatuor capellaniarum cum onere chori et celebrationis 50 missarum erogarentur, iure patronatus ipsi reservato. Heredes consenserunt, dummodo ius patronatus pro prima vice eis concederetur, nec defuit eorum, quorum intererat, assensus. S. C. tamen preces reiecit. *Senogallien.* 26. Iun. 1772.

8. Si fundationi beneficii alicuius familiaris certae aetatis lex adiecta est, sancta sedes, *verisimilem fundatorum mentem et voluntatem sequens*, veniam aetatis tum solet impertiri, cum petitur ab eis, qui recta a fundatoribus linea descendunt, etiam si adsint et admitti cupiant remotiores. Ita censuit in *Melevitana* 12. Febr. 1735., in *Cathacen.* 11. et 25. Febr. 1738., in *Brixien.* 1. et 15. Mart. 1738, in *Lucana* 17. Maii 1749., in *Asculana* 22. Aug. 1750., in *Salernitana* 19. Dec. 1750 et 13. Mart. 1751., in *Monasterien.* et *Osnabrugensi* 7. Apr. 1753., *Cremon.* 4. Mart. 1758. et saepius.

9. « Ignatius Mar. in ultimo, cum quo decessit, testamento, heredem sibi scripsit Bernardum M. ex fratre pronepotem; cui inter cetera demandavit, quod singulis annis erogaret ducatos D pro decem saltem dotalibus distribuendis favore pauperum puellarum civitatis Cathacen. et locorum B. F. et S., ad rationem ducatorum L pro qualibet puella. De Caesare M., licet aequali consanguinitatis gradu sibi coniuncto Ignatius M. testator nullum habuit verbum in testamento; cumque ille SSimo Dom. Nostro supplicaverit pro aliqua temporanea applicatione annuae praestationis ducatorum D., ut supra a testatore relictorum, ut suae rei domesticae subveniret, et a Sanctitate sua fuerint preces remissae ad hanc S. Congr., post habitam de more episcopi informationem, praepositae fuerunt inter summaria precum in congr. habita die 3. Dec. 1718., et rescriptum fuit, « quod causa poneretur in folio et quod exquireretur ab episcopo, ad quam quantitatem ascendat patrimonium Caesaris, et in qua quantitate sint annui eius fructus. » Quoad nobilitatem, sanguinis coniunctionem cum testatore et quoad oratoris paupertatem nulla adesse videtur difficultas, cum id resultet ex documentis ab ipso exhibitis, et ex numero filiorum; habet enim quatuor puellas et tres pueros, et tam ipse quam uxor sunt iuvenes; et in eo, quod attinet ad patrimonium et ad reditus, episcopus in sua ultima relatione inquit, eum miserrime vivere ex fundis dotalibus uxoris, ipsum quoque possidere viridarium, ex quo percipiuntur annui ducati 30. cum onere celebrationis quinque missarum qualibet hebdomada, et cetera alia bona esse intricata et creditoribus obnoxia. Si quid est, quod instantiae obesse valeat, consistit in hoc, quod Caesar fuit Ignatio testatori cognitus, qui, hoc minime obstante, nullam fecit eius favore dispositionem, *ita ut pro ipso non militet praesumpta illa mens testatoris, quae in consimilibus casibus considerari consuevit ab hac Sac. Congregatione.* His stantibus quaeritur: An et quomodo sit locus commutationi voluntatis testatoris in casu? S. Congr. respondit; *negative.* » *Cathacen.* 18. Nov. 1719.

10. « Hippolytus Collot Burgundus, qui anno 1671. obiit in hac urbe, heredem scripsit congregationem urbanam aulicorum, institutam in ecclesia SS. Laurentii et Hippolyti in fonte. Hereditatem vero suam iussit augeri, donec annui reditus attingerent summam scutorum 706. 50. Id ubi evenisset, voluit fundari in eadem ecclesia sex capellanias, conferendas amovibiliter sacerdotibus, qui certis conditionibus praediti essent, ab eisque canonicas horas cum missa conventuali decantari, et alternatim alias tres missas quotidie celebrari, adeo ut singulis missas 244. quotannis celebrare deberent. Eisdem sex capellanis assignavit annua scuta sexcenta, ita tamen, ut summa scutor. 396. inter eos distribuantur (accipientibus scilicet singulis annua scuta sex et sexaginta), alia vero scuta 180. tribui debeant congregationi, subiturae tamen onus parandi instruendique aedes, quas capellani inhabitare possint, ac demum reliqua scuta 217 erogari debeant in stipendium clericorum aliosque sumptus sacrarii.

Praeterea cum ex summa scutor. annuorum 706. 50. detractis praedictis scutis 600 superessent scuta 106. 50, mandavit ex iis confici multiplicum cum aliorum bonorum emptione, donec reditus ad annuam summam scut. centum pervenirent, adiecta lege instituendi tunc aliam capellaniam; idemque deinceps servari praecepit, quousque novem fundarentur capellaniae.

Postea itidem voluit multiplicum longius produci, eiusque ope construi in eadem

ecclesia novum sacellum, impensis in id scutis mille. Ac denique per multiplici prosecutionem non solum fundari sex alias capellanias, sed etiam deinde vel seminarium erigi vel fundum constitui ad traenda pauperibus puellis dotalia subsidia vel aliud quodpiam pium opus institui arbitrio ipsius congregationis urbanae. Suam vero hanc voluntatem adeo optavit diligenter servari et custodiri, ut enixas adiecerit preces, ne summi Pontifices eam ulla ex parte mutarent.

Adita iam sub annum 1701. fuit hereditas, cumque hodie annui proventus attingant summam scut. 713, factus esset locus fundationi sex capellaniarum iuxta votum testatoris. Verum congregationis administratores plura censent obstare, ne testatoris voluntas ea ipsa ratione, quam ille praescripsit, perduci ad effectum possit. Sex quippe capellani non satis esse videntur ad divina officia in choro decenter persolvenda et missas solemni ritu celebrandas. Quamquam vero testator id animo secum reputans iusserit alias deinceps novem addi capellanias, necesse tamen erit, antequam id fieri possit, per tria vel quatuor saecula confici multiplicum ex ea fructuum quantitate, quam eidem multiplico assignavit testator.

Ad haec accedit, tum ecclesiam ipsius congregationis adeo angustam esse, ut capax non sit chori ad canonicas horas decantandas necessarii, tum etiam deesse aedes, quae capellanorum domicilio destinari possint, quaeque si exstruerentur, insumenda in hoc foret summa scut. circiter sex millium. Quam ob rem congregatio preces porrexit SSimo Dom. Nostro, ut dignaretur voluntatem memorati testatoris commutare eum in modum, qui congruentior sit, exitumque habere commodius possit.

Commutationes ultimarum voluntatum nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri debere admonet Tridentina Syn. cap. 6. sect. XXII. de ref. Itaque iuxta hanc regulam S. Congr., quae consuli solet, quandoque impertiendam, quandoque negandam censuit petitam voluntatis commutationem, prout singulorum casuum circumstantiae postulare visae sunt circa usum summae et amplissimae illius potestatis, quae penes Romanum Pontificem est de mutandis dispositionibus in pias causas factis, ut habetur in Conc. generali Viennensi, de quo in Clem. *Quia contingit*, de religios. dom. Quare Card. *Pallavicinus* in histor. Sac. Conc. Trid. lib. XVII. cap. 9. num. 11. seq. et lib. XVIII. cap. 10. num. 10. sic concludit: « *L'uso poi di tal potestà in Roma è tanto parco e considerato, quanto può sperimentare chiunque tenta quivi somiglianti commutazioni.* »

Difficilius autem derogatio aut commutatio solet indulgeri, quando testator tantam sollicitudinem patefecit de suae voluntatis exsecutione in modum a semet ipso praescriptum, ut precatus Pont. Max. fuerit, ne eidem voluntati derogaret. Quam ob rem si circumstantia haec exposita non fuerit in precibus pontifici oblatis gratiam commutationis reddi obnoxiam vitio subreptionis adeoque irritam, tradunt *Felin.* in c. *Constitutus* n. 14. de resc.; *Card. de Luca*, da fideic. disc. 265. n. 5.; *Rota* in decis. 88. n. 11. cor. Rmo *Crispo et in Reatina Salviani* 16. Iunii 1704. §. *Subreptio* seqq. coram *Omanna*.

Ceterum quando testatoris dispositio nequeat effectum sortiri eo, quem ipse praefinivit, modo, tunc verius adiuvari quam abrogari censetur voluntas testatoris, si alter adhibeatur modus, qui sit aptior ad assequendum pii operis finem et effectum, ut probat *Rota* in decis. 14. tit. 22. de legat. et fideic. particul. cor. *Card. Falconerio*.

Pertinet igitur ad Eminentias Vestras deliberare: An sit consulendum SSimo pro commutatione voluntatis Hippolyti Collot et quomodo? S. Congr. resp.: « *Affirmative* in hoc tantum, ut singulis capellanis tribuantur annua scuta 96. absque habitatione aliisque commodis in testamento expressis, et *amplius*. » *Romana* 27. Febr. 1734.

11. « Marchio Ferdinandus Barbolani ex comitibus Montis Acuti sub annum 1687. in supremis tabulis plures capitales census ad summam usque scut. 635 legavit ecclesiae Deiparae Virginis et S. Francisci his verbis: Item per augmento del culto divino e conservazione... mantenimento di un sacerdote, che possa e deve celebrare ogni mattina la s. messa in onore della B. V. Maria e di S. Francesco, e per la salute dell' anima di detto testatore, e de' morti della sua casa, nella chiesa da detto Signor marchese fatta fare a lato della casa del suo podere della palazzina, nella quale annualmente si celebra la festa del nome di Maria, e di detto Santo, ed ad onore e gloria di essi detto testatore per ragion di legato lasciò e lascia alla detta chiesa un censo etc. »

Novissime vero comes J. et marchio T. de Barbolanis nepotes et heredes mem. testatoris existimantes rem maxime capellaniae utilem fore, si obligationem primaevi missae quotidianae oneris in se suaque

bona ipsi susciperent, dum tamen eleemosyna capellano persolvenda ad manualem redigeretur sibique potestas fieret libere administrandi bona capellaniae relicta eademque missarum onera in quibuscumque ecclesiis vel oratoriis etiam privatis ad suum libitum adimplendi, supplicem proinde hac de re libellum exhibuerunt SSimo D. N. feliciter regnanti, qui id negotii cum Sac. huic Congr. commiserit, EE. PP. post acceptam episcopi relationem die 12. Iulii 1741. instantiae oratorum inter summaria precum propositae rescripserunt: *Lectum et servetur mens testatoris.*

—

Praecipuum monumentum, ob quod S. haec Congr. die 12. Iulii elapsi anni petitionem modo instauratam reiecit, non solum stetit in praedilectione testatoris erga ecclesiam ipsius aere aedificatam, et in explicita prohibitione, ne sui heredes in exactione fructuum capellano assignandorum sese immiscerent, verum etiam in praxi, quam solet sacer iste senatus constanter servare, non permittendi, quod missae in publicis ecclesiis iuxta testatoris praescriptum persolvendae in oratoriis privatis ad libitum heredum celebrentur. Num vero ea, quae oratores exponunt, his omnibus queant in hypothesi praevalere, iudicium erit EE. PP., quibus declarandum proponitur: An et quomodo sit annuendum petitae commutationi vel potius standum sit in decisis? S. Congr. resp.: « *In decisis et amplius.* » *Aretina* 21. Iulii 1742.

C. VII. *Innovatur cap.* Romana *de appellationibus in Sexto.*

Legati et nuncii apostolici, patriarchae ac primates et metropolitani in appellationibus ad eos interpositis in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus quam in concedendis inhibitionibus post appellationem servare teneantur formam et tenorem sacrarum constitutionum, et praesertim Innocentii IV. [x]), quae incipit: *Romana;* quacunque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo vel privilegio in contrarium non obstantibus. Aliter inhibitiones et processus et inde secuta quaecunque sint ipso iure nulla.

[x]) c. 3. de app. in VIto II. 15.: « Romana ecclesia *Et infra*: Cum suffraganeorum Remensis ecclesiae suorumque officialium, (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus eorum vices supplendo cognoscunt,) unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum, ab ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos, (ne ab eisdem ad se ipsos interponi appellatio videatur), sed de iure ad Remensem est curiam appellandum. Ab archidiaconis vero aliisque inferioribus praelatis suffraganeis subiectis eisdem, et eorum officialibus, ad suffraganeos ipsos debet, et non ad eandem curiam (omissis dictis suffraganeis) appellari, nisi aliud Remensi ecclesiae de consuetudine competat in hac parte. Cum autem ad praefatam curiam ab eorundem suffraganeorum vel suorum officialium audientia fuerit appellatum, Remensis archiepiscopus (qui pro tempore fuerit) vel officialis ipsius nullatenus in appellationis causa interpositae ante definitivam sententiam citent partes, nec etiam aliis illam committant, appellationis eiusdem causa probabili seu legitima non expressa.

Si vero vocatis partibus vel nullatenus, aut non intra decem dies post interlocutoriam vel definitivam sententiam appellatum fuisse, seu aliquid aliud simile, sicque non esse per appellationem ad eundem archiepiscopum vel eius officialem devolutum negotium proponatur: iidem, (nisi prius ipsis constiterit causam ipsam ad eos totaliter fuisse delatam,) prohibere, ne in causa illa, vel ne ad executionem procedatur sententiae, non praesumant.

Quod si obiiciatur ex iniusta causa seu minus legitima ante sententiam appellationem interpositam exstitisse, et ex eo non esse appellationem huiusmodi admittendam: nequeunt praedicti archiepiscopus vel eius officialis prohibere, ne procedatur in causa, nisi prius appellatione recepta, velut emissa ex causa probabili, cognoscere incipiant de causa huiusmodi, an sit vera. Si autem post sententiam in casibus a iure prohibitis, (utpote a sententia super manifesto et notorio crimine, vel de quo quis in iure confessus exstitit, promulgata,) vel consimilibus appellatum fuisse dicatur: possunt, ne sententia exsecutioni mandetur, (postquam cognoscere coeperint, utrum sit recipienda vel non appellatio ab eo interposita,) inhibere. In alium quoque, qui circa rem, de qua inter appellantem et appellatum controversia vertitur, aliquid post eorum inhibitionem attentat, non valent occasione huiusmodi iurisdictionem aliquam vindicare. Cum vero is, qui ad Remensem curiam super aliqua causa vocem appellationis emittit, nihilominus in causis aliis ordinarii sui iurisdictioni subiiciatur, Remensis archiepiscopus vel officialis ipsius nequaquam iurisdictionem ipsam in aliis impediant, ut ab eiusdem ordinarii potestate totaliter eximant taliter appellantem. Debet autem ad eos ab episcopis praefatae provinciae super causis, in quibus temporalem iurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine aut privilegio, sive iure alio speciali sit appellandum ad alium, appellari. Sententias quoque interdicti vel suspensionis seu excommunicationis in appellantem ab eo, a quo appellatum proponitur, promulgatas, nullatenus, nisi vocatis partibus et de appellatione legitime cognita, revocent aut denuncient, esse nullas. Cum autem ad Remensem archiepiscopum ab audientia suffraganei sui super aliqua causa fuerit ante sententiam appellatum, idem archiepiscopus, (postquam de appellatione cognita constiterit eam minus rationabilem exstitisse,) causam ad eundem suffraganeum remittere non postponat.»

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Episcopi et metropolitani regni Sardiniae supplicem porrexerunt libellum infrascripta dubia continentem Sanctissimo D. N. adversus iudicem delegatum tanquam excedentem limites propriae iurisdictionis et occupantem ea, quae ad ipsos de iure spectant, eoque autem ad Sacram hanc Congregationem remisso, EE. VV. respondere non dedignabuntur:

I. An quando ordinarii ad evitanda scandala procedunt, non citata parte, nec adhibita causae cognitione in causis visitationis aut correctionis morum, possit iudex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere?

II. An ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine, quod tamen potest reparari per sententiam definitivam, valeat appellationem admittere?

III. An quando appellatur a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut carcerationis, torturae aut excommunicationis, possit appellationem admittere, aut inhibitionem vel aliam provisionem concedere, non visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine?

IV. An censuras ecclesiasticas in appellantem prolatas valeat relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus, nec cognita causa?

V. An valeat absolutiones ad cautelam concedere non citata parte, non visis actis, nec praestita cautione ab appellante de stando iuri et parendo mandatis ecclesiae?

VI. An ab exsecutione decretorum S. Conc. Tridentini valeat appellationem admittere?

VII. An valeat causas in curiis ordinariorum, vel aliorum iudicum inferiorum pendentes ad se avocare vel illarum cursum impedire, sub quolibet praetextu, praeterquam per viam legitimae appellationis, fuerint ad ipsius tribunal delatae?

VIII. An valeat appellationem recipere nisi per publica documenta (quae realiter exhibeantur), priusquam constiterit appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a iure non prohibitis per legitimam personam et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosecutam?

IX. An valeat inhibitionem concedere post receptam appellationem absque insertione tenoris sententiae, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis, etiamsi appellans asserat, culpa iudicis a quo vel actuarii exemplum habere non posse, non iustificato impedimento, et an in casu possint inhibitiones impune sperni?

X. An valeat appellationes in secunda instantia recipere a decretis seu sententiis suffraganeorum, omisso medio curiae metropolitanae?

XI. An in causis de sua natura appellabilibus, in quibus dictus iudex processit, valeat appellationem quoad effectum suspensivum denegare?

XII. An et quae taxa servanda sit a dicto iudice delegato tam in causis civilibus, quam criminalibus pro sportulis seu propinis?

S. Congr. d. 15. *Maii* 1700 respondit: Ad I. *negative quoad effectum suspensivum.* (cf. supra ad Sess. XIII. c. 1.) Ad II. *negative.* Ad III. *negative* quoad cognitionem causae in gradu appellationis tantum et *affirmative* quoad brevem supersessoriam. Ad IV. *negative.* Ad V. itidem *negative* praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de stando iuri et parendo mandatis ecclesiae. Ad VI., VII., VIII., IX., X. et XI. *negative.* Ad XII. exhibendas esse taxas tam ordinariorum quam delegati. Ex lib. L. Decr. pag. 145, 185 et 1224 relat. IX. 415 seqq.

2. Dubio proposito: An, quando episcopus procedit ad aliquem actum vigore decretorum Conc. Trid., quem etiam suo ordinario iure facere poterat de vetere iure, et in decretis datur facultas ordinario procedendi etiam tanquam apost. sedis deleg., appellatio ab huiusmodi iudicio ordinarii sit interponenda ad metropolitanum, et ibi in secunda instantia prosequenda, vel potius sit necessario interponenda ad sedem apost. tanquam a sententia emanata a delegato sedis apostolicae? Summus Pont. ex sententia S. Congr. declaravit: « non esse hoc casu necesse ad apost. sedem appellare». *Tarraconen.* 1588., *Zamoren.* 1589., *Januen.* 1597. (alleg. VIII. 44.)

3. Brundusinae metropolitanae ecclesiae suffraganea est Ostunensis ecclesia episcopalis. Nuperis autem temporibus archiep. Brundus. pontificia auctoritate administrator perpetuus Ostunensis eccl. est constitutus. Contigit anno 1822. ut canonicus cathedralis Ostun., quia per septennium nullo munitus apostolico indulto abfuit, sua

praebenda privatus fuerit sententia vicarii generalis Ostuni, a qua ipse illico ad Brundus. archiepiscopum provocavit. Silente canonico S. Congr. adiit praefatus vicarius generalis nomine archiepiscopi tanquam administratoris Ostunen., exposuitque se non modo unam esse in iure eandemque personam cum archiepiscopo administratore, sed etiam « coll'autorizzazione e piena intelligenza » Brundusini archiep. pronunciasse, appellationem proinde ab eodem ad eundem interpositam fuisse, cum reapse idem sit iudex a quo cum iudice ad quem. Hinc petiit, ut S. C. declarare dignetur, utrum archiepiscopalis curia Brundusina cognoscere in gradu appellationis valeat causas ab Ostunensi curia definitas, an potius omisso medio ad superiorem iudicem sit provocandum? S. C. ad dubium: An et ad quem deferenda sit appellatio in casu? resp. *affirmative* ad archiepiscopum in casu, de quo agitur, attenta appellatione iam interposita, iuxta votum Secretarii (quod in calce Sessionis prostat.) *Ostunen.* 12. Iul. 1823.

4. Cum quaesitum esset: I. An liceat curiae archiepiscopali Ravennati deputare in civitate et dioecesi Faventina notarium ad recipiendas appellationes aliosque ministros pro exercitio suae iurisdictionis, et II. An ministri sive mere laici sive ecclesiastici deputati ab eadem curia pro exactione redituum mensae archiepiscopalis sint exempti a iurisdictione ordinarii: S. C. censuit: *negative. Ravennat.* seu *Faventina* 18. Apr. 1750.

C. VIII. *Episcopi pias omnium dispositiones exsequantur; quaecunque pia loca visitent, dummodo non sub immediata regum protectione sint.*

Episcopi [1]), etiam tanquam sedis apostolicae delegati, in casibus a iure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores; habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecunque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocunque alio nomine vocant, (non tamen quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia,) eleemosynas montis pietatis sive caritatis, et pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant [2]) et exsequantur, non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

[1]) cf. Clem. c. 2. de relig. dom. III. 11. (Clem. V.) — [2]) cf. c. 3. (Greg. I.) c. 6. (conc. Mog.) c. 17. 19. (Greg. IX.) X. de test. et ult. vol. III. 26.

C. IX. *Administratores quorumcunque piorum locorum reddant rationem ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.*

Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis [1]), confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcunque piorum locorum [2]), singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

[1]) cf. Sess. VII. de ref. c. 15. — [2]) cf. Clem. cit. pag. antec. not. 3. Sess. XXV. c. 8. de ref.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(ad c. 8. et 9.)

1. De hospitalis exempti visitatione S. C. ad ep. Eugubinun. rescripsit: « Si hospitale S. Mariae Caritatis ab ordinarii iurisdictione et visitatione, prout ex ipsa relatione supponitur, exemptum existit, non posse ab Ampl. Tua visitari, praeterquam si vi-

dere voluerit, an piae testantium voluntates exsecutioni mandentur. Quo vero ad redditionem rationis, Ampl. Tuae esse omnino reddendam. Quod si ex privilegio aut ex consuetudine vel alia aliqua ratione aliis reddenda esset, eisdem reddendam esse adhibita cum illis Ampl. Tua, nisi in fundatione aliter expresse cautum esset, nempe quod rationes reddendae ordinario non essent, nec cum illius interventu. « *Eugubin.* 12. Nov. 1633. (rel. LII. 138.)

2. Episcopum Liparensem hospitale S. Bartholomaei a pio testatore Bartholomaeo Russio aedificari iussum, et constructum sine altari, capella, tintinnabulis et absque beneficio immunitatis et auctoritate ordinarii, posse visitare et ab administratoribus rationes exigere, quamvis nunquam antea visitatum fuerit et a fundatore episcopus sit exclusus, resp. fuit in *Liparen.* 6. Iun. et 11. Iul. 1750.

3. Dubitabatur, utrum ius visitandi et rationes exigendi quatuor piorum locorum Urceani, quorum administratio erat apud eius terrae decuriones, ad episcopum spectaret an ad praesidem provinciae, illo ad sacros canones et praesertim ad conc. Trid., hoc ad litteram brevis pontificii, quo ius illud legationi tributum est, provocante. S. C. ius visitandi ad formam concilii, salva auctoritate curiae legationis in exercenda administratione oeconomica, episcopo competere affirmavit. *Fanen.* 18. Iun. 1757. et confirm. 4. Mart. 1758.

4. Regia protectio, quae eximit a visitatione, non a rationum redditione, ut suffragetur, implorari debet in limine erectionis. Ita S. C. in litteris in visit. lim. datis ad episc. Leiriensem d. 10. Dec. 1621. alleg. in *Senogallien.* 18. Maii 1726.

5. « Quamvis nonnulli existimaverint, conciliarem exemptionem, quae loquitur de regibus, extendi etiam ad sublimes principes, qui regalia in suis territoriis possident, etiamsi regis titulum non gerant, ... alii nihilominus existimant, concilium esse taxative intelligendum de regibus, ex quo, quando voluit comprehendere reges *et* alios sublimes ac supremos principes, iura imperii in suis dominiis habentes, id scivit exprimere, uti habetur c. 9. Sess. XXV. de ref., et adhaesisse videtur haec S. Congr., quae respondit, episcopum Eugubinum posse visitare hospitale maius dictae civitatis, licet illud a sede apost. privilegium obtinuisset, quod gubernari et regi deberet a septem civibus eligendis et *a duce Urbini* confirmandis ». Ita Secret. in *Senogallien.* cit.

—

6. « Pluries dudum subortae fuerunt controversiae inter archiepiscopum Lancianen. et confraternitatem mortis sitam in ecclesia S. Iosephi eiusdem civitatis, quae asseritur aggregata archiconfraternitati mortis Urbis usque ab anno 1608. (cuius aggregationis originale non fuit exhibitum), tam super facultate quaestuandi tum intra tum extra civitatem et libere disponendi de reditibus et eleemosynis sine licentia ordinarii, quam super itidem libera electione officialium et cassatione confratrum in albo descriptorum, nec non super erectione et administratione montis frumentarii citra eiusdem ordinarii licentiam. At porro incubuere dissidia circa redditionem rationum, etenim recurrentibus nonnullis ex confratribus ad hanc Sac. Congr., quo cogerentur administratores confraternitatis ad redditionem rationum, sub die 28. Iulii 1708 rescriptum fuit archiepiscopo, quatenus desuper, prout iuris fuerit, procederet. Quo quidem rescripto attento, archiepiscopus sub die 14. Aug. ei. an. praeceptum tulit adversus praefectum aliosve quatuor officiales administratores confraternitatis praedictae, ut sub excommunicationis poena intra terminum peremptorium trium dierum exhiberent lucidas rationes una cum libris eorum administrationis, rationali ad hunc effectum deputato, ac eo termino elapso in eodem praecepto ex tunc assignavit eisdem horas 24 per trinam dilationem distributas, et cum unica pro trina canonica monitione ad dicendam causam, quare non debuissent declarari excommunicati et cedulones contra ipsos affigi. Ab eiusmodi praecepto veluti gravati supradicti administratores sub die 18. mox dicti mensis interposuerunt appellationem in [illegible] nal A. C., opponentes privilegia eorum confraternitatis, utpote aggregatae archiconfraternitati Urbis, necnon monitorium cum inhibitione eiusdem A. C. notificatum eidem curiae usque de anno 1707. pro conservatione suorum iurium a molestiis praedictae curiae, signanter super redditione rationum. Qua quidem appellatione non obstante, vicarius generalis innixus memorato rescripto eiusdem S. Congr. instante promotore fiscali sub die 23. Aug. decrevit, praefatos officiales esse excommunicandos et cedulones contra ipsos relaxandos, quemadmodum eademmet die cedulones relaxavit eosque affigi iussit in locis publicis civitatis. Recursus deinde habitus fuit per confraternitatem ad S. C., sed avocata ab eo causa per R. P. auditorem SSimi fuit remissa ad hanc S. Congr., ad quam transmissis actis desuper constructis con-

cordata fuerunt inter partes infrascripta dubia, quae hodie ex hinc inde deducendis resolvenda proponuntur EE. VV.

I. An constet de legitima aggregatione confraternitatis mortis Lancian. archiconfraternitati mortis Urbis, ita ut fruatur privilegiis d. archiconfraternitatis et possit uti statutis eiusdem?

II. An confratres d. confraternitatis mortis Lanc. possint libere quaestuare tam intra ecclesiam quam extra per civitatem eiusdem territorii, et districtum absque licentia curiae archiepiscopalis?

III. An possint libere disponere de introitibus, effectibus et eleemosynis eiusdem confraternitatis absque licentia curiae archiepiscopalis?

IV. An dicti confratres occasione electionis novorum officialium valeant se congregare absque interventu et assistentia vicarii generalis contra formam dicti rev. archiepiscopi id mandantis?

V. An electio aliter facta sustineatur?

VI. An in electione officialium eiusdem confraternitatis requiratur confirmatio rev. archiepiscopi?

VII. An iidem officiales potuerint delere ex tabula confratrum aliquos ex eisdem confratribus non servata forma statutorum eiusd. confrat.?

VIII. An liceat eisdem confratribus absque licentia rev. archiepiscopi erigere montem frumentarium, et de illo ad libitum disponere?

IX. An officiales d. confraternitatis teneantur reddere rationem eorum administrationis introituum, effectuum et eleemosynarum eiusdem confraternitatis archiepiscopo? Et quatenus affirmative:

X. An idem archiepiscopus debeat uti pro redditione rationis syndicis seu rationalibus electis a confratribus, vel potius possit uti alio quocunque sibi bene viso?

XI. An censurae latae per rev. archiepiscopum sustineantur?

XII. An sint reaffigendi cedulones in casu etc.?

Sac. Congr. respondit: « Ad I. ex deductis *negative*. Ad II. *negative*. ad III. *affirmative* exceptis eleemosynis, in quibus servetur dispositio Bullae s. m. Clem. VIII. Ad IV. *negative* in casu de quo agitur. Ad V. *negative*. Ad VI. *affirmative*. Ad VII. et VIII. *negative*. Ad IX. *affirmative*. Ad X. *negative* quoad primam, et *affirmative* quoad secundam partem, sed gratis. Ad XI. *negative*. Ad XII. *negative* et archiepiscopus procedat ex integro servatis servandis. » *Lancianen.* 20. Septembr. 1710. (relat. IX. 526 seqq.)

7. « Cum a confraternitate sanctissimi Suffragii erecta in ecclesia sanctiss. Trinitatis terrae Offidae dioecesis Asculanae expeditum fuisset monitorium A. C. adversus procuratorem fiscalem curiae episcopalis super nonnullis assertis iuribus ipsam eximentibus ab ordinarii iurisdictione, instante curia episcopali causa ab auditore SSimi remissa fuit ad hanc Sac. Congr., et sequentia dubia disputanda proponuntur, et iura utriusque partis circumferuntur. Et in eo quod attinet ad primum dubium, in quo quaeritur, an possint confratres convocare congregationes generales et particulares pro expediendis negotiis confraternitatis absque licentia et assistentia episcopi vel vicarii foranei aut alterius personae ab eodem episcopo deputandae, episcopus protestatur se non praetendere, quod confratres habere non possint suas congregationes sine sua licentia et interventu, sed se tantummodo praetendere, quod possit, si velit, intervenire congregationibus vel per se vel per suum vicarium, ut in secundo dubio, subditque, in hypothesi, in qua interveniat vel per se vel per alium, se nullam habere praetensionem circa suffragii praestationem, ut in tertio dubio; cumque in quinto dubio quaeratur, an officiales teneantur reddere rationem administrationis ordinario sive in actu visitationis sive alio tempore, confraternitas, quae se exemptam asserit, admittit nihilominus, suos officiales teneri ad redditionem rationis episcopo tanquam delegato sedis apostolicae, eamque explendam esse tam coram ordinario quam coram duobus syndicis a se electis, ita ut absolutus vel condemnatus censendus sit ille, qui computatis suffragiis episcopi et syndicorum fuerit a maiori parte absolutus vel condemnatus iuxta cap. 8 et 9. Sess. 22. de reform.

Iura, uti dictum est, circumferantur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

I. An liceat confratribus confraternitatis s. Suffragii terrae Offidae convocare congregationes tam generales quam particulares ac devenire ad electionem officialium aliaque negotia confraternitatis proponere ac determinare absque licentia et assistentia Rmi episcopi seu vicarii foranei aut alterius personae per rev. episcopum deputandae? Et quatenus affirmative:

II. An saltem rev. episcopus in aliquo casu per se vel per alium ab ipso depu-

tandum possit intervenire dictis congregationibus generalibus? Et quatenus affirmative:

III. An episcopus seu persona per eum deputanda possit suffragium ferre?

IV. An liceat rev. episcopo removere officiales et ministros a confratribus electos, quatenus non sint idonei et graves exceptiones patiantur?

V. An officiales teneantur reddere rationem eorum administrationis ordinariis, sive in actu visitationis, sive alio tempore et in quo loco?

VI. An officiales sive confratres possint acceptare legata et pecunias relictas a testatoribus investire vel in usus a testatoribus destinatos sive in alios erogare absque licentia ordinarii?

VII. An dicta confraternitas s. Suffragii teneantur contribuere expensis visitationis eiusdem ordinarii?

—

Sac. Congr. respondit: « Ad I., II., IV. et VII. *affirmative*. Ad III. *negative*. Ad V. *affirmative* tam in actu visitationis quam extra, et in loco ab episcopo designando, in terra tamen Offidae. Ad VI. *negative*, et quoad legata pure lucrativa et erogationem in usus a testatoribus designatos *affirmative*, sed cum participatione episcopi ». *Asculana* 3. et 24. Mart. 1725.

8. Ad dubium: An administratio proventuum spectantium ad confraternitatem et loca pia Terlitii pertineat ad confratres et officiales cum omnimoda independentia ab episcopo, vel potius erogatio dictorum proventuum facienda sit a dictis confratribus et officialibus cum scientia et approbatione episcopi in casu? S. C. resp. *negative* quoad primam partem et *affirmative* quoad secundam. *Juvenacen.* 7. Iul. 1736. et 22. Sept. ei. a. stetit in decisis.

9. Confraternitates in ecclesiis parochialibus erectae bona et reditus cum sola dependentia ab episcopo administrare possunt, et soli episcopo de bonis et reditibus administratis oblationibusque tenentur reddere rationem. *Comen.* 27. Iul. 1737.

10. Confraternitatem aggregatam frui iuribus i. e. indulgentiis et privilegiis archiconfraternitatis aggregantis, resp. S. C. in *Novarien.* ad I. dub. 24. Sept. 1718.

—

11. Depositarium et oeconomum ecclesiae cath. singulis annis, atque etiam intra et extra annum, concurrente quidem legitima causa, episcopo redituum fabricae rationes reddere debere, quoad reditus vero capituli episcopum uti posse suo iure ad formam Conc. Trid., S. C. statuit in *Asculana*, 12. Jul. 1788. ad dub. 10., confirm. 7. Febr. 1789.

12. Rationem esse reddendam episcopo de reditibus quibus sit aliquod onus annexum, a presbyteris etiam ecclesiae collegiatae, non vero de reditibus, qui libere dividi debent inter presbyteros, resp. S. C. in *Aliphana* 17. Dec. 1718. et 18. Mart. 1719.

—

13. « Episcopus Narniensis occasione visitationis s. liminum retulit, investiri per canonicos cathedralis consuevisse pecuniam capitularis mensae absque ulla decessorum eius et sua licentia, rogavitque, ut, si huiusmodi abusus S. Congregationi improbandus ac eliminandus videatur, controversiam hanc dirimere dignetur per rescriptum absque formali causae propositione ». S. C. rescripsit: I. « *affirmative*, et in casibus particularibus episcopus utatur iure suo », II. « investimenta praeterita esse sustinenda », in *Narnien.* 15. Maii 1790.

—

14. Ecclesia ex piorum eleemosynis constructa et auctoritate episcopi benedicta, cum parochus et clerus sacrificia et sacramenta in ea ministrare coepissent, laici recursum habueruut ad tribunal regium, quod ex propriis substantiis aedificavissent et dotassent ecclesiam, et confraternitatem laicorum in ea erexissent, quo facto recepta est sub regiam protectionem utraque; laici excitaverunt PP. Minores Conventuales ad celebranda sacrificia. Rixa exorta et delata ad Congr. Conc. rescriptum est: ecclesiam esse subiectam episcopo quoad iura episcopalia et parocho quoad iura parochialia, ceterasque functiones posse in ea fieri a parocho et clero, volente episcopo, absque ulla dependentia a laicis; licere haberi sepulcra accedente licentia episcopi, et posse in iis cadavera tumulari, si eligatur sepultura absque licentia parochi, sed salvis iuribus parochialibus; Patres denique impediri et prohiberi posse. *Valven.* seu *Sulmonen.* 10. Maii 1727.

—

15. Loca pia et sacras aedes, quae disposita retinent, dum mutuant indigentibus pecunias accepto pignore, non posse quidquam a mutuatariis, nisi ex sedis ap. dispensatione accipere, S. C. rescr. ad archiep. *Neapol.* 7. Febr. 1637. Idem rescr. ad ep. *Adriensem* die 14. Mart. ei. an. Ex l. XV. Decr. p. 486. 501. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. X. 5.

—

16. Tres testatores erigi mandarunt in oppido Villae novae simplex beneficium

seu capellaniam cum onere celebrandi missas quinque in qualibet hebdomada. Et licet testatores nullum iniunxissent onus rectori personalis residentiae in loco beneficii vel celebrationis missarum per se ipsum, nihilominus executor voluntatis dictorum testatorum in erectione beneficii non solum tale onus capellano expresse iniunxit, sed etiam numerum missarum auxit ad sex in qualibet hebdomada. In bullis ab episcopo expeditis favore moderni possessoris eaedem conditiones reperiuntur. Modo possessor recusat praefato oneri subiacere duplici innixus fundamento, altero nempe, quod tale onus iniunctum non legitur in dispositione fundatorum et ab haerede sive executore iniungi non potuerit, et altero, quod nunquam adimpletum seu servatum fuerit ab eius antecessore. Quaeritur: I. An orator teneatur ad onus personalis residentiae et celebrationis per se ipsum? et quatenus affirmative: II. An sit concedenda dispensatio et pro quo tempore? S. C. tamen ad I. resp. *negative* d. 14. Febr. 1699. alleg. XXXV. 248.

17. Cum testator legatum pro dotandis duabus puellis singulis annis reliquisset, communitasque, cui administratio esset, certam cuique dare intenderet summam, rescriptum est, detractis expensis et aliqua mercede ab episcopo statuenda et solvenda bonorum administratori a communitate eligendo, reliquum esse distribuendum in duas partes. *Firmana* 22. Nov. 1727.

18. Heredes cogendos esse ad erigendum beneficium ecclesiasticum non mere laicale, declaravit S. Congr., cum in testamento mulier quaedam statuisset erectionem beneficii in ecclesia qualibet ex arbitrio certorum virorum, quibus ius nominandi legavit, cum onere celebrandae quoque die missae, et bonis non sufficientibus, tot quot ex reditibus celebrari possent, quamvis testatrix devolutionem quamcunque ex quacunque causa ad episcopum prohibuisset omniaque libero illorum virorum arbitrio destinationemque, num beneficium residentiale necne esse deberet, commisisset. *Romana* 25. Febr. 1725.

—

C. X. *Notarii episcoporum examini et iudicio subiaceant.*

Cum ex notariorum imperitia plurima damna et multarum occasio litium oriatur, possit episcopus quoscunque notarios, etiamsi apostolica, imperiali aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus sedis apostolicae, examinatione adhibita eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officii eius in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem ordinarii suspendat.

C. XI. *Bonorum cuiuscunque ecclesiae aut pii loci occupatores puniuntur.*

Si quem clericorum vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas [1]) occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacunque arte aut quocunque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu con-

sentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscunque beneficiis privatus sit, et ad quaecunque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui ordinarii arbitrio suspendatur.

[1]) 1. Tim. VI. 10.

DECRETUM SUPER PETITIONE CONCESSIONIS CALICIS.

Insuper, cum eadem sacrosancta synodus superiori sessione duos articulos alias propositos [1]), et tum nondum discussos, videlicet: an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et: an, si honestis et Christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam illae sint, in aliud tempus oblata sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit; nunc, eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout praesenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae Christianae et salutare petentibus usum calicis fore iudicaverit.

Indictio futurae sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Tridentina synodus diem futurae sessionis ad feriam quintam post octavam festivitatis omnium sanctorum, quae erit dies XII. mensis Novembris, indicit, et in ea decernetur de sacramento ordinis, et de sacramento matrimonii etc.

Prorogata fuit sessio usque ad diem XV. *Iulii* MDLXIII.

[1]) cf. Sess. XIII. in decr. prorog. et Sess. XXI. post. can. 4.

SESSIO XXIII.

QUAE EST SEPTIMA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XV. MENSIS IULII MDLXIII.

VERA ET CATHOLICA DOCTRINA DE SACRAMENTO ORDINIS,

AD CONDEMNANDOS ERRORES NOSTRI TEMPORIS, A SANCTA SYNODO TRIDENTINA DECRETA, ET PUBLICATA SESSIONE SEPTIMA.

C. I. *De institutione sacerdotii novae legis.*

Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in novo testamento sanctum eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est [1]). Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit.

[1]) Hebr. VII. 12. seqq.

C. II. *De septem ordinibus.*

Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines [1]), qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent per minores ad maiores adscenderent [2]). Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt [3]), et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docent, et ab ipso ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus [4]) et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

[1]) Matth. XVI. 19., Marc. XIV. 22-24., Luc. XXII. 19. seq., Ioan. XX. 22. seq. — [2]) cf. infr. can. 2. — [3]) Act. VI. 5. XXI. 8., 1. Tim. III. 8-10. — [4]) cf. e. gr. Cyprian. ep. 55., Tertull. de praescr. I. 41., c. 11. D. XXXII. (Urban. II.) c. 12. ib. (id. in syn. Melph.), c. 4. D. LX. (id.), c. 9. X. de aet. et qual. et ord. praefic. I. 14. (Innoc. III.)

C. III. *Ordinem vere esse sacramentum.*

Cum scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus [1]): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.*

[1]) 2. Tim. I. 6. seq.

C. IV. *De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.*

Quoniam vero in sacramento ordinis [1]), sicut et in baptismo et confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam [2]), quae est ut castrorum acies ordinata [3]), confundere; perinde ac si contra beati Pauli [4]) doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde sacrosancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait [5]), a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis [6]) conferre, ministros ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac ma-

gistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda adscendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non ecclesiae ministros, sed fures et latrones [7]) per ostium non ingressos habendos esse. Haec sunt, quae generatim sacrae synodo visum est Christi fideles de sacramento ordinis docere. His autem contraria certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes adiuvante Christo fidei regula utentes in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

[1]) cf. Sess. VII. de sacr. can. 9. et infr. can. 4. — [2]) cf. infr. can. 6. — [3]) Cant. VI. 3. 9. — [4]) 1. Cor. XII. 28. seqq., Eph. IV. 11. — [5]) Act. XX. 28. — [6]) cf. Sess. VII. de confirm. can. 3. — [7]) Ioan. X. 1.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Can. I. Si quis dixerit [1]), non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi [2]), sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines [3]), et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam [4]) in sacerdotium tendatur: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit [5]), ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse: aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.

[1]) cf. supr. c. 1. — [2]) Matth. XVI. 19, Luc. XXII. 19. seq. — [3]) cf. supr. c. 2. — [4]) c. 2. (Zosim.) D. LXXVII., c. 3. ib. (Siric.) — infr. ead. de ref. c. 13. — [5]) cf. supr. c. 3.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Episcopus alicui ordinando expressis verbis declaravit, se ei illo die duos priores minores tantum ordines esse collaturum. Quibus perceptis, cum ordinandus

se vocatum audivisset, cum aliis ad recipiendos alios ordines accessit et ab episcopo, qui eum nec vocari iusserat, nec recognoverat, ordinatus fuit. S. C. resp., praevia poenitentia salutari imponenda ordines reiterandos esse sub conditione. *Ugentina* 3. Aug. 1743.

2. Quaesitum fuit, an ordinati ante legitimam aetatem ab episcopo, qui ante ordinationem in ecclesia publico edicto protestatus est, quod non intendebat ordines conferre nisi iis, qui in aetate legitima erant constituti, receperint vacuam manus impositionem? Responsum fuit ex communi sententia, recepisse vacuam manus impositionem. 23. Ian. 1586. rel. a *Benedicto* XIV. De SS. missae sacr. III. 10.

3. In supplici libello a SS. D. N. remisso exponitur, fratrem Antonium Gonzalez de Acuna episcopum civit. Charchiensis in Indiis occid. sub dominio regis catholici, sacras ordinationes habiturum edicto cavisse, ne quis trahens originem ab Indis seu, ut vocant, Mulatis infra quartum gradum auderet accedere ad sacros ordines suscipiendos, quia ipsius mens et intentio erat huiusmodi personis sacramentum ordinis non conferre, quam protestationem denuo atque expressius ore proprio emisit in actu ordinationis, iureiurando affirmans, se neque actualem neque virtualem intentionem habere aut habiturum fore ordinandi dictas personas, sed habere duntaxat intentionem ordinandi sanguine puros, quod et postea confirmavit, dum interrogatus a guardiano Conventus S. Francisci, an quidam comprehensus intra gradus ab eo prohibitos esset valide ordinatus, absque ulla haesitatione respondit negative ex defectu intentionis. Plura hinc scandala et inconvenientia orta sunt. Multi enim originem trahentes ab Indis seu, ut vocant, Mulatis (cum inibi sint pauci sanguine puri) ordines susceperunt et subinde missas celebrarunt, confessiones audierunt aliaque susceptis ordinibus congruentia munera exercuerunt, et e contra non desunt in populo, qui sic ordinatos effugiunt ac uti male promotos digito ostendunt. Propositis dubiis: I. An huiusmodi personarum ordinatio fuerit valida? II. An actus ab illis vigore susceptorum ordinum exerciti fuerint validi? et quatenus negative: III. quonam remedio hisce malis consuli debeat? S. C. 13. Febr. 1682. resp.: Ad I. et II. *negative*. Ad III.: *ad mentem*, et mens est: » supplicandum SSmo, quatenus iubeat omnibus Indiarum episcopis, ne deinceps praesumant in ordinatione conditionalem intentionem habere, eosque animadvertat, Indos et nigros omnesque ab eis per paternam vel maternam lineam descendentes nullo iure ab ordine aliorumque sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per sacros canones requisita habeant et observent.» Rel. ib. p. 310.

—

4. Ei, qui re ipsa contradixerit, ordinatione nullum characterem fuisse impressum actumque totum invalidum esse, S. C. resp. d. 26. Dec. 1665. Ex l. XXIV. Decr. 621. rel. a *Benedicto* XIV. ib.

5. S. C. nunciavit episc. Brixien., sibi contigisse, ut clericus quidam initiandus subdiaconatu minorum ordinum testimoniales falsaverit, quos ordines revera susceperat. Cum autem ad generalem ordinationem accessisset, et comminationem intellexisset censurarum adversus eos, qui ad suscipiendos ordines accederent neque muniti essent iis, quae canones postulant, cogitavit illinc abire, sed veritus, ne id scandalum pareret, consilium cepit accedendi ad ordinem suscipiendum, sed sine intentione illum suscipiendi, putans hoc pacto se subduci censuris, quamobrem episcopus sciscitabatur a S. C., an illum clericum rursus ordinare deberet? Relatum id fuit in S. C. d. 31. Mart. 1685., quae respondit, quod ordinatus interea suspensus remaneret, curaret autem episcopus, ut defectus intentionis sibi fieret exploratior. Rescripsit episcopus, se id percunctatum a clerico, qui candide fassus sit, se conscientiae stimulis incitatum ante ordinationem internum actum expressum et positivum edidisse non suscipiendi ordinis, nec unquam huiusmodi intentionem revocasse. Id iterum relatum in S. C. d. 24. Aug. eiusd. anni, quae considerans, non admodum esse fidendum attestationibus eius, qui dicebat perturbato animo se illum exercuisse internum actum, resp.: «Esse iterum ordinandum sub conditione privatim et dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum. » Rel. a *Benedicto* XIV. ib.

—

6. «A matre coactus metuque amittendae eius hereditatis suscepit Andreas Borg subdiaconatum. In ipso tamen ordinationis actu alieno ab ea fuit animo, suamque contrariam voluntatem alteri pandidit ordinando. De sua postridie sententia confessorem interpellavit, eaque pro validitate ordinis accepta, ultro deinde ad diaconatum et presbyteratum ascendit, ac per decennium in utroque ordine ministravit. Re tandem vulgata, eum Melitensis episcopus a divinis suspendit, donec Sacrae huius

Congregationis oraculum acceperit. Hoc igitur flagitavit Borg, atque exposita confirmans, EE. Patrum iudicio adhaerere profitetur episcopus.

Si oratoris ordinatio in subdiaconum quoad coactionem spectetur et metum, censeri posset valida. Altera siquidem coactio est *praecisa* et *absoluta,* quae facultatem adimit resistendi; altera *conditionalis* et *causativa,* quae libertatem relinquit, licet moralem inducat parendi necessitatem. Contrariam absoluta ostendit voluntatem in ordinando, atque impedimento est, ne imprimatur character, per text. in cap. *Maiores* 3. §. *Item,* de baptismo, ibique gloss. verb. *conditionaliter, Avers.* de sacr. ord. Qu. 1. sect. 8. vers. *Satis tamen, Leuren.* in ius can. Qu. 496. num. 2. L. I. Tit. XI. Ad id namque praeter materiam et formam requiritur ordinandi et ordinantis intentio, ex Conc. Florent. in decr. Eugen. IV. ad Armen. Aliqua vero ex causativa remanet voluntas, iuxta can. *Merito* 15. Qu. I., gloss. in can. *Ubi ista* verb. *honorem* D. 74., *Leuren.* l. c., satisque est ad validitatem ordinis. De hac autem posteriore agitur coactione, Cum per vim traductus non fuerit orator ad accipiendum subdiaconatum, sed materno duntaxat metu. Pari et graviori forsan coacti fuerunt Paulinianus, de quo in act. XI. Conc. Chalced. et Bessianus, de quo Epiphan. in Ep. ad Ioan. Hierosolym. inter Hieronymianas 110. alias 60; alter nempe ad accipiendum diaconatum, alter episcopatum, et tamen decreta fuit valida eorum ordinatio, ut refert *Tournely* tract. de ordin. cap. 7.

At si ipsum respiciamus ordinationis actum, eius nullitatis argumentum praebere videtur confessio oratoris, qui peierare non censetur in praeiudicium animae, *Mascard.* de probat. concl. 359. n. 28. Narrat porro, nullam se voluntatem habuisse suscipiendi ordinem, eamque in ipso ordinationis actu alteri pandidisse ordinando. Satis quidem fuisset ad illius validitatem intentio habitualis, ubi actu de suscipiendo non cogitasset ordine, *Gobat.* T. I. tract. 1. n. 245, *Ferrar.* bibl. legal. verb. *Intentio* n. 38. Sed habitualem fortasse excludit metus, quo coactus fuit ad ordinationem; actualis fuit contraria: alterumque idcirco defuit substantiale requisitum, sine quo ex cit. Conc. Florent. valida non est ordinatio.

Quatenus vero nullam censeant Emin. Patres collationem subdiaconatus, deliberare etiam dignentur, num iterari debeat. Iuris dispositio est pro affirmativa, et colligitur ex c. un. de cler. per salt. prom., quia *non intelligitur iteratum, quod factum esse non noscitur,* ad monitum *Pirhing.* L. V. Tit. 29. n. 7. de cler. per salt. prom., et ex valida tantum ordinatione imprimitur character, per text. in c. 1. et ult. de sacr. non iter. Eaque duce, iterandos censuit S. haec Congr. minores ordines monacho Olivetano, qui nulliter eos a perpetuo ordinis abbate post dimissam abbatiam acceperat, in Congregat *Olivetan.* 29. Nov. 1788. In quolibet autem dubio iterandam arbitrantur ordinationem sub conditione *Hostien.* in cit. cap. un., ibique *Abbas* num. 2., et *Fagnan.* num. 9, *Pirhing.* l. c. n. 8.

Eadem non laboraret nullitate diaconatus et presbyteratus collatio, dum sponte ad eos liberaque voluntate ascendit orator, ut statuitur in d. cap. un., et monet gloss. in can. *Sollicitudo* un. Dist. 52. verb. *subdiaconatus.* Quaerendum vero, num per saltuariam illorum assumptionem evaserit irregularis. Talem ei non impugnant poenam, sed leviorem alteram suspensionis ab exercitio ordinum *Silvest.* v. *Irregularis.* qu. 11. n. 13, *Suarez disp.* 31. de censur. sect. 1. n. 45, *Pirhing.* l. c. n. 2. Irregularis tamen evadere potuit per decenne dictorum ordinum exercitium, ut probat *Pirhing.* l. c., veniamque mereri posset ob bonam fidem, qua secutus fuit confessarii opinionem, et ad illos ascendit ministravitque..

Quaeritur ergo: I. An constet de nullitate ordinis subdiaconatus, ita ut sit reiterandus in casu etc.? et quatenus affirmative: II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate in casu etc.?

S. C. die 26. Nov. 1791. respondit: « Dilata, et scribatur episcopo iuxta instructionem »: pro formali scilicet examine sacerdotis Borg et ordinandi, cui suam ille ante ordinationem pandidit contrariam voluntatem, super pluribus praescriptis interrogatoriis. Ad quae sic re ipsa ex ordine responderunt:

Sacerdos Borg interrogatus I. An diebus ordinationi praecedentibus, quando a matre coactus de suscipiendo subdiaconatu cogitabat, expresse et praecise animi propositum formaverit ordinem valide non suscipiendi, contraria intentione retenta, seu potius ordinem quidem recipere voluerit, sed invito et aegro animo? dixit: Nell'anno 1771 Anna mia madre mi comunicò la sua volontà di farmi ascrivere nello stato ecclesiastico, e vedendomi affatto alieno da tale stato, per indurmi ad abbracciarlo mi minacciò di privarmi della sua eredità. Compiti da me li ventun'anni, e persistendo mia madre nelle minacce di privarmi della

sua eredità, deliberai, come feci, di presentarmi per essere ammesso all'ordine del suddiaconato. Nel ritiro delli santi esercizj avendo conferito il tutto con un confessore, mi consigliò di non presentarmi per gli ordini sacri per mancanza di vocazione. Terminati però gli esercizj, nulla curando il consiglio del confessore, mi portai seriamente dalla terra Bircarcara mia patria in questa città Valletta per ricevere l'ordine del suddiaconato, e ciò unicamente per contentare mia madre, la quale continuava sempre a minacciarmi come sopra dissi. Essendo però già prossima l'ordinazione, et poco prima di essere chiamato per approssimarmi a Ms. vescovo, assalito da gravi rimorsi di conscienza per li motivi detti di sopra, deliberai di non accostarmi a ricevere l'ordine sacro, e comunicai questa mia volontà ad un altr'ordinando di nome Don Giovanni Bezina del Pargur. Dopo pochi momenti però essendo stato chiamato per nome per accostarmi a ricevere il suddiaconato in presenza di molte persone, ed anche di mia madre, vinto dall'erubescenza, e da rispetti umani, mi presentai a Mons. vescovo coll'intenzione di non ricevere assolutamente l'ordine del suddiaconato.

Interrogatus II. Quaenam esset eius intentio in actu impositionis manuum episcopi, et traditionis instrumentorum? respondit: nell'atto dell'imposizione delle mani e della consegna de' vasi sacri io perseverai nell'intenzione contraria di non ricevere l'ordine del suddiaconato. In fatti mi ricordo d'aver ritirate le mani per non ricevere li sacri istromenti, benchè poi gli avessi toccati, con intenzione però contraria, come ho detto di sopra.

Ad III. interrogatorium: Qua de causa alteri ordinando contrariam voluntatem ordinis non suscipiendi aperuerit, quibus verbis et tempore et utrum ante ordinationem? respondit: comunicai la mia contraria volontà al sudetto Don G. B. per indurlo a non ordinarsi, e così non esser solo nel ritirarmi dalla prossima ordinazione, e ciò seguì poco prima di essere io stato chiamato per approssimarmi al vescovo, con aver detto al riferito Bezina ordinando, se si contentava di ritirarsi dall'ordinazione non avendo io volontà di ordinarmi.

Ad IV. Cur postea dubium validitatis ordinationis confessario exposuerit, et quibus rationibus usus fuerit, ut ipse omnem deponeret dubitationem? respondit: pochi giorni dopo la predetta mia ordinazione mi nacque il dubbio sopra la validità dell'ordine, ed avendo comunicato il tutto al mio confessore, mi rispose questi, essere stata valida l'ordinazione, e che poteva ascendere liberamente ad ulteriori ordini sacri; perchè era sufficiente l'atto esterno per essermi io avvicinato da per me stesso al vescovo senz'alcuna violenza per ricevere l'ordine.

Ad V. Utrum occasione diaconatus vel presbyteratus ordines suscipiendi idem dubium sibi excitatum fuerit de subdiaconatus validitate? respondit: avendomi assicurato come sopra il mio confessore di essere stata valida la mia ordinazione del suddiaconato, deposi poi su di ciò qualunque dubbio, e senza verun scrupolo passai ad ulteriori ordini sacri.

Ad VI. postremo: An per decennium post sacerdotium elapsum idem dubium aliquando obortum fuerit, et quomodo illud deposuerit? respondit: Non mi nacque mai più il dubbio della validità delli miei ordini sacri per la risposta datami come sopra dal mio confessore. Quindici mesi in circa sono (deponebat die 13. Januarii curr. a.) avendomi riferito un amico mio, che un certo suddiacono di nome Pietro, non so di qual diocesi, aveva ottenuta la declaratoria della nullità dell'ordine del suddiaconato per mancanza d'intenzione; allora si risvegliò in me l'antico dubbio circa la validità della mia ordinazione, motivo per cui feci ricorso alla sacra congregazione del concilio, e mi ritrovo frattanto sospeso a Divinis per ordine del vescovo.

Sacerdos vero Joannes Bezina, cui suam Borg ante ordinationem pandidisse affirmat contrariam voluntatem, interrogatus I., Utrum causam, ob quam examinandus est, sciat vel scire arbitretur? respondit: Suppongo di dover essere esaminato sopra la volontà contraria, con cui il signor Canonico Andrea Borg di Casal Bircarcara dice di aver ricevuto il sacro ordine del suddiaconato, e ciò lo suppongo, perchè ne' scorsi giorni il predetto signor canonico mi ha prevenuto di un tale esame.

Ad II. interrogatorium: An, et a quo tempore sacerdotem cognoscat Andream Borg? respondit: Conobbi il mentovato sacerdote A. B. sedici anni in circa sono coll' occasione, che fecimo ambidue il ritiro de' santi esercizj per l'ordine del suddiaconato.

Ad III. An ullum ordinem simul cum ipso receperit? respondit: Io fui ammesso alli tre ordini sacri unitamente col predetto signor canonico, e fui nelli stessi giorni col medesimo ordinato.

—

Interrogatus IV.: Utrum sciat, ipsum subdiaconatus ordine fuisse initiatum? et

quatenus affirmative, utrum dubitet ipse, et quanam de causa de validitate ordinationis, et quomodo hoc sciat? respondit: Io come ho detto di sopra, che il predetto signor canonico B. ricevette con me l'ordine del suddiaconato, nè mi nacque alcun dubbio sopra la validità del predetto ordine.

Interrogatus tandem V., Quidnam sibi ipsi dixerit Borg ante ordinationem, et referat praecisa verba, si reminisci poterit? respondit: Non mi ricordo, che il riferito signor canonico Borg mi avesse detta cosa alcuna prima di ricevere l'ordine del suddiaconato. Alcuni mesi sono il riferito sacerdote mi aveva detto, che poco prima di ricevere l'ordine del suddiaconato mi aveva comunicata la sua intenzione contraria di ricevere il detto sacro ordine per le gravi minacce fattegli dalla madre, e mi aveva pregato a prestargli su di ciò la mia deposizione. Io però che non ero di ciò inteso, o almeno non mi ricordavo di tali cose, ricusai di fargli un tale attestato, e d'altro non mi trovo informato.

Iam ex utroque examine habent Emin. Patres, quae ad rectam primi dubii resolutionem requiri videntur. Quo vero ad secundum, nedum orator per decennium in sacris ordinibus ministravit ante recursum ad S. Congregationem, sed hoc etiam pendente, et a divinis per episcopum suspensus, diaconale semel ministerium praestitit in missa solemni, et pluries hebdomadarii officium in choro, ut ait, inconsiderate. Ideoque hac etiam de causa absolutionem postulat ab irregularitate.

S. C. die 16. Iunii 1792. respondit: «Ad I. Esse locum ordinationi subdiaconatus sub conditione et secreto faciendae. Ad II. *affirmative.*» *Melevitana*, 18. Iun. 1792.

7. Cum aliquis in subdiaconatus ordinis collatione non tetigisset librum epistolarum sine culpa, S. C. rescripsit, id esse supplendum per episcopum etiam privatim, in *Senogall.* 10. Ian. 1711. (IX. 165. II.)

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta Tridentina synodus, reformationis materiam prosequens, haec, quae sequuntur, in praesenti decernenda esse statuit et decernit.

C. I. *Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur; animarum curae providetur.*

Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere [1]), pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt [2]): sacrosancta synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis [3]) in iudicio et veritate pascant et regant. Ne vero ea, quae de residentia sancte et utiliter iam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt [4]), in sensus a sacrosanctae synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhaerendo declarat sacrosancta synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscunque quocunque nomine et titulo praefectos, etiam si sanctae Romanae ecclesiae cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis et modis infra scriptis. Nam cum Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant, decernit eadem sacrosancta synodus, has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice, aut metropoli-

tano vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium episcopatibus adiunctum, cuius quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum concilio provinciali spectabit iudicare de licentiis a se vel a suffraganeo datis, et videre, ne quis eo iure abutatur, et ut poenis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri [5]), ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacrosancta synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento; quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore, cum Deo corda pateant [6]), cuius opus non fraudulenter agere [7]) suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint [8]), nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas [9]), ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante per superiorem ecclesiasticum, illos fabricae ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam praedicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur; non obstantibus quibuscunque privilegiis cuicunque collegio aut fabricae concessis.

Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas, de curatis inferioribus [10]) et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit; ita tamen, ut, quandocunque eos causa prius per episcopum cognita et probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si, per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam usque ad privationem, compellere, nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam iuramento vel quacunque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianae [11]) constitutionis suspendi posse. Postremo tam decretum illud sub Paulo III. [12]), quam hoc ipsum in conciliis provincialibus et episcopalibus publicari sancta synodus prae-

cipit; cupit enim quae adeo ex pastorum munere animarumque salute sunt frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum Deo iuvante nulla temporum iniuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur.

[1]) Ioan. X. 14. XXI. 15–17. — [2]) Ioan. X. 12. 13. — [3]) 1. Petr. V. 2. 3. — [4]) cf. supr. Sess. VI. de ref. c. 1. et 2. cum declar. et resol. — [5]) cf. c. 34. de elect. in VIto I. 6. (Bonif. VIII.) — Sess. VI. de ref. c. 2. extr. — [6]) Psalm. VII. 10. — [7]) Ier. XLVIII. 10. — [8]) cf. c. 29. C. VII. qu. 1. (conc. Agath.) — [9]) cf. Sess. VI. de ref. c. 1. — [10]) ib. c. 2. — [11]) c. 3. de priv. in Extr. com. V. 7.: « Divina in eminenti sedis apostolica specula disponente clementia constituti ad ea libenter intendimus, per quae officiales praedictae sedis obsequiis eius (ad quam veluti fidelium omnium matrem pro animarum salute quaerenda et iustitia prosequenda de diversis mundi partibus confluit multitudo,) tutius et quietius se promptiores valeant exhibere. Hinc est, quod nos ex certis rationabilibus causis moti, etiam nonnullorum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, districtius inhibemus locorum ordinariis, nec non commissariis et delegatis eorum, ceterisque universis et singulis, quacunque potestate et auctoritate praefulgeant, cuiuscunque dignitatis, gradus vel praeeminentiae fuerint, ne contra officiales praefatos, quocunque nomine nuncupentur, in nostris et dictae sedis obsequiis nunc et pro tempore exsistentes, nec non quoscunque alios pro suis, et eorum causis vel negotiis prosequendis ad sedem praedictam venientes, ac in ea (durante negotiorum et causarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes, et recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aut privationis officiorum aut beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam promulgare praesumant.

Nos enim omnes et singulos processus et sententias contra tenorem et mentem nostrae inhibitionis huiusmodi latas et habitas, et in posterum habendas ac etiam promulgandas, et quaecunque inde secuta, declaramus nulla, irrita et inania, nulliusque exstitisse vel exsistere roboris vel momenti. Nec non quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, etiam decernimus irritum et inane, et nihilominus in omnes et singulos ordinarios, et officiales, commissarios, delegatos eorum, qui se de dignitatibus ac beneficiis ecclesiasticis quibuscunque officialium aut negotia huiusmodi apud dictam sedem prosequentium praedictorum, eos illis forsan privando, atque privatos decernendo seu declarando, vel cuiuscunque privato praetextu illa personis aliis conferendo, seu de illis in eos quomodolibet se intromittendo, tam in dantes quam in recipientes excommunicationis, suspensionis et interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere; a qua quidem excommunicationis sententia absolvi nequeant, nisi a nobis vel per nos deputandis, praeterquam in mortis articulo constituti.

Praemissa autem a die affixionis praesentium ad valvas basilicae principis Apostolorum de Urbe ex certa scientia quoscunque ligare volumus et arctare. Non obstantibus apostolicis, et quibuscunque generalibus aut provincialibus aut synodalibus conciliis, edictis, constitutionibus, ordinationibus et apostolicis privilegiis, per quae effectus praesentium impediri posset quomodolibet vel differri, etiamsi de illis eorumque totius tenoribus habenda esset in praesentibus mentio specialis, et quae praesentibus volumus habere pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo, etc. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae 1432. octavo Idus Martii, Pontificatus nostri secundo. » — [12]) Sess. VI. de ref. c. 1.

C. II. *Ecclesiis praefecti consecrationis munus intra tres menses suscipiant; consecratio quo loco peragenda.*

Ecclesiis cathedralibus seu superioribus quocunque nomine ac titulo praefecti, etiamsi sanctae Romanae ecclesiae cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses [1]) non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint privati. Consecratio vero, si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

[1]) cf. c. 2. D. LXXV. (conc. Chalc.), c. 1. D. C. (conc. Ravenn.), supr. Sess. VII. de ref. c. 9.

C. III. *Episcopi extra aegritudinem per se ordines conferant.*

Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam iam probatos [1]) et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant.

[1]) cf. infr. c. 8. et 10.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Proposito dubio, an episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii episcopi asserentis, eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur

huiusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos examinare? S. C. resp., posse episcopum ordinantem, si voluerit attestationi proprii episcopi deferre, sed non teneri. *Nullius* 16 Ian. 1595. Eodem modo iudicatum est d. 17. Ian. 1693. (alleg. II. 67.) et in *Elboren.* 23. Aug. 1721. quam integram vide ad c. 8. huius Sess. num. 12.

—

C. IV. *Qui prima tonsura initiandi.*

Prima tonsura non initientur [1]) qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed, ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

[1]) cf. c. 4. de temp. ord. in VIto I. 9. (Bonif. VIII).

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Abbas quidam regulari professo alii abbati subiecto ordines minores contulerat, ea de re requisitus ab abbate proprio. Ordinatus sacramentum confirmationis nondum receperat. S. C. resp., non constare de nullitate ordinationis, ita ut esset reiteranda, sed consulendum esse SSimum pro absolutione et rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate tam quoad ordinantem quam ordinatum, quoad hunc autem praevia collatione sacramenti confirmationis, in *Anglonen.* et *Tursien.* 15. Maii 1802.

2. Guilielmus Melfort, qui obtinet archipresbyteratum in ecclesia collegiata S. Eustachii, debet ex causa dicti beneficii ad sacros ordines ascendere, sed nonnullis indiget dispensationibus, ut ex sequenti facti serie desumitur.

Guilielmus origine Scotus Londini natus est anno 1686 ex genitoribus conspicuae et nobilissimae familiae, sed haeresis labe infectae, qui tamen haeresim abiurarunt, et catholicam religionem subinde amplexi sunt, dum ipse erat in aetate annorum duorum, et postquam ab administro ecclesiae anglicanae baptismum receperat.

Tempore, quo gloriosae memoriae Iacobus II. Angliae rex e regno fuit expulsus, ipse cum suis genitoribus Gallias et deinde Flandriam petiit, et in universitate Duacensi suorum studiorum cursum explevit, et ab episcopo Atrebatensi confirmationis sacramentum suscepit, et post haec cum in Gallias reversus fuisset, fuit ab episcopo Niverniensi ad primam tonsuram et ad quatuor minores ordines promotus. Duobus abhinc annis Romam venit, et a S. D. N. dictum archipresbyteratum S. Eustachii obtinuit.

In hoc itaque rerum statu primo videndum est, an orator sit irregularis propter baptismum ab haeretico receptum. Porro ab haereticis baptizati sunt irregulares: text. in can. 18. *Ventum est* in fine C. I. Qu. 1., et sola difficultas in hoc consistit, utrum haec irregularitas incurritur ab eo, qui in adulta aetate fuit ab haeretico baptizatus.

Pro irregularitate etiam ab infante contrahenda, facit textus in can. 10. *Qui in qualibet* C. I. Qu. VII., et hanc opinionem tuetur *Maiol.* de irregul. lib. III. c. 12.; pro irregularitate vero contrahenda solum ab illo, qui in adulta aetate baptizatur, facit textus in can. 3. *Placuit*, et in can. 4. *Qui apud Donatistas* C. I. Q. 4., et hanc opinionem tuetur Glossa in can. *Qui in qualibet*, et fuse prosequitur *Suarez* de censuris disput. 42. sect. 1., ubi docet, crimen esse fundamentum huius irregularitatis et crimen consistere in voluntaria susceptione baptismi ab haeretico.

Rursus cum orator natus sit ex parentibus haereticis, inquirendum est, an ex hoc capite irregularitatem incurrerit. Iuxta veriorem sententiam haereticorum filii sunt irregulares: textus in cap. *Quicumque* §. *haeretici* et in cap. *Statutum* de haereticis in VIto. Cum autem parentes oratoris catholicam fidem amplexi sint, operae pretium est, examinare an propter hanc circumstantiam nulla dici valeat ab ipso irregularitas incursa; doctores etenim hanc statuere videntur differentiam inter haereticum et haeretici filium, quod haereticus, haeresi etiam abiurata, remanet irregularis, iuxta textum in can. *Presbyter* de poenit. Dist. V., e contra vero haeretici filius non est irregularis, si parentes catholicam fidem amplexi sint, ut docet *Suarez* in all. tract. de censur. disp. 43. sect. 3., et sequitur *Card. Albitius* de inconst. in fide cap. 24. num. 75. et 76., *et est de mente huius Sacrae Congregationis, uti colligitur ex eiusdem epistola anni* 1591. *Epistolarum lib. VII. pag.* 277. *a tergo.*

Orator quoque fuit, uti diximus, prima tonsura et quatuor minoribus ordinibus ab

episcopo Niverniensi initiatus; cumque in hac ordinatione non adfuerint litterae dimissoriae sui ordinarii, examinandum est, an remanserit suspensus ab executione ordinum susceptorum, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire iuxta Concilium Tridentinum Sess. XXIII. cap. 8. de ref.; absque eo quod suffragari possit ratio domicilii per oratorem in Galliis contracti, quia non sunt probata requisita domicilii ad effectum ordines suscipiendi ad tramites Bullae *Speculatores* §. *Subditus*.

Tandem cum debeat orator ad sacros ordines adscendere, et sit arctatus ab archipresbyteratu, quem obtinet, testimoniales non exhibet litteras eorum ordinariorum, in quorum dioecesibus tanto tempore moram traxit, ut aliquo potuerit impedimento canonico irretiri, ut in cit. Bulla praescribitur; cumque ipse paratus sit vitam et mores, necnon baptismum et confirmationem probare per testes fide dignos, videndum est, an id admitti valeat exemplo eius, quod passim practicatur in tribunali sanctiss. Inquisitionis, in quo, concurrente morali impossibilitate probandi libertatem status quoad aliquos, qui volunt matrimonio copulari, admittitur libertatis probatio per testes et per iuramentum eius, qui vult matrimonium contrahere, intimata poenarum comminatione adversus polygamos.

Omnia itaque in unum colligendo, quaeritur:

I. An orator sit irregularis, ex quo baptismum ab haeretico accepit?

II. An irregularis sit, ex quo natus est a parentibus haereticis? et quatenus affirmative:

III. An ei sit indulgenda dispensatio?

IV. An remanserit suspensus a susceptorum ordinum executione, ex quo eos recepit sine dimissoriis proprii episcopi? et quatenus affirmative:

V. An haec suspensionis poena de medio tollenda sit per apostolicam dispensationem, non obstante, quod sui ordinarii consensus deficiat?

VI. An probatio de vita et moribus, necnon baptismi et confirmationis fieri possit per testes, deficientibus litteris testimonialibus ordinariorum iuxta praescripta in Bulla *Speculatores?*

Sacra Congregatio respondit: ad I. et II.: *negative*. Ad III.: *satis provisum*. Ad IV. et V.: *affirmative*. Ad VI.: *dilata* et *ad mentem. Romana* 21. Maii 1718.

—

C. V. *Ordinandi quibus instructi esse debeant.*

Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus [1]), aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales [2]), ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat.

[1]) cf. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.) — [2]) cf. infr. c. 7.

C. VI. *Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur; quis privilegio fori gaudere debeat.*

Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere [1]). Is etiam fori privilegio non gaudeat [2]), nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. In clericis vero coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII. [3]), quae incipit: *Clerici, qui cum unicis*, modo hi clerici, alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur; nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

[1]) cf. c. 3. X. de aet. et qual. et ord. praef. I. 14. (Alex. III.) — [2]) c. 7. X. de cler. coniug. III. 3. (Innoc. III.) — [3]) c. un. h. t. in VIto III. 2.: «Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et

vestes deferant clericales, privilegium retineant canonis ab Innocentio secundo praedecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis (c. 29. C. XVII. qu. 4.). Et cum iuxta Parisiense concilium (c. 2. X. de foro comp. II. 2.) nullus clericus distringi debeat aut condemnari a iudice saeculari, praesenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicium saeculare, nec ab ipsis saecularibus iudicibus eos debere personaliter vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem iudicibus quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. In ceteris autem, vel nisi, ut praemittitur, tonsuram vel vestem deferant clericales, etiam in praemissis eos gaudere nolumus privilegio clericali. »

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Cum pater dispensationem filii ad beneficium ab ipso vocati, postquam maxima patronorum pars in eum voces contulerunt, octavum tantum aetatis annum agentis peteret, S. C. resp. « non indigere dispensatione attenta fundatione beneficii ante Concilium Tridentinum. » in *Montis Alti* 8. Apr. 1843.

2. S. C. consulta, an clericus in minoribus ordinibus constitutus clericalem habitum et tonsuram deferens atque ecclesiae inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui ecclesiae ab episcopo adscriptus non sit? resp. *gaudere* in *Neapol.* 1. Febr. 1614. Ex. l. XI. Decr. p. 139. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XII. 6.

3. Quaerente ep. Oppidensi, an clericus incedens in habitu et tonsura clericali, qui semel in hebdomada vel quater, ter, bis aut semel in mense sacerdoti celebranti ministrat in sacrificio missae, vel qui superpelliceo quoque indutus toties aliis interest divinis officiis, dicatur ecclesiae inservire ad praescriptum conc. Trid., ita ut fori ecclesiastici privilegio gaudere debeat, an vero longius praestandum servitium, et quod et quantum? S. C. censuit, remittendum arbitrio episcopi. *Oppiden.* 10. Jan. 1660. Ex. l. XXII. Decr. p. 6. ap. *Bened.* XIV. ib.

4. S. C. censuit, (oratorem) clericalem habitum et tonsuram deferentem, quamvis alteri ecclesiae quam illi, cui ex mandato episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere. *Senogallien.* 23. Ian. 1603. Ex. l. X. Decr. p. 54. rel. a *Bened.* XIV. ib.

—

5. Facta relatione ad Sanctissimum, S. Sua approbavit opinionem eorum, qui maiores numero fuerunt in voto, clericos etiam non habentes requisita c. 6. Sess. XXIII. de ref., licet ipsi tanquam contravenientes ordinationi S. Conc. non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus subesse iurisdictioni episcoporum seu ordinariorum, illorumque cognitioni nedum in causis, in quibus iidem episcopi seu ordinarii praevenerint, verum etiam in quibus non praevenerunt, sed illos e manibus iudicis laici repetunt, quando clerici adhuc clerici permaneant, videlicet si neque a iure neque ab homine per declarationem servatis servandis factam privilegiis clericalibus denudati seu privati sint. d. 9. Nov. 1630. Ex. l. XIV. Decr. p. 346. cum exemplis eiusdem regulae antea adhibitae ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XII. 2.

6. In carceribus Frusinonis detinebatur nomine curiae episc. Alatrinae clericus coniugatus ut praetensus homicidii reus. Praetendente fisco curiae saecularis, carceratum esse ad hunc remittendum tanquam non habentem requisita S. Conc. ad effectum gaudendi privilegio fori, controversia delata fuit ad S. Congr. Immun. ex cuius decreto dubium resolvendum proponebatur: An praeveniente episcopo vel volente vindicare clericum, possit, licet non habeat requisita? S. C. resp. *affirmative* 27. Mart. 1683. rel. a *Bened.* XIV. ib.

7. S. C. censuit, non sustineri constitutionem synodalem generaliter prohibentem, ne ullus clericus primae tonsurae dimittat habitum neque coram notario saeculari neque sine licentia episcopi, d. 7. Sept. 1677. Ex. l. XXIX. Decr. p. 500. rel. a *Bened.* XIV. ib. XII. 3.

8. A prohibitione generali, ne clerici reassumere possint habitum clericalem absque auctoritate episcopi, abstinendum esse S. C. censuit in *Oppiden.* 10. Maii 1635. Ex l. XV. Decr. p. 176. In eundem modum resp. in *Mutinen.* 14. Dec. 1647. l. XVIII. Decr. p. 437. Rel. a *Bened.* XIV. ib. Cum itaque quaereretur: An clericus in minoribus constitutus, qui dimisit habitum clericalem, possit absque licentia episcopi illum reassumere, quando adest constitutio synodalis prohibitiva, ne reassumatur absque praedicta licentia? S. C. censuit, posse absque licentia episcopi, non obstante constitutione synodali, cum non sit permissa. *Neapol.* 8. Aug. 1654. l. XIX. Decr. p. 384.

9. S. C. resp.: clericum coniugatum, qui post dimissum habitum et tonsuram clericalem deliquit, quamvis pro eo delicto in curia laicali citatus et in contumaciam condemnatus fuerit, si deinde, modo non in

fraudem, reassumpto habitu et tonsura ecclesiae inserviat, iuxta decretum S. Conc. c. 6. Sess. XXIII. non posse a iudice laico propter idem delictum in carcerem coniici aut personaliter distringi. *Nuscana* 19. Dec. 1584. rel. a *Bened.* XIV. ib.

—

10 Prop. quaestione: An, ut clericus uti posset beneficio capituli *Odoardus* (c. 3. X. de sol.), requirerentur condition espraescriptae a S. Conc. Sess. XXIII. c. 6? S. C. resp.: decretum Conc. non ademisse clericis non habentibus qualitates, quae exprimuntur c. 6. Sess. XXIII., nisi privilegium fori, et cetera firma remanere sub dispositione iuris. 3. Dec. 1622. Ex libr. XII. Decr. p. 115. repet. a *Bened.* XIII. ib., qui saepius ita iudicatum esse refert.

11. S. C. censuit clericos, qui decreto Conc. c. 6. Sess. XXIII. de ref. privilegio fori non gaudent, non intelligi privatos privilegio canonis. *Aquen.* Febr. 1589. Ex l. V. Decr. p. 257. rel. a *Bened.* XIV. ib.

—

12. Gestationem peruchae tolerandam non esse, et edictum episcopi, quod eam prohibuerit clericis beneficiatis et in S. ordinibus constitutis sub poena excommunicationis, et clericis primae tonsurae et minorum ordinum sub poenis arbitrariis, sustinendum esse censuit S. C. in *Melphiten.* 8. Aug. 1722. Eandem regulam secuta d. 6. Iun. 1716. « instantiam reiecit sacerdotis supplicantis pro facultate missam celebrandi ficto capillitio propter salsi humoris labem, qua caput laborabat. »

C. VII. *Examinandi sunt ordinandi a viris peritis iuris divini et humani.*

Sancta synodus antiquorum canonum [1]) vestigiis inhaerendo decernit, ut, quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem [2]) diligenter investiget et examinet.

[1]) cf. c. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.) — [2]) cf. supr. c. 5.

C. VIII. *Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat.*

Ordinationes sacrorum ordinum statutis a iure temporibus [1]) ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur [2]). Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur [3]). Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

[1]) cf. c. 7. D. LXXV. (Gelas.), c. 1. 2. 3. X. de temp. ord. I. 11. (Alex. III.) — [2]) cf. c. 1. D. LXXI. (conc. Sard.), c. 2. ib. (Innoc. I.), c. 3. ib. (conc. Nic.) c. 4. ib. (conc. Chalc.), c. 2. D. LXXII. (conc. Carth. III.), c. 6. seq. C. IX. qu. 2. (conc. Antioch.), c. 9. ead. (conc. Const. I.), c. 10. ead. (Urb. II.), c. 1. de temp. ord. in VIto I. 9. (Clem. IV.), c. 2. ib. (conc. Lugd. I.) — [3]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 2. et 3.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « Cum propter controversias exortas inter episcopum et capitulum Giennense exortae fuissent disputationes super modo celebrandi sacras publicas ordinationes, et hac de causa eaedem intermissae fuissent, Sacra haec Congregatio die 28. Sept. 1726. providentiam sumpsit, ut publicae ordinationes fieri possent.

Providentia capta pro terminandis litibus non sufficiebat, cumque dubia iam fuissent a me (i. e. Secretario S. Congr. *Prospero de Lambertinis*) subscripta, et informa-

tiones iam compositae et impressae fuissent, et causa a me in folio descripta fuisset, ut proponeretur in prima congregatione, quae fieri debuisset de mense Novembris, si consistoria pro causis canonizationum Congregationis coactionem non impedivissent, et hoc interim Sanctissimi Domini Nostri rescriptum supervenisset, in quo praecipiebatur, ut quatenus haec causa esset de appendicibus constitutionis «Apostolici ministerii» editae ab Innocentio XIII. pro regnis Hispaniarum, et a Sanctitate Sua confirmatae, remitteretur ad Congregationem particularem, cuius etiam ipse sum a secretis, quae deputata est super dubiis, quae proponentur circa intelligentiam supradictae constitutionis, non potui abstinere a proponenda hac causa Giennen. in ultima congreg. habita die 11. Ianuarii, tum quia folium erat iam impressum tempore, quo ad me delatum fuit Sanctissimi rescriptum, tum quia illud erat prudentissime conceptum, hoc est non absolutum, sed conditionatum, ita ut superesset indago, an esset necne purificata conditio.

Scribentes in praedicta ultima congregatione supplicem exhibuerunt libellum, in quo nunciarunt causae remissionem ad Congregationem particularem; cumque Sacra Congregatio mihi dederit in mandatis, ut totam rei seriem Sanctitati Suae aperirem, et eius deliberatam mentem audirem, ut ei debita praestaretur obedientia, mandatum mihi commissum adimplevi die 12. currentis mensis Ianuarii, cumque Sanctitati Suae reverenter exposuissem, nedum praecedentem causae in hac S. Congregatione instructionem, sed etiam, quod ea non erat de appendicibus constitutionis «Apost. ministerii», sed Concilii Tridentini, ex quo Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 8. de ref. sic statuit: «Ordinationes... « adeatur, » et constitutio « Apostolici ministerii» iisdem fere verbis utatur, «*noverint autem episcopi, se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, ordines conferre, et sacrorum ordinum collationem statutis a iure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis et adstantibus canonicis, publice habendam esse, vel si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesia, quantum fieri poterit, digniori, et praesente clero eiusdem loci,* « Sanctitas Sua, perpensis his et aliis rationum momentis benigne annuit, ut haec causa in hac Sac. Congregatione proponeretur.

Proposita fuit haec causa in congregatione habita die 11. Ianuarii, nec ulla fuit capta resolutio, eademque reproposita in congr. habita die 25 eiusdem mensis responsum fuit: *Dilata ad primam post agnos, non retardata interim exsecutione decreti provisionalis usque ad exitum causae.*

Iterum proposita fuit in congr. hab. die 7. Iunii, nec ulla fuit capta resolutio, sed demandatum, ut proponeretur in prima etiam unica, item morem gerendo mandatis EE.VV. notificavi, nullam esse quaestionem in ordine ad factum seu ad sequentes facti circumstantias, quod videlicet in ecclesiis Hispaniarum sanctissimum sacramentum conservatur in altari maiori, et quod in praeteritum functio ordinum generalium non fuit ad dictum altare celebratum. Quibus proinde statutis quaeritur:

—

I. An episcopus Giennen. vigore dispositionis Sac. Concilii Tridentini Sess. 23. de ref. cap. 8. et constitutionis sanmem. Innocentii XIII. incipient. « Apostolici ministerii, » et alterius Sanctissimi Domini Nostri illius confirmatoriae possit vel debeat temporibus a iure statutis celebrare functionem ordinum generalium ad altare maius ecclesiae cathedralis? et quatenus affirmative:

II. An occasione praedicta ibidem possit pontificaliter celebrare missam conventualem ad sabbatum designatam loco illius, quae celebrari a capitulo deberet cum assistentia omnium praebendatorum, et aliorum de choro? et quatenus affirmative:

III. An ob dictam functionem ordinationum in praedicto altari explendam possit cogere capitulum, ut horam consuetam pro horis canonicis et missa conventuali anticipet, vel postponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex dictis functionibus protendatur?

IV. An possit celebrare dictam functionem ordinationis ad altare maius, non obstante, quod iuxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis, ad altare maius adsit tabernaculum, in quo asservetur sanctiss. eucharistiae sacramentum? et quatenus negative:

V. An possit compellere capitulum et canonicos, ut pro explenda ordinatione aliisque functionibus pontificalibus transportari faciant sanctiss. eucharistiae sacramentum ad aliud altare ecclesiae?

VI. An possit episcopus impediri, quominus in dicto altari solemnem et generalem ordinationem faciat sub praetextu consuetudinis, ex quo nunquam in dicto altari per episco-

pum facta sit celebratio ordinum? et quatenùs affirmative:

VII. An episcopus teneatur praedictam functionem explere in aliqua ex capellis ecclesiae, et quatenus capellae non sint capaces, teneatur illam explere in sacristia? et quatenus affirmative:

VIII. An in hoc casu possit episcopus capitulum cogere, ut anticipet vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne celebratio ordinum chorum impediat, vel chorus ipsam ordinum celebrationem?

IX. An episcopus ad formam supradictae conciliaris dispositionis, sive ordinationem celebret ad altare maius ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex capellis, sive in sacristia cathedralis, possit cogere integrum capitulum et omnes canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis, et quibus poenis? seu potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pontificalibus eidem episcopo ex praescripto Caeremonialis vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent?

X. An episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro explenda solemni ordinatione, vel pro interessentia divinis officiis vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum faldistorium seu genuflexorium in loco, ubi episcopus functionem facere seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, antequam ad suam sedem accedat, orare possit ad tabernaculum sanctiss. sacramenti, vel saltem loco faldistorii seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit, seu potius servanda veniat consuetudo, praesertim si sit immemorabilis, iuxta quam episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium, nec pulvinar parari solet, super quo episcopus oret, antequam ad locum suum accedat?

—

Sacra Congr. die 2. Augusti 1727. respondit ad primum: *posse et debere, nisi adsit rationabilis causa arbitrio episcopi indicanda.* Ad secundum *affirmative.* Ad tertium: *posse, dummodo non excedat spatium unius horae ultra horas consuetas.* Ad quartum et quintum: *servetur Caeremoniale.* Ad sextum et septimum: *satis provisum in primo.* Ad octavum: *satis provisum in tertio.* Ad nonum: *dilata.* Ad decimum: *servetur Caeremoniale episcoporum lib. 1. cap. 12.*

Sacra Congregatio, propositis nonnullis iam difficultatibus a capitulo cathedralis ecclesiae super modo exequendi declarationes secundi et tertii dubii, die 19. Iunii 1728. respondit: «Ad secundum dubium in decisis iuxta resolutionem noni dubii. Ad III. praevio recessu a decisis arbitrio et prudentiae ordinarii. Ad IX. posse cogi iuris remediis integrum capitulum, una cum omnibus de clero cathedralis, ut assistat episcopo solemniter cum cantu missam ordinationum ad altare maius celebranti, et *ad mentem.* »

—

2. Episcopo Brixiensi supplicante declarari, an diebus festis duplicibus, non tamen de praecepto, possint ordines sacri conferri habentibus breve dispensationis apost. super interstitiis vel extra tempora? S. C. die 15. Ian. 1689. resp. *negative*, sed tantum diebus festis de praecepto. Ex ipsis actis rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVI.

3. Cum petitum esset declarari in dispensationibus de promovendis extra tempora diebus festivis, an ad omnes; etiam sacros et presbyteratus ordines possent isti tales promoveri quolibet die festivo, de quo in ecclesia fit officium, an vero debeat esse festivus a populo colendus? S. C. resp.: intelligi oportere de diebus festis, qui a populo coluntur. *Caesaraugustana*, ex l. III. Decr. p. 79. rel. LI. 61.

—

4. Ad dubium: An pro habentibus indultum suscipiendi sacros ordines extra tempora haberi valeant ordinationes diebus festis, in quibus fideles audita missa ex apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt in casu etc.? S. C. resp. *affirmative. Tirasonen.* 11. Maii 1782.

5. Dubio proposito: An supposita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram et minores ordines feria sexta (die Veneris) post prandium ante diem sabbati quatuor temporum? Sacra Congr. respondit: «Affirmative quoad primam tonsuram, et quoad ceteros minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut episcopus se conformet Pontificali Romano titulo de minoribus ordinibus, » in *Portalegrensi*, 13. April 1720.

—

6. S. C., cum solvenda proposita fuissent ab episcopo Fundano haec dubia: I. An in suscipiendis ordinibus minori-

bus sit permissa variatio, ita ut, qui ab episcopo originis seu domicilii tonsura aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri? II. An sit permissa variatio in ascensu ab acolythatu ad subdiaconatum? III. An sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel diacono in promotione ad sacerdotium variare? respondit: *variationem in unoquoque ex praenarratis casibus, dummodo non in fraudem fiat, licitam esse*, in *Fundana* 27. Febr. 1666., l. XXV. Decret. p. 52. (alleg. V. 404.) Similiter in *Aquipendii* 13. Nov. 1717. (alleg. LXXXIV. 117.), *Pisana* 26. Ian. 1732.

7. Ad dubium ita conceptum: An laico, cui a proprio episcopo fuit denegata prima tonsura, possit ipsa prima tonsura conferri, et concedi litterae dimissoriales ab ordinario alterius dioecesis, coram quo ipse laicus praesentatus fuit ad beneficium ecclesiasticum? rescripsit: *non posse*. Lib. XXI. Decr. pag. 166. in *Mutinen.* 26. Ian. 1658. (alleg. V. p. 404.)

8. In *Aversana* seu *Casertana*, cum quidam laicus prima tonsura initiari petiisset ab episcopo originis et domicilii, et ab eo repulsam passus, deinde fuisset clericali militiae adscriptus ab alio episcopo, in cuius dioecesi fuerat praesentatus ad tenue beneficium simplex, discusso dubio: An ordinans et ordinatus inciderint in poenas statutas in cap. 8. Sess. 23. de ref.? S. Congr. resp.: *affirmative* die 26. Sept. 1693. Lib. LXIII. Decr. pag. 127. et 491. (alleg. V. 404.).

—

9. «Benedictus Mannellus cupiens prima clericali tonsura initiari, aliosque successive ordines ab episcopo Vici Aequensis tanquam a suo ordinario suscipere, petiit ab Eminent. archiepiscopo Neapolitano litteras testimoniales, ex quo longo temporis spatio moratus fuerat in dicta civitate, et Eminent. archiepiscopus eas denegavit sub obtentu, quod ordinatio Benedicti ad se, non ad episcopum Vici Aequ. pertineret.

Habito per Benedictum recursu ad hanc S. Congregationem, exquisita fuit primo informatio Eminent. archiepiscopi, et subinde datae sunt litterae ad episcopum Vici Aequensis, et ab utroque nedum opportunae responsiones habitae fuerunt, sed alterius transmissi sunt processiculi una cum necessariis documentis.

Contendit archiepiscopus, ordinationem Benedicti ad se spectare: licet enim Nicolaus eius pater natus sit in civitate Vici, certum nihilominus est, quod a quinque supra triginta annis se transtulit ad civitatem Neapolitanam, in qua moratus est, et moratur exercendo artem argentariam et gemmariam, uti nedum ex testibus examinatis, sed ex confessione iudiciali ipsius Nicolai desumitur. Additur, quod uxorem duxit in eadem civitate, in eadem quoque liberos procreavit, quodque notabilius est, ex documentis insertis in processu curiae archiepiscopalis habetur, Benedictum, de cuius agitur ordinatione, Neapoli natum fuisse, Neapoli sacramentum confirmationis recepisse, et in denunciatione facta per parochum circa eius statum liberum tanquam Neapolitanum denunciatum fuisse, ita ut applicabilis videatur dispositio Bullae XLIV, quae incipit *Speculatores*, sanctae mem. Innocentii XII., ibi: « *At si pater in alieno loco... attendi debeat.* »

Episcopus contra Vici Aequensis asserit, sui iuris esse ordinationem Benedicti. Nicolaus enim illius pater Vici natus est, Vici possidet bona stabilia, in hac eadem urbe solvit onera communitativa, in hac ipsa urbe admissus est tanquam civis ad syndici electionem. Ad hanc demum urbem saepius rediit, relinquendo in propria domo uxorem et liberos; cumque ad civitatem Neapolitanam iverit exercendi gratia mercaturam, sive artem aurificam et gemmariam, nec apothecam fixam et stabilem habuerit, nec bona stabilia emerit, et interrogatus a promotore fiscali curiae archiepiscopalis dixerit, se semper habuisse et habere adhuc animum redeundi ad civitatem, in qua natus est, quod ipsum confirmatur a testibus, qui et hanc Nicolai declarationem et alia referunt in superioribus recensita: hinc iuxta sensum episcopi Vici Aequ. infertur, ad se tanquam ad ordinarium spectare ordinationem Benedicti, multoque magis, cum in cit. Bulla Innocentiana habeantur haec verba: « *Ceterum subditus... attendenda,* «et paulo post:» *Subditus autem ratione... affirmet.*»

Addit Benedictus impossibilem sibi esse sacrorum saltem ordinum susceptionem in civitate Neapolitana, cum ibi pater bona stabilia non habeat, et iuxta eius curiae leges patrimonium pro ordinatione constitui non possit, nisi in bonis stabilibus in dioecesi Neapolitana existentibus.

Quaeritur itaque: « Ad quem spectet ordinatio Benedicti in casu? » S. C. resp.: «Spectare ordinationem ad episcopum Vici Aequen. cum testimonialibus eminent. archiepiscopi Neapolitani, et amplius.» *Neapolitana* seu *Vici Aequen.* 12. Febr. 1718. Idem fere casus eademque resol. in *Neap.* seu *Caputaquen.* 8. Febr. 1721.

10. « Episcopus Neritonensis contendit, quod Marcus Antonius Macri incurrerit nedum suspensionem, sed etiam quod contraxerit irregularitatem; dicit enim, eum natum fuisse Jemini, qui est locus dioec. Uxentinae, sed Robertum eius patrem fuisse natum in terra Casarani dioec. Neritonen., et ipsum una simul cum patre in eadem Neritonen. dioecesi commoratum fuisse, et hisce minime obstantibus ad S. ordinem presbyteratus fuisse promotum nullis a se requisitis testimonialibus, ita ut suspensionem hac de causa incurrerit, et missam subinde celebrando irregularitatem contraxerit.

Excipit e contra Marcus, se nec suspensionem incurrisse, nec irregularitatem contraxisse, licet ab episcopo Neriton. pro sua ordinatione nec requisiverit nec habuerit litteras testimoniales. Ex testibus enim aliisque documentis in suo summario perlegendis ostendit, non Robertum, sed Dominicum suum patrem ortum quidem habuisse in terra Casarani, sed a triginta annis domicilium continuum cum animo perpetuo habitandi constituisse in oppido Jemini, in quo ipse deinde natus est; ostendit quoque, maiorem partem bonorum suae familiae esse in dicto oppido, in quo domum habet apertam, quodque ad locum Casarani si aliquando venit una cum patre, venit aut causa studii, aut causa videndi suos consanguineos, in quibus circumstantiis concludit, nullam adfuisse obligationem reportandi ab episc. Neritonen. litteras testimoniales. His stantibus quaeritur: an incurrerit in aliquam censuram in casu etc.? S. C. resp. *negative et amplius.*» *Uxentina* seu *Neritonen.* 17. Iun. 1719.

11. « Dominicus Antonuccius e civitate Tusculana oriundus anno 1663. Romam se contulit, ubi primum domum conduxit, quam etiam successive una cum aliis bonis acquisivit. Contraxit idem Dominicus anno 1680. matrimonium in Urbe cum Hieronyma de Parentibus, et ex hoc matrimonio anno 1685. in Urbe natus est Franciscus, qui sacramenta baptismatis et chrismatis in sacrosancta Lateranensi Basilica recepit. Vicarius curatus parochiae Sanctorum Quirici et Iulittae testatus est, dictos de Antonuccis ab anno 1663. in sua parochia domicilium habuisse et in eadem singulis annis praecepto annuae communionis satisfecisse, et Franciscus, post emensum in collegio Romano et archigymnasio Sapientiae studiorum curriculum, uti Romanus fuit prima clericali tonsura insignitus et dictae parochiali ecclesiae adscriptus, et successive ad minores ordines, et deinde ad maiores promotus est, praevia dispensatione Sanctitatis Suae super admissione tituli patrimonii, et trium mensium permanentia in domo missionis.

Sub obtentu, quod tonsuram, minores et maiores ordines idem Franciscus in Urbe recepisset sine litteris Eminentissimi episcopi Tusculani, instante promotore fiscali praedictae ecclesiae fuit eidem ab Eminentissimo episcopo mandatum, ut se a celebrando abstineret, habitoque per Franciscum recursu ad hanc Sac. Congregationem iuxta morem rescriptum fuit, quod audirentur Emin. episcopus Tusculanus et Vicarius urbis, et successive demandatum est, quod causa proponeretur in folio.

Prima, quae supervenit, informatio fuit illa Eminent. Vicarii Urbis, in qua inquit, fuisse Franciscum in Urbe prima tonsura, minoribus ordinibus et deinde maioribus insignitum, nullis requisitis literis Eminent. episcopi Tusculani, tum quia suo tribunali fuerunt exhibitae testimoniales super matrimonio parentum, et ipsius Francisci baptismate et chrismate in Urbe celebratis, nec non attestatio parochi super vita et moribus, una cum ceteris documentis de studiis in Urbe peractis, et de assignatione patrimonii in bonis in Urbe pariter existentibus, hinc inferendo, nullas pro Francisci ordinatione fuisse necessarias Emin. episcopi Tusculani litteras; licet enim Dominicus pater in civitate Tusculana natus esset, eius tamen permanentia in Urbe dici non potuit temporalis, occasione videlicet itineris, officii, legationis, mercaturae aut alterius temporalis morae, uti loquitur Constitutio Innocentiana mox alleganda, sed permanentia ad quinquaginta et ultra annos protracta talis fuit, ut in eius sequelam verum de iure contraxerit domicilium, in quo rerum statu sibi vindicat locum dispositio Bullae 44. « *Speculatores*, » ubi sic legitur: « *At si pater in alieno loco... attendi debeat.* »

Tum quia cum tota difficultas in eo consistere videatur, quod una cum domicilio in Urbe acquisito Dominicus pater retinuit etiam in civitate Tusculana domicilium, nulla ex facti circumstantia ortum habere potuit necessitas requirendi litteras testimoniales Emin. episcopi Tusculani; primo, quia, si Franciscus aliquando civitatem petiit Tusculanam, id fecit more Romanorum ad animum alleviandum; secundo, quia testimoniales litterae in constitutione Innocentiana requiruntur in ordinando ratione beneficii, ut in §. *Licet vero*, ratione accidentalis nativitatis, una cum permanentia ad tantum tempus protracta, ut po-

tuerit eo in loco, in quo ex accidenti natus est, canonico impedimento irretiri, quemadmodum legitur in §. *Ceterum*, vel demum in eo, qui alibi natus domicilium vere et perfecte acquisivit, sed in tali aetate a loco originis discessit, ut potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, uti habetur in §. *Subditus*; absque eo quod Innocentiana constitutio testimoniales exposcat epistolas illius episcopi, in cuius dioecesi, licet pater retineat domicilium, aliud tamen in alio loco domicilium acquisivit, ubi et filium procreavit, in hac quippe facti specie, cum filius subditus sit episcopi, in cuius dioecesi natus est, tum ratione originis, tum ratione domicilii, nullum sibi videntur vindicare locum litterae testimoniales episcopi illius loci, in quo pater natus est, et in quo adhuc retinet domicilium.

Pro quo assumptu militare videntur binae resolutiones huius Sacrae Congregationis, altera in *Neapolitana* seu *Hieracen. ordinationis*, in qua, orta controversia inter episcopum Hieracen. et archiepiscopum Neapolitanum super ordinatione cuiusdam clerici, asserente episcopo Hieracen., quod ipse erat ordinarius originis paternae, et excipiente archiepiscopo Neapolit., quod pater in civitate Neapolitana domicilium contraxerat, et ibi filium, de cuius ordinatione agebatur, procreaverat, Sacra haec Congr., quae die 27. Iunii a. 1699, fuerat in sensu, quod ordinatio pertineret ad episcopum Hieracen., die 27. Dec. 1700. distulit resolutionem, et die 5. Ian. 1701. recessit a decisis, et censuit, ordinationem spectare ad archiepiscopum Neapolitanum.

Altera resolutio est in causa *Romana* seu *Sutrina ordinationis* die 17. Martii 1708., in qua, cum episcopus Sutrinus assereret, ad se spectare cuiusdam clerici ordinationem, sub fundamento, quod pater et mater eius essent originarii suae Sutrinae dioecesis, et in ea bona possiderent, et e contra Eminentissimus Urbis Vicarius exciperet, quod quidquid esset de origine patris et matris, iidem domicilium contraxerunt in Urbe, in qua etiam orator natus erat, S. Congr. respondit: ordinationem pertinere ad Emin. Urbis Vicarium.

Supervenit deinde informatio Emin. episcopi Tusculani, in qua, praemisso, quod Dominicus Francisci pater Tusculi natus est ibique adhuc retinet domicilium et maiorem partem bonorum et publica communitatis munia exercet, et quod Franciscus, licet in Urbe natus, per notabile tempus Tusculi permansit usque videlicet ad aetatis suae annum 14., concludit, non potuisse eum ordinari prima tonsura et minoribus atque maioribus ordinibus sine litteris dimissorialibus, et in omnem durissimum casum sine litteris testimonialibus sui tribunalis.

Quod autem Franciscus non potuerit licite ordinari sine suis litteris dimissorialibus, in citata demonstratur informatione, quoties etenim Dominicus pater est originarius civitatis Tusculanae et in ea habet domicilium, filius, qui sequitur originem patris, non poterat initiari sine litteris dimissorialibus episcopi Tusculani.

Absque eo quod quidquam referat domicilium subinde a patre acquisitum in Urbe, in qua etiam, uti dictum fuit, filius natus est, quandoquidem saepe memorata Bulla Innocentiana non requirit tantum ad effectum contrahendi domicilium pro suscipiendis ordinibus decennalem habitationem in loco, translationem maioris partis bonorum, una cum instructis aedibus, quae satis erant de iure communi, sed ulterius praescripsit, quod deberet adesse iuramentum indicativum animi domicilium contrahendi, uti habetur in §. *subditus, ibi: «Se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet,»* quasi quod, non exhibito a Dominico patre iuramento, domicilium ab eodem in Urbe nunquam contractum dici valeat.

Ad partes positis resolutionibus allegatis in Hieracen. et in Sutrina; ignoratur enim, an in earum casu adfuerit iuramentum a Bulla Innocentiana requisitum pro contrahendo domicilio, et potius praesumi debet, quod adfuerit, tum quia S. Congr. processit cum supposito, quod ordinandi domicilium legitime contraxissent in civitatibus Neapolitana et Romana, quod contingere non poterat sine iuramento, tum quia semper Sac. Congregatio in terminis, de quibus agitur, reputavit, iuramentum esse necessarium pro domicilio contrahendo, uti ceteris omissis desumitur ex *Ugentima* seu *Hydruntina*, quae fuit proposita die 23. Iulii 1718., 18. Mart. 1719, 1. Apr. et 8. Iulii 1719, et in qua fuit resolutum, ordinationem non pertinere ad episcopum Ugentinum, sed ad archiepiscopum Hydruntinum, in cuius dioecesi ordinandus maiorem suorum bonorum partem habebat, una cum instructis aedibus, et inter cives fuerat adscitus, *praestito tamen iuramento ad formam Bullae.*

Et cum hoc themate procedendo concordatur §. bullae incipiens *At si pater* cum §. eiusdem bullae incipiente *Subditus*; primus etenim §. statuens, attendendum esse domicilium a patre acquisitum, et non originem patris, ut filius sit ordinandus, loquitur de domicilio per patrem legitime

contracto, modusque legitime acquirendi domicilium exprimitur in subsequenti §, in quo ultra alia requisita a iure communi inducta pro domicilio contrahendo, additur in bulla et illud iuramenti.

Quod vero in omnem durissimum casum Franciscus non potuisset ordinari sine litteris saltem testimonialibus curiae episcopalis Tusculanae, patet, quia idem in ea civitate permansit usque ad eam aetatem, in qua canonicum potuerat contrahere impedimentum, in quo rerum statu ad ordinationem legitime non proceditur nisi praeviis litteris testimonialibus ordinarii, in cuius dioecesi tempore praedicto permansit.

Multoque magis cum in civitate Tusculana pater, sicuti nunc, tunc etiam habuerit domicilium, in hoc quippe facti specie mora dici non potuit accidentalis et similis illi, quae fit ab eo, qui omnino exterus accedit ad aliquem locum, vel causa animum alleviandi vel vacandi studiis, quique idcirco promovetur sine litteris testimonialibus ordinarii dicti loci iuxta resoluta in *Turritana iurisdictionis* 17. Mart. 1708. et in alia *Turrit.* 3. Aug. 1709, et in *Uxentina* seu *Neritonen. ordinationis* 17. Iunii 1719.

His stantibus quaeritur: « *An Franciscus licite fuerit prima tonsura, minoribus et maioribus ordinibus initiatus in casu?* » Sacra Congr. rescripsit: *Negative. Romana* seu *Tusculana* 27. Apr. 1720.

12. « Proprius episcopus ad effectum ordinationis est ille, de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, vel habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem, uti habetur in cap. *Cum nullus*, de temporibus ordinat. (I. 9. 3 in VIto.)

Ad tramites huiusce textus, iuxta receptiorem doctorum opinionem, satis erat quodcunque beneficium, licet tenue et tenuissimum, cum et hoc veniat appellatione beneficii, uti post *Navarrum, Azorium, Garziam* et alios firmat *Passerin.* in cit. cap. *Cum nullus* qu. I. art. 3. num. 55. et 56.

At san. mem. Innocentius XII. in sua celebri constitutione, quae incipit *Speculatores* statuit, quod ad effectum subiectionis pro ordinibus recipiendis beneficium eius debeat esse talis reditus, ut ad congruam vitae sustentationem iuxta taxam synodalem, sive ea deficiente iuxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines detractis oneribus per se sufficiat, sublata quacunque facultate supplendi quod deficeret ad fructus eiusdem beneficii, cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia dioecesi obtineret.

Haec plana sunt et inconcussa. Id autem, quod excitavit difficultatem episcopo Patarensi suffraganeo seu auxiliatori episcopatus Elborensis, cuiusque resolutio ab hac Sacra Congregatione exquiritur, est, an, ut satisfactum dici possit bullae *Speculatores*, quae in terminis ordinationis, uti dictum est, exposcit beneficium talis reditus, ut ad congruam sufficiat sustentationem, satis sit, quod aliquis habeat coadiutoriam canonicatus cum futura successione et cum assignatione congruae, cuius ope ali possit, usque quo per obitum coadiuti canonicatum eiusque reditum accipiat?

Pro parte affirmativa facit, quod, licet quis non possit ad sacrum ordinem promoveri ad titulum coadiutoriae etiam cum futura successione, id tamen fallit, quando hoc interim coadiuto fuit assignata congrua portio; in hoc enim rerum statu ille, qui sic ordinatur, dicitur ordinari ad titulum pensionis, ut in puncto firmat *Garzias* de benef. T. I. P. II. c. 5. n. 132, *Pirhing* ad L. I. Decr. Tit. XI. de temp. ordinat. sect. I. §. 4. n. 69, *Castropal.* Oper. moral. T. IV. et V. tract. 27. disp. un. punct. 16. n. 5, *Barbosa* Iur. eccl. univ. L. III. c. 10. n. 80, *Ventrigl.* in praxi rerum eccl. P. II. annot. 13. §. un. n. 37.

Titulusque pensionis ecclesiasticae est titulus sufficiens, ut quis possit sacros ordines recipere, uti habetur Sess. 21. de ref. cap. 2.

Additur, quod idem Conc. Trid. Sess. 23. cap. 9. statuit, quod episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus et beneficium statim re ipsa illi conferat; cumque disputato in hac Sac. Congr. articulo: an pro ordinatione familiaris sufficeret, si episcopus illi non beneficium, sed pensionem conferret? et affirmative fuerit responsum, uti habetur apud *Fagnan.* in cap. *Ad audientiam* n. 137. de rescriptis: hinc infertur, quod sicuti in ordinatione familiaris, in qua Concilium exposcit beneficium, pensio est titulus pro ordinatione sufficiens, hoc ipsum dicendum sit in terminis bullae *Speculatores*, quae, licet ad effectum subiectionis velit, quod clericus habeat beneficium cum qualitatibus supra recensitis, pensionem tamen non respuat, qualis a doctoribus supra citatis dicitur illa, quae sub nomine congruae portionis assignatur coadiutori cum futura successione usquequo canonicatum obtineat.

Pro parte vero negativa facit, quod in terminis iuris communis, iuxta quod, uti

supra dictum est, proprius episcopus ad effectum ordinationis ille est, in cuius dioecesi ordinandus obtinet beneficium, proprius episcopus ad eundem effectum non dicitur ille, in cuius dioecesi ordinandus habet pensionem, cum pensio, sive detur in stipendium sive detur in titulum, nunquam veniat appellatione beneficii, uti probat textus in cap. *Quamvis*, de praebendis in VIto (III. 4. 4.), et confirmat textus in cap. *Ad audientiam* de rescr. et in terminis, de quibus agitur, late probat *Riccius* in praxi rer. eccl. P. I. de sacr. ord. resol. 273.

Adeoque, si quis non efficitur subditus ratione pensionis in terminis iuris communis, multo minus subditus pro ordinatione effici poterit in terminis bullae *Speculatores*, quae ex supradictis est restrictiva iuris communis.

Item iuxta saepe memoratam bullam *Speculatores* non potest episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad minores aut sacros ordines promovere, nisi ultra triennale servitium eidem conferat beneficium sufficiens pro vitae sustentatione. Disputato autem in hac S. Congr. articulo die 27. Iulii 1697. in quadam « *Tricaricen. ordinat.*: An, stante novissima « constitutione *Speculatores*, posset episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad sacros ordines ob « necessitatem, vel utilitatem ecclesiae, « nullo collato ecclesiastico beneficio? » S. haec Congr. *negative* respondit, uti habetur lib. XLVII. Decret. fol. 331, et id, quod in casu patrimonii fuit ibi resolutum a Sacra Congregatione, extenditur etiam ad titulum pensionis, ita ut post bullam *Speculatores* antiquae resolutiones nullum amplius sibi vindicent locum, teste *Monacell.* in formul. P. I. Tit. III. form. 17. num. 1. et 2.

Quocirca, si pro ordinatione familiaris respuitur pensio post bullam *Speculatores*, et beneficium est necessarium, non absimile ferendum erit iudicium in terminis eius, qui subditus evadit ratione beneficii, cum in utraque parte bulla *Speculatores* mentionem faciat beneficii pro congrua sustentatione sufficientis.

Ultra dubium, de quo usque adhuc habitus est sermo, succedit alterius dubii discussio, an in hypothesi, in qua ad tramites bullae *Speculatores* subditus non efficiatur ille, qui habet coadiutoriam cum futura successione et congruae assignatione, subditus tamen evadat ratione domicilii, quasi quod habita possessione coadiutoriae perpetuae animum demonstraverit perpetuo inhabitandi?

Porro affirmativa responsio suadetur, in quo bulla *Speculatores* ad rem, de qua agitur, acquisitionis domicilii exposcit animum patefactum perpetuo habitandi. Negativa autem sententia comprobatur, quia distincti sunt tituli subiectionis, originis videlicet, beneficii et domicilii, titulusque coadiutoriae referendus videtur non ad domicilium, sed ad beneficium.

Ultimum superest dubium discussioni propositum ab eodem episcopo Patarensi suffraganeo sive auxiliatore episcopatus Elborensis, et est, an ipse teneatur inquirere circa illos, qui sibi ab ordinario seu a capitulo dimittuntur ordinandi, an habeant requisita bullae *Speculatores?* Sede enim vacante capitulum intra annum a die vacationis concedit dimissorias arctatis, uti habetur Sess. VII. cap. 10. de ref.

Iuxta idem Concilium Sess. XXIII. cap. 3. de ref. episcopi, qui subditos suos dimittunt ordinandos ad alium episcopum, debent eos dimittere probatos et examinatos, et cohaerenter ad haec invaluit opinio, quod episcopus, cui facta est commissio, non tenetur inquirere, an dimissi sint idonei, et an habeant sufficientem titulum pro ordinatione, uti habetur apud *Fagnan.* in cap. *Cum secundum* num. 52. de praebendis et dignit., licet inquirere possit, si velit, iuxta resolut. huius Sac. Congr. in una *Nullius* 16. Ianuarii 1595. lib. VII. Decret. pag. 80. a tergo, ubi proposito dubio: « An episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii « episcopi, asserentis eos examinatos fuisse, et idoneos repertos, teneatur huiusmodi attestationi deferre, vel etiam possit ordinandos examinare? » responsum fuit: « posse episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii episcopi deferre, sed non teneri; » et concordat alia resol. super *dubio ordinat.* edita die 17. Ian. 1693. lib. XLIII. Decret. pag. 71.

His stantibus quaeritur:

I. An coadiutor cuiusdam canonicatus cum futura successione et assignata congrua, alias exterus, eo ipso dici possit subiectus capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi ordines, absque alia dimissoria episcopi suae originis?

II. An supradicta coadiutoria sufficiat saltem, ut talis coadiutor dicatur habere domicilium requisitum a const. san. mem. Innocentii XII. incipien. *Speculatores*, ad effectum suscipiendi ordines, ex eo quod ex possessione talis coadiutoriae perpetuae videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi?

III. An idem episcopus auxiliaris teneatur inquirere, utrum circa illos, qui sibi ab ordinario seu capitulo proponuntur seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit supradictae constitutioni *Speculatores*, non obstante, quod ipsi non competat habilitare et expedire ordinandos, sed provisori capituli, a quo non in genere, sed expresse personae habiles et expeditae proponuntur?

Sacra Congr. respondit: Ad I. *affirmative*. Ad II. satis provisum in primo. Ad III. non teneri inquirere, sed posse et debere, iusta subsistente causa, se abstinere ab ordinatione. *Elborensis* 2. et 23. Aug. 1721.

13. «Cum ad beneficium, abbatiam nuncupatam S. Nicolai Castrolenti iurispatronatus laicorum, duo fuerint praesentati, Hyacinthus videlicet de Scorpionibus, et Georgius Castriota, exorta est lis inter eosdem, eademque delata ad Rotae tribunal. Illud fuit in sensu, institutionem dandam esse Georgio, et quia Hyacinthus opponebat, eum fuisse illicite tonsuratum ab archiepiscopo Theatino, Rota respondit, quod ille erat in possessione clericatus, et quod ad effectum incapacitatis non sufficiebat, quod fuisset illicite tonsuratus, sed quod ulterius opus esset ostendere, quod per dolum vel cum sui ordinarii positivo contemptu tonsuram recepisset, uti videri potest in *Pennen. beneficii* 25. Iun. 1725. coram ben. mem. *Gentilotto*.

Impetravit Hyacinthus novam audientiam a Rotae auditorio, sub eo potissimum motivo, quod in hac Sacra Congregatione pendebat examen articuli super licita vel illicita tonsuratione, ex qua deinde argui poterat ad poenam suspensionis et incapacitatis ad beneficia, et urgente Georgio proponitur dubium ad calcem restrictius referendum.

Iuxta morem auditi fuerunt ordinarii. Archiepiscopus autem Theatinus, qui tonsuram contulit, retulit, se id fecisse praeviis litteris dimissorialibus episcopi Aquilani. Episcopus Aquilanus retulit, Georgium natum fuisse in civitate Aquilae non ex accidenti, cum Ioannes eius pater matrimonium contraxisset cum Candida de Nardis Aquilana, et decem circiter annos habitasset in civitate Aquilae, et quatuor ibi procreasset liberos, et ad dioecesim Pennen. non fuerit reversus una cum filiis, nisi post obitum uxoris; atque idem episcopus Aquilanus, ut ostendat, se rite et recte processisse, dicit, se non concessisse dimissoriales, nisi prius habitis attestationibus de vita et moribus Georgii a vicario generali Pennen., in cuius dioecesi Georgius morabatur; episcopus demum Pennen. retulit, Ioannem Leognanum Castriotam esse baronem et utilem dominum castri civitatis Quanae dioecesis Pennen., et sexdecim circiter abhinc annis domicilium transtulisse ad civitatem Aquilae, in qua duxit uxorem, et inter ceteros filios ex ea procreavit Georgium, eundemque post obitum uxoris ad suum castrum rediisse, in quo decem abhinc annis habitat una cum Georgio filio; item Georgium a suo antecessore petiisse primam tonsuram, et obtinere non potuisse, ex quo erat unicus filius, et futurus successor ad omnia feuda mobilia et rustica sui patris, concluditque, se semper eum habuisse pro illicite tonsurato, tum quia sine suis litteris dimissorialibus tonsuram receperat, tum quia in sua dioecesi non fuerant factae denunciationes iuxta decretum generale editum tempore Gregorii XV.

Iura circumferuntur, quocirca quaeritur: An Georgius Leognani fuerit licite tonsuratus? S. Congr. respondit: *Affirmative. Aquilana* 24. Maii 1727.

14. Blasius Antonius Coscius ortus in castello Blentinae dioec. Pisanae, ut vitae subsidia commodius sibi compararet, Clusium venit, ibique ducta uxore procreavit Petrum, quem septimum annum agentem Blentinam duxit, ubi domum habebat, ibique in patrui custodia reliquit. Hic petiit ab archiep. Pisano ut inter seminarii alumnos tanquam subditus cooptaretur, et ab eodem archiep. postea tonsura et minoribus ordinibus fuit initiatus. Inde ad sacros ordines ascendit inconsulto archiepiscopo Pisano, qui in iudicium eum vocavit. S. C. vero resp., licite eum ad sacros ordines fuisse promotum cum litteris dimissoriis ep. Clusini ac sine dimissoriis archiep. Pisani, sed esse suspensum ab exercitio ordinum ad tempus arbitrio S. C. *Pisana* seu *Clusina* 26. Ian. 1732.

15. Ioannes Bernardinus de Fulgentiis ex patrio oppido Castri Montis dioec. Valven. migravit ad castellum Catiniani, quod in spiritualibus subest abbatiae S. Mariae de Casa nova Nullius, ut ibi pharmacopoeam artem exerceret. Eo loco uxorem duxit et filium suscepit Franciscum. Deinde in oppidum Castri Montis rediit, et in propria domo cum filio sedem habuit. Filius tonsuram et duos priores ordines minores ab episcopo Valvensi, reliquos minores cum dimissoriis vicarii generalis abbatiae S. Mariae de Casa nova ab episcopo Melivetano titulari in civitate Theatina commorante suscepit. Habita quaestione, an licite esset

ordinatus, rescriptum datum est negativum et suspensus declaratus Franciscus, quamdiu ordinario videretur. *Valven.* seu *Sulmonen.* 22. Mart. 1732.

16. Sacerdos Petrus Xaverius de Antoninis natus fuit in aliquo dioecesis *Firmanae* oppido. Cuius pater ortus erat ex dioecesi *Asculana*. In dioecesi *Montis Alti* pater habitabat, ibique anno 1713. unam, anno 1718. alteram domum emerat. Ab anno vero 1705. usque ad annum 1712. moratus est in dioecesi Firmana, deinde octo annos in dioecesi Montis Alti; ab anno 1726. ad 1728. vero substitit Camerini, unde anno 1729. Montem Altum rediit, cuius civis erat. Petrus Xaverius anno 1706. in oppido aliquo dioecesis Firmanae natus, exceptis duobus annis, quos Romae vacans iurisprudentiae studio transegit, in iisdem locis, ubi pater artem medicam exercebat, vixit; in civitate Montis Alti publica quoque officia praestitit. Anno 1730. ab episcopo Asculano clericali militiae adscriptus est; cum eiusdem episcopi litteris dimissoriis ab episcopo Ripano mense Decembris anni 1731. ad ordines minores et sub finem eiusdem mensis, tribus diebus festis, ex apostolico indulto, ad sacros ordines ad titulum patrimonii, constituti in bonis, quae pater possidebat in civitate Montis Alti, promotus fuit absque litteris testimonialibus episcopi eiusdem dioecesis. Episcopus Asculanus antequam Petrus ordinaretur, per edictum exploravit, an quis sciret bona assignanda non esse libera, vel ipsum clericum canonico aliquo impedimento esse irretitum, quod edictum publice fuit propositum Montis Alti. Episcopus vero Montis Alti affirmat, se recusasse facultatem illud affigendi et vicarium quoque id facere vetuisse, ne tacite approbare videretur, quod episcopo Asculano ordines Petro Xaverio conferre liceret.

Dubiis propositis: I. An sacerdos Petrus Xaverius de Antoninis licite susceperit ordines sine dimissoriis episcopi Montis Alti? et quatenus affirmative: II. An licite eosdem ordines susceperit etiam sine litteris testimonialibus praedicti episcopi? S. Congr. respondit: « Ad I. *affirmative et amplius*. Ad II. *negative*, et in casu, de quo agitur; et quoad suspensionem arbitrio episcopi Montis Alti iuxta mentem, *et amplius*. » *Asculana* 7. Febr. 1733.

17. Superior generalis Congr. Missionis exposuit, non paucos in eandem Congr. cooptari solere Anglos, Scotos et Hibernos, qui nec litteras dimissorias ad ordines suscipiendos proferre, nec patrimonium constituere possint, cum patrias sedes ob cultum fidei catholicae deseruissent. Postulavit itaque indultum, ut sine litteris dimissoriis ordinariorum suae originis, sed a superioribus tantum facta potestate et ad titulum mensae communis initiari sacris ordinibus possint sub ea conditione, ut casu egressionis interdictum sit sacrorum exercitium, donec vel beneficium vel alia subsidia nacti essent. S. C. annuit ad formam brevis Clem. IX. ad decennium. *Parisien.* 29. Aug. 1733. (In brevi *Dudum* dat. 25. Oct. 1669. confirmatur bulla Pauli V. dat. 27. Maii 1617. super licentia alumnis colleg. nationis Scotorum Paris. concessa, suscipiendi a quocunque catholico antistite ordines sacros absque litteris dimissoriis suorum ordinariorum ac sine titulo beneficii vel patrimonii, sed ad titulum paupertatis.)

18. Clericus quidam in dioecesi Ilcinensi beneficium obtinuit auctoritate ordinaria erectum, cuius patrono competebat facultas amovendi beneficiarium ob legitimam causam aut postquam sufficiens patrimonium, aut aliud beneficium adeptus esset. Fundator insuper permiserat, ut clericus inops ad eius titulum ordinaretur. Laurentius Medischeschius, natus in dioecesi *Pientina*, ubi etiam domicilium habebat, postquam ordines minores recepit ab episcopo Pientino, beneficio illo accepto, sine litteris dimissoriis episcopi Pientini ab episcopo Ilcinensi ordinatus fuit. Litteras testimoniales eius generis, quae cuicunque clerico dioecesim relinquenti dari solebant, receperat quidem, non vero ad finem ordinationis fuerant conceptae. S. C. respondit: I. licite fuisse eum ordinatum ad titulum beneficii, de quo agitur; II. licite eum fuisse ordinatum ab episcopo Ilcinensi, in cuius dioecesi illud beneficium existit, sine litteris dimissoriis episcopi Pientini; III. litteras testimoniales fuisse sufficientes, in casu de quo agitur. IV. neutrum in poenas incidisse. *Pientina seu Ilcinen.* 18. Iul. 1733. Similiter S. C. iudicavit in *Messanen.* 12. Sept. 1739.

19. Coadiutoriam canonicatus vel dignitatis alicuius cum futura successione tam in casu, quo ipsi congrua portio aut pensio per coadiutum assignetur ex fructibus praebendae dignitatis vel canonicatus, quam in casu, quo congruam portionem sibi assignatam habeat ex propriis vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum coadiuti fuerit locus eius successioni ad dignitatem s. canonicatum, sufficere, ut coadiutor dicatur habere domicilium requisitum in const. Innoc. XII. incip. « Speculatores, » praestito iuramento ad for-

mam bullae « resp. fuit in *Tarraconen.* 16. Dec. 1741. et 18. Apr. 1744. Eodem modo S. C. iudicavit in *Elboren.* 23. Aug. 1721. quae supra num. 12. prostat.

20. N. ab episcopo dioecesis R. quatuor minoribus ordinibus fuit initiatus. Cum ad idoneam aetatem pervenisset se praesentavit successori episcopi, ut sacros ordines reciperet, qui dubitavit, num in sua dioecesi vere contraxisset domicilium. Natus fuit orator in dioecesi F. Pater eius muneribus et privilegiis civium R. fruebatur; ibi aedes sibi extruxerat et sepulchrum a quadraginta annis pro posteris suis comparatum habebat; ibidem liberos suos baptismatis sacro lavacro tingi voluit, uti orator ipse in ecclesia cathedrali R. erat baptizatus; tempore paschatis ibi cum familia sacramenta percipiebat; orator denique ipse ab infantia fere in eadem urbe versatus erat. Maiorem anni partem pater in civitate suae originis F. transigebat, ibique maiorem rerum partem habebat. Attamen clericum oratorem licite posse ordinari ab episcopo R., resp. S. C. in *Ravennaten.* 28. Sept. 1743.

—

21. N. in loco quodam dioecesis Verulanae natus fuit, ubi pater eius uxorem nativam eiusdem loci reliquerat apud affines, cum propter officium ius dicendi variis in locis degere deberet. Pater in loco dioecesis Alatrinae natus fuit, ibique beneficium iurispatronatus eiusdem familiae situm erat, ad quod N. ordinari cupiebat. S. C. censuit, ordinationem spectare ad episcopum Alatrinum. *Alatrina* s. *Verulana* 18. Mart. 1747.

22. Cum nuptias iniisset N. N. ex dioecesi Senogalliensi in urbem dioecesis Anconitanae, uxoris patriam, lares fortunasque transtulit, in qua domum sua pecunia emit, quam per viginti sex annos habitavit, inter decuriones urbis cooptatus. Natus est ex hoc matrimonio filius, qui cum ecclesiasticae militiae nomen dare cuperet, ortum est inter episcopum Senogalliensem et Anconitanum de iure tonsurandi eum discrimen. Anconitani enim haec erat sententia, sequi eum debere patris originem, quippe qui proprii in dioecesi Anconitana nihil possideret, neque animum in dioecesi permanendi manifestasset, immo sese post matris obitum in patriam redituram esse vovisset. Contra Senogalliensis episcopus in hanc sententiam abiit; ut patrem domicilium in dioecesi Anconitana sortitum, itaque filio quoque ius nativitatis quaesitum, et episcopi iurisdictionem fundatam esse diceret.

S. C. censuit ius, de quo agebatur, spectare ad ep. Anconitanum, facta declaratione medio iuramento per patrem iuxta bullam *Speculatores. Anconit.* seu *Senogallien.* 28. Sept. 1754.

23. Adscripserat clericali militiae suae dioecesis hominem episcopus Burgensis, nec tamen ad minores eum se admissurum esse declaravit, nisi in Burgense seminarium se reciperet. Postea, cum Cremonae ad beneficium iuris patronatus homo praesentatus esset, testimoniales quidem ad beneficia assequenda ei episcopus dedit, expressam vero simul clausulam adiecit, se his litteris ei ad ordines promoveri cupienti non velle suffragari. Adeptus beneficium clericus praestito sacramento domicilium in civitate Cremonensi elegit, et, licet litteras ei testimoniales episcopus originis repetita vice denegasset, ordines minores ab episcopo domicilii cum litteris testimonialibus accepit, ut a quocunque episcopo catholico ad sacros ordines promoveri posset. Quod cum factum esset, et sacerdos, spreta episcopi originis monitione, sacra cum privatim tum publice egisset, res delata est ad S.C., et propositae sunt quaestiones duae: I. An constet de legitima ordinatione, ita ut non inciderit in poenas bullae *Speculatores*, et quatenus affirmative: II. An constet de irregularitate in casu. S. C. censuit: Ad I. *negative* ad primam partem et incidisse. Ad II. *affirmative et amplius. Burgi S. Donnini* seu *Cremonen.* d. 1. Aug. 1750.

—

24. Cum quaereretur, utrum clericus quidam ad maiores ordines promovendus esset in dioecesi Amerina, in qua tria obtinuit beneficia simplicia itaque non residentialia, quae singula ad congruam sustentationem non sufficiebant neque ad congruam constituendam uniri poterant, an in dioecesi Spoletana originis et domicilii, in qua non solum minores ordines, sed capellaniam quoque acceperat et examini coram examinatoribus synodalibus se subiecerat, ut ad sacros ordines promoveretur? S. C. a Spoletano promovendum esse iudicavit. *Spoletana,* 20. Nov. 1756.

25. Homicidii causa profugus a Camerino eius patria, Camertem uxorem in Urbe duxit Alexander genuitque ex ea Venantium. Cum familia deinde Anconam se contulit: ibique eius filius inter milites adscriptus nupsit a. 1765. ac sutoriam artem in conducta domo exercuit. Rediit Alexander Camerinum et Venantius post genitum Anconae Sanctem damnatus fuit propter crimen commissum in triremes. Cuius filius

Sanctes inter alumnos seminarii Anconitani admissus fuit, ibique primam tonsuram et minores ordines ab ordinario accepit. A triremibus liberatus Venantius cum exilio ab Ancona necessario adiit locum suae originis Camerinum, relicto domicilio Anconae, et anno 1789. eum secuti sunt uxor et filius. S. C. censuit Sanctem debere promoveri ab episcopo Anconitano cum testimonialibus Archiepiscopi Camerinensis *Anconitana* 14. Mart. 1795.

—

26. Dominicus Bertagni in dioecesi S. Michaelis de Capharonia Massensis dioecesis, ubi ortum habuit, XIV. annorum spatio moram duxit, ac deinde an. 1814. minoribus ordinibus initiatus Sermezzanam Lunensis Sarzanen. dioecesis una cum patre venit, obtentisque mense Sept. 1822. litteris dimissorialibus a vicario capitulari Massensi, ad subdiaconatus ordinem titulo patrimonii eidem a patruo constituti fuit promotus. Verum episc. Lunensis Dominicum, quem sibi ratione domicilii subditum contendit, ab ordinis exercitio suspensum declaravit, monuitque vicarium Massensem, ne dimissorias ad alios sacros ordines ipsi concederet. Timens autem idem Dominicus, ne in suspensionem revera incideret, absolutionem, quatenus opus esset, imploravit, cumque in locum originis iam remigrasset, flagitavit, ut cum litteris dimissorialibus vicarii Massensis diaconatu ac presbyteratu insigniri valeret. S. C. ad dubia: I. An Dominicus Bertagni sine dimissoriis episcopi Lunen. Sarzanen. fuerit licite ad subdiaconatus ordinem promotus in casu etc.? II. An sine litteris testimonialibus eiusdem episcopi fuerit licite ordinatus in casu etc.? Et quatenus negative: III. An concedenda sit absolutio a suspensione in casu etc.? IV. An, quomodo et ad quem episcopum spectet collatio aliorum sacrorum ordinum in casu etc.? resp. ad I. *affirmative*, ad II. *negative*, ad III. *affirmative* facto verbo cum SSimo., ad IV. *affirmative* ad episc. Massensem servatis servandis. *Lunen. Sarzanen.* 29. Maii 1824.

27. N. natus fuit in dioecesi Terracinensi ubi pater eius, qui in dioecesi Privernensi natus erat et fundos habebat, artis suae exercendae causa commorabatur. Tribus annis post, cum filius natus erat, pater cum familia emigravit in dioecesim Albanensem a municipibus ad munus suum ibi gerendum adscitus. Filius accepit locum in seminario dioecesis Privernen. et decem annos natus prima tonsura initiatus est ab episcopo dioecesis Albanensis, habitis ab administratore dioecesum Terracin. et Privern. litteris dimissorialibus. Ad sacros ordines, obtento alio loco in seminario dioecesis Privernen., ascensurus quaerit, cui competat ordinatio? S. C. respondit, ordinationem competere episcopo dioec. Privernensis cum litteris testimonialibus episcopi dioecesis Albanensis. *Terrac.* et *Privern.* et *Alban.* 26. Ian. 1833.

—

28. Cum homo quidam dioecesis C. neque filium in seminarium clericorum introducere neque ei patrimonium constituere propter paupertatem posset, et cognatus quidam dioecesis T. ei patrimonium constituere ea lege vellet, ut dioecesis T. clero accenseatur, ordinarius litteras dimissoriales denegavit. S. C. resp., primam tonsuram recipere posse in dioecesi T, dummodo ibi domicilium auctorante patre eligat, praestetque iusiurandum iuxta Const. « *Speculatores* », servatis de iure servandis, in *Caietana* et *Terracin.* 31. Ian. 1835.

29. I. In dioecesi Spoletana parochia E. erat, in qua ordinarii Spolet. et Reatinus promiscuam iurisdictionem exercebant. Quae cum maxime exiguos haberet reditus, a S. Congr. data fuit facultas, ut uniretur ei parochia D., eo modo, ut ordinarius S. bina vice, ordinarius R. una vice ius nominandi parochum haberet. Iurisdictionem is semper exercebat, qui parochum pro tempore nominaverat. Clericus C., oriundus e parochia E., tempore, quo ab ordinario R. iurisdictio exercebatur, in eiusdem seminario degebat, et ab eo ad minores ordines est provectus. Postquam ad ordinarium S. iurisdictio transierat, idem C. in urbe residentiali eiusdem studiis in collegio quodam operam dedit, et ab ordinario S. subdiaconatus ordinem sine litteris testimonialibus recepit, quamvis quatuor per annos in seminario episcopi R. fuisset moratus. —II. P. ex parochia D. oriundus, cui semper subiectus fuerat, studiorum causa in seminario ordinarii R. degens, quamvis iurisdictionem tunc exerceret ordinarius S., per episcopum R. sine alterius litteris fuit ordinatus. Dubiis propositis I.: An C. sine litteris testimonialibus episcopi R. fuerit licite ad subdiaconatum promotus? et II.: An P. sine dimissoriis ordinarii S. fuerit licite ordinatus? S. C. resp.: Ex peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, concurrentibus, non esse inquietandum; in posterum vero in casibus similibus esse exquirendas litteras testimoniales. Ad II. *negative*, in *Spolet.* et *Reat.* 11. Iul. 1840.

C. IX. *Episcopus familiarem ordinans conferat statim beneficium re ipsa.*

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium [1]) quacunque fraude cessante statim re ipsa illi conferat; consuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

[1]) cf. c. 2. X. de praeb. III. 5. (Epit. Nov. Iul.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « Post collatam ab archiepiscopo Sipontino Ioanni Pace clerico Romano suo familiari mansionariam residentialem, una cum simplici beneficio, quorum fructus congruam patrimonii sacri a synodo Sipontina praescriptam excedebant, exorta fuit controversia, an onera missarum essent deducenda, ad effectum statuendi, quod ipse haberet sufficiens sacrum patrimonium pro sacris ordinibus recipiendis; cumque die 27. Novembris 1717. Sac. haec Congr. demandaverit, ut super hoc articulo scriberetur pro veritate, et hoc interim praedictus clericus ad evitandam quamcunque controversiam supplementum obtinuerit ex bonis patrimonialibus archiepiscopi Sipontini, ita ut, deductis etiam oneribus missarum, nulla sit amplius controversia, quin ipse habeat sufficiens patrimonium constitutum partim in beneficiis, partim in bonis propriis archiepiscopi, loquendo tamen de sufficientia patrimonii, non ad tramites taxae urbis, sed ad tramites taxae Sipontinae, fuerunt in proxima praeterita Congregatione a memorato clerico Ioanne Pace preces renovatae pro facultate ascendendi ad sacros ordines, una cum instantia, ut tribunali Emin. Urbis Vicarii demandetur, quod sibi litterae testimoniales concedantur; cumque Emin. D. Card. Propraefecto meum restrictum de more Eminentiae suae exhibitum perlegenti articulus visus fuerit exemplaris, mihique demandaverit, ut eum in folio describerem, mandatis ea qua decet reverentia morem gero et cohaerenter ad haec disputanda proponuntur dubia ad calcem referenda.

Pro instantia oratoris facit, nullam videri excitari posse difficultatem in ordine ad supplementum ex bonis patrimonialibus ad effectum constituendi sufficiens patrimonium, partim ex dictis bonis, partim ex beneficiis; id enim nuper fuit admissum ab hac Sac. Congr. in *Tudertina capellaniae* 12. *Martii* 1718. Item facit pro instantia, non esse hic et nunc attendendam taxam urbis, sed taxam Sipontinam; mansionaria etenim, ad cuius titulum Ioannes petit ordinari, non est beneficium simplex, sed residentiale; et quando versamur in beneficio residentiali, non attenditur taxa loci originis, sed loci beneficii, uti resolvit haec Sac. Congr. in *Romana s. S. Agathae Gothorum* 27. Maii 1713. Denique in eo, quod attinet ad litteras testimoniales oratori concedendas a tribunali Emin. Vicarii, facit bulla *Speculatores*, quae non dimissoriales, sed testimoniales litteras exposcit quoad ordinarium originis, quando agitur de ordinando in alio loco, ad quem ipse transtulit domicilium, uti contigisse praetenditur in hypothesi praesenti, in qua clericus intendit ordines suscipere ad titulum mansionariae residentialis in dioecesi Sipontina existentis.

Facit e contra adversus instantiam oratoris, quod ipse ratione originis est subditus Card. Vicarii Urbis, et ad evitandas fraudes non admittitur supplementum ex bonis patrimonialibus nisi in episcopo originis, ita ut, concurrente utilitate et necessitate ecclesiae, ipse solus admittere valeat, ut pro adaequatione patrimonii sacri fiat unio bonorum patrimonialium cum beneficio, iuxta late deducta per *Monacell.* in Formul. Leg. T. II. pag. 227. a. num. 20. usque ad 26. Item facit contra instantiam oratoris, quod attenditur taxa non loci originis, sed loci beneficii, quando beneficium non solum est residentiale, sed etiam satis est pro congrua ordinandi sustentatione; quod in casu nostro non verificatur. Facit demum, quod orator non recepit ab archiepiscopo Sipontino beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, uti dictum est, et quod maiorem bonorum suorum partem cum instructis aedibus non transtulit ad dioecesim Sipontinam, nec animum patefecit ibidem perpetuo permanendi, in quibus circumstantiis non testimoniales, sed dimissoriales Vicarii Urbis videntur requiri ad tramites bullae *Speculatores*.

His stantibus quaeritur:

I. An oratori indulgenda sit facultas ascendendi ad sacros ordines ad titulum mansionariae una cum supplemento ex bonis patrimonialibus in casu? et quatenus affirmative:

II. An eidem dandae sint a tribunali Emin. Vicarii Urbis litterae testimoniales vel dimissoriales in casu etc.?

Sacra Congr. respondit. Ad I.: *affirmative*. Ad II., dandas esse ab Emin. Urbis Vicario litteras testimoniales et dimissoriales ad normam taxae Urbis. *Romana* seu *Sipontina* 23. *Iulii* 1718.

2. Dubio proposito: An stante novissima constitutione *Speculatores* possit episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad sacros ordines ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae, nullo collato beneficio ecclesiastico? resp.fuit: *negative*. *Tricaricen.* 27. Iul. 1697. (rel. II. 66.)

C. X. *Episcopis inferiores praelati tonsuram vel minores ordines ne conferant, nisi regularibus sibi subditis; nec ipsi aut capitula quaecunque dimissorias concedant; graviori in decretum peccantibus poena statuta.*

Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecunque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae synodi decretis continentur [1]), ad episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius sanctae synodi sub Paulo III. decretum [2]) a capitulo episcopali sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione episcopi loco capituli sede vacante succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi.

[1]) cf. Sess. XIV. c. 5. 6. 11. 12. — [2]) Sess. VII. c. 10. de ref.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Proposito a superioribus monach. Carthus. dubio: an nostri ordinandi obligentur habere licentiam ordinarii, in cuius dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius dioecesis? SS. D. N. etiam ex sententia S. Congr. Concil. declaravit obligari. 1573. Ex l. I. Decr. p. 75. rel. a *Bened.* XIV. in bulla de ordinationibus regularium 1747. Bullar. T. II. p. 179.

2. SS. D. N. Xistus V. ex sententia Congr. respondit, regulares posse concedere dimissorias ad episcopum dioecesanum, eoque absente, vel etiam praesente et ordinationem non tenente, ad quemcunque, dummodo ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. Ex l. IV. Decr. p. 108. rel. ib.

3. De mandato SS. D. N. Clementis D. P P. VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quibuscunque saecularium superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea, quae in decreto S. Congr. Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis:

« C. C. censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et cum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationem ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi D. N. P. reservatas poenas incurrant. In quorum fidem cet. » Dat. Rom. d. 15. Mart. 1596. Rel. à *Benedicto* XIV. ib.

4. S. C. rescr.: regulares volentes se promoveri ad ordines, non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in Decreto s. m. Clementis VIII. 28. Febr. 1654. Ex l. XIX. Decr. p. 316. ib.

5. Ordinum collationem et dimissorialium concessionem ad primam tonsuram, ordines minores et sacros subditis abbatum non exemptorum neque privilegio speciali indutorum conferendos, spectare ad episcopum, neque requiri litteras testimoniales eorum abbatum resp. S. C. in *Caputaquen.* 17. Dec. 1712. (IX. 177. P. II.)

—

6. Proposito dubio: An regulares degentes in dioecesi, ubi sedes episcopalis vacet, possint promoveri ad ordines a quocunque catholico episcopo antistite cum litteris dimissorialibus suorum praelatorum et cum attestatione vicarii capitularis testantis de sedis episcopalis vacatione in casu etc.? S. C. resp.: dentur decreta dierum 24. Aug. 1619. et 20. Iul. 1675. *Tirasonen.* 13. Iul. 1682. (alleg. LI. 97.)

In decreto vero 24. Aug. 1619. repetitum est decretum generale a Clemente VIII. confirmatum (cf. supra num. 3.), additis his verbis: « Quod si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius dioecesis, huiusmodi dimissorias concedendas esse ad episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quae de episcopo dioecesano superius praescripta sunt. »

7. Abbatibus, etiam Ord. Cisterciensis, non licere monachos suos dimittere ad alium episcopum pro suscipiendis ordinibus sine litteris dimissoriis ordinarii, servandumque esse decr. Clementis VIII. a. 1596, quo per modum legis universalis regulares iubentur suscipere ordines ab episcopo dioecesano, censuit S. C. in *Brixien.* 12. Dec. 1733. ad III.

8. Monachos ordinatos ab alio episcopo cum solis litteris obedientialibus et sine dimissoriis episcopi dioecesani esse illicite ordinatos et tam abbatem quam ipsos incidisse in poenas canonicas, censuit S. C. in *Brixien.* cit. ad IV. et V.

9. Abbates neque sine litteris dimissoriis ordinarii monachos dimittere ad alium episcopum pro suscipiendis ordinibus, neque minores ordines et tonsuram regularibus sibi non subditis conferre, neque saecularibus aliarum dioecesum cum dimissoriis eorum ordinarii et sine licentia proprii ipsorum ordinarii possunt. *Brixien.* 12. Dec. 1733. ad II. VI. et VII.

10. Dimissorias ad ordines saecularibus concedere aut matrimoniales denunciationes dimittere, nulli plane inferiori, etiam episcopalem iurisdictionem habenti, ac nullius etiam dioecesis existenti licet. *Vesprim.* 26. Mart. 17. Dec. 1718. Eodem modo quoad dimissoriales, iudicavit in *Nullius* s. *Brictinoren.* 21. Jan. 1719.

11. Abbates, etiamsi constet de territorio separato cum plena iurisdictione quasi episcopali, nequeunt, si privilegio apostolico non sint instructi, litteras dimissorias subditis saecularibus concedere. 24. Aug. 1670.

12. Abbatem *non benedictum, si habeat privilegium speciale apost.* conferendi ordines minores, posse *suis subditis* regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio apost. concessum, censuit S. C. in *Panormitana* 16. Mart. 1647. ad I. dub. (rel. VI. 175.)

13. Praeposito collegiatae exemptae ius non competere dandi dimissorias pro ordinatione peragenda a quovis episcopo clericis eidem inservientibus, resp. S. C. in *Regien.* 15. Iun. 1709. ad VI.

14. Quoad abbates familiae Cisterc. satis esse S. C. censuit, quod benedictionem susceperint a suo superiore generali (iuxta eorum privilegia) vel eius subdelegatis ad conferendum tonsuram et minores ordines suis subditis regularibus, ita ut, nisi aliud obstet ordinatis canonicum impedimentum, teneantur ordinarii iis conferre ordines minores. *Vratislavien.* 12. Febr. 1724.

15. Abbatibus cuiusdam monasterii facultas data fuit a S. Pont. utendi mitra, baculo aliisque insignibus pontificalibus. Nunquam vero ordines minores contulerunt, quamvis, habito episcopi consensu, omnia exercuerint pontificalia, neque id ius a Pont. expresse iis fuit datum. S. C. censuit, eos non habere potestatem conferendi suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines. *Frisingen.* 17. Sept. 1746.

16. Concilium c. 10. Sess. XXIII. prohibet abbatibus, ne possint tonsuram vel minores ordines cuiquam, *qui regularis sibi subditus non sit*, intra fines alicuius dioecesis conferre. Quaeritur an de consensu episcopi Parmensis possit conferre dictos ordines? S. C. censuit, posse de licentia ordinarii loci et cum litteris dimissoriis ordinarii eorum, qui ordinandi sunt. *Parmen.* 1586. (rel. XLII. 219.)

17. S. Congreg. censuit: I. abbatem, ex privilegio Pii V. facultatem habentem ea omnia faciendi, quae facere potest abbas benedictus, qui de mandato vicarii apostolici quibusdam saecularibus non sibi, sed

ipsi vicario subditis primam tonsuram et minores ordines contulit, contravenisse Concilio et constitutioni san. mem. Xisti V.; II. characterem tamen ordinis impressisse; III. tam ordinantem quam ordinatum incidisse in poenas propositas san. mem. Xisti V. in *Cremon.* 13. Iunii 1591. (alleg. XLII. 219.)

18. S. C. alias censuit, saecularem tonsuratum ab abbate benedicto vel habente privilegium, ut possit ea omnia, quae potest abbas benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari ob ademtam sibi a Concilio saeculares ordinandi facultate, recepisse tamen characterem; secus si abbas non esset benedictus vel tale privilegium non haberet. 11. Maii 1624. (rel. XLII. 219.)

19. Cum quaesitum fuisset: an ordines minores per abbatem regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si abbas habeat privilegium illos suis subditis conferendi? responsum prodiit: collationem ordinum supradictis non suis subditis etiam regularibus factam, si fuerit de ordinibus etiam minoribus et dictus abbas non benedictus non habeat privilegium apostolicum, ordines collatos remanere invalidos, et ordinatos indigere alia ordinatione. Si vero abbas non benedictus habeat dictum privilegium, et ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodo absolutione et rehabilitatione a sede apostolica. *Panormit.* 16. Mart. 1647. (rel. XLII. 220.)

20. Ordines minores conferre aut regularibus non subditis, aut saecularibus, etiamsi habeant litteras dimissorias vel a superioribus generalibus vel a suis ordinariis, sine licentia episcopi dioecesani sive loci, ubi conferuntur, abbatibus non licere; ordines vero esse validos, si abbates aut habeant privilegium apost. ordines conferendi, (etiamsi non fuerint benedicti,) aut sint benedicti ab episcopo, censuit S. C. in *Catanien.* 3. Dec. 1641, confirmat. a Pont. Urbano VIII. 15. Febr. 1642. (rel. VI. 175.

21. Cum quaesitum fuisset, an abbates Congr. S. Bernardi et S. Benedicti conferre potuerit ordines minores regularibus sibi non subditis, necnon saecularibus etiam habentibus litteras dimissorias suorum superiorum? S. C. resp. id fieri nequaquam potuisse, addidit tamen: promotos ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum, sed absolutione et rehabilitatione a S.S. obtinenda. *Conimbricen.* 26. Iun. 1655. (alleg. LXVIII. 93.)

22. Sub assertione, quod abbas Vallis Umbrosae haberet « un particular privilegio di ordinare chi si fosse » Philippus Bianciardi dirigi ad eum obtinuit ab episcopo Cellensi dimissorias ad conferendam tonsuram Alberto ipsius filio, qui in eo monasterio educationis causa vivebat. Collata tonsura abbas potestatem sibi non esse animadvertit, et S. C. quaesita respondit, constare de nullitate collationis sacrae tonsurae et esse secreto reiterandam. *Collen.* 24. Ian. 1795. Idem iudicavit de ordinibus minoribus ab abbate Olivetano post abbatiam dimissam collatis in *Olivetan.* 20. Sept. 1788.

C. XI. *Interstitia in susceptione minorum ordinum, et certa alia praecepta observanda.*

Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia [1]), nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit huius disciplinae pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere iuxta praescriptum episcopi se exerceant [2]), idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia (nisi forte ex causa studiorum absint), atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in iis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat [3]). Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat.

[1]) cf. infra c. 13. — [2]) cf. infr. c. 17. — c. 3. D. LIX. (Greg. I.) — [3]) c. 1. 2. D. LIX. (Zosim.), c. 4. ib. (Coelest.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Duo minores ordines una cum subdiaconatu collati erant. Praetendebatur, ordinatos, qui in susceptis propter reverentiam non ministraverant, non esse suspensos, ex quo furtive non se immiscuerint ordinationi, nec ullam suspensionem fuisse incursam ab ordinante, cum poena in collatione quidem duorum maiorum ordinum, nec vero in collatione minorum cum subdiaconatu sibi vindicet locum. Dubio proposito: An et quomodo esset danda absolutio in casu? S. C. resp.: Quoad ordinatos dandam esse absolutionem praevia salutari poenitentia arbitrio episcopi vicinioris, et quoad ordinantem rescriptum *ad mentem*, quae explicata fuit per epistolam ad ordinantem scriptam, in qua postquam S. Congr. eum acriter arguit asserendo eum plus deliquisse quam ordinatos, cum ordines scienter contulisset, poenam vero pro ea vice benigne remisit, dummodo in posterum a similibus abstineret. *Boven.* 7. Maii 1707. (ex *Regestis* lib. LVII. fol. 23. a tergo et fol. 156. relat. IV. 270.)

—

2. Archiepiscopus Calaritanus ad tollendos abusus clericorum coniugatorum, qui in dedecus ordinis clericalis et in perturbationem iurisdictionis ecclesiasticae facinora committebant vilesque artes exercebant, petiit ut ipsi indulgeretur, ut una eademque die, hoc est in quatuor temporibus, in sabbato Sitientes et in sabbato sancto primam tonsuram, ordines minores et subdiaconatum iisdem personis conferre posset. Sed non derogandum S. C. censuit iuri communi ad propulsandos abusus, qui aliis iuris remediis poterant coerceri. *Calaritana*, 25. Febr. 1728.

3. Clericus quidam cum ad priores duos ordines minores esset promovendus, episcopi ministri negligentia inter eos, quibus alii duo minores ordines conferendi erant, accitus fuit atque ita sine ipsius culpa ad hos posteriores assumptus. Episcopus, cui libellum ille obtulit, respondit, illos ordines publice non esse conferendos, eumque interim agere debere quae oporteret. Bona fide in ordinibus receptis ministraverat. Dubio proposito: an clericus N. sit dispensandus ad ordines ostiariatus et lectoratus et an egeat absolutione, et quomodo ea sit concedenda? resp. fuit: esse absolvendum, et resp. dispensandum ad cautelam tum ad ordines omissos tum ad alios minores ordines arbitrio episcopi. *Florent.* 5. Dec. 1744.

—

4. S. C. censuit, iudicium remittendi temporum interstitia ad episcopum solum pertinere, non autem ad generales aut provinciales Ordinum, d. 17. Maii 1593. Ex l. I. Decr. p. 149. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LVIII.

5. S. C. censuit remissionem interstitiorum etiam quoad regulares ex causis tantum a Concilio expressis faciendam pertinere ad episcopum ordinantem, eum tamen hac in re debere quoad causas deferre iudicio et attestationi superioris regularis ordinandi, 31. Maii 1597. Eandem sententiam iterum evulgavit d. 1. Iulii eiusd. anni et d. 12. Sept. 1609. Ex l. IX. Decr. p. 1822. et l. XI. p. 65. rel. a *Bened.* XIV. ib.

C. XII. *Aetas ad maiores ordines requisita; digni duntaxat assumendi.*

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur [x]). Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.

[x]) Clem. ult. de aet. et qual. et ord. praef. I. 6. (Clem. V.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

I. Abbates, etiamsi sint exempti, et quamvis privilegia ante Conc. Trid. concessa postea a Pontificibus fuissent confirmata, dispensare tamen non posse super aetate cum religiosis sui monasterii sibi subditis pro suscipiendis sacris ordinibus; nisi huius dispensationis facta sit peculiaris mentio, quae pro nova concessione haberi possit. II. Monachos ad ordines promovendos, praeter litteras obedientiales, dummodo in iis exprimatur aetas, non teneri exhibere ordinario fidem sui baptismatis ad

docendum de aetate legitima. III. Monachos ordinatos cum dispensatione abbatis super aetate, *illicite* esse ordinatos, et tam abbatem, quam ipsos incidisse in poenas canonicas, censuit S. Congr. in *Brixien.* 12. Dec. 1733.

C. XIII. *Subdiaconi et diaconi ordinatio qualis, et eorum munus; nulli ordines sacri duo conferantur eodem die.*

Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium [1]), et in minoribus ordinibus iam probati, ac litteris et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse [2]), ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati [3]), ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, adscendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur [4]); privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque.

[1]) 1. Tim. III. 7. — cf. c. 3. D. LXXVII. (Siric.) — [2]) cf. c. 1. D. XXVIII. (Greg. I.) — [3]) supr. c. 11. — [4]) cf. c. 11. 15. X. de temp. ord. I. 11. (Innoc. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « Maximilianus Carolus de Coupigni vir nobilis e dioecesi Iprensi, cum esset constitutus in aetate annorum 21, subdiaconatus ordinem recepit anno 1711, cumque SSimo D. N. supplicaverit pro dispensatione super voto continentiae sub obtentu, quod ordinem receperit per vim et metum a matre illatum, scriptum fuit iuxta morem officiali Iprensi pro informatione et voto.

Respondit officialis, exposita in facto subsistere, et nonnullas attestationes transmisit, in quibus refertur, comitissam oratoris matrem, quae erat vidua et usufructuaria bonorum, necnon indolis et naturae admodum violentae et vehementis, eidem minatam fuisse, quod ipsum esset omnino derelictura, si sacros ordines suscipere recusasset; accedit ipsius Maximiliani examen, in quo praedicta omnia exponit, addendo, quod ab episcopo Albianensi recepit ordinem subdiaconatus virtute dimissorialium episcopi Iprensis sui ordinarii, quae fuerunt a matre ad se transmissae una cum litteris comminatoriis. Eques etiam de Coupigni frater natu maior suum libentissimum praestat pro dispensatione assensum, et reverendissimus nuncius Galliarum sibi constare asserit, quod revera M. per vim et metum a matre incussum subdiaconus factus est.

Supplicationis fundamentum in vi praedicta et metu constituitur, licet enim magna sit inter doctores disputatio, an sicuti recipiens ordinem subdiaconatus per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non praecisam, sed causativam, vere recipit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo votum continentiae est sacro ordini annexum, uti videri potest in binis magistralibus decisionibus, prima videlicet et secunda *Caesaris de Grassis* tit. de his quae vi metusve causa fiunt, in quibus decisionibus auctoritates et rationes hinc inde pugnantes afferuntur, hoc unum tamen certum esse videtur, quod metus licet conditionalis praestat Pontifici iustam causam dispensandi a voto continentiae, quod est annexum subdiaconatui, uti habetur in decis. L. alleg. in f. « Ideo domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret dispensationem omnino a Papa, et dicebant, quod huiusmodi metus praestat iustam causam illam concedendi. »

Absque eo quod quidquam referant resoluta ab hac S. Congr. in *Hispalen. nullit. ord.* 25. Mart. et 2. Maii 1716, quia in tantum dictum fuit, non constare de nullitate collationis ordinis subdiaconatus, in quantum metus non fuit ex testibus allegatis comprobatus, cuius contrarium praetenditur in hypothesi praesenti contingere. His stantibus, onus erit EE. VV. decernere: « An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu? » S. C. die 5. Aug. 1719. resp.: « *Dilata et coadiuventur probationes.* »

—

Instructio fuit exarata et transmissa, tam ad nuncium Galliarum, quam ad officialem Iprensem, in qua apposita fuerunt sequentia verba: « Supplicavit D. N. subdiaconus M. C. de C. pro dispensatione super voto continentiae, eo sub obtentu, quod subdiaconatus ordinem receperit per vim et

metum sibi a matre illatum, precibusque ad hanc S. Congr. Concilii remissis, EE. PP. audita tua relatione nonnullisque attestationibus super dictis vi et metu transmissis inspectis, resolutionem propositi dubii: an sit locus petitae dispensationis? differentes censuerunt, coadiuvandas esse probationes tam super praedictis vi et metu, quam etiam super aetate matris de tempore, quo metum incussit, et super quantitate bonorum paternorum oratoris, ex eo quia in libello dicti Maximiliani exponitur, quod eius mater, quae metum incussit, erat vidua et usufructuaria bonorum; cum enim metus ad effectum, de quo agitur, debeat esse cadens in costantem virum, talis in praesenti casu esse posset, si M. orator vel per longum tempus vivente matre, vel etiam post illius obitum fuisset ad paupertatem redigendus, quatenus imperio matris de suscipiendo subdiaconatu non paruisset. Super his itaque punctis probationes recipias, et testes, qui haberi poterunt, formiter et congruis adhibitis interrogatoriis examinari cures, ac processiculum deinde confectum ad S. Congr. transmittas » etc. Die 2. Dec. 1719. resp. fuit *dilata*. Demum Congr. respondit *affirmative*. *Ipren.* 16. Dec. 1719.

2. « Insignis sacrorum canonum doctor et in Romana curia per multum temporis spatium laudabiliter versatus Martinus Navarrus testatur summos Pontifices saepe cum diaconibus dispensasse, ut matrimonium contrahere possent, quemadmodum colligitur ex eius Consil. 37. num. 12. lib. 3. ibi: » Frequentissime summi Pontifices dispensaverunt super voto solemnizato per susceptionem subdiaconatus et diaconatus in Hispania praesertim, ubi etiam nos cognovimus dispensatos, et in Italia, ut frequenter audivimus, » quod ipsum repetit seq. cons. 38. num. 11., et concordat nonnulla referens exempla *Card. de Laurea* in quart. sent. tom. 3. disp. 9. art. 9. §. 5. n. 204., nec dissentit *P. Maurus* in Theol. tom. 3. lib. 13. p. 289., num. 16. ibi: « Pontifex saepe dispensavit, ut sacerdotes et diaconi ducerent uxores, non enim dispensat in iure divino observandi votum, sed relaxat votum factum per voluntatem hominis, ita ut amplius non obliget. » E contra autem *Card. Albitius* in suo tract. de inconstantia in fide cap. 36. num. 134. haec habet: « Ego tempore mei assessoratus vidi plures summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in ordine subdiaconatus posset contrahere matrimonium. in diaconatu constitutos fere nunquam, in sacerdotio nunquam dispensatos multo minus in episcopatu. »

At quidquid sit de his, quando constat ordines sacros fuisse receptos per vim et metum cadentem in constantem virum, circumstantia haec dispensationem efficit absque dubio faciliorem, adeoque quicquid sit de disputatione, quae fit inter doctores, an sicuti recipiens ordinem sacrum per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non praecisam, sed causativam, vere recipit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo votum continentiae est sacro ordini adnexum, uti videri potest, in prima et sec. decis. coram *Caes. de Grassis* tit. de his quae vi, metusve causa fiunt, hoc unum certum esse videtur, quod metus, licet conditionalis, praestat Pontifici iustam causam dispensandi a voto continentiae, quod est sacro ordini adnexum, uti habetur in cit. decis. 1. in f., ibi: « ideo domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret dispensationem omnino a Papa, et dicebant, quod huiusmodi metus praestat iustam causam illam concedendi, » et cohaerenter ad haec, quando in hac S. Congr. non fuit comprobatus metus, eadem SSimo consilium praestitit abstinendi a dispensatione, uti contigit in *Hispalen. nullit. ord.* 25, Mart. et 2. Maii 1716, et e contra consilium praestitit pro dispensatione, quando sufficientes allatae fuerunt metus probationes, uti contingit in *Ipren. Dispens.* 16. Dec. 1719. Haud urgente, quod haec exempla procedunt in terminis subdiaconorum et non diaconorum, cum in utroque casu eadem militet ratio, quod scilicet votum continentiae non est de substantia ordinis, sed illi accidentaliter adnexum ex statuto ecclesiae, ita ut ad sui essentiam requirat liberam voluntatem, qua cessante non obligat, uti recedendo a binis praecedentibus decisionibus firmavit *Rota* in decis. 870. num. 1. et 2. coram *Emerix iuniore*.

Per hanc semitam procedendo Carolus de Coetlogon vir nobilitate conspicuus, cuiusque familia inter Britanniae antiquiores adscripta consanguinitatis et affinitatis vinculo coniuncta est cum illustrioribus regni Franciae familiis, SSimo D. N. exposuit, se per vim et metum a patre incussum subdiaconatum et diaconatum recepisse, enixe supplicando pro dispensatione super voto continentiae, et a S. S. preces fuerunt remissae ad hanc S. Congregationem.

Ad probationem autem metus descendendo Carolus inquit, se eam fecisse eo modo, quo fieri potest iuxta praxim Galliarum et hisce potissimum turbulentissimis temporibus, affertque epistolam Sanctitati Suae scriptam ab Em. Card. de Bissi, quae

in summario exhibetur, et in qua, praeter cetera in ipsa legenda, continentur haec, quae sequuntur.

Dicit Eminentia sua in cit. epistola, primo se audivisse patrem de Tournemine religiosum Soc. Iesu et Sanctitati Suae bene cognitum Carolique oratoris nepotem, qui asseruit, sibi constare, marchionem de Coetlogon suum magnum avunculum violentae admodum naturae minatum fuisse Carolo filio exheredationem, ni sacros ordines subdiaconatus et diaconatus suscepisset, eumque utpote spatio sex annorum ordines recipere reluctantem spoliasse annuo reditu duarum millium centum et amplius librarum turonensium ipsi assignatarum, et Carolum denique manifesta semper indicia dedisse suae aversionis a sacrorum ordinum susceptione, uti fusius legitur in citata epistola.

Refert secundo, se audivisse Ludovicam de Coetlogon Caroli patruelem, quae post redditam attestationem de violenta patris natura addidit, notorium toti familiae fuisse, oratorem per vim et metum sibi a patre incussum fuisse sacris ordinibus initiatum, patremque voluisse, ut ille a seminario S. Sulpicii exiret, ex quo superiores, qui eius aversum animum bene noverant, nolebant, quod ad sacros ordines promoveretur.

Refert tertio, se audivisse sacerdotem Laurentium de la Garde caeremoniarum magistrum in parochia et seminario S. Sulpicii, virum tum aetate tum moribus gravem, quique a patre electus fuit, ut filii curam haberet et eum induceret ad statum ecclesiasticum, dictumque sacerdotem narrasse: se pluries patri notificasse, quod filius nolebat sacris ordinibus initiari, et quod ad eos vocatus non erat, quodque pater obduratus respondit, ad se, non ad alios pertinere, iudicium ferre de vocatione filii sui, addendo Carolum aliquando noluisse nomen suum inscribi in albo ordinandorum, nec se eum unquam vidisse subdiaconalia ac diaconalia munera exercentem, quae circumstantia fuit etiam exposita a Ludovica secunda teste.

Refert quarto, se audivisse Ioannem Sourdrille civem Parisiensem, qui per multum temporis spatium cellerarii officium exercuit in domo marchionis de Coetlogon, qui inquit, ab eo fuisse Carolum filium bis e domo eiectum et pluries percussum propter aversionem, quam habebat a statu ecclesiastico et a sacris ordinibus, fuisse ulterius a patre spoliatum annuo reditu duarum millium centum et triginta quinque librarum, ita ut Carolo ad miseriam redacto ipse pietate motus nummos pro sustentatione aliquando subministraverit.

—

Refert denique, se audivisse parochum S. Sulpicii Languet de Gergis, pastorem maximopere commendabilem tum propter zelum animarum tum propter eximiam venerationem, quam erga apostolicam sedem profitetur, qui dixit, se suis litteris SSimo D. N. exposuisse, quod Carolus invito animo fuerat sacris ordinibus initiatus.

Praeter epistolam memoratam Em. Dom. Card. de Bissi affertur epistola patris de Tournemine scripta SSimo D. N. una cum testimonio relati parochi S. Sulpicii, in quibus invisus Caroli animus, patris duritiies eiusque malae artes, ut filius sacros ordines reciperet, exponuntur.

Quibus proinde concurrentibus quaeritur: An sit locus dispensationi super voto continentiae in casu? Sac. Congr. resp.: « Dilata et coadiuventur probationes iuxta instructionem. »

Descendendo ad instructionem fuit illa transmissa ad Emin. D. Cardinalem de Bissi, et in ea fuit dictum, primo, quod, quia metus constituebatur in timore incusso exheredationis, in sublatione assignamenti, in verberibus et in eiectione e domo paterna, de quibus omnibus testabantur tantummodo testes singulares, Eminentia sua curaret, ut super unoquoque capite testes contestes deponerent, et quod ulterius sublatio assignamenti coadiuvaretur ex documentis et partitis aedis publicae.

Secundo, quod ignorabatur praecisum tempus obitus marchionis patris, et quod idcirco necessarium erat, ut illud Sacrae Congregationi notificaretur.

Tertio, quod liquido non constabat, an minae oratori illatae praecesserint tantum receptionem subdiaconatus, an vero fuerint repetitae inter subdiaconatum et diaconatum, in quo rerum statu opportunum admodum erat pro causae resolutione, ut minarum tempus statueretur.

Quarto, quod de oblata a patre pecunia filio et ab ipso recepta, sicuti ignorabatur, an praecesserit omnium sacrorum ordinum susceptionem, vel potius fuerit intermedia inter subdiaconatum et diaconatum, sic congruum omnino erat, ut tota haec series facti fideliter exponeretur.

Ultimo tandem insinuatum fuit, quod testium depositiones in scriptis reducerentur et iuramento confirmarentur, tam loquendo de testibus, quorum meminit Eminentissimus Cardinalis in prima epistola, quam de aliis, quos ad priorum confirmationem afferri contingeret.

Receptis una cum instructione litteris huiusce S. Congr. Emin. D. Cardinalis de Bissi manum statim admovit, ut quaesitis satisfaceret et adimplenda adimpleret; novam etenim transmisit epistolam una cum documentis, quae parari potuerunt.

Ad primum itaque instructionis caput dicitur in secunda epistola, moraliter esse impossibile, plures reperire testes super eodem facto seu super eodem actu, cum agatur de factis non palam, sed intra domus penetralia secutis, sed videri, quod sufficiant testes singulares singularitate adminiculativa, utpote tendentes ad eundem finem per diversa media, iuxta ea, quae plene habentur in celebri quaestione de testibus singularibus impressa post Aphorismos Inquisitorum editos ab *Antonio de Sousa;* nec pariter possibile esse coadiuvare ex documentis et partitis aedis publicae sublationem assignamenti, cum in vim regii diplomatis editi anno 1713. antiqui contractus fuerint suppressi et de medio sublati, ita ut ad rem, de qua agitur, suffragari posse videatur quoddam excerptum, quod transmittitur ex inventario confecto post obitum Caroli patris, ex quo colligitur, tres contractus sub nomine filii et in eius favorem initos post septem annos fuisse genitori retrocessos.

—

Ad secundum instructionis caput dicitur in eadem epistola, Caroli patrem mortuum fuisse anno 1712., uti etiam desumitur ex fide parochi, sed tanti temporis acquiescentiam non videri, quod obsit oratori, primo quia notorium est, quod ille statim post obitum patris exuit habitum clericalem, secundo quia bini iam sunt anni elapsi, ex quo promovit instantiam pro dispensatione, et demum, quia habita ab episcopo notitia expensae ascensurae ad non exiguam nummorum quantitatem pro dispensatione obtinenda, coactus fuit petitionem ad tempora opportuniora differre.

Ad tertium dicitur, minas subdiaconatum praecessisse et fuisse ante diaconatum repetitas, cum pater de Tournemine in suo, quod transmittitur, iurato testimonio referat, patrem comminatum fuisse filio exheredationem, ni sacros subdiaconatus et diaconatus ordines suscepisset, additque informans in sua scriptura non esse de hoc dubitandum, cum patris intentio ex dicto alterius testis desumpta in eum finem collimaret, ut filius ad sacerdotium et deinde ad episcopatum ascenderet.

Ad quartum dicitur, fuisse a patre ante subdiaconatum oblatam filio et post subdiaconatum ipsi solutam summam viginti trium millium librarum, quae non fuit donum, sed restitutio partis contractuum ei antea subductorum, et rursus fuisse eidem filio a patre promissas ante diaconatum, sed nunquam solutas alias viginti mille libras.

Transmissae ulterius fuerunt a saepe memorato D. Cardinali Bissi receptae et iuratae testium depositiones, quae videri possunt in summario scripturae, ex quibus omnibus, quidquid sit, an frequentia adsint exempla dispensationum quoad diaconos, qua in re affirmative respondet *Navarrus* l. c. et negative respondit *Card. Albitius* l. c., orator sperat, se voti compotem fieri posse, ex quo votum continentiae sicuti ex statuto ecclesiae est dictis sacris ordinibus adnexum, sic ad sui essentiam exposcit liberam voluntatem, qua cessante, licet character imprimatur, votum tamen continentiae ordinibus adnexum non est obligatorium, iuxta bene firmata per *Rotam* l. c. »

Sac. Congr. resp. (dubio supra relato iterum proposito): *Affirmative Parisien.* 25. Ian. et 12. Iul. 1721.

3. Cum decem ab ordinis susceptione anni praeterlapsi essent, dispensationi super voto continentiae subdiaconatui adnexae locum non esse S. C. censuit, quamvis morbo epileptico orator laboraret, duobus fere annis ante aetatem legitimam (sc. in aetate 19. annorum et unius mensis constitutus) fuisset subdole ad suscipiendum sacrum subdiaconatus ordinem inductus; eadem die tonsuram, minores ordines et subdiaconatum nulla praevia dispensatione recepisset, denique superior regularis tam oratorem quam episcopum ordinantem litteris testimonialibus, quibus illum in aetate legitima constitutum nulloque impedimento canonico irretitum denunciavit, decepisset. *Biterren.* 24. Sept. 1740.

4. Iuvenis quidam, ut a minis exheredationis, blanditiis et contumeliis matris liberaretur, matrem decipere optimum ducens, se eius votis assentiri et subdiaconatus ordinem lubentissime se suscepturum simulavit, itaque sacro subdiaconatus ordine fuit initiatus. Pridie vero, ut voluntatis suae contrariae semper constaret probatio, hac usus est cautione, ut eam panderet notario et testibus, quibus declaravit, se initiari ordine, ut matri placeret. Matre vivente ab ordinis exercitio abstinuit; ea vero mortua nullitatem declarari postulavit. Attamen S. C. censuit: de nullitate ordinis subdiaconatus non constare. *Parisien.* 28. Maii 1746.

(cf. resol. ad decretum de sacram. ord. num. 6.)

C. XIV. *Quinam ad presbyteratum assumendi; et assumptorum munus.*

Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium [1]), et hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videtur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda sacramenta, diligenti examine praecedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari. Curet episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent. Cum promotis per saltum [2]), si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare.

[1]) 1. Tim. III. 7. — c. 3. D. LXXVII. (Siric.) — [2]) cf. c. un. D. LII. (Alex. II.)

C. XV. *Nullus confessiones audiat, nisi ab ordinario approbatus.*

Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur [1]), et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

[1]) cf. c. 2. de poenit. in VIto V. 10. (Bonif. VIII.), Clem. 2. de sepult. III. 7. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In causa *Angelopolitana*, cuius ad Sess. XIV. c. 5. de ref. facta mentio est, hae quoque propositae sunt ex parte episcopi quaestiones:

IX. Utrum regularis quicunque etiam S. Iesu, possit administrare sacramentum poenitentiae saecularibus absque licentia episcopi dioecesani, etiamsi in alia dioecesi approbatus sit? Resp. Congr.: Regulares, etiam S. Iesu in una dioecesi ab episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas, nequaquam posse in alia dioecesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione episcopi dioecesani.

X. An episcopus contra dictos regulares audientes in sua dioecesi confessiones saecularium absque sua approbatione, concionantes absque licentia episcopi intra et extra proprias ecclesias possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive praeceptis et aliis iuris remediis coercendo? Resp.: Eisdem regularibus, qui confessiones personarum saecularium audiunt sine approbatione episcopi loci, vel praedicant in ecclesia sui ordinis non petita illius benedictione aut in aliis ecclesiis absque ipsius licentia, vel in ecclesiis etiam sui ordinis ipso contradicente, posse episcopum in vim const. felicis record. Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili Dei providentia*, tanquam sedis apost. delegatum administrationem sacramenti poenitentiae ac munus praedicationis interdicere, eosque iuris remediis coercere et punire.

XI. An quando episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit praecipere, ut donec licentiam intra praescriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant, et an requirendus sit per episcopum pro his exhibendis provincialis in alia dioecesi vel longissime exsistens, vel ipsi regulares confessarii vel eorum superiores eiusdem dioecesis, in qua praedicta exercent? Resp.: Posse episcopum sic praecipere, nec pro huiusmodi licentia requirendum esse provincialem, sed satis esse ipsos religiosos requirere, aut eorum superiores in dioecesi episcopi exsistentes.

Soc. Iesu vero dubia mota sunt quae sequuntur:

I. An episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium vel collegium ab audiendis con-

fessionibus suspendere? Resp.: Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum saecularium, etiam inconsulta S. Congr. episc. et regul. negotiis praeposita, cum decretum ab ea editum sub die 10. Nov. 1615. ex intentionis defectu et convenientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longe ab Urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quae vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. Congr. illorum conscientias graviter voluit esse obaeratas.

II. An episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Resp.: Regulares alias libere ab episcopo praevio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem episcopo suspendi non posse sine nova causa eaque ad confessiones ipsas pertinente.

III. An episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis vel praedicatione verbi Dei, et hoc an vigore conc. Tridentini, vel per quem canonem? Resp.: Posse procedere, non quidem in vim conc. Trid., sed in vim const. Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili Dei providentia*.

IV. An licentia audiendi confessiones et praedicandi ab episcopo per litteras patentes cancellariae concedi possit? Resp.: Posse concedi etiam per litteras missivas vel oretenus, si ita episcopo videbitur. Confirm. ab Innoc X. 10. Maii 1653. (Bull. T. VI. P. 3. p. 244.)

2. Cum occasione generalis iubilaei tres patres Capuccini absque approbatione et licentia episcopi confessiones sacramentales plurium saecularium personarum publice excepissent contra Conc. decreta, constitutiones SS. PP. anteriorum et ipsam Bullam iubilaei, quae requisivit, confessarios ab ordinariis locorum esse approbatos, dubitans de viribus huiusmodi confessionum episcopus responderi petit: I. An licite, II. An invalide dicti Capuccini saecularium confessiones exceperint? S.C. resp. ad I. illicite, ad II. invalide, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem. Quoad vero Capuccinos ordinarius conficiat processum etc. *Patavin.* d. 4. Dec. 1683. Rel. a *Bened.* XIV. Instit. LXXX.

3. I. Curatos unius dioecesis vocatos a parochis alienae dioeceseos posse in ista audire confessiones suorum *subditorum* sine licentia episcopi, non vero reliquorum (non subditorum); II. Sacerdotes approbatos ad confessiones audiendas in una dioecesi vocatos a parochis alterius dioecesis non posse in ista audire confessiones quorumlibet absque approbatione episcopi loci; III. Si agatur de magno populi concursu et magna distantia adeundi pro approbatione ad episcopum dioecesanum, consulendum esse arbitrio et prudentia ordinarii, resp. S. C. in *Posnanien.* 19. Nov. 1707. (IX. 141. P. II.)

4. Dubio proposito: An regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi confessiones sive saecularium sive monialium se personaliter coram episcopo praesentare, sive potius sufficiat, a superioribus de sufficientia et idoneitate testimonium transmitti? S. C. resp. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. *Olomuc.* 7. Iun. 1755. Quod decretum ad dioec. quoque *Colonien.*, *Monasterien.*, *Hildeshemen.*, *Paderbornen.* et *Osnabrugen.* est extensum a Clem. XIII. d. 11. Dec. 1758, (Bull. Contin. ed. *Barbéri* T. I. p. 72.)

5. Usus invaluit in civitate Hildeshemensi, ut nonnulli regulares ad civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, soleant sibi eligere presbyterum saecularem ab episcopo non approbatum, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint qui vel ex saecularibus vel ex regularibus propriaque cuiusque ordinis familia de episcopi vel praelati regularis licentia confessiones excipiant. Id minime ferri posse censet laudatus episcopus. Sed ne in re tam gravi quicquam decernat inconsulta sede apost., haec dubia declaranda proponit: I. An tales confessiones licitae sint in casu? II. An ignorante episcopo validae fuerint? III. An episcopo sciente et contradicente in posterum peragendae validae sint? S. C. resp.: *Negative* in omnibus *et amplius*, *Hildeshemen.* d. 18. Nov. 1769.

6. Regulares ad confessiones saecularium excipiendas ab episcopo approbatos

non teneri interesse congregationibus casuum conscientiae, quae singulis mensibus a quibusdam episcopis haberi solent et ab omnibus confessariis visitari, resp. S. C. in *Forosempronien.* 12. Maii 1685. *Aquipend.* 12. Mart. 1718.

(Cf. declarationes supra ad Sess. XIV. de poen. et infra ad Sess. XXIV. c. 2. relatas.)

C. XVI. *Arcentur ab ordinibus ecclesiis inutiles et vagi.*

Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta synodus, vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo [1]), statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus [2]). Quod si locum inconsulto episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur [3]).

[1]) cf. c. 1. D. LXX.: « Neminem absolute ordinari presbyterum, vel diaconum, vel quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia civitatis sive possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatae vocabulum. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus vacuam habere manus impositionem, et nullum tale factum valere ad iniuriam ipsius, qui eum ordinavit.» — [2]) cf. c. ult. D. LXX. (conc. Placent.) — [3]) cf. c. 6. D. LXXI. (conc. Carth. I.) c. 9. ib. (conc. Antioch.) et al.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Episcopus prohibere potest sub poena certa, quominus ecclesiasticus ullus, etiam in minoribus constitutus, sine licentia ordinarii a dioecesi discedat. Eodem modo constare S. C. iudicavit episcopi decretum, quo statuerat, ne portionarii sive participantes inconsulta curia episcopali discederent, sub poena amissionis ipso facto portionis ecclesiasticae in casu contumaciae post sex menses. *Larinen.* 30. Aug. 1732.

2. Cum episcopus Segnensis, ut pravos presbyterorum suorum mores compesceret, in visitatione decreta tulisset, aegre id tulerunt, litemque moverunt plures presbyteri. Quaesitum itaque erat: An decretum episcopi factum in visitatione, quo prohibetur, ne clerici discedant a dioecesi sine licentia eiusdem episcopi in scriptis habenda sub poena suspensionis, sustineatur, et quatenus affirmative: An liceat dicto episcopo sine iusta causa discessum denegare in casu etc.: S. C. resp. *affirmative* ad primam partem in casu de quo agitur, *negative* ad secundam *et amplius. Segnen.* 13. Sept. 1749.

3. Clericum, *qui certo loco non est adscriptus*, ab episcopo suo non posse invitum retineri, ne a sua dioecesi recedat et alibi parochiam accipiat, censuit S. C. in *Ariminen.* 5. Dec. 1574. (rel. XCIII. 31.)

Talem vero teneri, antequam vadat ad residentiam, petere ab episcopo proprio licentiam, quam ille non potest denegare, resp. in *Ferrarien.* 12. Iun. 1604. cit. ibid.

4. S. C. statuit, posse episcopos ob ecclesiae necessitatem presbyteris ordinatis ad titulum patrimonii interdicere, ne ipsam ecclesiam deserant atque alterius ecclesiae servitio se addicant absque eius licentia, in *Tinen.* 15. Mart. 1625. (alleg. XCIII. 33.)

5. Iuvenis quidam, in Urbe Roma studiis operam dans, ab episcopo originis petiit ut clericali militiae adnumeraretur. Adscriptus itaque est ecclesiae urbis patriae sacerdotibus destitutae, et dimissorialibus acceptis, quibus necessitatis eiusdem ecclesiae expressa mentio facta erat, minores ordines accepit. Postea titulo capellaniae manualis, a S. C. vero ipso petente perpetuatae, ad sacros ordines ascendit, repetita ab episcopo in litteris dimissoriis iterum dictae ecclesiae necessitate. Reversus in patriam, discedendi Romamque revertendi licentiam petiit; negavit vero episcopus indictaque suspensionis poena ipso facto incurrendae vetuit ne discederet. Cum nihilo tamen minus discessisset, et res esset ad S. C. delata, ad quaestiones: I. An sacerdos N. N. adscriptus servitio parochialis ecclesiae N. et pro necessitate eiusdem ecclesiae ad sacros ordines promotus titulo capellaniae obtentae a S. C. perpetuatae, potuerit contra formam praecepti episcopi ab eadem ecclesia discedere et valeat in Urbe permanere? II. An et in poenas conciliares sibi intimatas inciderit in casu? resp. ad I. *negative* assignata congrua per episcopum; ad II. Consulat conscientiae suae. *Amerina* 8. Maii 1756.

6. B. ex dioecesi R. oriundus ab ordinario prima tonsura initiatus inter alumnos Congregationis S. Vincentii a Paula missionariorum cooptatus Romae minores et sacros ordines recepit, constituto a parente patrimonio in dioecesi R. Institutum illud dimisit, quod ei liberum erat, et in patriam reversus quinque fere per annos ludimagistri munere perfunctus est. Deinde in dioecesi S. archipresbyteratum per apostolicas litteras examine rite peracto accepit. Facultate exeundi ex dioecesi R. ab episcopo denegata, cum in eadem archipresbyteratum accipere posset, sine episcopi licentia solum mutavit. Quare S. Congr., querelis episcopi ad eam delatis, censuit: sacerdotem B. cogi posse, ut in dioecesim R. revertat, dummodo de congrua eidem ab episcopo provideatur. *Reatina* 26. Ian. 1833.

7. Simplices sacerdotes nullum habentes beneficium in ecclesia cathedrali, nec ullum ex ea trahentes emolumentum, si talis exsistat consuetudo, teneri assistere servitio ecclesiae singulis diebus de praecepto S. C. censuit in *Troiana* 20. Sept. 1704., *Bellicastr.* 21. Aug. 1706. (alleg. VI. 12.)

8. Dubio proposito: An simplices sacerdotes habentes beneficium curatum cogi possint ad inserviendum ecclesiae cathedrali? et quatenus negative: An saltem teneantur inservire in munere diaconi et subdiaconi in missis cantatis? S. C. resp.: ad I. *negative*, ad II. dandas esse litteras remissoriales ad probandam consuetudinem. Hoc II. dub. deinde iterum proposito, consuetudine non probata, resp. *negative*. *Auximana* 26. Nov. 1701, et 19. Aug. 1702., *Signina* 15. Dec. 1703. (rel. VI. 12.)

9. Saepe alias haec S. Congregatio censuit, clericos nullum beneficium vel officium ecclesiasticum in dioecesi obtinentes non posse cogi ad publicas processiones accedere. Nihilominus experimento compertum est, in pluribus locis et praesertim in civitate Eugubina, per declarationem huiusmodi non parum detrahi divino cultui et processionum solemnitati ac decori, immo non leve scandalum populo inferri, dum ipsarum processionum tempore clerici et presbyteri huc illuc et Eugubii praesertim in numero 120. et ultra vagi et errantes conspiciuntur. Delata igitur ad SS. D. N. huiusmodi inconvenientiae notitia, visa res est considerari digna, ideoque, si quae ratio pro divino cultu ineunda sit, possit executioni demandari pro instante SS. Corporis Christi solemniter processione. S. S. negotium in proxime habenda congregatione discutiendum remisit. Sane legitima concurrente consuetudine eadem S. C. censuit cogi posse. At in praesenti num adsit consuetudo nec ne minime constat ac stante temporis angustia de illa nequit explorari. Proinde praescindendo a consuetudine quaerendum videtur: I. An clerici nullum beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes ad publicas processiones cogi possint? II. An possint obtinentes beneficia, quamvis non sint residentialia aut servitoria? III. An cogi possint simplices presbyteri? IV. An saltem cogi possint ad processiones solemniores? S. C. resp. ad I. III, et IV. *negative*, sed esse hortandos, ad II. *affirmative*, si praesentes sint. Ex lib. 29. Decr. p. 451. rel. a *Bened.* XIV. Instit. XXXI.

—

10. An episcopus loci ordinarius prohibere possit, ne regulares in eorum ecclesiis sacerdotes seculares exteros divina officia celebrare permittant, nisi prius ab ipso episcopo, visis litteris commendatitiis, ipsi sacerdotes admissi fuerint. S. C. censuit posse. 17. Nov. 1594. Ita ex l. VIII. Decr. p. 78. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XXXIV.

C. XVII. *Qua ratione exercitia minorum ordinum repetenda.*

Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in ecclesia, laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur [1]), nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta synodus decernit, ut in posterum huiuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur et illis praecipit, ut quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte redituum aliquorum sim-

plicium beneficiorum vel fabricae ecclesiae, si proventus suppetant, aut utriusque illorum eas functiones exercentibus stipendia assignent, quibus, si negligentes fuerint, ordinarii iudicio aut ex parte mulctari aut in totum privari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami [1]), ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent.

[1]) cf. c. 16—20. D. XXIII. (conc. Carth. IV. sive Stat. eccl. ant.)— super. c. II. — [2]) cf. tot. tit. X. de big. non ord. I. 21.

C. XVIII. *Forma erigendi seminarium clericorum, praesertim tenuiorum; in cuius erectione plurima observanda; de educatione promovendorum in cathedralibus et maioribus ecclesiis.*

Cum adolescentium aetas [1]), nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: sancta synodus statuit, ut singulae cathedrales [2]), metropolitanae atque his maiores ecclesiae pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti ab episcopo eligendo alere, ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et ecclesiae inserviendi. Hos pueros episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet, ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent, sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas ediscent. Curet episcopus, ut singulis diebus missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi; cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt. Dyscolos et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quaecunque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum institutum pertinere videbuntur diligenter curabunt. Et quia ad collegii fabricam instituendam et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam,

et ad alendam iuventutem et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii, ultra ea, quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata, quae eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur, iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fructibus integris mensae episcopalis et capituli, et quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum, cuiuscunque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, et hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem iuxta constitutionem concilii Viennensis [3]), quae incipit: *Quia contingit*, et beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiam si iuris patronatus cuiuscunque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis et hospitalibus, et aliis quibusve locis piis etiam exemptis annexa, et ex fabricis ecclesiarum et aliorum locorum, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis reditibus seu proventibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen seminaria discentium vel docentium ad commune ecclesiae bonum promovendum actu non habentur (haec enim exempta esse voluit) praeterquam ratione redituum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum vel confraternitatum, quae in nonnullis locis scholae appellantur, et omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cuiuscunque militiae aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hierosolymitani duntaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent; et eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia, cuiuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, vel etiam praestimonia vel praestimoniales portiones nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus divini et illa obtinentium praeiudicio huic collegio applicabunt et incorporabunt. Quod locum habeat etiam si beneficia sint reservata vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones et applicationes suspendi vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacunque vacatione, etiam si in curia effectum suum sortiantur, et quacunque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum, personatuum et omnium et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab episcopo loci per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis; quibusvis quoad omnia et singula supra dicta privilegiis, exemptionibus, etiam si specialem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione et allegatione, quae executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes vel aliter seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis ut supra detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium et aliarum maiorum ecclesiarum praelati in hac seminarii erectione eiusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, episcopum archiepiscopus, archiepiscopum et superiores synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supra dicta cogere debeat, et ut quam primum hoc sanctum et pium opus,

ubicunque fieri poterit, promoveatur studiose curabit. Rationes autem redituum huius seminarii episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis.

Deinde, ut cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis provideatur [4]), statuit sancta synodus, ut episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii, scholasterias obtinentes et alios, quibus est lectionis vel doctrinae munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos ab eisdem scholasticis eligendos et ab ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. Quod si iudicio episcopi digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint, episcopus ipse deputet. Docebunt autem praedicti quae videbuntur episcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illae, quae scholasteriae dicuntur, non nisi doctoribus vel magistris aut licentiatis in sacra pagina aut in iure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida; non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua provincia ecclesiae tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non possit, synodus provincialis, vel metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis, in ecclesia metropolitana vel alia provinciae ecclesia commodiori unum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum ecclesiarum educentur.

In ecclesiis autem amplas dioeceses habentibus, possit episcopus unum vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria; quae tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Postremo, si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione vel assignatione et incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, episcopus cum supra deputatis, vel synodus provincialis, pro regionis more, pro ecclesiarum et beneficiorum qualitate, etiam supra scripta, si opus fuerit, moderando aut augendo, omnia et singula, quae ad felicem huius seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat.

[1]) Gen. VIII. 21.—cf. c. 1. C. XII. qu. 1. (conc. Tol. IV.)—[2]) cf. Sess. V. de ref. c. 1.—[3]) Clem. 2. de relig. dom. III. 11. — cf. Sess. VII. c. 15. de ref. —[4]) cf. Sess. V. c. 1. de ref.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Alias S. C. ad interpretationem decreti c. 18. Sess. XXIII. censuit, episcopum Oscen. cum consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere, sufficere tamen, quod episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito posse episcopum statuere et deliberare quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit. Exactionem vero, quae fit pro seminario, ad solum episcopum pertinere. *Oscen.* 1585. ex l. IV. Decr. p. 84. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. V. 11.

2. Dubiis propositis 1. An duo canonici electi ab archiepiscopo ad constituendam

educationem puerorum seminarii possint pro libito archiepiscopi mutari? II. An eorum consilium adhibendum tum in constituendis regulis universalibus seminarii, electione singulorum puerorum introducendorum, electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris, punitione dyscolorum, expulsione, visitatione et sim.? III. An alii quatuor sint deputandi in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti seminarii, ut puta deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcunque et redituum ipsius seminarii, etiam ex beneficiis unitis, ut puta locationibus, concessionibus, aliisque contractibus, litibus? IV. An hi quatuor deputati sint perpetui vel etiam amovibiles, servata in eorum electione ratione concilii, et dicta electio spectet ad capitulum? S. C. resp. ad I. non posse amoveri nisi ex legitima causa; ad II. in omnibus his esse adhibendum; ad III. teneri episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem; ad IV. esse perpetuos. *Salern.* ex l. VI. Decr. p. 22. rel. a *Bened.* XIV. ib.

3. S. C. censuit, omnes quatuor deputatos, de quibus agitur in c. 18. Sess. XXIII. adhibendos esse in consilio, in administratione rerum ipsius seminarii, praeterquam in compulsione ad portionem seminario debitam, cuius facultas ad solum episcopum spectat. *Nullius* 1595. ex l. VIII, Decr. p. 97. rel. ibid.

4. Cum quaereretur, an episcopus potuerit et possit deputare rectorem aliosque officiales seminarii absque consilio deputatorum a capitulo, S. C. resp.: *negative*. Et proposito altero dubio, an episcopus in revisione et solidatione computorum dicti rectoris debuerit sequi consilium deputatorum? censuit teneri adhibere consilium, sed non sequi. *Fundan.* 26. Mart. 1689. Ex l. XXXIX. Decr. p. 129. ap. eundem.

—

5. Seminarii erectionem indulgendam eiusque gubernium PP. Soc. Iesu committendum esse, « ita tamen ut alumni nominentur ab episcopo et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subiectione episcopi », rescr. S. C. in *Americana* 13. Iun. 1722.

6. Seminarium quoddam a Pontifice clericis regularibus (scholarum piarum) regendum erat traditum, salvis omnibus in idem episcopi iuribus. Episcopus, ut melius discerni possent reditus seminarii ab iis, qui aliunde advenirent regularibus, postulavit, ut illi adnotarentur in libris particularibus. Id renuentibus patribus S.C. resolvit, a patribus rationem esse reddendam convictus seminarii, et libros, de quibus agebatur, edendos, in *Alexanen.* 11. Aug. et. 1. Sept. 1742.

—

7. Translatio seminarii ab urbe, ubi cathedralis ecclesia est, ad urbem, ubi episcopus residet, quo melius episcopus illud gubernare possit, cum locus posterior suavior esset ac meliores scholas nec non ecclesiam collegiatam haberet, praevia licentia S. Congregationis facta declarata fuit valida in *Melevit.* 9. Iul. 1725.

—

8. S. C. censuit, uniones factas seminario absque consilio eorum quatuor quos iubet concilium adhiberi, minime valere. *Giennen.* 14. Febr. 1594. Ex l. VIII. Decr. p. 14. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IX. 7.

9. In unionibus beneficiorum faciendis seminario satis esse servare formam traditam a Concilio c. 18. Sess. XXIII., nec requiri consilium capituli, resolv. S. C. in *Ferrarien.* 3. Mart. 1594. Ex l. VIII. Decr. p. 16. rel. ib.

10. S. C. censuit, unionem beneficiorum ab episcopo factam seminario re ipsa nondum erecto nullam et irritam esse. *Nullius* 8. Iun. 1595. (rel. XLI. 276.)

11. Non posse beneficia uniri seminario, si iuxta formam ipsius Concilii unionis tempore minime erectum fuerit, utpote nec magistris nec scholaribus exsistentibus, resp. fuit in *Nullius* 3. Mart. 1597. (XLI. 276.) Eandem regulam secuta est S. C. in *Paderbornen.* 19. Dec. 1772.

12. S. C. censuit, de cetero ad obviandum fraudibus oportere decerni, ut non possint etiam ante vacationem uniri seminario beneficia, quae obtineant personae, quae vel ob familiaritatem cardinalium, vel aliam rationem tales sint, ut quocunque mense decedant, certum sit ea fore affecta sedi apostolicae. Ceterum in praeteritum nihil statuendum, sinendumque ut causa suo marte decurrat. 26. Febr. 1601. Ex l. IX. Decr. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioeces. IX. 7.

13. Proposito dubio: An episcopus vel eius vicarius potuerit unire seminario beneficia simplicia, quae vacarunt in mense

Pontificis? S. C. censuit, unire posse modo uniantur ante vacationem. *Caputaquen.*, Aug. 1586. Ex l. IV. Decr. p. 169. rel. a *Bened.* XIV. ib., qui eodem modo iudicatum esse testatur in *Palentina* Iun. 1588. (L. V. Decr. p. 150.) et in *Elboren.* 31. Aug. 1600. (L. IX. Decr. p. 102.)

14. Episcopus quidam inter plura beneficia unita seminario ex facultate data a S. Congr., etiam univerat beneficium possessum ab aliquo canonico, qui erat *curialis*, unione facta is id resignavit in manus Papae favore tertii, cui Dataria id contulit. Episcopo obsistente propter unionem, Dataria contendit, in tali unione non cessare reservationes, quae proveniunt ex qualitatibus personalibus familiaris Papae, protonotarii Ap. et curialis. Episcopus cum non stricte iuxta Trid. processisset, sed usus fuisset opera trium canonicorum capituli, qui eiusdem seminarii deputati erant, una cum vicario generali, unionem non esse sustinendam censuit S. C. in *Puteolana* 25. Ian. 1744.

15. S. C. censuit, nullum esse exemptum a contributione seminarii, nisi qui nominatim a S. Conc. Trid. in c. 18. Sess. XXIII. de ref. excipiuntur, etiamsi sint praelati familiares Papae et S. R. E. Cardinalium quamvis camerales, nec eis suffragari privilegia exemptionis, nisi in dictis privilegiis facta fuerit specialis et individua derogatio conc. Lateranensis, nec non expressa mentio quasi possessionis exigendi ante huiusmodi privilegia contributionem pro seminario ex beneficiis et pensionibus possessis. 3. Febr. 1646. (rel. LIII. 174.)

Eandem regulam secuta S. C. 24. Iun. 1784. cum contributionem negasset canonicus, Clementis XIV. olim intimus cubicularius, ad dubium: An sit locus solutioni taxae seminarii in casu etc.? resp. *affirmative et amplius*, et facta relatione SSimo D. N., S.S. resolutionem S. C. approbavit et in posterum observari mandavit. (LIII. 176.)

16. Taxam seminarii solvere tenentur etiam monasteria quae sint nullius dioecesis iuxta res. S. C. in *Nullius Castri Durantis* 13. Nov. 1593., *Theatina* eiusd. diei (rel. VIII. 213.)

17. Abbates nullius dioecesis, qui ipsi habent seminaria, non teneri solvere taxam seminarii, constat ex *Romana* 11. Aug. 1742.

18. Monasterium, quod collegium monachorum in universitate et professorum, aut ipsum seminarium proprium sustinet, non tenetur ad illam contributionem, uti res. S. C. in *Atrebaten.* 9. Sept. 1594., *Audomaren.* 30. Mart. 1594. (rel. VIII. 215.)

19. Beneficia monasteriis ordinum exemptorum unita subiecta sunt taxae seminarii, licet in monasteriis habeantur lectiones grammaticae et casuum conscientiae. *Veliterna* 24. Apr. 1723.

20. S. C. censuit, abbatem et monachos non excusari a contributione facienda seminario praetextu collegii pauperum ab ipsis erecti, ideoque cogendos esse contribuere. *Audomaren.* 3. Ian. 1594.

21. Monasteria, quae seminario sui ordinis contribuunt, teneri contribuere etiam seminario episcopi de reditibus, qui supersunt, S. C. rescr. in *Monasterien.* 7. Sept. 1714.

22. Beneficia et pia loca non ex bonis ecclesiasticis facta non teneri ad contribuendum pro seminario, neque esse comprehensa in cap. 18. Sess. 23. de ref., constat ex res. in *Neapolit.* Iul. 1588. (alleg. VI. 167.)

23. Portionem, quae cedit in usum quotidianarum distributionum, legata pia pro celebratione missarum relicta, incerta et eleemosynas sacristiae datas immunes esse a taxa seminarii, immo vero eandem ex reditibus solummodo certis constitutis, etiamsi ex legatis piis proveniant, solvendam esse S. C. censuit in *Sabinen.* 23. Iun. 1640. (alleg. IX. 38.)

24. Taxam seminario solvere tenentur parochi, beneficiati, confraternitates ceterique comprehensi in taxa synodali, et cogendi sunt pro terminis decursis et decurrendis, quacunque appellatione suspensiva et quibuscunque inhibitionibus non obstantibus, iuxta res. S. C. in *Interamnen.* 11. Mai. 1720.

25. « Obtinentes beneficia tam simplicia quam curata quamvis tenuis valoris exsistant, nec ad obtinentis sustentationem sufficiant, debere pro fructuum portione seminario contribuere, nisi tanta esset tenuitas, ut iuxta Extr. Bonif. VIII. incip. *Dudum*, quae habetur int. Extr. Comm., non teneantur solvere decimas papales: eo enim casu nec ad seminarium contribuere debere.» rescr. S. C. in *Derthusen.* 11. Aug. 1605. (rel. VIII. 212.)

26. Pensionarios ad solvendam pro seminario taxam teneri S. C. iudicavit in *Veliterna* 20. Apr. 1771.

—

27. II. Taxam seminarii solvere teneri beneficia iuris patronatus quamvis laicalis, contraria quacunque consuetudine quibusve privilegiis et exemptionibus non obstantibus;

V. Capellanias mere laicales et amovibiles, utpote quae piis missarum legatis

aequiparantur, taxam praestare non teneri;

VI. Taxam seminarii esse pensitandam ex emolumentis incertis tantum certis, « et dandum decretum in Panormit. mense Oct. 1587. »

VII. Priusquam taxa favore seminarii constituatur, ex fructibus beneficiorum esse deducenda impendia nedum pro agro colendo et fructibus colligendis, sed etiam pro frugibus in horreum vel domum beneficiarii exportandis;

IX. Deducendas non esse expensas itinerum parochi extra fines parochiae se conferentis ad invisenda praedia et ad alia negotia peragenda, cum labor et vigilantia parochi inhaereant iuri percipiendi praebendae fructus;

X. Neque subducendum esse stipendium administri parochum adiuvantis in ferenda bonorum administratione, nisi in casu necessitatis;

XI. Detrahendum esse stipendium famuli, si operam impendat in agris colendis, frugibus colligendis, atque ita operarii locum occupet;

XII. Detrahendum esse lucrum cessans seminum, pecoris etc.

XIII. Iacturam a beneficiario passam ex colonorum aliorumque debitorum inopia, cum sit accidentalis vel aliquantulum culpabilis, non esse deducendam;

XIV. Ad annuum beneficiorum valorem dignoscendum ducendum esse calculum per decennium;

XV. Notulam reddituum esse a beneficiariis iureiurando firmandam, S. C. censuit in *Massen.* 17. Dec. 1836.

28. Taxa seminarii antequam exigatur, firmari debet status reddituum canonicorum, detractis distributionibus et aliis oneribus. Ita S. C. in *Praenestina* 29. Ian. 1724.

—

29. Vir quidam vivente uxore ex alia muliere filios procreavit. Uxore mortua illam feminam in matrimonium duxit, et assecutus est, ut rescripto principis filii illi adulterini legitimi declararentur. Qui cum in seminarium clericorum cooptari vellent, pater Papae supplicavit, ut episcopo illos recipere denegante dispensationem concederet. S. C. tamen resp., dispensationem esse denegandam, in *Nullius* 15. Aug. 1836.

30. Sacerdotes regulares quidam (—missionis—), qui ex legato pio ad docendos pueros populumque fidem christianam in oratorio quodam publico iis relicto tenebantur, per 40. annos id officium exercuerunt. Parocho ecclesiae rectore contendente, id contrarium esse iuribus parochialibus, S. C. resp., iis patribus licere diebus dominicis ad formam piae dispositionis tradere populo doctrinam christianam in ecclesia illa rurali, in *Ferrarien.* 11. Aug. 1742.

Indictio futurae sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Tridentina synodus proximam futuram sessionem in diem decimam sextam mensis Septembris indicit, in qua agetur de sacramento matrimonii, et de aliis, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quae expediri possint; idem de provisionibus episcopatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac de diversis reformationis articulis.

Prorogata fuit sessio usque ad diem XI. *Nov.* MDLXIII.

SESSIO XXIV.

QUAE EST OCTAVA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA

DIE XI. MENSIS NOVEMBRIS MDLXIII.

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit [1]): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.*

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit [1]): *Itaque iam non sunt duo, sed una caro*, statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmavit [3]): *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens [4]): *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea*, mox subiungens [5]): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in ecclesia.*

Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, concilia [6]) et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt, adversus quam impii homines huius saeculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo praetextu evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab ecclesiae catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt non sine magna Christi fidelium iactura; quorum temeritati sancta et universalis synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Can. I. Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum [7]), sed ab hominibus in ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores [8]), et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur [9]), posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia [10]), vel in iis constituendis errasse: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, propter haeresim [11]), aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum [12]) non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam [13]), propter adulterium alterius coniu-

gum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem sollemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum: anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari [14]).

CAN. X. Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis [15]) vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam [16]) ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias caeremonias, quibus ecclesia in illis utitur, damnaverit: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: anathema sit.

[1]) Gen. II. 23. seq., Matth. XIX. 4. seqq., Marc. X. 6. seqq., Eph. V. 29-31. — [2]) Matth. XIX. 6. et Marc. X. 8. — [3]) Matth. ib., Marc. ib. 9. — [4]) Eph. V. 25. — [5]) Eph. ib. 32 — [6]) cf. conc. Flor. decr. Eugen. ad Armen. — [7]) cf. 1. loc. cit. n. 1. — [8]) Matth. XIX. 4-6. 9. — [9]) Levit. XVIII. 6. seqq. — [10]) Matth. XVI. 19. — [11]) cf. c. 6. (Urb. III.) c. 7. (Innoc. III.) X. de div. IV. 19., c. 4. X. de consang. IV. 14. (Innoc. III.) — [12]) cf. c. 16. X. de spons. IV. 1. (Alex. III.) — [13]) Matth. XIX. 9., Luc. XVI. 18., 1. Cor. VII. 11. — cf. e. gr. c. 5. (conc. Milev.) c. 6. (August.) c. 7. (Hieron.) c. 8. (conc. Elib.) c. 10. (Aug.) C. XXXII. qu. 7. — [14]) 1. Cor. X. 13. — [15]) Matth. XIX. 11. seq., 1. Cor. VII. 25. 26. 38. 40. — [16]) cf. infr. c. 10. de ref. matr.

DECRETUM DE REFORMATIONE MATRIMONII.

C. I. *Matrimonii solemniter contrahendi forma in concilio Lateranensi praescripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possit episcopus. Qui aliter quam praesentibus parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit.*

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia [1]), quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est [2]) atque prohibuit. Verum, cum sancta synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent,

dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis concilii [5]) sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta synodus relinquit. Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem sancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem [4]) sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho vel ab ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta synodus vehementer optat. Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, ordinariis omnibus praecipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque pa-

rochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.

[1]) cf. c. 2. X. de cland. desp. IV. 3. (Alex. III.) — [2]) cf. c. 3. C. XXX. qu. 5. (Nicol. I.), c. 13. C. XXXII. qu. 2. (Ambros.), c. 2. C. XXXV. qu. 6. et c. 3. X. qui matr. accus. poss. IV. 18 (Coelest. II.)— [3]) c. 3. X. de cland. desp. IV. 3.: « Cum inhibitio copulae coniugalis sit ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari. Unde praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, clandestina coniugia penitus inhibemus ; prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut infra illum qui voluerit et valuerit legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. » — [4]) cf. c. 2. (Cap. Reg. Fr.) c. 3. (Nicol. I.) c. 5. (Stat. eccl. ant.) C. XXX. qu. 5., c. 19. C. XXXV. qu. 2. et 3. (Cap. Reg. Fr.)

C. II. *Inter quos cognatio spiritualis contrahatur.*

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta [1]), vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrariam facientibus [2]) non obstantibus. Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio [3]), quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

[1]) cf. c. 101. D. IV. de cons. (cap. incert.), c. 3. de cogn. spir. in VIto IV. 3. (Bonif. VIII.) — [2]) cf. c. 2. (Zachar.) c. 5. (Paschal. II.) c. XXX. qu. 3., c. 3. X. de cogn. spir. IV. 11. (Alex. III.), c. 1. h. t. in VIto IV. 3. (Bonif. VIII.) — [3]) cf. c. 2. C. XXX. qu. 1. (conc. Comp.), c. 1. de cogn. spir. in VIto (Bonif. VIII.)

C. III. *Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur.*

Iustitiae publicae honestatis impedimentum [1]), ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio observari.

[1]) c. un. de spons. in VIto IV. 1. (Bonif. VIII.)

C. IV. *Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur.*

Praeterea sancta synodus, eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum [1]), quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo

gradu coniungantur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

[1]) cf. c. 19. (conc. Comp.) c. 20. (conc. Mog.) c. 21 (conc. Vermer.) c. 22. (cap. inc.) c. 23. (Burch. Worm.) c. 24. (conc. Vermer.) C. XXXI. qu. 7., et tot. tit. X. de eo, qui cognov. consang. IV. 13.

C. V. *Ne quis intra gradus prohibitos contrahat, quave ratione in illis dispensandum.*

Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit [1]), separetur, et spe dispensationis consequendae careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur poenis; non enim dignus est qui ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur nisi inter magnos principes et ob publicam causam.

[1]) cf. c. 3. X. de cland. desp. IV. 3. (conc. Lat. IV.), Clem. un. de consang. IV. un. (conc. Vienn.)

C. VI. *In raptores animadvertitur.*

Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat [1]), et nihilominus raptor [2]) ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare [3]).

[1]) cf. Grat. ad c. 7. et 11. C. XXXVI. qu. 2. — c. 7. X. de rapt. V. 17. (Innoc. III.)—[2]) cf. c. 2. (Symmach) c. 3. (conc. Aurel.) c. 4. (cap. Aquisgr.) c. 5. (Gregor. II.) c. 6. (conc. Paris.) c. 10. (conc. Meld.) c. 11. (conc. Aquisgr.) C. XXXVI. qu. 2. — [3]) Exod. XXII. 16. seq. cit. in c. 1. X. de adult. V. 16.

C. VII. *Vagi matrimonio caute iungendi.*

Multi sunt, qui vagantur et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam et plerumque plures illa vivente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

C. VIII. *Concubinatus poenis gravissimis punitur.*

Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere, gravissimum vero et in huius magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta synodus opportunis remediis provideat, statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos quam uxora-

tos, cuiuscunque status, dignitatis et conditionis exsistant, si, postquam ab ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint [1]), concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factae paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive coniugatae sive solutae, quae cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum vel dioecesim, si id eisdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari eiiciantur; aliis poenis contra adulteros et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.

[1]) cf. c. 2. (Eugen. II.) X. de cohab. cler. (III. 2.), Sess. XXV. de ref. c. 14.

C. IX. *Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati matrimonii contrarium moliantur.*

Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, cum maxime nefarium sit, matrimonii libertatem [1]) violare, et ab eis iniurias nasci, a quibus iura exspectantur, praecipit sancta synodus omnibus, cuiuscunque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant [2]).

[1]) cf. c. 14. 17. 29. X. de spons. IV. 1. (Innoc. III.) — [2]) cf. c. 6. XXXVI. qu. 2. (conc. Paris.)

C. X. *Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.*

Ab Adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones [1]) diligenter ab omnibus observari sancta synodus praecipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas episcopi, ut ea qua decet modestia et honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum.

[1]) cf. c. 8. 9. (conc. Laod.) c. 10. (conc. Salegunst.) c. 11. (Nicol. I.) C. XXXIII. qu. 4., c. 4. X. de fer. II. 9. (Clem. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

I. DE SPONSALIUM IMPEDIMENTIS, FORMA, PROBATIONE, EFFECTU ATQUE DISSOLUTIONE.

1. Initis sponsalibus inter coniunctos duplici quarto consanguinitatis gradu sub conditione dispensationis a sponso impetrandae, sponsus deinde mutata voluntate contendebat, se nulla esse obstrictum obligatione, sed libere posse alteri feminae nubere. Disceptato itaque dubio: An sponsalia sustineantur? S. C. resp. « *negative* » in *Brugnaten.* 56. Ian. 1709. Ex lib. LIX. Decr. pag. 17. (rel. VI. 295)

2. « Inita die 18. Iunii proximi praeteriti fuerunt sponsalia inter Iulium Pallavicinum et Angelam Mariam Zoagliam, quarto consanguinitatis gradu invicem coniunctos. Biduo post per aliam syngraphum confirmata fuerunt eadem sponsalia interposita etiam iurisiurandi religione, et adiecta clausula, quae non aderat in priori chirographo, nimirum animo et spe impetrandi a sede apostolica dispensationem super huiusmodi impedimento gradus. At litterae apostolicae huiusmodi dispensationem inscio Iulio (ut ipse asserit), sed tamen pro se ferentes supplicationem nomine utrius-

que sponsi iam ante, videlicet die 15. eiusdem mensis, signatae fuerant, quamvis ad Ianuensem civitatem nondum perlatae.

Pallavicinus die 26. eiusdem mensis Iunii alia contraxit sponsalia cum Maria Theresia Gropalla, petiitque subinde a curia archiepiscopali facultatem celebrandi cum ea nuptias. Sed obstitit Angela Maria Zoaglia, quae die 8. Augusti protulit litteras pontificias circa dispensationem impetratas, et institit, ut archiepiscopus earum exsecutionem decerneret.

Dubio proposito: An sponsalia inter Ang. Mar. Zoagliam et Iul. Pallavicinum inita sustineantur? S. C. resp.: *Negative* et *amplius. Ianuen.* 12. Dec. 1733.

—

3. « Supponitur in scriptura per manus circumferenda, quendam Isaac Eeliot, haereticum protestantem, non matrimonium, sed sponsalia contraxisse cum quadam muliere Elisabetha Vanis catholica, cum qua etiam filium procreavit, et controversiam vigere circa punctum praedictorum sponsalium, an videlicet sint nulla, vel solum illicita, et an Isaac, qui subinde religionem catholicam amplexus est, teneatur ad illorum implementum, et an eidem competat facultas ab illis resiliendi ex supervenienti vitio ebrietatis, quo Elisabetha dicitur affecta; cumque mihi fuerit demandatum, ut haec dubia in folio describerem, ut eorum videlicet resolutio normam dare valeat iudicibus, coram quibus controversiae pendet examen, mandatis ea, qua decet, reverentia morem gero, et ad haec, quae subsequuntur, descendo.

Quoad matrimonia contracta inter catholicum et haereticam concors est theologorum et canonistarum sententia, quod eadem sint valida, sed illicita; at in eo, quod attinet ad sponsalia, plerique docent, eadem esse nulla ex quo omnis promissio rei turpis, ex quo secundum omnes peccatum est matrimonium contrahere cum haeretico, licet contractum teneat. Hinc est, quod memorata sponsalia sunt nulla, nec ullum producere possunt effectum, ut in puncto argumentatur *Navar.* cons. 5. de sponsal. lib. 4. num. 6 edit. Lugdun., et bene prosequuntur *Sanchez* de matrim. lib. 7. disput. 72 num. 3. Card. *Albitius* de inconstantia in fide cap. 18. sub num. 43. §. *Peccaret;* Emin. D. meus Card. *Petra* ad constitt. apost. tom. 4. pag. 74. num. 6; *Rota* coram Celso decis. 374. sub num. 6.

Alii vero hanc temperant assertionem, ut eadem videlicet non procedat in regionibus, in quibus catholici permixtim vivunt cum haereticis, et sibi invicem non adversantur; et in eo, quod attinet ad hasce regiones, docent, valida esse sponsalia inter catholicum et haereticam, uti plane habetur in decis. 319. num. 14. coram clar. mem. Card. *Caprara*, et adnotavit *Petra* loc. cit. pag. 75. num. 11.

Transitum faciendo ad aliud assumptum, an scilicet in hypothesi, in qua sponsalia fuerint nulla aut illicita, vir haereticus, qui expost catholicam fidem amplexus est, teneatur ad implementum, in scriptura per manus circumferenda contenditur, negative esse respondendum, ex quo supposita nullitate actus, vel quod idem fuerit illicitus a principio, non videtur, quod expost idem subsistere valeat, et sic quod vir expost compelli possit ad eius adimplementum.

Cetera respicientia ebrietatis vitium, cum illud dicatur supervenisse, contenditur, iustam causam suppeditare dissolutioni sponsalium, cum ex ebrietate, si non corporis, saltem animi mutatio consurgat, uti ad rem docent *Anaclet.* Iur. canonici tom. 4. lib. 4. tit. 1. §. 8. num. 265; *Castro Palao* de spons. tom. 5. disput. 2. punct. 27. quaest. 7. — His positis quaeritur: I. An sponsalia contracta inter Isaac haereticum protestantem et Elisabetham catholicam sint nulla, vel illicita? et quatenus affirmative: II. An Isaac, postquam catholicam fidem amplexus est, compelli possit ad eorum implementum? et quatenus affirmative: III. An iuste possit ab eorum implemento excusari, et iuste instare pro eorum dissolutione propter superveniens ebrietatis vitium in Elisabetha? S. Congr. resp.: Ad Dominum Secretarium *iuxta mentem.* « *Dubia sponsal.* 17. Nov. 1725.

4. Cum muliere ignobili quidem, sed honesta, sponsalia contraxerat iuvenis ex nobili gente oriundus, quod aegre ferentes, propter gentis suae famam fratres ac consanguinei sponsi, ad episcopum confugerunt, qui puellam in conservatorium orphanarum detrusit, indignum facinus censens, ut matrimonium hoc contrahatur. Verum, cum sponsalium libertatem coram S. C. vindicaret sponsus, constare de sponsalibus S. C. censuit. *Fulginaten.* d. 28. Aug. 1751.

—

5. S. C. saepius declaravit, sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam praescripsisse Concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum Concilium. 19. Dec. 1596. Ex. I. VIII. Decr. p. 196. rel. a *Bened.* XIV. Instit. XLVI.

6. Sponsalia inita non dicuntur, si quis promittat *aliam* se non ducturum in

uxorem *nisi talem puellam;* nisi ex conjecturis appareat, quod promittens modo praedicto habuerit intentionem sponsalia ineundi *Mediolan.* 14. Apr. 1725. et 13 Iul. 1725. In eundem modum iudicavit in *Ventimilien.* 1. Iun. 1709.

—

7. Fuit matrimonium contractum in civitate Messanae post publicationem decretorum Concilii Trid. per verba de praesenti et mutuum consensum, non factis publicationibus nec praesente parocho, nisi tantummodo notario et testibus. Petitur declarari, an supradictus contractus matrimonii, cum sit factus contra formam traditam per decretum eiusdem concilii de contrahendo matrimonio, sit adeo nullus, quod neque transeat in sponsalia de futuro? S. C. censuit: *non transire.* Et quid, quando promissio est de praesenti, i. e. cum dixit vir: Ego te in uxorem, et mulier: Ego te in virum accipio? S. C. censuit, promissionem hanc non valere, neque ut matrimonium, neque ut sponsalia de futuro *Messin.* 1573. Ex. l. I. Decr. p. 107. 132. rel. a *Bened.* XIV. ib.

8. Matrimonium contractum per puberes *absque praesentia parochi*, vel alterius sacerdotis de ipsius parochi vel ordinarii licentia, est nullum, nec resolvitur in vim sponsalium, ita ut contrahentes iudicialiter cogi non possint ad denuo contrahendum servata forma Conc. Trid. Res. ed. m. Mart. 1587. (rel. II. 242)

9. Praesupposito quod matrimonium sit factum absque parochi praesentia et duorum vel trium testium, quo casu irritum declaratur a Tridentino, quaeritur an dictum matrimonium transeat in sponsalia de futuro ita, ut cogi vir possit per censuras aliaque iuris remedia ad servandam fidem sponsae, quando maxime secuta est cum ea copula? S. C. censuit, non transire. *Geracen.* 1589. Ex l. VI. Decr. p. 62. rel. a *Bened.* XIV. ib. Eandem sententiam tulerat d. 8. Iun. 1595. (rel. II. 242.)

—

10. Petiit archiepiscopus Bracarensis, ut pro evitandis fraudibus in sponsalibus mediante scriptura privata initis, a SS. D. N. constitueretur, sponsalia in futurum per publicam tantum scripturam probari debere. Quibus tamen precibus S. C. non esse annuendum censuit. *Bracaren.* 26. Ian. 1715. (rel. X. 157.)

—

11. Sponsalia qui contraxit, obstringitur matrimonium inire, neque potest dotem loco matrimonii tradere. Ita resp. S. C. in *Neapolit.* 27. Sept. 1722. ad dub. II.

12. Stuprum committens sub matrimonii promissione etiam simulata, si sit paris conditionis, virginem defloratam in uxorem ducere tenetur *Lycien.* 18. Dec. 1728, 12. Martii 1729.

13. Stupratae puellae, quam post antea inita sponsalia stuprator in matrimonium ducere nolit, solvendam esse dotem ab episcopo taxandam, et in casu recusationis depositum dotis ab episcopo taxatae ad dispositionem puellae esse faciendum, quo facto stupratorem e carcere dimittendum et liberum ad contrahendum esse declarandum, resp. S. C. in *Lycien.* 17. Nov. 1731.

14. Cum quidam matrimonium cuidam puellae promisisset eamque sub matrimonii promissione defforasset, infantem abortu suffocatam exinde puella peperit. S. C. iudicavit, constare de sponsalibus et illum esse cogendum ad formam SS. canonum ad matrimonium cum puella ineundum, in *Melphicten.* 26. Iun. 1841. Re iterum proposita, quamvis parentes viri matrimonium maxime abhorrerent, fortunaque utriusque esset maxime diversa, die 9. Sept. 1843. stetit in decisis.

—

15. Cum episcopi provinc. Mediolan., ut sponsorum cohabitationem impedirent hanc legem excogitassent, ut quicunque sponsus inventus esset eius criminis reus, stupratoris poena puniendus esset, S. C. censuit non posse, sed ambos graviter arbitrio ordinarii duntaxat esse puniendos Mediol. 1573. Ex. l. I. Decr. p. 2. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XII. 6.

16. Indictum erat ab episcopo sponsis genere obscuris et ante benedictionem cohabitantibus, ut nigram candelam manibus tenentes ante fores ecclesiae per tres festos dies adstarent. S. C. utraque parte informante censuit, episcopum abstinere se debere a poenitentiis publicis vel rationem publicarum habentibus. *Puteol.* 18. Iun. 1690. Ex. l. XL. Decr. p. 413. rel. ab *eod.* Inst. XCVI.

—

17. Post sponsalia de futuro inita inter Cataldum Restam et Antoniam Dobro adhuc impuberem, promittentibus pro ea parentibus ac fratre, confecta fuerunt capitula matrimonialia, ac bona nonnulla viro dotis nomine spoponderunt parentes, quibus pinguem patruus donationem adiecit. Deinde tempus praefixum fuit ad contrahendum matrimonium de praesenti. Cataldus vero, cum ex fide libri baptismatis comperisset, sponsam die statuta aetatem legitimam non esse assecuturam, neque simplici nomine Antoniae, quo ei promissa

erat, sed alio adhuc nuncupari, deceptum se putans ad matrimonium ineundum se cogi non posse putavit. At S. C., a qua absolutionem petiit, resp.: teneri sponsum adimplere promissa. *Tarentina* 3. Oct. 1705. (IX. P. II. 125.)

—

18. Bina cum puella quaedam sponsalia iniisset, utraque postea revocavit, cum propter dolum malum a sponsis adhibitum, tum propter deficientem consanguineorum consensum. Postea lite inter sponsos de praelatione orta, victori, cui sponsae quoque frater consensum praestiterat, exceptionem fraudis opposuit. Cogi vero se non posse propterea contendit, quod alia sit mulierum ac virorum conditio, quippe quae moneri quidem, nec tamen cogi possent. S. C. iudicavit, constare quidem de sponsalibus, coactioni tamen, in casu, de quo agatur, non esse locum, et *ad mentem*, i. e. monendam esse mulierem ab episcopo. *Ancon.* 30. Mart. 1748.

19. Sponsalia, etiam iuramento obsignata et coram notario et testibus ratificata, non esse servanda, si ab altero ex sponsis professio emittatur, resp. S. C. in *Tudertina* 9. Maii 1719.

—

20. Card. Mediolanen. archiep. exposuit, quod nonnulli illarum partium incolae contrahunt sponsalia, dilato matrimonio non solum per menses, sed etiam per plures annos, quodque ii lucri faciendi dulcedine capti ad longinquas proficiscuntur regiones, ut meliorem sortiantur fortunam, nonnisi post diuturnum tempus reversuri. Qua consuetudine cum puellae sponsalium promissione adstrictae periculo incontinentiae exponerentur, et iurgia, maledicta, contumeliae gignerentur, parochi, ne detrimentum amplius ovium suarum animis fieret, opportunum auxilium flagitaverunt. Petiit itaque archiepiscopus S. C. consilium, quae edictum ab eo publicandum, etiam ex delegata ipsius S. C. auctoritate, censuit iuxta instructionem (scil.: « quod recedente sponso a loco, nec intra sex mensium spatio redeunte, liberum esse debeat sponsae contrahere matrimonium de praesenti cum alio viro, nisi forte sponsa licentiam dedisset, de qua in authentica forma constare debeat, ut sponsus longiori tempore abesse valeat; tunc enim totum tempus a sponsa concessum expectandum erit et eo elapso, si sponsus extra locum morem trahat, liberum quoque esse debebit sponsae in hoc casu matrimonium de praesenti cum alio viro contrahere. ») *Mediolanen.* 2. Oct. 1723.

21. A sponsalibus recedendi iustam praebere causam statuta, quibus interdicitur, ne matrimonia contrahantur sine consensu parentum, atque facultas datur parentibus exheredandi liberos, qui sine ipsorum consensu sponsalia contraxerint, constat ex resol. S. Congr. in *Neapolit.* 24. Aug. 1723.

22. Sponsalia non constare, sive ab iis resiliendi iustam dari causam, si tacita patris consensus conditio deficiat, constat ex resolutionibus S. Congr. in *Viennen.* 19. Aug. 1730. et *Mediolanen.* 13. Iulii 1725. (in qua pater consensum denegaverat, quia sponsa erat nobilioris conditionis quam filius, « qui quatenus ducere vellet uxorem, eam ducere debebat paris conditionis, et quae non recusaret peragere etiam viliora domestica servitia, si opus esset, id exigente mercatura, quam exercet, et rei familiaris angustia. ») 23. Sponsalia dissolvendi causam praebet, quod propinqui (fratres sororesque) dissentiunt atque graves inter ipsos et sponsam sponsumve exortae sunt inimicitiae, dissidia, aversiones. Id apparet ex resolutione capta in *Wormatien.* 21. Apr. 1731.

24. « Sponsalibus inter Lucretiam Manieram et Caietanum Roccium initis contradictorem se praebuit Francus de Acugna propterea, quod puella ipsi Franco prius de scripto (non tamen interposita iurisiurandi religione) desponsata fuerat. Id quidem non revocatur in dubium: sed Lucretia, iam diu parentibus orbata, in curia episcopali plures proposuit causas, ob quas sibi licere putabat a fide Franco data recedere. Potissimum vero, quod inconsulto, clanculum, ignarisque omnibus suis propinquis, syngraphae sponsaliorum subscripserat, re autem comperta a fratre, avunculo aliisque affinibus, omnes id adeo aegre tulerant, ut gravia inde dissidia manaverint, et graviora sint pertimescenda, si inter Lucretiam et Francum nuptiae inirentur; tum quod eadem Lucretia resciverit, Francum antea sibi coniugem petiisse aliam puellam eique suam obligasse fidem; tum demum, quod Francus convicia et calumnias in ipsam Lucretiam evomuerit.

Episcopus hoc prudens iniit consilium, ut ipse, adstante etiam suo vicario generali, voluntatem Lucretiae exploraret. Adeo autem illa se abhorrere a nuptiis cum Franco contrahendis declaravit, ut nunquam se id assensuram disertis protestata fuerit verbis, etiamsi acerbissima quaeque sibi impenderent. Puellam deinde demigrare iussit episcopus ad asceterium puellarum civitatis Neritonensis, ubi tam caute

custodita fuit, ut nulli externo eam alloqui licuerit. Cumque ibidem ambo antistites, Gallipolitanus et Neritonensis, iterum sententiam Lucretiae per se ipsos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc reiiciendo coniugio, ut nec etiam denunciata anathematis poena dimoveri ab ea sententia potuerit. Aliquo temporis spatio interiecto rursus episcopus Neritonensis a Gallipolitano praesule rogatus mentem puellae fuit perscrutatus: sed ea propositi sui tenax, quidquid antea dixerat, iureiurando etiam confirmavit.

Quam ob rem, servatis servandis, vicarius generalis episcopi Gallipolitani decrevit licere Lucretiae matrimonium iuxta Tridentinas leges cum alio quovis homine inire. Ab huiusmodi autem definitione provocavit Francus, et res ad hanc S. Congr. delata est.

Porro ob iustam causam licere a sponsalibus resilire, etiam sine mutuo utriusque sponsi consensu, habetur in cap. *Quemadmodum*, de iureiur. Et minus etiam gravem causam requiri, ubi sponsalia non fuerint iuramento firmata, tradit *Rota* dec. 19. n. 30. par. 10. et dec. 44. n. fin. coram *Cavaler.*

Hinc aliqua probabili causa suffragante abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, et permittendas nuptias cum alio, censuit S. Congr. in *Senogallien. spons.* 1. Sept. 1714. l. LXIV. Decr. pag. 346. et in *Maioricen. spons.* 24. Apr. 1723. l. LXXIII. Decr. pag. 369. a tergo.

Erit itaque definiendum: An Lucretia possit matrimonium contrahere cum quo maluerit? S. C. respondit: *Affirmative* et *amplius.* « *Gallipolitana* 28. Feb. 1733.

25. A sponsalibus resiliendi causam dari mulieri, cum sponsus res a sponsa in dotem datas dilapidaverit, resp. S. C. in *Neapolit.* 17. Apr. 1728.

26. A sponsalibus recedendi iustam esse causam, si sponsa mentis infirmitate laboret, resp. S. C. in *Civitatis ducalis* 14. Maii 1729.

—

II. DE MATRIMONII CONTRAHENDI FORMA.

A. *Denunciationes.*

27. « Quoad punctum, an matrimonium contractum, omissis denunciationibus dicendum sit clandestinum, facit resolutio S. Congreg. in *Hieracen.* anni 1587., de qua vide lib. XV. Decret. pag. 30, in qua cum quaereretur, an matrimonium dicendum esset clandestinum utpote omissis denunciationibus, et multo magis cum in constitutionibus synodalibus contra sic contrahentes imposita esset poena excommunicationis, dubio sequentibus verbis concepto: An omissis edictis huiusmodi matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine testibus et parocho contraheretur? sic respondit Congr. Conc.: « Censuit non dici, sed contrahentes incidere in poenam excommunicationis in constitutionibus synodalibus propositam.» (Rel. I. 309.)

28. « Felix Dolci, ortus in oppido S. Elpidii Firmanae dioeceseos, puer Maceratam venit, ubi domicilium habuit usque ad mensem Iunium anni 1729. Senogalliam vero cum deinde se contulisset, sponsalia inivit cum puella Victoria de Luca. Ut matrimonii contrahendi facultatem a curia episcopali obtineret, protulit Felix testificationem episcopalis curiae Maceratensis de libero eius statu. At vicarius capitularis Senogalliensis oportere putat, quod praeterea doceatur de factis publicis denunciationibus in ea parochia civitatis Maceratensis, in qua per annos circiter viginti Felix domicilium habuerat, antequam Senogalliam commigraret, propterea quod, quamvis alias nuptias non iniverit iuxta asseverationem testium, quos curia episcopalis Maceratensis interrogavit ad docendum de statu libero, nihilominus potuerit ille fortasse in ea civitate de matrimonio contrahendo fidem alteri feminae dedisse, id quod minime excluditur per testimonium istud, sed in lucem, si ita esset, prodiret, ubi in parochia, cui olim suberat Felix, inter missarum solemnia ter fuerit palam denunciatum eius consilium de matrimonio contrahendo cum Victoria de Luca Senogalliensi.

Tridentina Synodus cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matr. sic statuit: « Antequam matrimonium cet. » His autem verbis videri potest, quod proclamationes in iis fiant parochialibus, quibus subsint sponsi sub ipsum tempus ineundi matrimonium, non vero in aliis parochiis, in quibus antea sedem habuerint. Verum si quis ex sponsis recenter venerit ad eam parochiam, in qua matrimonium est contracturus, plures doctores existimant proclamationes fieri etiam oportere in alia ecclesia, in cuius parochia diuturnius domicilium antea habuerat, nimirum quia ex praescripto Sac. Conc., itemque ante Conc. Trid. ex lege lata ab Innocentio III. in cap. *Inhibitio* de cland. despons., ideo publicae denunciationes sunt praemittendae, ut impedimenta, si quae sunt, detegantur; id autem ibi melius resciri potest, ubi longior fuit commoratio. Sic praeter antiquiores docent *Sanchez* de matr. lib. 3. disp. 6. num. 6., *Guttierez* eod.

tract. cap. 56. num. 6., *Barbos.* de episc. par. 2. alleg. 32. num. 11., *Engel.* ad lib. 4. tit. 3. num. 5. de cland. despons., *Dian.* par. 5. resol. 235. In contraria tamen sententia videtur esse *Pont.* de matrim. lib. 5. cap. 38. num. 5., *Clericat.* de sacr. matr. decis. 33. num. 6.

Sed alii sic dissentientes censent opiniones conciliandas, ut quando brevis fuerit commoratio in nova parochia, adeo ut verisimilis ibi non sit impedimentorum notitia, tunc denunciationes fieri debeant etiam in priori parochia, secus vero si per aliquot annos habitaverint in parochia, in qua matrimonium sit ineundum, ut videre est apud *Anaclet.* ad lib. 4. Decretal. tit. 3. *a.* num. 11. ad 15. *Schmalzgrueb.* ad eund. *a.* num. 15. ad 22.

Tres hac de causa exstant huius Sac. Congr. resolutiones. In antiquo lib. 2. Decr. ante annum 1580. confecto ad p. 183. ita habetur: « Theodorus Bertoncellus de Terra Guastallae et Meridiana Paganella Romana invicem matrimonium contrahere cupientes, in ecclesia ter a proprio parocho matrimonium huiusmodi denunciari curarunt. Factis autem denunciationibus, cum ad matrimonii celebrationem in facie ecclesiae procedere vellent, vices-gerens archipresbyteri loci eos prohibuit, quia non erat denunciatum id Romae in parochia, ubi nata fuerat Meridiana. Verum, cum agatur de interpretatione Concilii Tridentini et revera non sit vagans illa mulier, quae per octo annos vel circiter in una et eadem terra habitavit, propterea humiliter supplicatur, quatenus eidem vices-gerenti committere et mandare dignemini, ut, si per septem vel octo annos in dicto loco Guastallae praedicta Meridiana habitavit, matrimonium huiusmodi iuxta ritum sanctae Romanae ecclesiae celebrari permittat. Rescriptum vero fuit: Nihil obstare quominus oratores possint matrimonium contrahere. »

In *Senogallien.* die 29. Ianuarii 1684. haec species facti exposita fuit: « Bartholomaea Ioannis Titta origine Senogalliensis matrimonium contrahere desiderans extra locum originis supplicat declarari, an ultra fidem status liberi necessario faciendae sint denunciationes matrimoniales etiam in loco originis, prout praetendit parochus, coram quo matrimonium contrahi debet. Responsum vero fuit: Denunciationes etiam in loco originis esse necessarias, » ut in lib. XXXIV. Decret. p. 28.

Denique in *Vercellens.* 9. Maii 1719. (— cf. I. p. 307. —) agebatur de muliere, quae extra locum originis decem totis annis permanserat in alio loco, ubi matrimonium contraxit, et ubi solum factae fuerant proclamationes. Proposito autem dubio: An necessariae essent denunciationes in loco originis? responsum fuit: *negative;* ut in lib. LXIX. Decret. p. 222.

Declarare itaque dignentur EE. VV.: An antequam Felici Dolci permittatur celebrare matrimonium, faciendae sint denunciationes etiam in parochia Maceratensi in casu? Sac. Congr. resp.: *Negative.* » *Senogallien.* 3. April. 1734.

29. Episcopo *Brunensi* in Moravia, sciscitanti, num iis quoque diebus festis, in quibus ex indulto s. m. Clementis P. XIV. omni audiendi missam obligatione sublata operibus servilibus vacare permissum fuit, matrimonia ineunda nunciari possent? S. C. 17. Iun. 1780. resp.: « Scribatur episcopo ad mentem. » Mens vero his litteris ad episcopum die 5. Iulii 1780. datis explicata fuit: « Cavendum abs te maxime atque enixe providendum, ut sarta tecta saluberrima S. Conc. sanctio de nunciandis populo matrimoniis in tribus diebus festivis omnino servetur. Quod enim a tanti Concilii Patribus praescriptis atque conceptis verbis statutum est, id plane est religioseque retinendum. Sed quoniam eo loci relinquunt Patres episcoporum iudicio ac prudentiae, ut si quando expedire iudicaverint, una aut plures huiusmodi matrimoniorum publicae denunciationes remittantur, hinc rebus omnibus, quae ab Ampl. Tua expositae sunt, in S. Congr. Conc. mature perpensis, annuente etiam SSimo D. N. Pio P. VI. decretum est, tuo pariter iudicio ac prudentiae permitti posse, ut, si quandoque gravis aliqua causa intercesserit, matrimonium quodpiam citius iniri debere, prius quam exspectari possint tres dies festivi, ut populo denuncietur, indulgeas in singulis casibus parochis tuae dioecesis, ut peragant denunciationes in iis etiam diebus, in quibus iuxta supra relatum Clementis XIV. indultum sublata festivitas est, remissumque praeceptum audiendi missam, retenta tamen in ecclesiis officii ac missae celebratione. Utere igitur hac tibi concessa facultate, arctis tamen prudentiae discretique arbitrii legibus, atque ea praesertim sub conditione, quae eiusdem facultatis tibi elargiendae potissima causa est, quod nempe in illis diebus, qui festi non sunt, frequens adhuc perseveret populi ad ecclesiam concursus, ut, quantum fieri potest, saluberrimae legis a conc. Trid. praescriptae finis ac scopus habeatur, qui non alius certe fuit, nisi ut in populi frequentia

ineunda matrimonia denunciarentur, quo facilius si quae forent, impedimenta detegerentur. » (Rel. LXXXIII. 79.) In eundem modum rescr. ep. *Tudertino* d. 19. Apr. 1823. (LXXXIII. 76.)

30. Ad dubium: an ordinarius possit ex causa dispensare, ut, dum cantatur Vesper, possint fieri denunciationes, diebus tamen festivis? S. C. resp. ita dispensare posse. *Avenion.* 25. Oct. 1586. (XLIX. 71.)

31. Retulit ad S. C. episcopus Bovinensis: « Inveni in hac mea cathedrali eccl. Bovin. excitatam quaestionem valde implexam inter decanum et cantorem ecclesiae praedictae super iure faciendi denunciationes ante celebrationem matrimonii. Cum enim dignitati decanatus sit annexa cura animarum, contendit decanus *iure proprio tanquam parocho* ad se privative spectare eiusmodi denunciationes facere. Ex opposito contendit cantor, se iustum titulum habere eiusmodi denunciationes emittendi, cum agat nomine capituli, cuius est *radicalis* cura animarum. Ipsi praeterea favere possessionem CL. annorum circiter, ac proinde manutenendum esse in eiusmodi iure ac possessione. » S. C. ad quaestionem: An possit et debeat decanus curatus ecclesiae Bovinensis emittere denunciationes matrimoniales, seu potius sit sustinenda praxis favore cantoris in casu? resp. *affirmative* ad primam partem et *negative* ad secundam. *Bovinen.* 17. Iun. 1820.

32. S. C. decrevit, sponsalia de futuro *per copulam carnalem subsecutam* minime hodie transire in matrimonium. 15. Iul. 1593. Ex l. VII. Decr. p. 118. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XLVI.

—

B. *De consensus coram parocho et testibus declaratione.*

33. S. C., inhaerendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram huiusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur antiquae declarationes, scilicet: « In una *Florentina* Sacra etc. censuit, quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis. » « In *Florentina* similiter resp.: parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum. » « In una *Abulen.* Sacra etc. censuit: non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. » *Urbinat.* 1. Dec. 1640. Ex lib. XVI. Decr. p. 470. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XXXIII.

34. Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate. Sine anno rel. XXXVI. 171.

35. Archiepiscopus elector Coloniensis scripserat ad S. Congr. Card. Conc. Trid. Int. d. 14. Aug. 1627.: Quaeritur humiliter a S. C.: « *Primo*, an incolae tam masculi quam feminae loci, in quo dictum conc. Trid. in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? Secundo, quid, si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, quid, si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? Iidem cardinales ad I. et II. Non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude, ad III. vero dubiorum huiusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt. (Alleg. CI. 130.) Confirmatae sunt hae sententiae, ut refert *Bened.* XIV. in Inst. XXXIII., ab Urbano VIII. S. P.

36. Sacra etc. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: Vir et mulier a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alterius parochiae solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilii contrahendi, se transferentes, ibi coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per Sacr. Congr. declarari: an huiusmodi matrimonium sit nullum vel validum. Sacra etc. secundum ea, quae proponuntur, censuit esse nullum. *Romana* 22. Febr. 1631. Similiter iudicavit in *Theatina* 13. Nov. 1683., *Bovinen.* 28. Sept. 1697, *Lauretana* 13. Iul. 1725.

37. Vir nobilis Gratianopolitanus matrimonium inaequale cum puella conditionis longe inferioris inire cupiens, cum timeret, ne id vetitum esset per leges civiles, quae parentum consensum necessarium statuunt, Londinum omnibus insciis est profectus ibique post octo aut decem die-

rum commorationem coram missionario apost. in capella catholica matrimonium iniit benedictionemque accepit. S. C., re collata cum R. P. D. S. Congr. de Prop. Fide Secretario et Officialibus, certior facta, missionarios Anglicos facultatibus peculiaribus ad assistendum matrimoniis non esse praeditos, declaravit: « Ex hactenus deductis non constare de validitate matrimonii, sed ad declarationem nullitatis esse procedendum confectione processus servata saltem in substantialibus forma const. S. M. Bened. XIV. « Dei miseratione» incip., inspecto praesertim animo et tempore, quo asserti sponsi commorati sunt nedum Londini, sed etiam in districtu illius apost. vicariatus; quatenus autem episcopo magis expedire visa fuerit matrimonii convalidatio renovato consensu secreto, pro facultate dispensandi super quovis, impedimento iuris ecclesiastici tantum iuxta solitas clausulas, quatenus adsit; ac etiam pro facultate sanandi in radice iuxta formam, quatenus id necessarium duxerit, facto verbo cum SSimo super omnibus, « in *Gratianopolit.* 3. Apr. 1841.

38. F. et B. statu libero in episcopali curia probato, cum parochum ad denunciationes procedere iuberi peterent, interrogati a notario, quis eorum parochus esset, false, per errorem tamen ac sine contemptu clavium, parochum S. Demetrii esse responderunt. Qui peractis denunciationibus solita ab ordinario licentia instructus, ut adesse posset matrimonio contrahendo inter F. et B. eiusdem parochiae, consensum recepit. Cum vero F. postea de huius matrimonii validitate dubitare coepisset et theologorum consilio fretus consensum coram proprio parocho et duobus testibus renovandum esse censeret, a B. ad quaestionem: an casu, quo non esset ipsius coniux, vellet matrimonialiter sibi copulari? responsum habuit absolute negativum. Supplicavit itaque declarari: An matrimonium inter ipsum et B. contractum fuerit validum. S.C. rescr. *affirmative.* 9. Sept. 1684. Rel. a *Bened.* XIV. Inst. LXXXVIII.

39. Matrimonium inire cupientes vir quidam et mulier, ab ordinario dispensationem super tribus denunciationibus reportarunt cum facultate assistendi matrimonio directa parocho loci, ubi uterque habitabat. Cuius loci nomen a scriptore abrasum fuit et loco illius positum nomen urbis, in qua uterque natus erat, quare parochus proprius habitationis videns, facultatem sibi non esse directam, coram se matrimonium celebrari non permisit, sed eam remisit ad parochum loci utriusque nativi, coram quo matr. per verba de praesenti, ac servata forma S. C. T. contraxerunt. Diu cohabitarunt et duos filios procrearunt. Deinde discesserunt, et mulier cum alio viro, praevia falsa testium depositione super eius statu libero et omissis denunciationibus, coram parocho matr. inivit. *Prius* illud matrimonium declaratum fuit nullum in *Mutinen.* 18. Nov. 1702. IX. (II.) p. 112.

—

40. Cum dubitaretur: An, stante bona fide, sustineri possit pro valido matrimonium coram parocho et unico teste contractum? S. C. *negative* resp. d. 14. Ian. 1673. Ex l. XXVIII. Decr. p. 4. rel. a *Bened.* XIV, De syn. dioec. XII. 5.

41. Proposito dubio super validitate matrimonii contracti coram duobus testibus sine parocho in loco, ubi haereticus tantummodo minister residebat, catholicus autem parochus aliusve sacerdos vel omnino non aderat vel illius adeundi libera potestas non erat, omnibus facti circumstantiis rite perpensis pro validitate resp. S.C. 30. Mart. 1669. Ex l. XXVI. Decr. p. 198. rel. ib.

42. Matrimonium initum fuit inter regium principem Constantinum Sobieski, Ioannis III. Poloniae regis filium, et Iosepham comitissam de Wessel coram parocho urbis Gedani. Cum princeps illud propterea nullum esse coram S. C. contenderet, quoniam non initum esset coram parocho proprio, censuit S.C. requirendum esse votum S. Rotae, in qua, cum dubium propositum esset: An matrimonium, de quo agitur, sustineatur? affirmative fuit responsum. « Satis enim esse, ut matrimonium coram parocho alterius ex coniugibus ineatur, et habitatio localis ad effectum, ut parochus istius valide contrahentes coniungere in matrimonium possit, non requiritur ut ex longa permanentia sit contracta, sed per duos menses sat est iuxta S. C. Conc. resolutiones, quas hoc nostrum tribunal reverenter suscipere et semper sequi passim protestatur. » (Decis. 1298. T. VI. cor. *Lancetta*): Cum itaque principissa Gedani per decem menses ante contractum matrimonium habitasset, et postea per duos fere annos ibi permansisset, in voti rotalis executionem matrimonium validum esse S. C. iudicavit. *Leopolien.* 9. Iun. 1725.

43. Cum conc. Trid. praecipiat matrimonia esse contrahenda praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, sive ordinarii licentia, quaeritur quid, si contrahentes sint diversarum parochiarum, utrius parochi praesentia requiratur, spon-

sine, an sponsae, an vero utriusque, an etiam alterius parochi consensus accedere debeat? S. C. censuit. ad validitatem matrimonii sufficere praesentiam solius parochi proprii sponsae, quando matrimonium in parochia sponsae contrahitur, similiter sufficere praesentiam solius parochi sponsi, si modo matrimonium contrahatur in parochia ipsius sponsi. Ita ex libr. I. p. 125. Decr. *Bened.* XIV. Instit. XXXIII.

44. In oppido Nursiae, in qua finibus non sunt distinctae parochiae, sed ex certis familiis constant, haec viget consuetudo, ut nuptias non sponsae, sed sponsi parochus conciliet, exteri vero, qui domicilium ibidem collocarunt, rectori ecclesiae matricis subsint et coram eo matrimonia contrahant. Mota inter rectores ecclesiae matricis et ecclesiae S. Benedicti quaestione: Utrum exteri, qui Nursiam veniunt matrimonium celebraturi ac inde in patriam cum sponsa reversuri, coram rectore ecclesiae matricis, an coram parocho ecclesiae S. Benedicti, quoties eidem ecclesiae sponsae sint adscriptae, matrimonium contrahere debeant, ut satisfiat S. Conc. Trid. praescripto? S. C. resp. in favorem parochi S. Benedicti. *Spoletan.* 18. Iul. 1733. Deinde instante matricis ecclesiae rectore consuetudinem allegante, cum eam legitime non praescriptam invenisset S. C., resp. *in decisis* 16. Mart. 1737.

45. Retulerat episcopus Eugubinus: « Praeteritis non multum elapsis mensibus dubium coram me excitatum fuit, an matrimoniis famularum assistere debeant parochi, in quorum parochia puellae famulatum praestant, vel ii, intra quorum parochiae fines earum parentes suum habent domicilium. Parochi in contrarias scinduntur opiniones. Vetus et nunquam interrupta consuetudo in Eugubina civitate fuit, ut a parocho illius parochiae, in qua famulatum praestant, coniungerentur, praesertim nunquam refragante parocho paterni domicilii, et revera in cathedralis ecclesiae matrimoniorum libro plura exstant exempla usque ab anno 1555. documentum quod biscentenariam consuetudinem exhiberet. Qui vero contrariam tenent opinionem, asserunt, matrimonium celebrandum esse coram proprio parocho, qui alius esse non potest nisi parochus domus paternae, ea freti ratione, quod famulae, cum sponsalia contraxerunt, ad paternas remittuntur domos. » Proposito itaque dubio: An matrimoniis famularum assistere debeat parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cuius parochia puellae famulatum praestant in casu? S. C. resp.: Episcopus per decretum, iubeat, ut matrimoniis puellarum, quae famulatum Eugubii praestant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni eiusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem civitate; si non habeant, assistat parochus domicilii, in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant. *Eugubin.* 24. Maii 1788.

46. Gubernatores hospitalis expositorum civitatis Eugubinae asserentes, sacerdotem ibi in confessarium deputatum cum approbatione episcopi huiusce puellis expositis administrasse matrimonia, praeviis denunciationibus in ecclesia ipsius hospitalis, supplicant pro declaratione, huiusmodi matrimonia coram eodem sacerdote celebranda esse, et non coram rectore ecclesiae parochialis, intra cuius limites dictum hospitale exsistit, S. C. censuit, matrimonia dictarum puellarum esse celebranda coram proprio parocho, non coram dicto capellano hospitalis. 22. Apr. 1651. Ex l. XIX. Decr. p. 124. rel. a *Bened.* XIV. Instit. XXXIII.

47. Brephotrophium quoddam, sedi apost. immediate subiectum, puellas usque ad annum tricesimum quintum recipiebat, quotiescunque revertebantur. Cuius parochi longum per tempus earum matrimoniis assistebant, etiamsi puellae alibi famulae versarentur. Dubia exinde haec proposita sunt: « I. An et quomodo consulendum sit SSimo pro sanatione quoad matrimonia inita? II. An et quomodo annuendum sit precibus quoad matrimonia contrahenda in futurum? » S. C. respondit: « I. *Affirmative* ad cautelam pro sanatione in radice cum declaratione legitimitatis prolis, et facta adnotatione tam in libris cancellariae Archiepisc. quam brephotr. II. *Affirmative* in omnibus, dummodo puellae, quae tricesimum quintum annum non excesserint, redeant ad brephotrophium ante matrimonium, et acta status liberi conficiantur ab ordinariis, apud quas commoratae fuerint. » *Florent.* 17. Sept. 1842.

48. Ut matrimonium a filio per inita cum N. sponsalia intentatum pater impediret, filium in aliam civitatem transferendum ibique *militiae* adscribendum curavit. Nec tamen quod voluit perfecit. Filius enim sponsam accersivit, et cum ea coram parocho cathedralis ecclesiae eius loci, quo militiae adscriptus erat, consensum denunciationibus non factis declaravit. Postea ipse matrimonium impugnavit, quod propter parochi proprii defectum constare non posse contendit. Cum vero matrimonii

defensor excepisset per militiam domicilium necessarium constitutum fuisse, itaque parochum loci militiae pro parocho proprio habendum esse, de praetensa matrimonii nullitate non constare S.C. iudicavit. *Consentina* seu *Bisianen.* 15. Apr. 1752.

49. Lite de plebania quadam exorta, ut animarum curae consuleretur, Signatura Iustitiae per modum provisionis et sine praeiudicio iurium partium et salvis quibuscunque exceptionibus alteri ex collitigatoribus in concursu approbato et rite instituto impertita fuerat licentiam celebrandi missas in ecclesia, de qua agebatur, ibique peragendi ecclesiasticas functiones quascunque. Post vero quam obtinuerat curae animarum exercitium, locum reliquit, vicesque suas alii sacerdoti commisit, coram quo matrimonium contraxerunt N. et N. Oriebatur itaque de huius matrimonii validitate quaestio, quam negandam esse theologi quidam propterea censuerunt, quod delegatus a Signatura non ad universitatem causarum, sed ad exercitium tantum iurisdictionis sacerdos destitutus omnino esset subdelegandi potestate. Allegabatur vero a Secretario, sacerdotem illum non delegatum, sed verum parochum fuisse, itaque ex ipsius S. Conc. sententia alii sacerdoti vices suas valide commisisse. Denique quaestionem de iurisdictione a delegato non subdeleganda ex hac quoque ratione abesse, quod parochus in matrimonium nullam exerceat iurisdictionem, cum ex veriori et receptiori sententia non sit minister magni huius sacramenti, sed sit testis spectabilis, qui cum aliis testibus certam reddat ecclesiam, hunc atque illam matrimonium contraxisse. S. C. ad quaestionem: An constet de validitate matrimonii in casu? resp. *affirmative. Spoletana* 31. Iulii 1751.

50. Ut difficultates a consanguineis motas tandem evaderet, matrimonium coram sacerdote parochi absentis et ex episcopi deputatione in alio loco confessionarii extraordinarii munus exercentis vicario, et duobus testibus ex famulis suis adhibitis cum ignobili muliere vir quidam nobilis contraxerat. Quaerebatur itaque de ipsius actus valididate, quam contrahentes propterea vindicabant, quod vicarius, licet expressa ei a parocho data non fuerit facultas matrimoniis assistendi, habeat tamen illam ab ipsa lege, Tridentini scilicet concilii, cum deputatus dicatur ad universam curam animarum, ad differentiam capellani vel vicarii praesentis, qui non nisi ex expressa parochi licentia matrimoniis assistere possit. Quod si vero dubium superesse possit, renovandum esse matrimonium ad cautelam dixerunt secundum praxin, cum in aliis causis servaverit S. C., quia non probatum sit vicarium illum non habuisse facultatem matrimoniis assistendi, aut specialiter vetitum ei fuisse ne matrimonio, de quo quaeritur, praesentiam praestaret. S. C. censuit: *Renovetur coram parocho et testibus ad cautelam. Faventina* 22. Iul. 1758.

51. Antonius et Nicolasia civ. Caesaraugustanae absque denunciationibus coram sacerdote, qui post parochi obitum veluti regens ac viceparochus habebatur, matrimonium inierunt, quod nullum declaratum fuit ab officiali metropolitani. Verum cum ex triginta et ultra testium depositione constaret, sacerdotem illum pro vero parocho habitum fuisse, quoniam omnia, quae ad parochi munus ex iure pertinent, peragebat et sacerdos annuente parocho recens creato et consentiente archiepiscopo constitutus in parochia fuisset vacationis tempore pro sacramentorum administratione, ita ut non solum communis opinio adesset in populo, sed titulus quoque colorativus in sacerdote, ad dubium: An constet de validitate matrimonii in casu? S. C. resp. *affirmative. Caesaraugustan.* 10. Mart. 1770.

52. Matrimonio adstitit presbyter F. delegatus ad id a sacerdote C., qui a vero parocho, habita ordinarii licentia ad valetudinem recreandam profecto, viceparochus erat nominatus, cum assistentia et interventu cuiusdam sacerdotis A. vicarii super eandem parochiam a parocho constituti, eique data fuerat sicut et vicario A. «omnis parochi facultas et auctoritas administrandi omnia sacramenta, quae essent necessaria in parochia». Matrimonium, cum impugnaretur, declaratum fuit validum a S. C. in *Melevitana* 22. Iun. 1639. (rel. XCIX. 154.)

53. Matrimonium contractum coram presbytero, cui parochus in scriptis licentiam dederat nuptias inter quoscunque e suo grege conciliandi, quamvis licentia a parocho fuisset revocata idque presbyter ille viro contrahenti indicasset, tamen, cum mulier factam revocationem ignoraret, valide fuisse contractum, iud. fuit a S. C. in *Tricaricen.* 27. Iun. 1733.

54. Mos est in Sardinia, ut ad parochorum praesentationem instituantur ab episcopis proparochi seu vicarii absolute, plene et absque ulla ministerii parochialis restrictione. Quam consuetudinem ut abrogaret, episcopus Bosanensis anno 1781. per synodale decretum mandavit, « proparochos, nisi specialem a parocho pro casu

particulari facultatem in scriptis acceperint, assistere matrimonio minime posse; subtracta iisdem amplissima, quae vulgo concedi solet, matrimoniis assistendi potestate. » Exortis de matrimonii contra hoc decretum initi validitate dubiis, episcopi successor S. C. adiit, quae resp.: I. Decretum synodale esse sustinendum. II. Ademptam esse per idem proparochis facultatem assistendi matrimoniis, matrimonia vero inita cum assistentia proparochi contra formam decreti illius esse valida, sed illicita. III. Matrimonium celebratum coram proparocho contra illius formam iterari non debere. *Bosanen.* 28. Nov. 1789. et 19. Dec. 1795.

55. S. C. censuit: I. prudenter ac salubriter ferre episcopum in synodo vel extra legem, qua vetentur parochi illimitatam facultatem matrimoniis assistendi coadiutoribus seu proparochis concedere; II. valida esse matrimonia absque expressa parochi licentia coram proparocho, quatenus a parocho fuerit delegatus, contracta, sed illicita. *Turritana* 19. Dec. 1795.

—

56. S. C. censuit, coram vicario episcopi matrimonium contrahi posse perinde ac coram parocho. 4. Iul. 1602. (rel. cum aliis eiusdem tenoris XLIV. 102.) Eandem regulam S. C. secuta est in *Callien.* 7. Sept. 1776.

57. Vir et femina cum matrimonium inire vellent, vir vicario generali preces obtulit, ut denunciationes remitteret, et facultatem daret cuicunque sacerdoti matrimonio assistendi. Vicarius generalis, virum, qui verum cognomen alterum ipsius subscripserat, alium esse eiusdem nominis (qui tamen alio cognomine utebatur) per errorem putans, probata utriusque libertate annuit precibus, quo facto matrimonium coram sacerdote exhibita illa licentia contractum et in libros parochiales est relatum. Viri patruelis cum nullitatem eius imploraret, « de validitate constare, renovato consensu ad cautelam, » resp. S. C. in *Compost.* s. *Lucen.* 19. Sept. 1744.

—

58. « Maria Archangela Vulgano patricia Neapolitana post obitum Gasparis de Amatrano ducis S. Donati eius viri, cum quo quatuor circiter annorum spatio degerat in oppido Rugiani dioecesis S. Marci, obtentis ab illa episcopali curia litteris testimonialibus de libero eius statu, nec non quadam licentia seu assensu parochi eiusdem loci Rugiani hisce verbis expressa: « Mi contento io sottoscritto etc. che la signora duchessa donna Maria Archangela etc. dovendo partire da questa patria per andare ad abitare altrove, possa contrarre legitimo matrimonio con chiunque persona a iure non prohibita, *praevia licentia et approbatione* dell'ordinario, dovunque li verrà più commodo e permesso, che a detto matrimonio vi assista un paroco destinato da detto ordinario. » Neapolim versus iter aggressa animo contrahendi matrimonium cum Michaele de Ausilio cive Neapolitano, illuc appulit die 4. Februarii 1733. ibique in domo praefati Michaelis posita intra fines parochiae S. Annae consedit.

Sequenti vero die 5. eiusdem mensis Februarii, cum summo mane requisitus fuisset parochus dictae ecclesiae S. Annae, ut matrimonio inter Michaelem et Mariam contrahendo assisteret, respondit ille, se nequire absque licentia curiae archiepiscopalis: quo responso accepto, praefati Michael et Maria eademmet die ad civitatem Puteolanam commigrarunt ibique in ecclesia S. Andreae, in quam sese receperant, accersito vicario capitulari, eidemque exhibitis litteris testimonialibus de libero amborum statu nec non memorato consensu parochi Rugiani, insteterunt pro facultate matrimonium celebrandi. Sed vicarius capitularis advertens, litteras testimoniales status liberi Michaelis expeditas fuisse a curia archiepiscopali Neapolitana usque a die 25. Decembris praecedentis anni 1732, illas vero status liberi Mariae expeditas a curia episcopali S. Marci non esse legalitate fulcitas, curam suscepit utrique difficultatem parandi, nuncio ad vicarium generalem curiae metropolitanae Neapolim apposite misso.

Hinc autem, expleta legalitate super litteris testimonialibus Mariae datoque responso, nullum post expeditas litteras Michaelis in ea archiepiscopali curia impedimentum obvenisse, monuit vicarium Puteolanum, quod ad effectum contrahendi matrimonium in ea dioecesi constare deberet nedum de ulteriori tempore status liberi Michaelis, verum etiam de consensu proprii parochi alterius ex contrahentibus; idque fuit in causa, ut idem vicarius Puteolanus illico sponsis patefecerit, se petitam licentiam matrimonii contrahendi concedere non posse.

At vero, commorantibus adhuc Maria et Michaele in praefata ecclesia S. Andreae, supervenere quidam iustitiae ministri, ut Michaelem a Maria diverterent, quod quidem dum vicarius eidem mulieri exponebat, ista vicarium alloquens pluries verba protulit, se nolle ab eodem loco discedere, nisi matrimonio prius inito, dicens: *Don*

Michele voglio per mio marito, e contra vero Michael similia verba capitaneis et scribis ordinem sibi increpantibus etc. expressit, affirmans, se nolle ordinibus parere et ab ea ecclesia discedere, nisi matrimonio contracto, dicens: *voglio la signora Maria Archangela per mia moglie;* ut hiscemet verbis seriem facti retulit Em. archiep. Neapolitanus in eius epistola, cui consonant binae relationes ad hanc Sac. Congr. a nuncio apost. et episcopo Puteolano transmissae.

Post haec Maria seorsim a Michaele Neapolim reversa, paucos post dies edocta de impari Michaelis conditione, patenter obstitit conatibus assertum matrimonium auctoritate huius S. Congr. validum declarari curantis, unde factum est, ut eadem S. Congr., cui preces utrinque fuerunt delatae, die 23. Maii 1733. rescripserit: « Ordinarius Puteolanus conficiat processum et transmittat, praefixo partibus termino ad deducenda iura sua in S. Congr. nec non audiantur Em. archiepiscopus Neapolitanus et episcopus S. Marci. » Sed postmodum ob quasdam exceptiones contra vicarium capitularem Puteolanum oppositas rescriptum fuit die 29. Augusti ei. anni nuncio apost. « pro confectione processus cum facultate etiam subdelegandi, et sine praeiudicio actorum hactenus factorum coram vicario capitulari Puteolano, qui tamen in posterum abstineat. »

Vix coeptis coram iudice per nuncium subdelegato quibusdam praeambulis actibus, praefatus Michael die 2. currentis a. 1734. amplam emisit renunciationem instantiis omnibus per ipsum eousque expositis pro sustinendo matrimonio, nec non cuilibet iuri sibi ex sponsalibus utcunque initis competenti, professus id agere se ductum voto quatuor theologorum, qui ab eo consulti censuerunt, nullum inter ipsum et Mariam intercessisse matrimonium de praesenti.

In hoc itaque rerum statu, petente Maria demandari tum nuncio apostolico, ut desisteret ab ulteriori confectione processus, tum Em. archiepiscopo Neapolitano, ut eius favore expediret testimoniales de statu libero, S. Congr. voluit iterum audire praefatum Em. archiep., nuncium apost. et episcopum Puteolanum; cumque ex eorum relationibus compertum fuerit, assertam matrimonii nullitatem duabus praecipue circumstantiis inniti, altera nempe defectus praesentiae proprii parochi, altera vero inefficaciae verborum a contrahentibus praelatorum, quae apta non essent prae se ferre animum celebrandi matrimonium de praesenti, die 17. Apr. proxime praeteriti responsum fuit, ut causa describeretur in folio, praevia tamen absolutione processus iam demandati.

At vero suas iterum exponente preces Maria, ut causae discussio fieret non exspectato processu tanquam non necessario, quippe quia nullitas matrimonii satis emergere possit a sola circumstantia in facto non controversa eius secutae celebrationis coram vicario capitulari Puteolano, S. Congr. die 22. Maii mox elapsi annuit petitis; ideoque impraesentiarum de allegata matrimonii nullitate super asserto proprii parochi defectu unice constituta disceptandum est.

Porro vicarius capitularis Puteolanus, in cuius praesentia matrimonium fuit celebratum, neque viri neque mulieris parochus erat.

Ponderandum igitur occurrit: primo, an potuerit effici capax repraesentandi personam parochi Mariae vigore licentiae curati Rugiani superius transcriptae; secundo, an, data etiam repraesentatione curati Rugiani, iste posset adhuc dici parochus proprius Mariae; tertio demum, an, admissis validitate et efficacia licentiae parochi Rugiani, vicarius Puteolanus debuisset illam acceptare, ut matrimonium dici posset coram illo valide contractum.

Circa primum exponitur, licentiam nimis vagam et generalem contrahendi matrimonium coram quocunque sacerdote et cum quocunque particulariter et nominatim non designato, utpote contrariam menti S. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de ref. matr. non refragari, uti sentit *Card. de Luca* de matr. disc. 3. n. 5., annot. ad id. concil. disc. 26. n. 22. Et licet *Fagnanus* in L. IV. Decr. cap. *Nobis* de cland. despons. n. 32. §. *An licentia* referat hanc S. Congr. declarasse sufficientem pro validitate matrimonii licentiam in scriptis a parocho concessam, ut quilibet sacerdos arbitrio contrahentium assistere posset, attamen in illo casu advertitur, contrahentes fuisse nominatim designatos.

Quoad secundum, inutilis asseritur licentia a parocho Rugiani concessa, quippe quia tempore contracti matrimonii nulla ipse potiretur iurisdictione in Mariam, quae ab oppido Rugiani animo domicilium illud totaliter deserendi recesserat; proprius enim parochus est, in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur iuxta declarationes Sac. Congr. apud *Farinac.* in noviss. ad Sess. 24. Conc. Trid. cap. 5. num. 2.

Quoad tertium denique perpenditur, vicarium Puteolanum non acceptasse licentiam seu delegationem parochi Rugiani,

sed illa uti noluisse, adeo ut, ubi etiam curatus Rugiani potuisset tunc temporis dici parochus Mariae, matrimonium non esset validum, quia acceptatio delegationis est conditio pro eius validitate omnino necessaria, ad tradita per *Egid. de Coninck* de sacr. disp. 27. de matr. diss. 13. n. 44., *Hurtad.* de sacr. matr. diss. 13. n. 44., *Avers.* de sacr. ord. et matr. et assist. par. quaest. 6. sect. 4. vers. *Debet* in pr. et alios.

E contra vero favore matrimonii observari potest: Primo, quod parochus valide tradit licentiam contrahendi matrimonium coram quocunque sacerdote non solum extra fines propriae parochiae, sed etiam extra dioecesim, *Sanchez* L. III. disc. 34. n. 2., *Coninck* l. c. disp. 27. dup. 2. n. 23., *Boss* de matr. contr. cap. 7. n. 96.

Secundo, quod Maria, licet discesserit ab oppido Rugiani, ut alio se conferret ad habitandum, videtur tamen retinuisse animum permanendi sub iurisdictione parochi dicti loci saltem quousque usa fuisset licentia ab ipso impetrata pro celebratione praemeditati matrimonii, ut patefacit iterata eiusdem licentiae exhibitio in alienis parochiis pro matrimonio contrahendo; animum autem permanendi sub aliqua paroecia potissime inspiciendum esse, ut possit quis valide in matrimonio coniungi, tradit Card. *Bellarm.* ad Conc. dicta Sess. vers. *vel saltem parocho* et dixit *Rota* in noviss. dec. 648. n. 2. et 3. col. 1.

Tertio, quod, ubi etiam dicendum esset, Mariam contraxisse domicilium Neapoli, non defuerit licentia saltem tacita dictae curiae archiepiscopalis, dum illa remisit vicario Puteol. litteras testimoniales de statu libero praefatae mulieris munitas legalitate, expresse requisitas pro celebratione matrimonii, licentiam vero tacitam sufficere tradunt *Pont.* L. V. c. 29. n. 1. in f. et *Boss.* l. c. c. 4. n. 119.

Et quarto demum, quod, si neque licentia expressa parochi Rugiani neque tacita curiae archiep. Neap. attendi mereantur, considerari tunc debeat Maria tanquam vaga, adeo ut valide matrimonium contrahere potuerit coram vicario Puteolano; certum quippe est, quod vagi matrimonium valide contrahunt coram parocho illius loci, ubi actu versantur, quemadmodum colligitur ex iis, quae statuit Trid. Syn. Sess. 24. de ref. matr. cap. 7. et tradunt communiter DD. de hac materia tractantes, quod procedit, sive uterque coniux sive alter ex ipsis tantum vagus sit, uti declaravit Sac. Congregatio in *Theatina validitatis matrimonii* 30. Aprilis 1661., lib. XXII. Decret. fol. 506.

Ad examen vero huius postremae inspectionis, num Maria possit dici vaga, notandum in facto est, quod ipsa ab oppido Rugiani discessit, ut Neapolim se reciperet in domum eius genitorum, quemadmodum nuperrime asseruit in iurata sua depositione circumferenda per haec verba « Stimai anco dover lasciare detta terra di Ruggiano, e ritornarmene in Napoli in casa dei detti miei genitori, fratelli, sorelle, con animo di dimorare in tutto il rimanente di mia vita in casa di detti miei genitori. » Neapolim vero appulsa die 4. Februarii superioris anni non subiit domum suorum parentum, sed paucis tantum horis commorata in domo Michaelis Puteolum immediate se contulit.

In iure autem prae oculis haberi debet, quod vagus dicitur vel ille, qui proprio domicilio dimisso iter facit, quaerens ubi se sistat, iuxta text. in l. *Eius* §. *Celsus* D. ad municipal., vel ille, qui certam et constantem sedem et domicilium vel quasi domicilium nullibi habet, ad tradita per *Reginald.* in praxi forens. eccles. Lib. I. num. 64., *Less.* de iust. et iure Lib. II. cap. 4. de voto disp. 18. n. 121., *Pignatell.* consult. 79. num. 34. Tom. V., *Reiffenstuel* in ius canon. L. IV. tit. 3. §. 2. num. 86.

—

Immo ad effectum acquirendi domicilium non sufficit solus animus habitandi, sed requiritur etiam factum atque habitatio ipsa, ut per l. *Domicilium* D. ad municip. *Sanchez* de matr. L. III. disp. 23. num. 2. Et praeterea ad effectum contrahendi matrimonium vagus dicitur ille, qui in nulla certa parochia firmum habet domicilium, tametsi illud in urbe aut oppido aliquo comparare destinaverit, iuxta ea quae tradit idem *Sanchez* l. c.

Deliberandum erit: An constet de validitate matrimonii in casu, de quo agitur? Sac. Congr. respondit: *Negative et amplius.* » *Neapolitana* seu *Puteolana* 3. Iulii 1734.

—

59. « In mortis periculo positus Didacus Noboa praefectus militum Annam Franciscam de Seixas et Bolagnos, cum qua geminos iam filios procreaverat, sub initium a. 1715. connubii iure sibi devinxit impetrata dispensatione trinae publicationis a vicario generali archiepiscopalis curiae Toletanae, adhibitaque praesentia testium ac religiosi ad id delegati. Exposuit enim se, licet pridem cum quadam Bruxellensi muliere matrimonium contraxisset, illud irritum prorsus esse multiplici ex causa quae inferius recensebitur.

Convaluit e morbo Didacus pluresque annos cum Anna velut coniuge sua versatus est. Sed Maria Cambies e Bruxellis in Hispanias profecta coepit se Didaci uxorem nominare. Quamobrem is tanquam polygamiae reus a tribunali S. Inquisitionis passus est relegationis ad certum tempus duraturae sententiam deindeque in archiepiscopali curia Granat. mota est quaestio inter Annam et Mariam, quaenam legitima censenda esset Didaci uxor, atque tam officialis Granat. quam Hispaniarum nuncius pro Maria iudicium tulerunt.

Novam causae cognitionem de unius vel alterius matrimonii viribus impetrarunt Didacus et Anna ab apost. sede delegari Astoricensi episcopo, Sed cum interea e vivis primum excessisset Maria, deinde vero ipse Didacus, sola superstes Anna, sua maxime interesse putans proprii coniugii firmitatem tueri, Sacram hanc adiit Congregationem postulatque modo dirimi dubium, quod inferius subiicietur, quodque ab ea pendet indagine, num vere Didacus ante nuptiale foedus cum Anna percussum ac valide cum praedicta Maria matrimonium contraxerit.

In formali examine Didacus, ut ex actis ad S. Congr. transmissis apparet, declaravit, se, dum Bruxellis ageret, primum cum muliere quadam, quam vocant la Bertoletta, ac deinceps cum Maria Cambies eius sorore concubuisse. Cum autem ex ista filium suscepisset, ut a parochorum molestiis sese liberaret propriaeque liberius indulgeret libidini, rem totam (ut ipse narrat) aperuit occurrenti sibi religioso Societatis Jesu, eum exorans, ut fingeret ex archiepiscopi delegatione matrimonio assistere; quemadmodum ex condicto tam ipse Didacus quam Maria vespertinis horis adeuntes collegium Societatis Jesu coram eodem religioso ac duobus testibus pronunciarunt mutua coniugii verba, sed specie tenus et simulato prorsus animo, ita quidem, ut accepta benedictione nuptiali, sibique tradita quadam ad rei gestae probationem schedula diu in coniugum schemate perseverarint, susceptumque antea filium tanquam legitimum describi fecerint in libro baptizatorum parochialis ecclesiae imposito illi nomine Petri Emanuelis. E civitate vero Bruxellensi discessurus ipse Didacus, ut mulieris quieti rectaeque apud eam filii educationi consuleret, scripturam quandam confecit, ubi adnotatur tempus matrimonii cum eadem contracti atque etiam nativitatis et baptismi Petri E. filii, istaque adnotatio fieri dicitur in eum finem, ut integrum illis maneat ius quodlibet successionis legitimae.

At formali pariter examini subiecta Maria Cambies affirmavit, P. Alexandrum Maes ex archiepiscopi delegatione Didacum sibi matrimonio coniunxisse, ab eoque monitam esse, ne cuiuspiam impedimenti scrupulo angeretur: ipsam vero, quale illud esset, ignorasse. Et quamvis eius soror cum Didaco familiaribus egisset colloquiis, imo et ad eum quondam in civitatis arce visendum perrexisset, nihil tamen quod sciat minus honestum ab iis patratum fuisse. Quidquid autem de turpiter gestis a Didaco sua cum sorore fuerit in quadam declaratione antea confecta proprioque ipsius Mariae charactere subscripta expressum, id omne falsum esse asseveravit; inquit enim, se per malam cuiusdam religiosi Martini Colladi fraudem eidem declarationi subscripsisse.

Marianna quoque Cambies Mariae soror et Ioseph de Lemos ordine iudiciario interrogati deposuerunt, nihil unquam fuisse conscios de impedimento affinitatis Didacum inter et Mariam intercedere, sed ratum semper ac legitimum existimasse, quale publice habetur, ipsorum coniugium; quin sub idem fere coniugii tempus a Didaco accepisse refert Marianna, quod iudex seu vicarius generalis ineundi matrimonii dispensationem concesserit, alter vero testis narrat receptas a Didaco fuisse, quas ei dederat, nuptiarum gratulationes, sibique tunc percunctanti Mariam respondisse, quod religiosus quidam societatis Iesu nomine Quebeney confessarius archiepiscopi matrimonio adstitisset.

Plures leguntur in actis epistolae (si verae sunt) a Didaco post suam in Hispanias abitionem missae ad Mariam, in quibus ille se maritum, hanc vero sponsam nominat admonetque, ne audeat e Bruxellis discedere. Harum unam Anna velut a Maria acceptam in iudicio exhibuit, quemadmodum et altera, quae fertur a Iosepho Didaci fratre sub annum 1721. conscripta, eamdemque Mariam, ad quam missa est, sororem appellans.

Emin. D. Card. de Alsatia Mechliniensis archiepiscopus publico testimonio significat ea, quae non coram parochis sed coram aliis sacerdotibus ab archiepiscopali curia delegatis celebrata fuerunt matrimonia, describi solere non quidem in libris parochialibus, sed apud ordinarium vel in officialatu; in archiv. autem officialatus Mechlin. exstare schedulam scriptam manu propria R. P. D. Alexandri Maes, dum viveret, Societatis Iesu confessarii praede-

cessoris sui his verbis conceptam: « Ego Alexander Maes Soc. Iesu sacerdos omnibus his visuris testor, quod anno 1699. (dies terminatus non occurrit) facultate et autoritate data per Illm. ac Rev. archiepiscopum Mechlin. in debita forma coram testibus Ludov. Lalleman et Ign. Capitanei adstiterim matrimonio D. Diego de Noboa capitanei cum dicta Luisa Cambies, quod in debita forma contraxerunt. Dabam Bruxellis hoc anno 1703. quarta Octobris, quando ad hoc iustis de causis fui requisitus. » Huic schedulae affixam reperiri aliam scribit sub datum 7. Iulii 1710., fidem nempe baptismi Petri Emanuelis, qui ibidem dicitur « filius legitimus D. Iacobi de Noboa praefecti legionis hispanicae et D. Mariae Luciae Cambies coniugum. » Declarat praeterea sibi ex privata scientia constare, quid ill. praedecessor noster praedictus saepe auctorizaverit dictum P. Alexandrum Maes ad assistendum variis matrimoniis secretis.

Id postremum et in declaratione pridem edita sub annum 1718. et recentius in formali suo examine testatus quoque est Brugensis episcopus diu, vicarii generalis munere in ea archiepiscopali curia perfunctus; sed et illud is perhibet, commemoratam schedulam P. Alexandri Maes a. 1711. exhibitam sibi tanquam iudici fuisse a Maria Cambies, ac scriptoris, quem laudat, eo fere tempore demortui genuinam esse; id quod sibi constare inquit ex comparatione schedulae cum quibusdam illius epistolis. Mentionem quoque facit de responso per epistolam sibi dato ab Ignatio Coppenol, quod Didacus et Maria matrimonium celebrarint coram P. Alexandro Maes, ac duobus religiosis testibus, quorum unus erat idem Ignatius.

Denique praetereundum non est, Mariam Cambies sacramentis refectam obiisse, scriptis testamento heredibus Maria F. filia legitima ex primo viro suscepta, et Petro Noboa, quem pariter dixit filium suum esse legitimum ex Didaco N. secundo eius viro. Hic e diverso heredem nuncupavit Annam coniugem suam, praeterea (ut fidem facit capellanus hospitalis S. Iacobi Hispanorum civitatis Neapolis) « agens in extremis omnibusque sacramentis munitus non sine magna cordis contritione accepta SS. crucifixi imagine benedixit... protestans et iurans per D. N. I. C., qui iudicaturus est vivos et mortuos, se innocentem innocentissimum cuiusdam suppositi matrimonii, quod per iniuriam aliqui allegaverunt se Flandriae olim contraxisse; quare in visceribus Iesu Christi eos exoravit, ut consulerent bene conscientiis suis, ne in aeternum perirent. »

Dubio proposito: An constet de validitate matrimonii in casu? Sac. Congr. primum resp. « dilata et praeponatur citatis omnibus interesse habentibus » (scil. filiis ortis ex Maria Cambies) et denique, postquam causa pluries indecisa fuit relicta: « Non constare de nullitate primi matrimonii. » *Granaten.* 28. Sept. 1743. et 18. Dec. 1745.

—

60. Capellanus exercitus habet facultatem assistendi matrimoniis militum, dum reperiuntur in actuali expeditione, parocho tamen contrahentium non excluso. Matrimoniis, quae a militibus contrahuntur, dum in castris hibernis vel aestivis, aut in praesidiis contrahuntur, capellanus interesse non potest. *Belgii* 29. Maii 1683.

61. Matrimonium initum coram testibus et capellano exercitus a viro militiae non adscripto, *nullum* S. C. declaravit, cum capellani exercitus » quamvis ex apostolico diplomate praediti facultate administrandi sacramenta militaribus personis, adeoque subrogati in locum parochi, « non possint assistere matrimonio, » dum milites ea ineuntes non sint in actuali expeditione, sed morantur in castris, aut in hibernis stationibus, vel in arcibus et praesidiis, nisi et hoc peculiariter concessum a sede apostolica eis fuerit. « *Neapolitana* 19. Sept. 1733. Eandem regulam secuta erat in *Mediolanen.* 11. Dec. 1677., *Dub. matr.* 6. Mart. 1694., *Dub. matr.* 7. et 21. Maii et 30. Iulii 1701., *Frisingen.* 29. Ian. 1707. *Barchinonen.* 4. Dec. 1723. (VI. 146 seq.)

—

62. Cum in civitate Ilerdensi id moris esset, ut cathedralis parochus omnia matrimonia a diversarum parochiarum incolis contracta privative benediceret, episcopus de matrimoniis a proprio contrahentium parocho benedicendis decretum in visitatione edidit opportunum. Aegre id tulerunt canonici, utpote antiquis privilegiis et immemorabili consuetudini contrarium. Cum itaque res ad S. C. deferretur, ad quaestionem: An standum sit decreto episcopi in sacra visitatione posito statuenti, quod matrimonia benedicantur a propriis parochis, quorum est matrimoniis interesse; an vero consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo parocho cathedralis? resp. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam *et amplius. Ilerden.* 28. Maii 1785.

63. Episcopo Giennensi ad dubia III. Si invitus et compulsus per vim adsit sacer-

dos, dum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat? IV. Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quae agebantur, vidit neque audivit, utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius, tanquam sine sacerdote, nullius sit ponderis et momenti? V. Si adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se ad id esse vocatum, sed aliud agens audit duos inter se contrahentes matrimonium, utrum validum sit tale matrimonium, in quo fuit praesens, non tamen certioratus, nec ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto vel facto, vel potius sit nullum, quasi assistentia auctorativa per Concilium requiratur et non nuda vel causalis praesentia? S. C. resp. ad dub. III. subsistere; ad IV. non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen non affectasset non intelligere; ad V. valere, etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum. 1581. Rel. e l. III. Decr. p. 59. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 23.

64. Proposito dubio: An matrimonium contractum absque denunciationibus et sine licentia ordinarii coram testibus et parocho contradicente, qui audivit tantummodo verba consensus per sponsum praestiti, dum prae manibus habens sponsam dixit: « questa è mia moglie » et audivit, quod sponsa dixit nonnulla verba, quae tamen non intellexit, an sit de iure validum et subsistat? S. C. resp.: matrimonium sustineri, etiamsi parochus non intellexerit verba sponsae, dum tamen de illius consensu ex aliis signis iuxta iuris communis dispositionem legitime constet. *Sarzanen.* 16. Febr. 1648. (all. VIII. 91. et XLVIII. 54.) Similiter iudicavit in *Patavina* 11. Maii 1669., *Tolentina* 28. Nov. 1671. *Venet.* 11. Mart. 1673. (in qua parochus solius quidem sponsae consensum audiverat, viderat tamen virum annulum tradentem). *Roman.* 6. Aug. 1712. (alleg. V. 23.), *Neritonen.* 14. Iun. 1738., *Neapolitana* 6. Maii 1741.; *Tarentina* 29. Maii 1745. et saep. Contra vero in *Amerina* 12. Ian. 1715., in qua parochus, missam celebrans, nihil nisi utriusque sponsi verba: « Pastor assiste » perceperat et unus tantum testis consensum se audivisse edixerat, consensum renovandum esse iudicavit. (Alleg. V. 23 sq.) Eodem modo in *Romana* 28. Iulii 1730., cum matrimonium contractum fuisset coram parocho ex falsa causa arcessito in loco obscuro et parochus neque quemquam vidisset, neque sponsae verba audivisset, et testes quoque non percepissent sponsae consensum, S. C. censuit renovandum esse consensum ad cautelam coram parocho et testibus iuxta formam Concilii.

65. Exhibitis dubiis: I. An parochus teneatur prohibere, et quantum in se est, positive resistere clandestinis matrimoniis? et quatenus affirmative: II. An ob inopinatum casum deficientibus aliis mediis prohibendi et resistendi, peccet vel male faciat tentando fugam, claudendo oculos et aures obturando? III. An parochi praesentia, de qua loquitur S. Conc. in c. 1. Sess. XXIV. de ref. illis verbis: « qui aliter quam praesente parocho » etc. debeat esse moralis humano modo et cum advertentia, ita ut esse possit testis matrimonii actualiter et de facto contracti, non vero voluntatis contrahendi, vel sufficiat sola praesentia physica seu materialis? IV. An affectante parocho non audire verba vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illo non audiente vel non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum? S. C. rescripsit: « reprobata opinione quod sufficiat praesentia parochi pure physica seu materialis » providebitur in casibus particularibus. *Roman.* 6. Mart. 1700. (alleg. V. 23.)

66. « Gratia Mantona, satellitis olim coniux, et post eius obitum addicta servitio Silverii Luciani, valde honesto loco nati et in Neapolitana curia causarum patroni, induxit sibi in animum, ut fieret uxor Caesaris filii eiusdem Silverii. Itaque ineunte anno 1724 Caesar, cum vix sextum decimum aetatis annum attigisset, incusso a fratribus mulieris gravi metu, sponsalia iniit cum ea tunc annos habente septem ac triginta. Duobus circiter post mensibus ductus sub noctem diei 23. Aprilis fuit adolescens domum parochi, ut cum ea femina matrimonium contraheret. Sed prudens parochus incautum iuvenem ita commonefecit, ut re infecta ambo discesserint. At die 13. Maii eiusdem anni 1724. Gratia M., quae sibi comites adiunxerat fratrem, sororem, aliasque mulieres infimae conditionis, ecclesiam ingressa, dum parochus poenitentium confessiones exciperet, ex improviso ad eius pedes provoluta cum homine, qui palliatus erat naso tenus, haec edidit verba: « *Sì parochiano chisto mi è marito.* « Vicissim vero homo ille, haud quaquam explicato pallio; dixit: « *Sì parochiano, è chesta mia mogliera,* » deindeque parochi obiurgatione perterritus statim fugam arripuit.

Hominem istum fuisse Caesarem Lucianum contendebat mulier. Id vero negabat Caesar. Quaestione circa id instituta

in archiepiscopali curia, res Eminentissimo archiepiscopo visa fuit digna, quae huius S. Congr. definiretur iudicio.

Parochus rem gestam illico exponens curiae archiepiscopali affirmavit, feminam quidem se tunc novisse, non sic tamen novisse hominem, cuius vix mediam faciem potuit aspicere, sed subiunxit: « *Con tutto ciò non mi parve l'istesso Cesare Luciani* » cum quo sermonem habuerat viginti ante dies.

Pluries rite interrogatae fuerunt binae illae mulierculae, quae dicebantur adhibitae tanquam testes matrimonii, itemque tres mulieres, quae forte per id temporis aderant in ecclesia. Sed tum in eorundem testium, tum in aliorum, qui utrinque fuerunt inducti, tanta est varietas non solum circa verba in celebratione matrimonii prolata, sed etiam circa externa signa illius hominis, cum quo matrimonium initum fuit, aliasve circumstantias, ut veritas magnis effusa tenebris videatur; praesertim cum memoratae feminae nec etiam in uno eodemque testimonio persistant, nec sibimet ipsis constent.

Coram promotore fiscali duae illae feminae, quae dicebantur testes matrimonii, recognoverunt Caesarem Lucianum positum inter alios duos iuvenes. Sed huiusmodi recognitioni plura obiiciuntur a Caesare ac illud potissimum, quod facta (ut oportebat) non fuerit inter similes.

Quod vero multum ponderis videtur habere, est testimonium duorum fide dignorum asserentium, se illo ipso die, quo matrimonium initum fuit, vidisse in paterna domo Caesarem L. patri aegrotanti assidentem ab hora circiter decima usque ad quintamdecimam: cum tamen parochus affirmet, matrimonium coram se in sua ecclesia fuisse contractum circa duodecimam et semihoram.

Porro ut Tridentinorum Patrum sanctioni ac menti satisfactum sit, oportere videtur, quod parochus ac testes sic viderint, vel aliter, sed tamen indubie, noverint contrahentes, ut certo possint testificari de matrimonio inter eos contracto, nam alioquin non evitarentur luctuosa illa pericula, quae ex clandestinis matrimoniis manentia avertere voluit Sac. Concilium, ut observant *Gratian.* disc. 849. n. 15. de *Iust.* de dispens. matr. L. III. c. 16. n. 104., *Pax Iordan.* lucubr. L. III. tit. VII. n. 74. et 103. *Tamburin.* oper. mor. de matr. L. VIII. tr. 6. c. 2. §. 3. n. 6., *Biss.* in hierurg. verb. *Parochus* §. 71., *Rota* dec. 634 coram *Burat.* Quos inter doctores aliqui peculiariter etiam agunt de sponsa faciem habente tectam velo. De simili itidem casu plura habentur apud *Ursayam* discept. eccl. T. I. P. II., disc. I. ac praesertim a n. 78. seqq.

Ad dubium: An constet de matrimonio contracto inter Caesarem Lucianum et Gratiam Mantonam, eiusque validitate? S. C. die 13. Iun. 1733. respondit: « *Dilata ad secundam* (scil. sessionem) *et ad mentem.* » In congregatione altera, cum eadem causa tractaretur, inter cetera proponebatur: « Addenda tamen est haec non levis circumstantia, quod scilicet, antequam contraheretur matrimonium, de quo agitur quaestio, non solum sponsalia Caesar cum ipsa Gratia inierat, sed etiam trina proclamatio de matrimonio inter eos celebrando, facta fuerat in ecclesia parochiali, cui subest femina. »

Sac. Congr. vero eodem dubio proposito resp.: *negative Neapolitana* 19. Sept. 1733.

67. « Cum Didacus Archagna adolescens decem et novem annorum et praenobili genere natus deperiret puellam Melitonam Melendez honestissimam quidem, sed filiam miseri fabri lignarii, non dubitavit posthabito generis sui splendore, sponsalia cum illa contrahere, atque ut eam sibi connubio iungeret, postulavit, ut publicae denunciationes remitterentur. Cum autem id impetrare non potuisset, conspiratione facta cum parentibus et fratre sponsae, statuit parochum et testes decipere. Ioannes Melendez sponsae frater advocavit testes, quibus obtrusit se ducere uxorem. Pater sponsae exploravit, num parochus domi suae esset. Convenerunt omnes in domum sponsae, et cum relatum fuisset, parochum domi esse, accesserunt ad eum circa septimam aut octavam noctis horam ingressi obscurum cubiculum, in quo non aliud lumen erat, quam tenue illud, quod emittebatur e lucerna, quae ardebat in alio sequenti cubiculo, in quo erat parochus, qui cum amicis suis sermones habebat. Melitona obducta erat peplo hispanico seu ut dicitur mantiglia, ita ut impossibile esset ut dignosceretur quaenam esset, imo an vir esset an femina. Vocatus parochus nomine Didaci Archagnae, illico exiit e cubiculo relictis amicis, rogavitque Didacum quid vellet. Respondit ille: *Padre curato lei sia testimonia,* et Melitonae manum apprehendit, ut parochus retulit, vel ut testes matrimoniales habent « *una parolina padre curato, una freddura padre curato.* » Suspicio illico iniecta est parocho, Didacum velle matrimonium contrahere, et clamavit, aures suas obstringens: « non sento, non sento; che bricconeria è questa. » Hoc strepitu parochi perterrefacti testes, Di-

dacus, Melitona fugam arripuerunt; parochus fugientes insecutus arripuit Melitonam peplo, sed illa dimisso peplo e manibus parochi elabi potuit, et porta aedium parochi egressa cursu pervenit ad Didacum, qui cum Melitona eiusque fratre Ioanne atque uno ex tribus testibus matrimonii, recta pergens ad pontem civitatis, apud quem reperto, quem pridem paraverat, equo, eum inscendit una cum Melitona omnesque Origuelam versus iter fecerunt. Sed cum in eam civitatem venire non possent, diverterunt in hospitium, in quo pluries ex nocte matrimonium consummarunt. Mane Origuelam perventi opem praesidiumque imploravit Didacus ab illius civitatis episcopo et de matrimonii sui validitate theologos consuluit.

Parochus dilapsa ab eius manibus Melitona, dimisso, ut diximus, peplo pro tempore ipse refert cognovisse eam esse feminam. Querelam illico detulit ad vicarium capitularem sede tunc episcopali vacante, in qua factum integre exposuit, negans agnovisse feminam, quam feminam esse tunc novit, cum peplum detractum fuit in actu eius fugae, ac superveniens aedituus, audito Didaci nomine, statim coniecit feminam fuisse Melitonam Melendez. Vicarius igitur decrevit, inquisitionem faciendam esse de Didaco, Melitona, testibus. Duo ex his sese in locum immunem receperunt; parentes Melitónae in carceres coniecti fuerunt. Nunciatum est, Didacum, Melitonam, fratrem eius et testem esse Origuelae; requisitus igitur fuit vicarius generalis Origuelae, ut rei traderentur. Traditi fuerunt et in carceres coniecti. Constituti Didacus et Melitona fassi sunt protulisse verba mutuum consensum exprimentia, matrimonium consummasse et sese gessisse pro viro et uxore. Formiter quoque ter examinati fuerunt parentes et fratres Melitonae, parochus et testes, quorum duo sponte sese in carceribus constituerant. Tandem lata fuit sententia in iudicio criminali, et damnati fuerunt Didacus, Melitona eiusque parentes et frater. Appellavit ab hac sententia Melitona, sed appellatio in devolutivo tantum admissa fuit. Inceptum inde fuit iudicium civile validitatis vel nullitatis matrimonii; Didacus enim declaravit validitatem impugnare velle; iterum igitur repetiti fuerunt Didacus, Melitona, parentes et frater Melitonae, parochus et testes, neque id satis fuit, nam quinto hi omnes repetiti fuerunt, postulante defensore matrimonii.

Post longas moras sententiam tulit curia ecclesiastica Carthaginensis, in qua pronunciavit, non constare de validitate matrimonii, et damnavit Didacum ad dotem ducatorum quingentorum Melitonae solvendam. Appellavit ab hac sententia Melitona et iudex a nunciatura apost. datus, repetito sexto examine, sententiam tulit, qua revocavit priorem episcopi Carthaginensis, et censuit constare de validitate contracti matrimonii. Appellavit Didacus ad ipsum nunciaturae tribunal, a quo sententia lata fuit, qua, revocata sententia secundi iudicis, confirmata fuit sententia episcopi, nisi in ea parte, quae de dote est, quae aucta fuit ad ducatos bis mille. Appellavit iterum Melitona ad hoc sacrum tribunal, et cum causa nunc proponitur, urget ad probandum matrimonium vere ea nocte contractum fuisse per verba mutuum consensum exprimentia, ut narrarunt Didacus, Melitona eiusque mater et frater, actus omnes antecedentes, concomitantes et subsequentes, quos singulos diligenter expendit, quique ex hactenus relata historia facile possunt dignosci, neque ullam rationem habendam esse contendit de testibus, quos subornatos et corruptos a consanguineis Didaci probare conatur. Ipsum iudicem Carthagin. accusat ipsumque parochum. Dubium est: An constet de validitate matrimonii? Resp. fuit: « *Iterum proponatur et scribant duo theologi et canonistae pro veritate ex officio.* » His igitur electis traditi fuerunt libelli hinc inde a partibus scripti, neve in causa diffusa a scopo aberrarent, propositum singulis fuit dubium sive quaestio, de qua consulebantur, his verbis: « Quaeritur, an validum sit matrimonium contractum coram parocho, qui alterutrum ex contrahentibus identifice et individuo non cognovit, nec cognoscere potuit vel propter noctem et obscuritatem loci vel propter tegumentum, quo operiebatur, licet adhibuerit omnem diligentiam, ut cognosceret, etiam cum aliquali violentia, coram testibus, et quamvis iidem testes ad matrimonium perducti scirent, quis ille esset et parochus non simultanee, sed successive et post factam ordinario relationem eiusdem matrimonii, certior factus fuerit de illius identitate ex subsecuta inquisitione? » Scripserunt itaque duo theologi, scripserunt duo canonistae, theologus alter validum hoc matrimonium censuit, nullum vero illud esse responderunt alter theologus et duo canonistae.

Sac. Congr. denique resp.: *Affirmative* pro validitate matrimonii attentis facti circumstantiis in casu de quo agitur. » *Carthaginen.* 14. Mart. 7. Apr. 1. et 22. Sept. 1753.

—

68. Cum in quibusdam dioecesibus mos inolevisset celebrandi matrimonia secreta seu conscientiae, propositae fuerunt ab episcopis quibusdam quaestiones: I. An licita sint praedicta matrimonia? et II. An istantibus interesse habentibus eis tradenda sit authentica fides matrimonii contracti? d. 9. Sept. 1724. Sed S. C. d. 9. Dec. ei. anni ad utrumque dubium rescripsit *ad mentem*, scil. differendum censuit iudicium, donec mature perpensa et constituta fuissent quae necessario requirerentur ad haec matrimonia licite perficienda. (*Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 23.) Tandem quaenam tum in contrahendis eiusmodi matrimoniis, tum in custodiendis liberis inde ortis ab ordinariis locorum servanda sint, Benedictus XIV. constituit in litteris *Satis vobis* 17. Nov. 1741. quae in huius libri appendice leguntur.

—

69. Matrimonium contractum per procuratorem, postquam mandatum procurae ante illius celebrationem libere fuit revocatum a mandante, etsi revocatio procuratori ignota fuerit, declaratum fuit nullum in *Eugubina* s. *Perusina* 5. Iulii 1727.

70. « Ioannes Baptista Bassano Burgundus et olim chirurgus cuiusdam legionis Gallorum militum Neapoli sub annum 1706 moram trahens, ad evitandas violentias, quas ei dux quidam in dies minabatur, ut Genovefam Aloysiam des Cappellas in domo eiusdem ducis commorantem scenicamque artem in publicis theatris agentem sibi in uxorem adiungeret, folium quoddam a se, ut asseritur, in albo subscriptum in manibus ducis reliquit, indeque Taurinum profectus, postquam in ea civitate aliquo temporis spatio consedit, Viennam progressus est, ubi anno 1715 praemissis consuetis denunciationibus coram parocho et testibus matrimonium iniit cum Maria Catharina Benedettin et ex ea filiam nomine Mariam Ioannam suscepit, deindeque, Maria Catharina defuncta, anno 1725 in uxorem duxit Mariam Ioannam Waldener, cum qua adhuc vivere praefertur.

Interea vero memoratus dux post discessum Ioannis Baptistae e civitate Neapolis curavit in nunciato folio sibi tradito exarari mandatum procurae in personam Ioannis Antonii Sittomazure sui familiaris ad contrahendum matrimonium nomine dicti Ioannis Baptistae cum praefata Genovefa, quemadmodum re ipsa sub diem 9. Maii 1706 coram parocho et testibus contractum fuit. His ita peractis, nonnisi circa finem superioris anni post obitum Genovefae in xenodochio S. Eligii eiusdem civitatis Neapolis die 20. Iunii 1734 secutum sacpedictus Ioannes Baptista Bassano Viennae adhuc degens supplicem Sacrae huic Congr. libellum porrexit, quo postulavit, nullum declarari matrimonium cum Genovefa suo nomine initum, legitimam vero prolem a se ex altero matrimonio conceptam. Cumque super eius precibus auditi iam fuerint ambo archiepiscopi Viennensis et Neapolitanus, contingit modo ad ipsius istantiam bina infrascripta dubia supremo EE. VV. oraculo definienda proponere.

—

Porro ad evincendam matrimonii nullitatem totus in eo est Ioannes Baptista, ut ostendat enunciatum folium in albo subscriptum non alio prorsus consilio a se traditum fuisse praefato duci, nisi ut assiduas gravium malorum minas sibi ab eodem duce intentas evaderet, cum de cetero nullum unquam habuerit animum constituendi procuratorem, a quo matrimonium cum Genovefa suo nomine contraheretur. Id vero satis compertum fieri putat tam ex pluribus circumstantiis, quae in tota facti serie deprehendantur, tum ex depositione ferme concordi quatuor testium (— qui de metu edicebant —), tum denique ex declaratione per ipsam Genovefam usque ab anno 1718. coram notario et testibus subscriptam, in qua sic legitur: « Dichiaro io sottoscritta, come il matrimonio, che qui in Napoli nella chiesa parochiale di S. Matteo per procura tra me ed il Signor Giovanni Battista dei Bassano fu contratto, non vi fu la sua libera volontà, ma una mera et pura forza et potenza del fu duca etc. minacciandolo della vita, se tal' atto non faceva, che però conoscendo io essere detto matrimonio invalido, e nullo, ne fo' la presente dichiarazione, affinchè il detto Bassano non resti per tal' effetto in cosa veruna pregiudicato » etc.

Protestatus iam fuit expresse coram amicis post subscriptum in albo illud folium, hoc ita egisse ob vim et metum sibi incussos absque animo ineundi matrimonium cum Genovefa. »

Sac. Congr. resp. de nullitate matrimonii constare in *Neapoli*. 7. Iulii 1736.

—

III. DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS ET ANNULLATIONE.

A. *Impedimentum vis ac metus.*

71. Vir mulierem stuprasse et praegnantem reddidisse accusatus in carceremque deiectus, cum ei a iudice conditio imponeretur aut ducendi puellam istam aut eam dotandi, aut in triremes condemnationem subeundi, primum eligens matrimonium

cum ea coram parocho substituto iniit, denunciationibus per dispensationem remissis. Matrimonium consummatum non fuit, et stuprum antecedens non nisi fama et mulieris verbis constabat. Viro matrimonium utpote nullum ex vi ac metu impugnante, resc. fuit: matrimonium esse invalidum. *Farfen.* 26. Mart. 1707. (IX. P. II. 127.

72. Mulier quaedam, metu a patre illato coacta matrimonium iniit et *per quatuor menses invita cum viro cohabitavit;* ex ipsius vero viri confessione constabat, eam semper debitum recusasse. Fama de mariti morte allata, cum alteri nupsisset, actum est de priori matrimonio, quod nullum fuisse S. C. declaravit. *Panormitana* 8. Iun. 1720.

73. « Cum rumor increbuisset, quod Catharina Arcudi de terra S. Petri in Galatina dioecesis Hydruntinae stuprum passa fuisset a Clerico Antonio Lobello ipsi in secundo consanguinitatis gradu coniuncto, memoratus Clericus Antonius, ne quid adversi pateretur, se transtulit ad conventum patrum Capuccinorum eiusdem terrae, et ad aliud subinde transivit confugium.

Pater, frater ceterique Catharinae consanguinei, ut matrimonium inter ipsam et Clericum Ant. sequeretur, ad Neapolitanum proregem recursum habuerunt, et ab eodem obtinuerunt, quod Thomas Lobellus, Antonii pater, carceribus manciparetur in regio castro Gallipolio, et quod deinde a castro Gallipol. ad aliud Pescariae in Aprutio transportaretur, quodque matri et sorori germanae Antonii domus pro carcere assignaretur, et quod demum alter eiusdem frater clericali licet militiae adscriptus in castro Brundusino carceratus remaneret, arreptoque ab altero ex fratribus Catharinae itinere ad Urbem, exhibitoque SSimo D.N. tam nomine Catharinae quam nomine Antonii supplice libello pro gratia dispensationis super secundo gradu ob copulam secutam, post expeditam gratiam ipsamque pro exsecutione commissam archiepiscopo Hydrunt., fuit ab eo data parocho assistendi matrimonio licentia, matrimonioque contracto die 19. Nov. 1714. in ecclesia patrum Reformatorum terrae Galat. cum omnibus debitis solemnitatibus, Io. Th. Clerici Antonii pater fuit illico e carceribus liberatus, nullaque interposita mora Antonius a patria discessit, nec ad eam unquam reversus est, uti desumitur ex informatione vicarii capitularis ad hanc S. C. transmissa.

Matrimonium hoc Antonius praetendit nullitate laborare utpote contractum per vim et metum cadentem in constantem virum, metumque constituit in supra recensita facti serie, in carcerationibus videlicet proprii parentis aliorumque sibi coniunctorum, et ad propriae aversionis comprobationem, nec non ad ostendendum, quod ad contractum matrimonii devenit ut se suosque a vexationibus liberaret, testes exhibet religiosos, quibus suam ante matrimonium patefecit voluntatem; nec non protestationem a se emissam coram patre guardiano Capuccinorum aliisque sacerdotibus die 7. Oct. 1714. in qua inquit, quod, si unquam aut per verba de futuro aut per verba de praesenti in facie ecclesiae matrimonium cum Catharina esset contracturus, illud contractum intelligi deberet non libero, sed coacto consensu et ad effectum praedictum suam liberandi domum ab excessivis molestiis. Pro eodem assumpto affert supplices libellos a se sacris Congregationibus porrectos, in quorum altero ante contractum matrimonium exaggeravit nomen suum fuisse dolose et citra suam intentionem appositum in precibus, in quibus SSimo D. N. supplicatum fuit pro obtinenda dispensatione in secundo gradu ob copulam secutam. Ponderandum denique proponit suum immediatum a patria discessum ab ordinario in sua relatione et a testibus comprobatum, et quia bene novit, sibi a Catharina esse opponendam declarationem, in qua confessus est, se cum ea rem habuisse sub spe futuri matrimonii, inquit, declarationem eodem defectu laborare, quo laborat matrimonium, cum eam emiserit, ut Io. Th. genitorem, qui in castro detinebatur, liberaret, iuxta revocationem declarationis a se subinde factam.

Fuerunt haec omnia bene ponderata et examinata in hac Congr., cum EE. PP. punctum causae consistere arbitrati fuerint in probatione stupri, quod ab Ant. Lob. commissum dicebatur cum Catharina, quodque commissum credi non poterat nisi sub expressa fide matrimonii, ex quo agebatur de honesta puella, quaeque ortum ducebat a familia principaliori inter eas S. Petri in Galatina, quasi quod, concurrente qualitate stupri, matrimonium nullum dici non posset, licet fuisset meticulose contractum, iuxta late deducta per *Raynald*, T. II. observ. crim. c. 23. §. 4. n. 66. seqq.; hinc factum est, quod in Congregatione nulla fuit super validitate vel invaliditate matrimonii capta resolutio, sed tantummodo dictum est, quod coadiuvarentur probationes iuxta instructionem.

Descendendo ad instructionem, cum praecipua probatio stupri desumeretur ex attestationibus extraiudicialibus, cuiusdam

sacerdotis Dulcii, nec non Io. Graeci pharmacopolae, qui confessionem quandam extraiudicialem Antonii de stupro commisso enarrabant, fuit in instructione demandatum, quod vicarius capitularis Hydruntinus utrumque ex dictis testibus examini formali subiiceret, et quatenus Ioannes renuisset examini se subiicere, procederet adversus ipsum ad censuras : cumque habita fuerit notitia, quod aderat in Urbe vir ecclesiasticus qualibet exceptione maior, qui totam seriem petitae et obtentae dispensationis sciebat, et signanter, an eadem fuerit petita etiam de consensu Antonii et eius genitorum, fuit mihi demandatum, ut eum extraiudicialiter audirem, et eius sensum Sac. Congregationi oretenus patefacerem, prout alias paulo ante factum fuerat in alia causa nullitatis professionis Pallavicinae.

Cohaerenter ad haec fuerunt datae litterae ad vicarium capitularem Hydruntinum, qui commissum munus adimplevit. Proposita igitur hac causa iterum in congregatione habita die 23. Aug. 1721, cumque tunc non fuerit resoluta, proposito in sequenti congregatione habita die 13. Sept. eiusd. anni dubio: An matrimonium sit validum in casu? responsum fuit *affirmative*. Impetrataque ab Antonio Lobello nova audientia quaesitum fuit: An sit standum vel recedendum a decisis? S. Congr. die 21. Nov. 1721. respondit : « *In decisis* et *amplius* ». *(Hydruntina.)*

74. « Anna de Ambreville musicae artis peritissima, uti fertur, femina instat pro declaratione nullitatis matrimonii a se per verba de praesenti contracti die 4. Febr. 1720., omissis de licentia ordinarii publicationibus, cum Annibale Traerio in oratorio domus comitis Annibalis de Saxes coram ipso et eius filio tanquam testibus et coram parocho S. Vincentii habilitato ab eodem ordinario ad assistendum matrimonio, cum non esset parochus contrahentium, eademque Anna instat pro nullitate, non obstante, quod de mense Iulii 1722. a vicario generali Mutin. fuerit pronunciata sententia super obligatione praestationis erga Annibalem obsequiorum matrimonialium, parum urgentibus usque deductis pro invaliditate matrimonii, quae iudex declaravit nec obstetisse nec obstare.

Fundamentum Annae constituitur in hoc, quod matrimonium ab ipsa contractum cum Annibale fuit simulatum, in quo rerum themate non est obligatorium iuxta text. in c. *Nos* de sponsal. Et quia ad effectum probandi in foro fori simulationem, doceri debet de causa simulandi et de coniecturis et circumstantiis simulationem suadentibus : causa simulandi reponitur in hoc, quod, cum per quatuor menses Anna fuisset detenta in fortalitio Mutinae, ne matrimonium contraheret cum quodam nobili iuvene, qui eius erat amore captus, eidemque fuisset notificatum, quod egressum e fortalitio nunquam esset consecutura, nisi aut cum alio viro non disparis, sed aequalis conditionis matrimonium de praesenti contraheret, vel professionem religiosam inter moniales emitteret, alius sibi non supererat modus libertatem consequendi, quam matrimonium simulando, et illud de facto contrahendo, sed ficte tantum et apparenter, et absque animo se obligandi.

Transeundo ad coniecturas sive circumstantias, prima desumitur ex epistolis ab Anna ante matrimonium conscriptis, et Mediolanum ad abbatem Maggium transmissis, et ex eiusdem abbatis responsionibus, ex quibus colligitur, mulierem ab abbate requisivisse, ut virum callidum inveniret, qui aptus esset ad simulationem, eidemque subinde notificasse, quod Annibalem Traerium invenerat, cum quo erat matrimonium simulatura, quod consilium ab abbate fuit approbatum.

Secunda eruitur ex ipsa lectura capitulorum matrimonialium, quae ante matrimonium concordata fuerunt; in illis etenim conventum est, quod futuri coniuges deberent in separatis domibus degere unusquisque propriis expensis usque ad proxime futurum mensem Maii; ex hoc quippe insolito pacto ad simulationem arguitur, et multo magis, quia, cum secuto matrimonio mulier adigeretur ad conficiendum dotale instrumentum, et delata huiusce rei notitia ad abbatem Maggium, ipse respondisset, nullum ex instrumento praeiudicium in Annam derivare posse, ex quo causa simulandi adhuc perdurabat, deventum quidem fuit die 13. Februarii ad stipulationem instrumenti, sed in eo renovatum fuit pactum de non cohabitando usque ad supradictum mensem Maii.

—

Tertia est, quod teste etiam episcopo praedictum pactum exsecutioni fuit mandatum; cumque die 15. Febr. et sic paulo post stipulationem instrumenti dotalis, ex quo nulla amplius supererat apud ignaros simulationis dubitatio de validitate matrimonii, facile fuerit mulieri iuxta abbatis consilium una cum Annibale accedere sub praetextu cuiusdam necessitatis ad civitatem Mantuae, sic res disposita fuit, ut uno die citatis equis iter perficeretur, nec sub eodem tecto insimul pernoctarent; quin-

immo cum statim ac Anna ad civitatem Mantuae pervenit, accesserit ad principem gubernatorem, eique coram Annibale totam rei seriem aperuerit, et statim apud honestam matronam se receperit, et deinde ingressa sit conservatorium S. Francisci Tertii Ordinis, et in foro ecclesiastico protestationem emiserit de nullitate matrimonii ex capite simulationis, non una sed multiplex dicitur in hoc rerum complexu adesse simulationis coniectura.

Quarta tandem infertur ex attestatione ipsius Annibalis Traerii exarata die 26. Dec. 1723., in qua praevio iuramento asserit, primo se ante Annae carcerationem in fortalitio Mutinensi cum ea locutum non fuisse; secundo, se in fortalitium ingressum fuisse, ut instrumentum musicale aptaret; tertio se mulieri notificasse, quod non erat e carcere egressura, nisi monialis fieret aut matrimonium contraheret, eamque idcirco requisivisse, ut se in maritum duceret; quarto fuisse ab Anna responsum, se nolle verum matrimonium contrahere, sed illud fingere velle ipsiusque auxilium hac de causa implorasse, uti fusius legitur in dicti Annibalis attestatione, in qua iter ad civitatem Mantuanam et cetera super exposita confirmat.

Fundamento simulationis aliud pro nullitate matrimonii superadditur fundamentum a defensoribus Annae, quod videlicet contractum fuit propter metum cadentem in constantem mulierem, ut ipsa videlicet e carcere liberaretur, et eo fortius, cum idem matrimonium contractum quidem fuerit extra fortalitium, sed in capella privata domus comitis gubernatoris eiusdem fortalitii, ad quam a fortalitio traducta est, clausis eiusdem domus ianuis, parum urgente, non fuisse ipsam adactam ad contrahendum matrimonium cum determinata persona, quia iuxta veriorem sententiam laeditur libertas matrimonii, illudque idcirco nullum est, sive quis compellatur ad illud contrahendum cum una determinata persona, sive absolute et simpliciter adigatur ad illud ineundum, relicta libertate ineundi cum indeterminata persona, uti late docent *Sanchez* de matr. L. IV. disp. 12. n. 20., *Pontius* eod. tr. lib. 4. n. 14., *Salmanticenses* in cursu theol. mor. T. II. tr. de matr. c. 9. punct. 3. n. 39. et 40., *Clericat.* decis. 27. de matr. n. 35.

Haec et alia continentur in scripturis et summariis pro Anna exhibitis; praeter haec autem operae pretium esse censui perlegere processum in curia episcopali Mutinensi compilatum, et breviter sub oculis EE. PP. exponere ea, quae in ipso continentur.

Porro, omissis iudicialibus actis et Annae protestationibus de non tuto accessu ad civitatem Mantuae et de impotentia reperiendi idoneum procuratorem, tres in eodem exstant extraiudiciales attestationes, quibus procurator Annae ex officio a iudice datus opposuit, deferendum non esse.

Prima est cuiusdam Bernardi Cervatti, qui testatus est, se de ordine genitricis Annae ipsam Annam interrogasse tam in fortalitio quam in domo gubernatoris, an libenter Annibalem in maritum duceret, ipsamque affirmative respondisse et eum rogasse, ut matrimonii conclusionem solliciaret.

Secunda est cuiusdam Lotarii Bassoli, qui hoc ipsum, hoc est Annae propensionem ad matrimonium cum Annibale contrahendum confirmat, de auditu tamen ab officiali fortalitii, subditque se ea de causa Bononiam accessisse, ut sermonem haberet cum patre Annibalis, qui etiam Mutinam venit, ut matrimonium inter filium et Annam contraheretur.

Tertia est Iosephi M., qui est officialis modo memorati fortalitii, quique refert, sese saepius Annam audivisse nullatenus de matrimonio, quod erat cum Annibale contractura, conquerentem, sed plene approbantem, licet saepius admonita esset a gubernatore fortalitii, quod serio cogitaret, cum de maxima re ageretur, ut in proc. p. 48. et 49.

Praeter has attestationes extraiudiciales adsunt bina iudicialia testimonia comitis Annibalis Saxi gubernatoris fortalitii et Beatricis eiusdem uxoris, sed cum haec testimonia in summario referantur, nec aliquid relevans sit quoad ea in processu, quod non fuerit insertum in summario, nihil mihi quoad ea superaddendum idcirco esse videtur. His positis onus erit EE. VV. in praesenti decernere: An matrimonium sit nullum? S. Congr. die (19. Aug. 1724.) 9. Iunii 1725. respondit: *Affirmative et amplius.* » *(Mutinen.)*

—

75. « Die 31. Martii 1711. contractum fuit matrimonium coram parocho et testibus inter Gratiam Mariam Cicalam, et Iosephum Moscam; cumque exorta controversia super eius validitate, vicarius capitularis pro nullitate pronunciasset, delata causa ad hanc S. Congr., facta fuit actorum transportatio, et exquisita fuit informatio episcopi hoc interim ad ecclesiae regimen assumpti, qui sensit, matrimonium esse validum, et in praesenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Ne iura Gratiae Cicalae propter eius paupertatem indefensa remanerent, commissum fuit Dominico Spinello, ut ea gratis deduceret, idemque strenue suum munus adimplevit, uti colligitur ex eius scriptura per manus circumferenda.

Per multum temporis spatium familiaris intercesserat et secreta conversatio inter Gratiam et Iosephum, et scribens pro Gratia contendit, eam fuisse a Iosepho stupratam, et filiam edidisse, et licet nuncius Cicalae Gratiae frater, qui pluries Iosephum admonuerat et admoneri fecerat, ne ad eius domum accederet, hora secunda noctis una cum tribus aliis sociis domum ingressus Gratiam et Iosephum conversantes invenisset, vocatoque parocho fuerit coram eo et testibus matrimonium contractum, rem tamen totam sic se habuisse dicitur, ut nullus fuerit incussus metus, ita ut de validitate matrimonii rationabiliter dubitari non possit; refertur etenim, nuncium placidis et suavibus verbis, et absque ullo armorum strepitu vel minis Gratiam et Iosephum hortatum fuisse, ut proprio consulerent honori, si carnale commercium inter se habuissent, et quod nihil ab ipsis praetendebat, si honestam inter se habuissent conversationem; hinc inferendo, quod, si Iosephus commercium illicitum confessus est et subinde devenit ad celebrationem matrimonii, dici nunquam valeat, quod illud contraxerit per vim et metum; negando enim commercium illicitum potuisse liberum evadere, et a contracto matrimonio abstinere. Et quamvis ab aliquo ex adstantibus nonnulla verba increpatoria fuerint prolata, et aliqui ex eis prae manibus baculos haberent, respondetur nihilominus, metum gravem ex verbis non inferri, et baculos non ad alicuius offensam, sed ad ornatum personarum eos habentium gestatos fuisse.

Plura alia ad huius assumpti comprobationem afferuntur a scriptore pro Gratia; cumque Iosephi iura ad me delata non fuerint, ea referre non possum, nihilque aliud superest, quam ut ex iuribus circumferendis dignentur EE. VV. decernere: An matrimonium sit validum? S. Congr. die 1. Sept. 1725. resp.: *Affirmative» (Gravinen.)*

76. Aliquis accusatus stupri cuiusdam puellae, cum id negaret eamque in matrimonium ducere recusaret, in carcerem detrudi iussus fuit. Carceris metu permotus ad puellam ducendam se obtulit, animo se liberandi, non vero verum ineundi matrimonium. Quare paulo ante matrimonium celebrandum coram notario et testibus protestatus est, se unquam mulierem illam stuprasse sive ei fidem dedisse, atque matrimonium initurum esse declaravit dicis tantum causa, ut liberaretur. Quod statim ac celebratum fuit, extemplo, ne sponsa quidem salutata, discessit, neque ullo temporis momento cum ea cohabitavit. Patre puellae mortuo, haec ipsa confessa est, se stupratam ab illo viro non fuisse neque ob aliam causam id dixisse nisi ad exsequendam patris voluntatem. Instante viro matrimonium declaratum fuit nullum. *Compostellana* 18. Mart. 1731.

77. Dominicus de Barricellis de matrimonii ipsum inter et Iosepham Suriani initi nullitate egit propter metum, quo ab uxoris fratre et patre se ad contrahendum coactum esse contendit. Repulsam passus ab episcopo, S. Congregationem imploravit. Cum vero constaret, eum cum Iosepha familiarissimum usum habuisse et illius patrem et fratrem, cum ineunte, quo matrimonium initum est, die in Iosephae cubiculo eum invenissent, minis tantum et exhortationibus eum ad purgandam mulieris turpitudinem compulisse, iustum illum metum fuisse itaque validum matrimonium esse iudicavit. *Crotonien.* 18. Iun. 1735., Similiter. S. C. iud. in *Ventimilien.* 24. Apr. 1700., *Lycien.* 23. Apr. 1701.

78. Parentes filiam unicam tredecim annos natam viro alicui coniuncto sanguine, impedimenti consanguinitatis venia impetrata, nubere iusserunt. Virgo deprecata est matrem, ut illas nuptias averteret; quae ei colaphum incussit ornatumque omnem a capite deiecit. Puella, cui omnis libertas adempta erat, signis apertissimis tam parentibus quam viro aliisque animum repugnantem monstravit; pater vero eam se esse exheredaturum comminatus est. Itaque matrimonium initum est, cuius tamen consummatio refragante uxore nunquam locum habuit. Demum uxor a marito aufugit ad parentes, quibuscum nullitatem imploravit. De matrimonii nullitate constare, resp. S. C. in *Luceorien.* 17. Iul. 1745.

79. Vir quidam a muliere, quae a tertio libenter stuprum passa erat, accusatus fuit, ut infamiam suam tegeret, illati stupri violenti. In carcerem deiectus a principe, cuius uxor sororem illius mulieris familiarem habebat, ut se liberaret, conditionem ducendi accusatricem accepit, et catenis vinctus coram parocho, testibus barone eiusque uxore aliisque, voce tremula vultuque contorto consensum expressit. Cum uxore non cohabitavit, immo eam actu coniugii foedus violantem invenit cum viro, qui antea eam stupraverat. Mortuo

illo principe eiusque uxore, metuque sic sublato, matrimonium nullitatis accusavit. S. C. censuit: constare de nullitate, in *Tridentina* 14. Maii 1746.

—

80. « S. Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum saepius respondit, hodie post Trid. Concil. matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus eiusdem Concilii forma. *Hispalen.* 20. Iun. 1609., *Constantinopolit.* 2. et 16. Dec. 1634. (rel. III. 293.)

81. Matrimonium, servata forma Conc. Trid. initum non est revalidandum repetitis solemnitatibus, si impedimentum sit *occultum. Caeneten,* 10. Apr. 1723., §. Exclusa et sq.

82. « Agitur de matrimonio contracto inter Marcum Brunum et Ioannam Soldani, et quaeritur, an illud sit nullum, necne.

Porro ex attestatione extraiudiciali et formali examine abbatis Horatii Borelli, qui tanquam parochus dicto praestitit assistentiam matrimonio, et ex testibus matrimonialibus et aliis probationibus fuse legendis in summario Marci haec habentur:

Primo, quod ipse parochus, dum erat in publica civitatis Vigil. platea, vocatus fuit a Nicolao Soldano sub obtentu, quod eius pater, qui e fabrica quadam cecidisse dicebatur, confessionem sacramentalem instante mortis periculo facere volebat. Secundo, quod domum, ad quam vocatus fuerat, ingressus invenit Nicolai fratres armis stipatos et in quodam obscuro cubiculo Marcum Brunum vulneratum et sanguine undique manante conspersum.

Tertio, quod Marco Bruno implorante parochi auxilium et exponente, se fuisse iniuste verberibus concussum, Nicolaus ipsi parocho demandavit, ut Marcum cum Ioanna sua sorore matrimonio coniungeret.

Quarto, quod Marco adversus hoc matrimonium fortiter reclamante, et saepe parochum interrogante, an esset necne futurum validum, si illud in eo statu contraheretur, res eo devenit, ut parochus memoratus, instante mortis periculo, ab ipso obtinuerit, ut sacramentaliter confiteretur.

Quinto, quod expleta confessione Marcum matrimonio coniunxit cum Ioanna coram tribus eiusdem fratribus, et tribus mulieribus in eodem cubiculo adsistentibus.

Sexto, quod excitata a fratribus Ioannae quaestione, an propter interessentiam consanguineorum dubitari posset de validitate matrimonii, eorum opera vocati fuerunt bini sacerdotes, coram quibus Marcus coactus fuit, ut etiam coram parocho iterum matrimonium cum Ioanna contraheret.

Ad horum omnium comprobationem afferuntur depositiones medici et chirurgi, qui de multiplicitate vulnerum, et quidem mortalium Marco Bruno illatorum plenum testimonium reddiderunt, et aliorum, qui testati sunt, fratres de Soldanis, et eorum etiam mulieres, secuto facto statim ad ecclesiam confugisse: et ab his omnibus, aliisque pluribus in scriptura et summario legendis infert Marcus, matrimonium a se contractum cum Ioanna nullum esse, utpote contractum propter vim et metum cadentem in constantem virum.

Et quia idem Marcus nonnulla praevidet sibi a Ioanna opponenda, primo videlicet, quod eius domum fuerat ingressus, ut secum copulam haberet, et quod a suis fratribus pro vindicanda iniuria percussus obtulerit, se eam in uxorem ducturum, et secundo, quod ante matrimonium contractum fuerat ab ipso stuprum passa sub spe legitimi coniugii, et tertio demum, quod post contractum matrimonium ad eius domum iterum accessit, plura in facto et in iure deducit ad haec obiecta de medio tollenda.

Et in eo quidem, quod attinet ad factum, memoratas omnes circumstantias inquit inniti nonnullorum testium assertioni, qui magnas patiuntur in personis et in dictis exceptiones in eius scriptura fuse legendas.

Et in eo, quod spectat ad ius, quidquid sit de quaestione speculativa, quae promovetur a doctoribus ad ornatum textus in cap. *Veniens* de sponsal., an videlicet valeat matrimonium ab eo contractum, qui a consanguineis mulieris deprehensus se eam obtulit in uxorem ducturum, ut minas mortis evaderet sibi illatas non ad praecipuum finem, ut matrimonium contraheretur, sed ad effectum iniuriam ulciscendi, inquit, in praxi et in foro matrimonia haec nullitatis vitio laborare, statim ac constat, fuisse contracta post metum ab armatis illatum, et eo fortius post mortalia vulnera inflicta, uti ad rem bene ponderant *Sperell.* Dec. 6. num. 10., *Raynald* in supplem. ad cap. 23. suppl. 5. n. 55. Supposito quoque antecedens stuprum sustinet in iure non relevare etiamsi matrimonii promissis accessisset, cum, attenta disparitate inter se et Ioannam tam ratione natalium quam ex causa divitiarum, potuisset ipsa iuxta communem doctorum assertionem bene cognoscere promissionem matrimonii factam fuisse, ut stuprum extorqueret, et sine animo eam exsequendi, *Sanchez* de matr. L. I. disp. 10. qu. 1. n. 5.; et loquendo demum de novo ad domum

accessu post contractum matrimonium, concludit, eum in puncto iuris nullam constituere relevantiam; supposito quippe metu, et quod matrimonium contractum fuerit dependenter a metu cadente in constantem virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a Conc. Trid. praescripta, iuxta resolutionem S. Congr. in *Hispalen.* 20. Iun. 1609. L. XI. Decr. fol. 58. a tergo, ibi: «Sacra etc. saepius respondit, hodie post. Trid. Concilium matrimonium metu contractum et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus eiusdem Concilii forma» et iuxta aliam resolutionem in *Constantinopolitana* 2. Dec. et 16. Dec. 1634., uti habetur L. XV. Decr. fol. 130. et fol. 140. a tergo. Quae alia esse possint iura Ioannae ignoro, cum eius scripturae ad me delatae non fuerint, et sic nihil aliud superest, quam ut visis videndis dignentur EE. VV. decernere. An constet de nullitate matrimonii? S. C. die 23. Iunii 1725. resp.: «Proponatur in prima etiam unica, et distribuantur scripturae omnibus Eminentissimis;» die 13. Iul. 1725. resp.: *affirmative*, et die 22. Sept. 1725. dubio proposito: an sit standum in decisis? respondit: *In decisis et amplius.*» (*Vigilien.*)

B. *Impedimentum erroris.*

83. «Moram trahens Augustae Vindelicorum Ioseph Buro negotiator et civis Bruxellensis, qui in societate mercatorum, quae nuncupabatur de Chancartier, receptus fuerat et ob id nomen acceperat Buronis de Chancartier, amore percitus Mariae Teresiae Kraus viduae baronis de Leyden, die 21. Mart. anni 1742. illam servatis omnibus ecclesiae solemnibus duxit uxorem. Post nuptias contractas placuit coniugibus Monachium concedere, ubi Ioseph relicta uxore, quae utero ex eodem Iosepho gerebat, Bruxellas repetiit. Maria Teresia viro absente die 20. Maii anni 1743. filium enixa est, cui nomen inditum, cum lustralibus aquis lavaretur, Petri Pauli, additumque est libris nominalibus seu baptismalibus: «Iosephi Buronis de Bruxella, et Mariae Annae Teresiae de Krausin Tirolensis eius uxoris filius legitimus.»

Emenso anni spatio Monachium rediit Buro, et uxoris animum abalienatum invenit, quae noluit eum recipere, imo continuo iudicium nullitatis matrimonii instituit in curia Frisingae, quod a viro decepta fuerit, qui nobilitatem mentitus sese iactaverat liberum baronem de Chancartier, quo nomine matrimonium contraxerat, ut e libris nuptiarum constat, et e nobili Gallica Bironia gente editum, quod etiam asseruit parocho et testibus, quibus contra Teresia ea lege et conditione matrimonium inire declaravit, si hic esset Ioseph, quem se prae se ferret, sin minus connubio non consensuram. Lite igitur contestata facultas data fuit Mariae Teresiae probationes suas faciendi, utque id facilius praestare illa posset, articulos concepit ediditque; qui cum admissi fuissent, appellavit Buro, inutiles eos et superfluos existimans. Omnem igitur actae rei seriem, ita ut Maria Teresia dicebat, sacratissimo principi nostro Iosephus libello suo narravit petiitque tamen declarari validum matrimonium, quod cum illa contraxerat.

Data fuit ab optimo maximoque Pontifice huiusce rei cognitio amplissimis Patribus, quibus nunc, audito iam, ut moris est, officiali Frisingensi, controversia proponitur a Burone, qui matrimonium quidem adiecta conditione a muliere, si ipse e nobili Gallica Bironia gente descenderet, contractum initumque fuisse iuratus fatetur, sed non ob id nullum esse contendit, nam hanc rem dicis causa actam fuisse sustinet, neve ex impariibus nuptiis splendor nobilitatis Mariae Teresiae obscuraretur, cui tamen cognitissimam fuisse intendit viri conditionem, qui, cum Augustae moram faceret, mercaturae palam studebat, cuius etiam causa Monachio discessit, probatque Teresiae scientiam epistola sua, qua nullam mercaturae monstrat repugnantiam sociamque sese affert negotiis, quae a viro fierent. Addit praesumptione iuris inverisimilem fieri Mariae Teresiae ignorantiam, cum facile certior fieri potuisset, an vir illustri Bironiorum gente editus sit, praesertim cum eo absente filium iusto patris nomine in libris describi permiserit; atque ob id colligit non vitiari matrimonium conditione illa, quae facta erat et simulata inter virum et uxorem ad conciliandum nuptiis splendorem. His perpensis, EE. PP. respondere debent: An sustineatur matrimonium in casu? S. Congr. resp. Ex hactenus deductis *affirmative.*» *Frisingen.* 7. et 28. August. 1745.

84. Matrimonium celebratum die 28. Nov. 1798. inter Cassandram Lucri et Vincentium Venturini e castro novo Farfensi sub ementito nomine Vincentii Bellonch filii quondam Stephani de Valentia, validum dixit S. Congr. d. 9. Aug. 1817. A. Cassandra, quae nullitatis querelam proposuerat, instauratum est a. 1820. certamen, ita quidem, ut missa vis ac metus quaestione, eius

defensor eam dolo et errore deceptam quasi uxorem liberam tueretur. Innixus doctrinae S. Thomae aliorumque, secundum quam « error qualitatis non excludit consensum, sed si error nobilitatis aut dignitatis redundet in errorem personae, tunc impedit matrimonium » nullum inter illas personas matrimonium dixit, cum consensus non simpliciter in personam Vincentii futuri viri, sed principaliter in eum tanquam nepotem divitis Hispani sacerdotis (qualem se gesserat,) ab ipsa praestitus fuisset. Eam enim qualitatem nepotis divitis patrui primario et substantialiter ita Cassandram respexisse, ut ea deficiente nunquam in matrimonium consensisset. Quaerebatur itaque, an « ex depositionibus testium certo deduci possit, Cassandram ignorasse veram Vincentii qualitatem et originem ex castro novo Farfensi, eamque tum ante matrimonium tum in ipsa nuptiali solemnitate primarie et unice respexisse ad effictam qualitatem nepotis divitis sacerdotis, ita ut ea deficiente conditione consensus non voluntarie praestitus, ut essentia matrimonii requirit, sed per errorem extortus fuerit, quo in casu nuptias irritari non dubium est? » S. C. vero, proposito dubio: an sit standum vel recedendum a decisis (d. 9. Aug. 1817.)? resp. *In decisis et amplius*, *Romana* 27. Maii 1820.

—

C. *Matrimonium initum sub conditione.*

85. « Ioanna Frontina cupiens se in matrimonium collocare, Ioannem Antonium Lucatellum ducere promisit, itaque cum eo per verba de praesenti coram parocho et testibus libere contraxit. Verum post triduum matrimonio minime consummato, eadem Frontina Lucatellum e domo eiecit ea ex causa, quod ipsa illud contraxerat cum conditione pluries antea expressa, nimirum si scuta quatuor millia haberet. Hac igitur deficiente conditione, ut nullum atque irritum eiusdem matrimonium declaretur, coram domino episcopo Perusino olim vices gerente, etiam atque etiam instetit, et S. Congr., ad quam subinde haec controversia delata fuit, disceptato dubio: An constet de validitate matrimonii? ita rescripsit: «Secundum ea, quae proponuntur, constare de validitate matrimonii » in *Romana* 23. Ian. 1666. Lib. XXV. Decr. p. 14. seqq. (relat. VI. 511.)

86. « Caietana Muschina coram parocho et testibus absolute contraxit matrimonium cum Carolo Antonio Sanctarello, quem, ut ipsa asseruit, putabat esse filium gubernatoris Acumuli, nec non plura praedia possidere; postmodum autem, consummato matrimonio, agnoscens, Carolum Antonium ex quodam Victorio Interaneorum venditore progenitum fuisse, et fortunae bonis prorsus destitutum, postulavit, matrimonium esse invalidum eo ducta fundamento, quod illud inierat sub conditione, quod Carolus Antonius praeconceptis qualitatibus esset decoratus, quodque coram parocho in actu explorationis voluntatis aliisque personis hanc suam conditionatam intentionem patefecerat. At proposito dubio: An constet de validitate matrimonii? die 17. Nov. 1708. rescriptum fuit: *affirmative*«, ut in l. LVIII. Decr p. 367. (rel. VI. 512.)

87. « Ioannes Ioannonus anno 1711. matrimonium per verba de praesenti contraxit cum Anna Ghinzona, cum protestatione tamen, quod suum praestabat assensum sub conditione et praesupposito, quod Anna esset virgo.

Nec prima nec secunda nocte Ioannes rem habuit cum Anna, tum quia in eodem cubiculo, licet in alio lecto, cubabant mater et soror praedictae Annae, tum quia de eius virginitate dubium habebat; sed cum admonitus fuisset, quod Anna erat gravida, eam tertia nocte serio de praegnantia interpellavit, eademque confessa est se esse praegnantem, et se fuisse a suo genitore stupratam.

Hoc audito Ioannes nedum dicta tertia nocte a copula abstinuit, sed ulterius noluit amplius cum Anna dormire, licet in eadem domo cum ipsa cohabitaverit, ne factum innotesceret, quod tamen innotuit, statim ac Anna peperit, vix elapsis quinque mensibus a die initi matrimonii, ita ut pater in alienas regiones se contulerit eidemque subinde data fuerit facultas ad patriam redeundi, exbursata notabili pecuniae quantitate.

In hoc rerum statu Ioannes Annam dereliquit, nec amplius voluit cum ipsa habitare, precesque huic S. Congr. exhibuit pro declaratione nullitatis matrimonii.

Scriptum fuit Emin. episcopo pro informatione et voto, cumque consensum conditionatum a Ioanne praestitum, una cum exclusione copulae, Emin. sua afferat probari ex dicto utriusque coniugis, proposita fuit Ioannis instantia inter summaria precum et dictum fuit, quod proponeretur in folio, et quod Annae praefigeretur terminus ad sua iura deducenda in S. Congr., quae termini praefixio fuit exsecutioni mandata.

Error qualitatis non facit coniugium irritum iuxta canones a Gratiano collectos in C. XXIX. qu. 1., sed id limitatur in casu, quo quis expresse protestetur, se contrahere sub conditione, quod talis qualitas insit

personae, cum qua init matrimonium, tunc enim cessante conditione cui consensus innititur, deficit et ipse consensus essentialiter ad matrimonium requisitus iuxta late tradita per *Cabassut.* in Theor. et praxi iur. can. lib. 3. cap. 22. num. 3.

In re, de qua nunc agitur, defectus qualitatis plene et sufficienter deduci non potest ex editione prolis post sextum mensem a die initi matrimonii, cum legitimus et vitalis censeatur partus, nedum editus sexto, sed etiam quinto mense, uti late probant *Caranza* de partu naturali cap. 9. fol. 432. num. 2. et num. 46., *Carpzov.* in iurisprud. eccles. lib. 2. definit. 22. num. 3., *Armannus* in Medica critica casu 1. fol. 13., *Rota* in *Avenionen. dotationis* 3. Maii 1692. §. *Sed cum hodie*, coram clar. mem. Cardinali *Caprara*, sed bene deducitur ex actis iudiciariis per localem praetorem factis contra patrem Annae tanquam reum nefarii sceleris, ita ut Emin. ordinarius in sua relatione dicat, quod concubitus paternus certus est atque notorius.

Sola ergo difficultas stat in probationibus, cum conditio apposita in contractu matrimoniali quoad virginitatem Annae, et abstinentia a copula, quae fuisse dicitur in hisce coniugibus, eorum tantum modo dictis innitatur, quod non videtur esse sufficiens iuxta decretalem Coelestini III. in cap. *Super eo* tit. de eo qui cognovit etc.

His stantibus quaeritur: An constet de nullitate matrimonii? S. Congr. respondit: *Negative et amplius.* » *Novariens.* 24. Febr. 1720.

88. « Die 6. Maii anno 1718. contractum fuit in civitate Ulixbonens. Occidentali coram duobus testibus et coram priore parochialis ecclesiae S. Laurentii a patriarcha substituto et electo, ut praevia dispensatione super denunciationibus matrimonio interesset, matrimonium de praesenti inter senatorem Ludovicum Guiffel Barberinum, et Ioannam Agnetem de Almada Carnide, cum hac tamen mutua inter contrahentes intelligentia, ut contracto matrimonio mulier intra quindecim dies monasterium ingrederetur, et elapso novitiatus anno regularem emitteret professionem, una cum promissione non utendi matrimonio, nec illud consummandi, pro quo effectu renunciavit omni iuri, quod sibi competere posset super persona Ludovici, et cum expressione, quod in hypothesi, in qua aliqua ex hisce conditionibus non adimpleretur, matrimonium perinde se haberet, ac si nunquam contractum fuisset, et haec mutua intelligentia fuit in scriptis redacta, et parocho et testibus communicata, et paulo post ad celebrationem matrimonii deventum est.

Quod autem matrimonium fuerit contractum inter Ioannam et Ludovicum cum praedicta mutua intelligentia in scriptis redacta, dignoscitur ex apocha eiusdem Ioannae sequentibus verbis concepta: «Ancorchè il Signor Luigi Guiffel Barberini non debba cosa alcuna al mio onore, con tutto ciò come l'opinione di questo si trova persa, per la facilità e continuazione, colla quale li miei padri lo conducevano a mia casa, pregando io il detto Signore coprisse questo mio discredito, ricevendomi per sua moglie, gli prometto dal giorno, in che questo si farà, fra quindici giorni scegliere convento, e professare subito nel fine dell'anno lo stato di religiosa, o in questo convento della Rosa, o in quasivoglia altro, e non usare mai del matrimonio, nè consumarlo, al di cui fine immediatamente rinunzio tutto il jus, che possa avere nella persona di detto Signore, il che faccio di mia molto libera volontà senza violenza alcuna, e mancando io a quasivoglia di queste condizioni, non ho dubbio, che il detto matrimonio sia, e si giudichi come se non fosse mai stato fatto, per il che al presente per allora do il mio libero e costante consenso. Lisbona Occidentale 6. Maggio 1718.

Quod pariter haec eadem mutua contrahentium intelligentia fuerit notificata parocho et testibus, qui matrimonio interfuerunt, desumitur ex depositione eorundem testium, qui unanimiter referunt, sibi fuisse perlectam apocham, antequam matrimonium contraheretur, eiusque tenorem et causas fuisse sibi oretenus a Ludovico expositas, parochumque dixisse: « questo matrimonio si fa nella forma riferita, perchè questa Signora è persa, vuol vivere nello stato di religiosa con credito ed onore, » et Nicolaus Fernandez, alter ex testibus sacramentalibus subdit, praedicta omnia fuisse a Ludovico repetita in ipso fere actu matrimonii, et immediate post, e transferendomi io alla chiesa, nella di cui crata stava la tal Signora, voltandosi verso di me il detto Signor Luigi Guiffel, disse, questa finezza faccio, perchè vuol esser religiosa, ed il medesimo mi ratificò dopo sposato molte volte, » et alibi: « ma non sa lui testimonio, se gli altri lo sentirono, ne anche la Supplicata (id est Ioanna) perchè il Supplicante (hoc est Ludovicus) disse queste parole in voce bassa, » quae tamen verba non fuerunt audita a Francisco Gomez, altero teste sacramentali, ut ipse prosequitur in suo examine: « e senza che precedesse protesta alcuna antecedentemente, che lui

testimonio abbia inteso puramente, e senza condizioni, si sono sposati uno con l'altro nella forma, e colle parole solite della chiesa, nè dopo lo sposalizio immediatamente intese lui testimonio, che il supplicante facesse alcun protesto, e dopo nella sera del medesimo giorno, e nel seguente ha ripetuto il supplicante a lui testimonio, che abbia fatto quel matrimonio sotto le condizioni dichiarate nella scrittura. »

Quod denique paulo post apochae confectionem, eiusque notificationem parocho et testibus factam, celebratum fuerit matrimonium, dignoscitur ex serie temporis, cum apocha fuerit confecta die 6. Maii 1718. nocte eiusdem diei eadem fuerit praelecta parocho et testibus, eiusque tenor omnibus praedictis manifestatus, et die immediate sequenti, 7. videlicet Maii hora decima contractum fuerit matrimonium.

Post contractum modo praedicto matrimonium, et septem diebus vix elapsis, Ioanna in ius vocavit Ludovicum coram vicario generali patriarchatus Ulixbon. Occid., idemque sententiam protulit pro validitate matrimonii sub eo potissimum fundamento, quod voluntarie et sine ulla coactione fuerit contractum, et quod non repetitis in ipso actu matrimonii conditionibus praecedenter initis, ab eis in foro saltem externo recessisse dicendum sit; «nell' atto dello sposalizio non fu fatta tale espressione, anzi fu contratto il matrimonio puro e direttamente, come comanda la santa madre chiesa, perchè si deve riconoscere, che da tutti quelli trattati, e proteste antecedenti recede il giustificante, mentre volontariamente coram parocho et testibus, e senza che dichiarasse condizione alcuna, ha sposata la supplicata, » uti habetur latius ex ipsa sententia, quae fuit prolata die 16. Iul. 1718.

Appellatione ad nunciaturam interposita, Auditor praecedentem sententiam revocavit, et die 14. Octobris eiusdem anni pronunciavit, bene fuisse appellatum, ea potissimum allata ratione, quod appellans cogi non poterat ad obsequia matrimonialia erga appellatam, nisi plene constito in iudicio ordinario de validitate matrimonii, de qua maximopere dubitandum erat propter multos et gravissimos doctores, qui eius nullitatem propugnabant, « che la detta nullità, (hoc est matrimonii,) tiene a suo favore molti e gravissimi dottori, che la difendono; » delataque subinde causa ad duos iudices delegatos, fuit ab his pronunciatum pro validitate matrimonii, revocata intermedia sententia auditoris nunciaturae et confirmata alia praecedenti vicarii patriarchatus, uti desumitur ex tenore sententiae editae die 11. Augusti 1719, cuius momentum constitutum fuit in eo, quod in ipso actu matrimonii non fuerunt repetitae conditiones praecedenter expressae inter contrahentes, ibi: « Item testes assistentes matrimonio illud sine aliqua conditione contractum autumant, et licet ante contractionem conditione protestaretur, necesse tamen erat, quod proveniret protestatio in ipsa contractione, dum de praesenti loquitur, ibi: contraho tecum, nam si postea pure contrahit, ab illa prima voluntate recessisse videtur. »

Habito adversus hanc sententiam a Ludovico recursu ad sedem apostolicam, exhibitoque huic S. Congr. supplici libello, scriptum fuit nuncio apostolico pro informatione, proposita causa in Congr. habita die 16. Mart. 1720., nulla fuit capta resolutio, sed responsum *dilata, et examinentur formiter parochus, uterque coniux, et testes, quatenus non fuerint formiter examinati,* omissisque protestationibus, et aliis actibus iudicialibus, tum ex parte viri, tum ex parte mulieris emissis in regno Lusitaniae, quae omnia legi possunt in scriptura per manus circumferenda, eo tandem res devenit, ut habitis a Ludovico causae actis, iter erga urbem arripuerit superventaque eidem in itinere periculosa infirmitate, ita ut in civitate Matritensi suum condiderit testamentum, in quo de nullitate matrimonii a se contracti novam emisit declarationem, Romam tandem sanitate recuperata advenerit, instantiam in hac S. Congr. promovit pro exsecutione rescripti alias editi die 16. Maii 1720., iuxta ea, quae in superioribus dicta sunt, et die 31. Iulii 1723. responsum fuit pro exsecutione decretorum, et quod praefigeretur terminus mulieri ad sua iura deducenda in S. Congregatione.

Cohaerenter ad haec transmissa fuit ad civitatem Ulixbonen. consueta epistola huius S. Congr., et Ludovicus hic in Urbe, citata parte, se examini subiecit, impetrataque subinde a san. mem. Innocentio XIII. commissione huic S. Congr. directa pro causa hac matrimoniali in eadem fortius radicanda, pleraque impedimenta, quae in scriptura et summario fuse legi possunt, interposita fuerunt, ne illa in hac S. Congr. pertractaretur, ita ut procurator mulieris, qui iuxta solitum apposuerat *nihil transeat* in secretaria, ad me accesserit, et ingenue insinuaverit, se amplius in hac causa comparere non posse, ex quo sibi a Ioanna revocatum fuerat mandatum ad comparendum, cumque facta horum omnium relatione in hac S. Congr., ab ea fuerit die 20.

Nov. anni praeteriti rescriptum, quod causa proponeretur in congregatione ab Eminentissimo Praefecto destinanda, disputandum in praesenti proponitur dubium: An matrimonium sit nullum in casu etc.?

Praetensae vero nullitatis matrimonii fundamentum stat in decretali S. Pont. Gregorii IX., quae incipit: *Si conditiones* de conditionibus appositis (c. 7. X. IV. 5.) «Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.»

Distinguit in hoc textu Pontifex conditiones contra substantiam matrimonii a conditionibus, quae sunt turpes aut impossibiles; et licet idem Pontifex inter conditiones pugnantes contra substantiam matrimonii eas referat prolem evitandi vel cum alia contrahendi aut adulterium permittendi, haec tamen exempli gratia dicta censeri debent, quo stante idem dicendum erit in omnibus aliis conditionibus, quae substantiae matrimonii adversantur, uti adnotavit *Abbas* in dicto cap. si conditiones num. 2. ibi: «et licet textus hic ponat tria exempla istarum conditionum contra substantiam, tamen multa alia possunt reperiri», et sequitur *Ancharan.* num. 2. ibi: «et adverte, quod illa tria ponuntur in textu gratia exempli, nam idem esset ubicumque esset eadem ratio», et concordant *Ioannes Andreae*, *Henricus Boich* n. 5., *Alexander de Nevo* n. 3., *Fagnan.* n. 2. tit. de condit. appos., cumque pactum emissum ante matrimonium, ingrediendi videlicet religionem et in ea profitendi, abstinendi insuper ab usu et consummatione matrimonii una cum renunciatione cuicunque iuri, quod mulieri competere posset super corpore viri, superaddita expressione, quod in casu non adimplemendi matrimonium haberetur, ac si nunquam factum fuisset, multa contineat contra fidem, prolem, sacramentum, quae sunt tria bona nuptiarum, et sic substantiae matrimonii adversetur, ex hoc infertur ad matrimonii nullitatem, iuxta doctrinam *Divi Thomae* in IV. Sententiarum dist. 28. quaest. unica, art. 4., ubi proposita quaestione: «Utrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in copulam carnalem? factaque sibi oppositione sequenti: «Praeterea si mulier dicat viro, consentio in te, ut non cognoscas me, non est consensus matrimonialis, quia aliquid est ibi contra substantiam praedicti consensus, sed non esset, nisi dictus consensus esset in copulam carnalem, ergo consensus, qui facit matrimonium, est consensus in copulam carnalem, «sic oppositioni respondet: Ad tertium dicendum, quod illa conditio explicita non solum actui, sed potestati contrariatur carnalis copulae, et ideo est contraria matrimonio.

Concordant *S. Bonaventura*, Pontifex *Adrianus*, *Riccardus* et alii antiquiores, quorum dicta congerit et sequitur, testando de communi opinione, *Dominicus Soto* in sententiarum dist. 29. quaest. 2. art. 3., ubi proposita quaestione: Utrum omnis, et sola turpis conditio, quae contraria est matrimonio, ipsum tollat, honesta vero semper obligat? sic ait in corpore articuli: «in prima autem conclusione generaliter diximus, conditionem contra substantiam matrimonii absque restrictione ad turpes illud tollere. Nam etiam honesta, si contraria est, ipsam impedit secundum opinionem, quae communis doctorum est et vera, quamvis *Paludanus* aliter sentiat; est enim dubium, si quidam sub hac conditione et lege contrahant, ut neuter alteri debitum unquam reddat neque se carnaliter cognoscant, vel si dicat uterque alteri, contraho tecum, si voto te prius castitatis obstrinxeris, ut nunquam a me petas neque mihi debitum reddas, utrum matrimonium teneat. Apparet enim ex una parte, matrimonium esse validum, quia conditio est honesta, et possent forsan illi vere contrahere solum propter cohabitationem et alias necessitudines domesticas, a re tamen uxoria abhorrentes. Item quia, quod contracto matrimonio accidere potest, non est illi contrarium, ut contrahatur; possunt autem coniuges, antequam lecto conveniant, votum castitatis emittere, non obstante matrimonii substantia, ut Maria et Ioseph fecerunt. Ergo illa conditio apposita contractui, quando fit, non censetur illi contraria, atque ideo nec matrimonium vitiatum. Hac ratione *Paludanus* communitus dist. 30. quaest. 2. opinatur, matrimonium sub illa conditione contractum non vitiari, ubi non prorsus videtur absque ulla probabilitate locutus. Nihilominus contraria opinio est communis, eademque verisimilior, censens, conditionem illam esse contrariam fini et fidei matrimonii, fini scil. generationis, et fidei sibi invicem debitum persolvendi; et ita ait *Adrian.* in tract. de Sponsal. quaest. 9. Immo et *D. Thomas* dist. 28. art. 4. al. 3. dicit, quod, si mulier di-

cat viro: consentio in te, ut non agnoscas me, non est consensus matrimonialis, quia illa conditio non solum actui, verum et potestati contrariatur carnalis copulae. » Et *Riccardus* ead. dist. art. 2. qu. 4. idem ait, nempe quod per talem conditionem nunquam reddendi debitum non solum excluditur carnalis copula, verum et translatio corporum in alterius potestatem contra vinculum coniugale. Quibus adstipulatur *Bonaventura* ead. dist. 28. qu. ult.: «Immo vero, si tenorem cit. cap. de conditt. appos. inspicias, consulto pontifex dixit, conditiones contra substantiam coniugii ipsum privare suo effectu, non restringendo ad turpes, quoniam et honestae possunt esse contrariae; adde, quod, si conditio illa: si sterilitatem procuraveris, censetur matrimonio contraria, eadem ratione matrimonio adversatur et haec: si nullo nos unquam amplexu invicem coniungamus. Videtur enim illa naturae matrimonii contraria, per quod fiunt duo in carne una. Verum est tamen, fautores alterius opinionis dicere posse, quod si mulier sic contraheret: contraho tecum, tradendo facultatem mei corporis tibi, hac tamen lege, ut iuri tuo per votum castitatis renuncies, non esset contra substantiam; nam potest quisque sicut post, ita et ante renunciare iuri suo. Nihilominus quia facultas est propter usum, consonantius rationi est, ut qui alterum privat usu, non ei simpliciter facultatem conferat. »

Concordant quoque recentiores, *Sanchez* de matr. lib. 5. disp. 10., *Layman* lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 9., *Gonzalez* in c *Si conditiones* sub num. 8. ibique, *Barbosa* num. 3. de conditt. appos., *Pirrhing* ad lib. V. Decr. tit. 5. §. 3. sub. num. 13., aliique plures, qui a scribentibus allegantur, quibus addi possunt *Salmanticenses* Oper. moral. T. 2. tract. 9. de matr. c. 7. dub. 3. per tot. et signanter a num. 95., *Schmalzgrueber* ad L. IV. Decret. tit. 5. §. 5. num. 119., ubi dicunt, hanc esse probabiliorem sententiam, et omnibus respondent, quae in contrarium afferri possunt.

Haud urgente, quod conditiones saepe memoratae non fuerunt in actu matrimonii appositae, sed quod consensus fuit liber et absolutus, ita ut a praecedentibus conditionibus videatur esse recessum; in quo rerum themate standum est pro validitate matrimonii, iuxta celebrem glossam in cap. *Tua nos* in verb. *mulierem* de spons. et matr. ibi: « Sed pone, quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia, quae dicet, et faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat: consentio in te; numquid est hic matrimonium vel non? In casu isto dico, quod ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam; talia enim verba non possunt servire suae intentioni; praeterea si probet illa verba quae protestatus fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate, et consentire in illam, et hoc videtur per illud, quod postea publice facit, et si dicat, quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum debet fieri interpretatio, quia dolum adhibet. «Praetermisso quippe, quod hoc assertum glossae sibi vindicat locum, quando protestatio emissa fuit ab altero ex contrahentibus, vel conditio ab altero ex contrahentibus apposita fuit altero ignorante, cum in hac hypothesi verificetur dolus; secus autem quando tenor protestationis vel conditionis devenit ad notitiam alterius ex contrahentibus, uti cumulatis concordantibus late probat *Sanchez* de matr. lib. 2. disp. 45. num. 19.: vis maior constituitur in singularibus facti circumstantiis; si etenim apocha, in qua conditiones continentur, fuit instante muliere ab advocato composita; si ipsa scripsit, sibi sufficere proprii honoris incolumitatem, qua concurrente professionem emittere volebat religiosam: che l'accudisse in quell'afflizione, ed in quel conflitto, e che la cavasse da quell'inferno, fosse come si fosse, e sola voleva onore e salvazione e che subito subito sarebbe monaca; » si die 6. Maii apocham conditionibus repletam et supra relatam subscripsit; si a viro quoque consulti fuerunt theologi super apochae validitate; si proprius contrahentium parochus credidit, se non posse huic matrimonio utpote conditionato assistere, ita ut hac de causa praevia patriarchae licentia prior S. Laurentii matrimonio interfuerit; si paulo ante matrimonium vir et parocho et testibus aperuit, se matrimonium contrahere relative ad apocham et iuxta tenorem ipsius: omnia haec simul iuncta ostendunt, imperceptibile esse, quod in actu matrimonii ab hisce conditionibus recedere voluerit, et eo fortius, cum iuxta supradicta nocte diei 6. mensis Maii apochae manifestatio facta sit parocho et testibus, et die sequenti hora decima contractum sit matrimonium, absque eo quod ullum fuerit datum a muliere signum recedendi ab apocha, quam ipsa procuraverat et die immediate praecedente subscripserat, et deficiente verisimilitudine recessus, non videtur dubitandum de nullitate matrimonii, ut in his praecisis terminis firmant *La Croix*

in theol. moral. T. 2. lib. 6. part. 3. c. 2. de matr. pag. 247., *Pignatell.* consult. 136. per tot. tom. 9.

Minus refragante, quod vir habuisse dicitur copulam cum muliere, hinc inferendo ad recessum a protestationibus et a conditionibus, uti probat textus in cap. *Per tuas* de cond. appos. et in c. *Insuper*, qui matr. accus. poss. Copula haec siquidem debet subsequi matrimonium, ut per eam dici valeat recessum fuisse a conditionibus, et huius subsequentis copulae nulla fit mentio in binis sententiis de partibus, in quibus momenta rationum afferuntur pro supposita matrimonii validitate. Constanter ulterius haec copula a Ludovico negatur, et quatenus eadem intercessisset, non suffragaretur ad effectum, de quo agitur, cum recessus a protestatione per copulam subsecutam procederet de iure canonum, secus autem de iure conciliari, uti bene ponderat *Sanchez* de matr. lib. 2. disp. 45. quaest. 2. num. 21.

Addunt scribentes, modo supra exposito contractum esse habendum pro matrimonio ficto ex honesta tamen causa reparandi honorem mulieris, in quo rerum themate de eius nullitate non est dubitandum, iuxta text. in cap. *Tua nos* de sponsal.

Plura alia tum facti, tum iuris argumenta in scripturis legi possunt, unde quaeritur: An matrimonium sit nullum in casu? Sacra Congr. respondit: Ex hactenus deductis matrimonium esse nullum.» *Ulixbonen. Occidental.* 18. Iul. 1724.

89. « Contractis mense Iulio 1731. sponsalibus de futuro inter Iosephum Bosons notarium civitatis Barchinonae et Eulaliam Gelambi filiam Ignatii notarii civitatis Tarraconae, celebratum deinde inter illos fuit die 14. sequentis Octobris coram parocho et testibus matrimonium per verba de praesenti, interveniente pro Iosepho, qui asseruit causa infirmitatis ad ecclesiam accedere non posse, eius legitimo procuratore Mauritio Corrons.

Matrimonio ita contracto Eulalia rediit ad aedes, in quibus cum suis genitoribus morabatur. At vero cum quadam nocte deberet ex condicto traduci ad domum sponsi, renuit ad illam migrare, declarans nunquam se progressuram ad cohabitandum cum Iosepho, nisi prius ipse aliam conduceret domum, in qua seorsim ab eius avia et materteris cum solo sponso conviveret.

Noluit Ioseph morem gerere Eulaliae sese ab avia et materteris seiungendo, cumque dissidium istud componi nequiverit, res tandem eo devenit, ut Eulalia in patriam, nimirum in civitatem Tarraconensem, una cum eius genitoribus regressa statim promoverit in curia archiepiscopali iudicium pro obtinenda facultate continuandi cohabitationem cum propriis parentibus; cumque decretum suae petitioni conforme obtinuerit, postmodum Ioseph consentanee ad instantiam ab Eulalia promotam comparuit coram ordinario Barchinonensi petens declarari nullum matrimonium praedictum, ut aliud libere contrahere posset.

Hoc ita instructo iudicio, dum opportunae probationes hinc inde conficiebantur, nomine Eulaliae porrectus fuit SSimo D.N. feliciter regnanti supplex libellus, in quo, expositis plerisque ex circumstantiis praemissis, et ea potissime, quod ipsa non aliter matrimonium contrahere voluerit, quam sub expressa conditione, quod Ioseph non deberet amplius cohabitare cum eius avia et materteris, humillime petitur, ut Sanctitas Sua ad recidenda dissidia, quae ob prosecutionem causae per tricas iudiciarias in dies augerentur, declarare dignetur, matrimonium praedictum nullum esse, vel quatenus validum censeatur, benigne dispenset tanquam super matrimonio rato et non consummato.

Huiusmodi precibus Sacrae huic Congr. remissis, datae fuerunt consuetae litterae ad ordinarium Barchinonensem, qui, transmisso cum examine testium integro processu in eius curia constructo, rescribit, factum in supplici Eulaliae libello narratum veritate niti, conditionem tamen, de qua agitur, ab Eulalia, ut asseritur, volitam non fuisse expresse appositam in actu celebrationis ipsius matrimonii, neque immediate antea, uti patet praecipue ex depositionibus duorum testium, quod iudicat. Censet vero, quod, ubi matrimonium validum declaretur, quam plurima iurgia ac perpetuum divortium inter ipsas partes nec non alia scandala, quae verisimiliter oriri possunt, facile cessarent, si Sanctitas Sua super matrimonio rato et non consummato dispensare dignaretur.

Iam vero ab utroque coniuge modo contenditur, vel matrimonium validum non fuisse, vel urgentes adeo concurrere circumstantias, ob quas praestandum sit consilium SSimo pro eius dispensatione.

Asserit nimirum Eulalia, non aliter matrimonium se voluisse contrahere nisi sub expressa conditione, quod Ioseph Bosons seorsim ab avia et materteris in separata domo deinceps commoraretur; ob hanc vero conditionem utpote tunc temporis ignotam Iosepho putat matrimonium invalidum fuisse, cum mutuus contrahentium consensus in eius celebratione non inter-

cesserit, dum Ioseph meditans absolute cum Eulalia contrahere, si scivisset conditionatam mulieris voluntatem, consensum suum minime praestitisset.

Quod si matrimonium dicendum esset ab initio fuisse in statu implicitae validitatis, utpote contractum sub conditione, quae poterat successive adimpleri, adhuc propugnat fuisse resolutum statim ac conditio praedicta nunquam fuit adimpleta; subditque, nihil officere, quod conditio non fuerit apposita sive repetita in actu celebrationis matrimonii, quia satis est, quod multis audientibus eam paulo ante luculenter expressit: brevi enim temporis intervallo voluntas mutata non praesumitur.

Idem quoque ex alia ratione contendit Joseph, quia nimirum eius procurator ad stipulanda capitula matrimonialia et deinde ad matrimonium celebrandum constitutus mandati fines excesserit, subscribendo capitula matrimonialia diversis sub pactis ab illis, quae constituens mandaverat cum clausula *non aliter, alias, nec alio modo*, proindeque ab hoc procuratoris excessu matrimonii nullitatem derivari.

Plura ad huius rei decisionem videntur expendi debere: primum, an ex depositionibus testium circumferendis plene doceatur, Eulaliam nonnisi quam sub praemissa conditione voluisse matrimonium contrahere? Secundum, an conditio huiusmodi tunc ignota Iosepho, quatenus probaretur volita ab Eulalia in actu ipso celebrationis, nullum illud reddere potuerit? Tertium, an praesumendus sit recessus ab asserta conditione ob eam in actu celebrationis coram parocho et testibus non expressam? Quartum, an praefata conditio sit e numero illarum, quae habendae sunt pro non adiectis? Quintum, an, attenta indole conditionis, quae potest adhuc adimpleri, praetendi valeat matrimonii dissolutio ob eius implementum nondum secutum? Sextum denique, cuius momenti sit excessus mandati, de quo suum procuratorem accusat Iosephus, qui ceteroquin post celebratum matrimonium paratus erat Eulaliam uti uxorem in propria domo recipere?

Glossa in cap. *Tua nos* in verbo *mulierem* haec habet. « Sed pone, quod aliquis protestatur coram pluribus, quod omnia, quae dicet et faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat: *consentio in te;* numquid est hoc matrimonium vel non? In casu isto dico, quod ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam: talia enim verba non possunt servire suae intentioni; praeterea si probat quod illa verba protestatus fuit primo; potuit postea recedere ab illa voluntate et consentire in illam, et hoc videtur per illud, quod postea publice facit, et si dicat, quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum debet fieri interpretatio, qui dolum adhibet. » Hoc assertum glossae censent DD. vindicare sibi locum, quando protestatio emissa fuit ab altero ex contrahentibus, vel conditio ab altero ex contrahentibus apposita fuit altero ignorante, uti cumulatis concordantibus probat *Sanchez* de matr. L. II. disput. 45. a. num. 13. ad 29.

Quae autem conditio vel irritet matrimonium vel suspendat sive potius reiiciatur, pluribus disserunt *Navarr.* in 3. par. Decret. de sept. sacram. eccl. in genere cap. 22 a n. 60., *Sanchez* L. V., *Pignatell.* Consult. 136. T. IX., *La Croix* in theol. moral. L. VI. P. III. de matr. n. 247. et plures alii canonistae scribentes in cap. 3. de conditt. appos. Et haec sunt, quae ad decernendam super praetensa matrimonii nullitate quaestionem debeant exaudiri.

Quatenus vero pro eius validitate pronunciandum sit, locus erit discutiendi, an subalterna utriusque coniugis petitio pro eiusdem matrimonii dispensatione debeat exaudiri.

De summi Pontificis potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato nefas hodie foret quaestionem movere. Id unum igitur suscipiendum est, an illae concurrant urgentissimae causae, quibus tantum intercedentibus dispensationes huiusmodi concedi debere censent plerique ex canonistis in cap. *Ex publico* de convers. coniugat. et signanter *Hostiens.* sub num. 16., *Ancharan.* et *Butrius* in fin. *Oldrad.* inter Cons. matr. cons. 11.

Pro obtinenda petita dispensatione ob oculos ponuntur utriusque coniugis consensus, tum plurima iurgia, perpetuum divortium atque scandala, quae, nisi illa obtinetur, facillime sunt oritura. Ceterum non agitur de nobilibus et potentibus familiis, non concurrit disparitas coniugum, non ullus timor, ne discordiarum semina in publicae tranquillitatis interversionem erumpant. Et tandem appositae conditionis implementum non est suapte natura impossibile, neque desperandus aliquando ab ea recessus.

His agitur etc. dignabuntur EE. VV. decernere: I. An matrimonium sit validum? et quatenus affirmative; II. An sit consulendum SSimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu etc.? Sac. Congr. respondit: Dilata et pro-

ponatur dato defensore matrimonii, *Barchinonen.* 27. Maii 1734.

. . . . « Cum autem illius examen modo redintegretur, iuribus, quae pro matrimonii validitate proponuntur, praestat adiicere binas resolutiones Sacrae huius Congregationis. (Cf. *Romanam* 23. Ian. 1666. et *Romanam* 17. Nov. 1708. supra sub num. 85. et 86. allegatas.)

Verum tamen non satis liquet, num S. Congr. ad ita definiendum adducta fuerit, ex quo forsan arbitraretur, in iis facti circumstantiis non constare de asserta conditione seu protestatione.

Sac. Congr. die 21. Aug. 1734. rescripsit: « Dilata, et scribatur stricte super mandato procurae. »

De hoc vero in relatione postea facta haec habentur: »... Praestat in facto addere, quod memoratus Ioseph post constitutum Mauritium Corrons procuratorem ad contrahendum matrimonium sub conditionibus stipulatis in apocha capitulorum matrimonialium subscripta die 11. Iulii 1731. alterum constituit procuratorem Franciscum Tramulles die 14. Oct. eiusdem anni per haec verba: « Ego Iosephus Bosons etc., sciens et attendens nostro connubio pertractando inter me et D. Eulaliam Gelambi etc. inter alia adiectum fuisse in nostris nuptialibus pactis hodierna luce scriptura publica per dictum D. Ignatium Gelambi et nos firmandis expresse pactatum, ut pro dote dictae D. Eulaliae illorum filiae darentur mille et quatuor centum librae Barchinonenses una cum duabus archis cameratis. . . . . Et ut de mea sincera voluntate minime dubitari possit. . . ., propterea gratis etc. constituo et ordino procuratorem meum certum vos Rev. Franciscum Tramulles presbyterum etc. ad videlicet pro me et nomine meo remissis omnibus firmare, consentire, tradere, approbare, declarare et recognoscere cum illis videlicet pactis, pactionibus, stipulationibus, bonorum meorum obligationibus, iuramento et aliis clausulis necessariis et opportunis vobisque dicto Rev. D. procuratori meo constituto benevisis faciendum et firmandum actum. » EE. VV. colligere poterunt, quae fuerit voluntas Iosephi Bosons, et num hoc novissimum procurae mandatum accipi debeat veluti recognitio bonae fidei, sive declaratio ipsiusmet contractus mem. die 11. Iulii inter partes initi? S. Congr. resp. ad primum *affirmative*, ad secundum *negative* ». 12. Febr. et 23. April. 1735.

—

D. *Impedimentum raptus.*

90. « Inquisitione instituta praetensi raptus puellae Caesareae Fucilae de mense Ian. anni prope elapsi plures testes formiter voce deposuerunt, summo mane diei 30. Dec. 1712. iter faciente iam diu puella cum eius matertera, Roccum Sanctum Pelegrinum repente eam abripuisse, ac ad domum suae uxoris asportasse. Interea, ut testes ipsi prosequuntur, praenominata matertera magnos clamores edidit, puella vero nec verbum quidem perturbati animi protulit; monitione itaque expedita sub die 7. Ianuarii, quatenus infra tres dies, quorum singuli pro primo, secundo ac ultimo respective termino computarentur, idem Roccus se iudicio sisteret ad allegandam causam, quare censuris obnoxius declarari non deberet, quae contra raptores comminantur in Sacra Tridentina synodo cap. 6. Sess. XXIV. de ref. matr., incusataque contumaciali absentia semel iterum et tertio sub diebus 9. 10. et 11. praefati mensis, postridie excommunicationis edicta affixa fuere. Statim iamdiu Roccus confugium habuit ad S. Congr. pro opportuna absolutione, ut coniugii foedus inire posset cum dicta puella; at EE. VV. placuit rescribere episcopo, ut procederet prout de iure ad declarationem praetensi impedimenti raptus. Hinc orator ipse coram iudice se constituit, huic ingenue fassus fuit, raptum commisisse consentiente, quin etiam proponente puella, quo libere exoptatum matrimonium contrahere possent vel invitis ipsius consanguineis, qui tractatum sponsalium constanter reiecerunt. Subinde apud honestam matronam puella collocata fuit, ut omnimoda libertate perfrueretur, ac iureiurando interrogata, quod vesano amore percita oratorem induxit, ut se ipsam subduceret, proindeque nullatenus raptui restitit, quibus sane perspectis vicarius generalis definitive tandem pronunciavit, nullum inter Roccum et Caesaream intercedere impedimentum raptus, quo matrimonium prohiberi inter eos valeat. Verum enim vero super censuris fulminatis modernus vicarius interlocutus non fuit, iterum orator supplex rediit ad hanc S. Congr. pro reportanda declaratione super earum insubsistentia; quapropter exhibito actorum processu, concordatisque binis dubiis, superest, quod EE. VV. sapienter decernere non graventur: I. An obstet praetensus raptus ad contrahendum matrimonium in casu etc.? II. An censurae sustineantur? S. Congr. rescripsit: ad I. non obstare; ad II. esse absolvendum ad cautelam, in *Ruben.* 5. Mart. 1714. (relat. IX. 561. sq.)

E. *Impedimentum ligaminis.*

91. Anno 1702. Mediolani nupsit Teresia Canetta Francisco Smith. Superiore autem anno cum eadem Teresia tunc Papiae domicilium habens ad alias transire nuptias cuperet cum Antonio Comello, ut de sui status libertate doceret, protulit testificationem de obitu Francisci Smith. Haec Hispano idiomate exarata sic habet: « *Constat ex libro militum vita defunctorum ex cohorte centurionis Iosephi Lopez etc. Franciscum Smith Germanum et eiusdem cohortis chirurgum mortem oppetiisse die* 20. *Sept.* 1717, *et humatum fuisse die* 19. *eiusdem mensis. Ita testor Albae graecae die* 2. *Oct.* 1717. *Ego Antonius La Vega Capellanus legionis.* » Erat etiam obsignata haec schedula sigillo cum imagine aquilae, superposito pileo. Hanc vero schedulam tunc a se ipso petitam acceptamque fuisse affirmat memoratus Antonius Comellus.

An istiusmodi documento non satis fidei dari posse putavit episcopus Papiensis, tum quia incertum erat, num Franciscus Smith, qui sub annum 1702. Mediolani matrimonium inierat cum Teresia, idem ille esset, qui ab humanis rebus ereptus dicebatur Albae graecae anno 1717., tum etiam quia suspicionem excitabat narrari hominem sepultum pridie quam mortuum, tum demum quia non erat documentum illud roboratum auctoritate ordinarii, nec testium, quibus cognita fuisset manus eius, qui schedulam exaraverat, proindeque obstabat norma praescripta a. 1670. a S. Congr. S. Officii, quam refert constit. 13. Clement. X. in Bullar. T. V. ac praesertim n. 15. his verbis: « Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habent notam manum vel sigillum, et attente consideretur, quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas, de quibus agitur. »

Postmodum Antonius Comellus Viennam se contulit, ut alia, si posset, documenta compararet, sed aliud nullum protulit. Scripsit etiam episcopus Papiensis viro Viennae commoranti, ut eius adhibita opera veritas indagaretur. Ille tamen respondit, ex pluribus argumentis testificationem supra relatam falsam videri.

Cum igitur curia episcopalis negaret, se posse facultatem tribuere mulieri, ut alterum iniret matrimonium, Antonius et Teresia ad aliam commigrarunt parochiam, et coram parocho, dum rem divinam faceret, matrimonium contraxerunt, irritum quidem hac etiam de causa, quod ille non esset parochus contrahentium. Post aliquot tamen dies cohabitationis mulier collocata fuit in pia domo feminarum poenitentium, Antonius autem venit ad hanc Urbem, et declarari postulat, satis constare de obitu prioris mariti Teresiae, cum affirmet, testificationem de obitu eorum, qui in bello moriuntur, haud aliter confici solere, quam per schedulam a capellano legionis exaratam, et paratus etiam sit suo confirmare iuramento, se tunc vidisse capellanum exscribentem documentum illud e libro, in quem militum demortuorum nomina relata erant.

Fas quidem non esse ad alteras transire nuptias, nisi certo accepto nuncio de prioris coniugis morte, sancitum est in c. *In praesentia* de sponsal., itidemque in c. *Dominus* de secund. nupt. Quamquam vero varia sit doctorum opinio circa interpretationem earum decretalium, probabilior tamen sententia affirmat generatim tantum requiri certitudinem de obitu prioris coniugis, ut de prudentis viri iudicio nullus moraliter relinquatur de ea dubitandi locus. Ceterum qualis speciatim debeat esse ea certitudo, et qualis illius assequendae modus, a singulorum casuum conditionibus et circumstantiis pendet, habita scilicet ratione vel regionis admodum remotae, vel diuturnae absentiae, vel belli aut pestilentiae grassantis in ea provincia, in qua coniux degebat, vel etiam eius provectae aetatis aut aegrae valetudinis, ut videre est apud *Gonzal.* in d. cap. *In praesentia* n. 7. de sponsal., *Sanchez* de matr. L. II. disp. 16. *Bertachin. vot. decis.* 200. et alios, quos refert *de Iustis* de dispens. Lib. II. c. 11. ubi etiam n. 37. seqq. probat, satis doceri de obitu prioris coniugis vel ex libro parochi, vel ex libro praefecti nosocomii, vel etiam ex libro alterius officialis, ad quem spectet mortuorum nomina describere. Fidem itidem adhiberi duci exercitus asserenti militem e vivis excessisse, docet *Burgen.* centur. 3. observ. 42.

Fuit coram hac S. Congr. in *Thurinen. matrimonii* (ad quam causam pertinet disceptatio 14. advocati *Ursayae* T. II. par. I.) discussum, an satis censeri posset constare de obitu prioris viri, qui in expugnatione arcis Susae interiisse dicebatur. Cumque iam mulier alterum matrimonium coram parocho et testibus iniisset, sobole etiam deinde suscepta, S. Congr. die 27. Iunii 1711. iterumque die 3. Apr. et 11. Iun. 1712. iussit coadiuvari probationes circa obitum prioris viri. Sed cum frustra adhibitae fuissent diligentiae ad certius ea de re docendum, tandem die 4. Febr. 1713. rescri-

ptum fuit, ex hactenus deductis non constare de nullitate posterioris matrimonii, ut in lib. LXIII. Decr. pag. 33.

Est igitur nunc examinandum: An Teresiae Canettae permitti possit alterum matrimonium contrahere in casu?

S. C. resp.: « Ex hactenus deductis *negative et amplius.* » *Papien.* 12. Dec. 1733. Visum quippe fuit, non satis, ut par esset, constare de obitu Francisci Smith, cui Teresia iam fuerat in matrimonium collocata. At novum reiterata instantia documentum protulit mulier. Fuit enim apud acta curiae episcopalis Laudensis rite interrogatus Antonius Tribaldus, origine Hispanus, qui iam inde ab anno 1690. in militaribus copiis stipendia fecit. Is iuratus affirmavit, se olim meruisse in Hungaria, ibique novisse Franciscum Smith chirurgum eiusdem legionis, cui ipse erat adscriptus. Narrat etiam, se eundem Franciscum audivisse pluries dolentem, quod uxorem reliquisset in ditione Mediolanensi. Denique asseverat, se mense Septemb. anni 1717. eum vidisse prius aegrotantem, deindeque mortuum in nosocomio Albae graecae....

Sed et ex eodem testimonio confirmatur, Antonium La Vega fuisse capellanum legionis, indeque amplior additur vigor testificationi editae ab eodem presbytero de obitu Francisci Smith circa finem Sept. a. 1717., ut in alio folio narratum fuit.

Ad extremum est illud quoque animadvertendum, quod praepositus parochialis ecclesiae S. Mariae Magdalenae in eadem civitate Laudensi testatus fuit, praedictum Antonium Tribaldum, habentem domicilium in eius parochia, recta conscientia bonisque moribus praeditum esse.

Quaestionem, an ad probandum coniugis mortem, sufficiat unus testis oculatus, proponit *Sanchez* de matr. L. II. disp. 46. n. 10. seqq. Sententiam, quae negat, amplectitur quidem ipse ut veriorem, sed tamen haec subiicit: « Primam tamen admitterem casu, quo coniux obierit in loco ita distanti, ut facile nequeant aliae probationes haberi, tunc enim satis erit nuncius, et ita unus testis, considerata qualitate personae, et ut verisimilia dicat; quod iudicis arbitrio committitur, nam quando probatio integra et plena haberi nequit, satis est per coniecturas. Extra hunc tamen casum integra et plena probatio desideratur. »

Moraliter quoque certam effici mortem coniugis, ubi ad unius fide digni hominis testimonium accedant coniecturae, verisimilem reddentes obitum, docent *Engel.* ad tit. de spons. duor. n. 5., *Anacl.* ad tit. de sec. nupt. n. 51., *Schmalzgrueber* eod. n. 14., *Gobat.* tr. 9. n. 320., *Gattierez* de matr. c. 51. n. 2.

His igitur perpensis simul cum aliis, quae iam in altera congregatione fuerunt proposita, placeat EE. VV. deliberare: An sit standum, vel recedendum a decisis die 12. Dec. 1733. in casu etc.? S. C. respondit: *Arbitrio episcopi.* « 27. Febr. 1734.

92. « Smyrnas appulit anno 1737. Cosmus Parigi Florentinus, ubi captus amore puellae Magdalenae Gratis, spe matrimonii eam compressit; utero gravescentem cognoverunt consanguinei et Cosmum ad sponsalia cum puella contrahenda adegerunt. Uxorem Florentiae reliquerat Cosmus, sed ut minas et vim consanguineorum vitiatae puellae fugeret, die 22. Iul. eodem anno sponsalia contraxit. Post contracta sponsalia a Cosmo decessit Florentiae eius uxor, qui tamen, antequam de morte uxoris ob longissimam locorum distantiam certior fieri posset, cum urgeretur a consanguineis Magdalenae, falsam status sui liberi testificationem edidit coram vicario apost., et die 31. mensis Aug. eodem anno matrimonium solemnibus verbis cum Magdalena contraxit. Sed cum sibi consciret, uxorem Florentiae habere, statuit pellicem deserere, et opportunam aliquam exspectabat occasionem, qua propositum hoc perficere posset. Simulavit igitur, necesse esse ut Byzantium pergeret, sed necesse ei fuit Magdalenam ducere, quae noluit, ut solus discederet. Concessit igitur Byzantium, ubi commodam nactus occasionem, Magdalenam deseruit, et, ubinam gentium sit, an vivat adhuc, an decesserit, ignoratur. Smyrnas rediit Magdalena, ubi rumor invaluerat, fugitivum Cosmum uxorem Florentiae habere. Magdalena igitur rata, nullum fuisse matrimonium, quod cum eo contraxerat, novum sibi comparavit amatorem Io. Bapt. Horologiari. Ut de hac Cosmi uxore certior fieret vicarius apost., litteras dedit ad amicum Florentiae incolam, qui respondit, Cosmum habuisse quidem uxorem, sed eo, quod supra diximus, tempore decessisse.

Magdalena, his cognitis, petiit a vicario ap. facultatem contrahendi matrimonium cum Io. Baptista, sed, cum eidem vicario apost. non liqueret, an nullum esset matrimonium, quod ipsa contraxerat cum Cosmo Parigi, noluit vicarius petitioni Magdalenae indulgere; illa igitur Graeco ritu matrimonium iniit cum Io. Bapt., in cuius contubernio vivit, neque ulla spes est, ut ab eo divellatur, a quo plures filios suscepit. Huic malo medicinam parare cupiens qui

nunc praeest uti vicarius apost., preces obtulit amplissimis Patribus, quibus postulavit, ut quid ipsi agendum esset rescriberent, et definirent, an validum vel nullum fuerit matrimonium inter Cosmum et Magdalenam initum. Iussum est, ut species omnis huius causae daretur in folio, et rationes suas libello complexa est Magdalena, quae disputat, nullum fuisse matrimonium defectu consensus, cum Cosmus viva adhuc uxore sponsalia contraxerit, et mortua licet uxore, eo tamen eius mortem ignorante, licet sciret aegrotam esse, matrimonium contraxerit, quod nullum declarandum est, quia sine nuncio certae mortis matrimonium contrahi non poterat. Eundem defectum consensus nullum irritumque reddidisse matrimonium etiam ex parte Magdalenae, quae putans Cosmum esse liberum iuxta testificationem libertatis datam vicario apost., matrimonium contraxit, non contractura, si scivisset, Cosmum uxorem habere; cum igitur erraverit in conditione personae, et error consensum adimat ab actu, dicendum sit nullum fuisse matrimonium defectu consensus utriusque contrahentis. Neque in dubium revocari posse, Cosmum ignorasse mortem uxoris, tum quia testificationem non viduitatis, sed liberi status exhibuit adulterinam, tum quia ob longissimam locorum distantiam non potuit mortem rescire coniugis, tum quia ab hoc secundo matrimonio tanquam a crimine abhorruit, quod in causa fuit, ut Magdalenam desereret, ut probat epistola Byzantio data ad amicum Smyrnensem, in qua damnavit quod egerat, aperuitque amico propositum fugiendi et eam deserendi.

In his igitur circumstantiis aperte dignosci, matrimonium cum Magdalena a Cosmo contractum fuisse, non quia sciret, uxorem suam defunctam fuisse, sed ut vitaret minas consaguineorum Magdalenae, qui, cum eam utero gerere cognovissent, mortem minabantur, quam ut fugeret Cosmus, decepit consanguineos, decepit puellam, decepitque vicarium apost. falsa testificatione libertatis, qua matrimonium contraxit; novam itaque rationem ex hoc metu a consaguineis illato educi, quae probet nullitatem matrimonii defectu consensus. Neque ad rem pertinere dispositionem in c. 2. *Dominus* IV. 21., nam dispositio illa succurrit coniugi decepto contra decipientem, ut si deceptus velit, cogatur decipiens stare matrimonio, ut explicant *Fagnan.* in c. *Ad nostram* n. 7. i. f. de coniug. servor., *Navarr.* in manual. c. 22. n. 23., non vero cogit deceptum laesumque coniugem, ut sit in matrimonio, deceptis enim laesisque succurendum est, non decipientibus et laedentibus, ut tradunt *Oliver.* de null. matr. P. I. fol. 46., *Gratian.* Disc. for. cap. 849. n. 32., *Ursaya* discept. eccl. T. III. P. II. §. 6. n. 36. Haec Magdalena. A defensore matrimonii nihil habuimus. Dubium est: « An constet de nullitate matrimonii in casu etc.? » S. C. resp. die 6. Maii 1752: « *Dilata et scribat defensor matrimonii.* »... Scripsit defensor et urget, illicitum quidem, sed tamen validum esse matrimonium contractum ab eo, qui non expectato certo nuncio de morte coniugis cum alia secundas nuptias contrahit, dum vere uxor obierit tempore, quo secundum matrimonium initum fuit, quia consensus non in eo solum, qui moraliter certus est, sed etiam in eo, qui de sua libertate dubius est, si contrahit servata forma Tridentini, satis est, ut valide contrahat, licet matrimonium sit illicitum, ut reprobato *Pontio* L. VII. de matr. c. 53. n. 5 et 6., cui placuit nullum dicendum esse matrimonium, defendunt *Barbosa* in cap. *Dominus* cit., *Boss.*, *Lauria*, *Pignatellus* etc. S. C. respondit: *Negative. Smyrnensis.* 9. Sept. 1752.

—

F. *Impedimentum professionis religiosae.*

93. « Anno 1653. servus Dei Petrus de Betancour de cuius beatificationis causa introducenda agitur in Sacrorum Rituum Congregatione, in civitate Guatimalae auctoritate ordinaria intercedente quandam religiosam congregationem instituit, quae Bethlemitarum dicta est, pro exercendis erga proximos in hospitalibus regionis degentes ferventiores Christianae charitatis actus. Factae etiam fuerunt huius congregationis constitutiones, quae die 26. Martii 1687. fuerunt approbatae a ven. Dei servo Innocentio XI. per suas litteras apost. in forma brevis.

Congregatio haec religiosa, quae tractu temporis excrevit et plures domos in variis civitatibus acquisivit, vulgo habita fuit pro vera religione et consequenter pro veris religiosis habiti sunt illi, qui ei nomen dederunt: sed cum in brevi supra nominata congregatio Bethlemit. nomen habeat confraternitatis hominum piorum, nec unquam in eodem brevi sermo fiat vel de congregatione in religionem erigenda vel de votis expressis et perpetuis a confratribus emittendis, quaestio excitata fuit, an praedicta congregatio esset necne vera religio.

Ad tollendam de medio hanc controversiam annis praeteritis accessit ad urbem frater Michael a Iesu Maria, sufficienti in-

structus mandato procurae, ut a sede apost. obtineret declarationem, quod congregatio esset vera religio vel ad minus obtineret, ut congregatio in veram religionem erigeretur.

Pro hoc negotio discutiendo fuit deputata Congr. particularis cl. m. Cardd. S. Clementis, Gabrielli et Em. Paracciani, a qua, perpensis perpendendis, sequens prodiit decretum: « Sacra Congregatio Emin. et RR. DD. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli et Paracciani per SSimum. D. N. specialiter deputata, visis et mature perpensis supra scriptis precibus, censuit, si Sanctitati Suae placeret, posse per litteras apostolicas in forma brevis praedictam congregationem Bethlemiticam in Indiis occidentalibus erigi in veram religionem, cum totis solennibus emittendis ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eadem congregatione ; ita tamen, ut emittentes nova vota prius certiorentur de inefficacia praecedentium votorum ad constituendos eos vere religiosos. Romae 8. Octobris 1709; » et cohaerenter ad haec fuit anno 1710. expeditum breve a SSimo D. N.

Habita huiusce rei notitia a Matthia Gonzalez de Olivera de terra de la Ortava insulae Teneriffae Canariensis, qui in congregatione Bethl. professionem emiserat, habitum ipse dimisit et indutus veste saeculari ubique incedere coepit, videntibus et non reclamantibus fratribus Bethlemiticis. Cumque coram episcopo insularum S. Iacobi Cuben. Iamaicae et Floridae die 4. Octobris 1714. comparuisset, et declarari petiisset, se esse personam liberam, nullo matrimonii vel religionis vinculo innodatam, et petitam declarationem obtinuisset, ab Indiis ad insulas Canarienses rediit et exhibita praedicta declaratione coram ordinario, licentiam ab eodem die 18. Iunii 1715. reportavit contrahendi matrimonium, quod et subsequenter contraxit cum Maria Emanuela Peniche.

Post contractum matrimonium Matthias Sanctissimum supplicavit pro declaratione validitatis eiusdem, eiusque instantia inniti posse videtur sequenti fundamento, quod ab eo praecedenter emissa sunt vota simplicia non solemnia, solumque votum solemne in religione approbata impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum, iuxta textum in cap. *Meminimus*, et in cap. *Insinuante* Qui clerici vel voventes; exceptis votis simplicibus, quae post biennium novitiatus in Societate Iesu emittuntur, quorum vigore impeditur matrimonium contractum ex const. Gregorii XIII. edita anno 1582., quae incipit *Quanto fructuosius*, et ex alia eiusdem Pontificis edita anno 1584., quae incipit *Ascendente Domino*, ita ut dubitari tantum valeat in foro conscientiae, an orator citra dispensationem possit exigere debitum ab uxore, licet reddere teneatur iuxta doctrinam *D. Thomae* in 4. Sent. dist. 38. qu. 1. art. 2. quaestione 2. ad 3. et 4. Cum autem Matthiae Gonzalez de Olivera preces fuerint a Sanctitate Sua ad hanc S. Congr. remissae, dignabuntur EE. VV. decernere: An matrimonium, de quo agitur, sit validum in casu? S. Congr. resp.: Matrimonium esse validum, sed illicitum. » *Canarien.* 26. Mart. et 9. Apr. 1718.

94. Religiosus quidam, dum nullitatis professionis querelam gerebat, virginem, falsis adhibitis de statu libero testibus induxit, ut matrimonium secum iniret, ex quo filius est procreatus. Nullitatis querela reiecta fuit. Cum antequam monasterium ingressus esset, bona sua patri resignasset sibique annuam pensionem reservasset. S. C. censuit, virgini competere ius consequendi alimenta super hac pensione donec religiosus solvat ei dotem (a Secretario Congr.) praefiniendam, in *Romana* 19. Ian. 1805.

—

G. *Impedimentum aetatis.*

95. Nobilis virgo Heva Zukororuscha die 7. Febr. 1712. (cum eius aetas tunc esset annorum novem, mensium sex et dierum quindecim) nupsit coram parocho et testibus aeque illustri Antonio, quem ex prima coniuge susceperat Ioannes Stanislaus Radechi, cum quo secundas nuptias iam contraxerat Sophia, mater dictae Hevae, post obitum patris eiusdem puellae.

De huius matrimonii nullitate iudicium deinde fuit institutum coram episcopo Luceorien., qui die 16. Martii 1714. decrevit, exspectandum esse usque dum Heva expleret duodecimum aetatis annum, ut iure suo tunc uti posset ad consentiendum vel dissentiendum. Interim vero mandavit eam in monasterio custodiri.

Redintegratum fuit iudicium, postquam Heva ad aetatem illam legitimam pervenerat, urgente Antonio viro pro declaratione validitatis matrimonii, puella autem ei contradicente, et in dissensu persistente, etiam post iteratam iussu episcopi explorationem eius voluntatis. Itaque die 26. Sept. eiusdem anni 1714. ordinarius pronunciavit matrimonium fuisse ob defectum aetatis nullum ac irritum, et libertatem utrique competere ad statum, quem mallet, eligendum.

Appellationem interposuit Antonius ad tribunal nunciaturae apost., quam tamen

non fuit prosecutus circa praecipuam quaestionem de validitate matrimonii. Sed cum Heva constituisset religiosam disciplinam amplecti, Antonius eodem tribunali apposuit, eam non libera voluntate, sed importunis subdolisque amitae (matre scilicet iam defuncta) artibus seductam id vitae genus elegisse. At cum hoc non satis fuerit comprobatum, et puellae voluntas iam examinata fuisset ab episcopo Vilnen. die 3. Sept. 1717., prodiit decretum imponens silentium Antonio et declarans Hevam *ab ulterioribus vexationibus liberam*. Itaque haec iam tirocinium emensa die 11. Oct. 1719. solemnem votorum formulam religiose concepit in monasterio Slonimensi dioecesis Vilnen., suscepto nomine Benedictae. Neque tamen propterea despondit animum Antonius, sed tum viva voce tum per litteras expugnare nitebatur mentem sanctimonialis, quae tandem anno 1724. mandatum procurationis ei tradidit, ut suo nomine instrueret iudicium de nullitate professionis quasi per vim metumque emissae.

—

Huius igitur quaestionis discussio instituta fuit in curia episcopali Vilnen., rite interrogata ipsamet Heva ac pluribus in utramque partem testibus auditis. Die 11. Maii 1725. ordinarius sententiam protulit, in qua declaravit professionem valide et libere citra ullam coactionem et seductionem fuisse ab Heva emissam.

Ab hac sententia Antonius et Heva provocarunt ad nuncium apost., cuius auditor die 7. Nov. eiusdem anni 1725. decrevit, coadiuvandas ab appellationibus esse probationes circa vim metumque Hevae illatum. Deinde vero sub annum 1726. ex decreto auditoris S. M. Benedicti XIII. omnis huius causae cognitio commissa fuit huic S. Congregationi. Sed eodem anno Heva fugam e monasterio arripuit, et Antonii domum se recepit, sobole etiam deinde ex eo suscepta.

Anno 1728. Heva et Antonius obtinuerunt deputari a memorato Pontifice congregationem particularem trium praelatorum, a quibus die 7. Febr. 1729. resolutum fuit: *Constare de validitate matrimonii, sed ad cautelam esse consulendum SSimo pro illius convalidatione in radice*. Et haec resolutio fuit quoque confirmata per breve eiusdem Pontificis expeditum die 28. Apr. 1729., ex quo apparet, oratores inter cetera exposuisse, quod matrimonium fuerat consummatum, antequam Heva religiosi instituti vota nuncuparet.

Habito per monasterium recursu ad Benedictum XIII. remissa die 12. Dec. 1729. iterum fuit causa ad hanc S. Congr., etiam cum facultate concedendi aperitionem oris prout de iure. Hactenus tamen causa siluit, conviventibus interea veluti legitimis coniugibus Heva et Antonio, aliisque liberis in lucem editis.

Litem vero hodie instaurat monasterium et nullitatem matrimonii adstruit ex iuris tam canonici quam civilis sanctione, quae nuptias ante legitimam aetatem initas irritat, nisi malitia suppleat aetatem, ut in cap. *Continebatur*, *Attestationes*, *Ex litteris*, *Ubi non est* de desponsat. impub. et in l. 4. de ritu nupt., l. *Si uxor* §. *Si minor Dig. ad leg. Iul. de adult.* Et haec S. Congr. in *Bisuntina* 14. Iun. 1691. invalidum declaravit matrimonium contractum cum puella habente annos undecim, menses totidem et dies 24., ut in lib. XII. Decr. p. 73. ita quidem, ut matrimonium sic contractum nec etiam aetate superveniente et mutuo coniugum assensu accedente, convalescat, sed oporteat iterum matrimonium contrahi coram parocho et testibus, si impedimentum ex aetatis defectu promanans sit publicum, quemadmodum docent *Avers.* de matr. qu. 11., Sect. 4. verb. « *quantum ad primum*, » *De Iustis.* de disp. lib. 3. c. 8. n. 62., *Sanchez* de matr. lib. 2. disp. 37., n. 6.

Quo vero ad memoratam matrimonii consummationem, putat monasterium pluribus evinci argumentis, id esse a veritate alienum. Ceterum posito etiam, quod ita fuerit, addit, non per hoc matrimonium potuisse convalescere, nisi iterum valide initum fuisset servata norma a Trid. patribus praescripta, iuxta resol. S. Congr., quam refert *Fagnan.* in c. *Si condit.* n. 26. de cond. app.

De professionis autem validitate ut iudicium fieri possit, inspiciendum est non solum, an matrimonium antea initum subsistat, sed etiam, an professio ipsa immunis fuerit a vitio coactionis vel seductionis, quae libertati voluntatis ad id necessariae officere posset, ac propterea perpendenda erunt documenta, quae coram ordinario Vilnen. producta ex utraque parte fuerunt. Quod si iudicaretur, matrimonium fuisse invalidum ob defectum aetatis, et nihilominus constaret, professionem quoque non sustineri ob defectum liberi consensus, in hac hypothesi suffragari posset Antonio et Hevae convalidatio matrimonii, quae iuxta votum dictae Congr. particularis fuit ad cautelam concessa in litteris apostolicis S. M. Benedicti XIII. Hactenus tamen nulla nomine Antonii et Hevae iura allata fuere.

Pertinet igitur ad EE. VV. pronunciare: I. An locus sit aperitioni oris? Et quatenus affirmative: II. An constet de nullitate matrimonii? III. An constet de nullitate professionis? Et quatenus affirmative: IV. An sit locus convalidationi matrimonii in radice?

S. Congr. die 9. Febr. 1732. distulit resolutionem, die vero 21. Iun. 1732. resp.: *Nihil de aperitione oris et ad mentem.» (Vilnen.* seu *Luceorien.)*

—

H. *Impedimentum impotentiae.*

96. « Comes Gaspar Casati, nobilis Mediolanensis matrimonium contraxit sub die 15. Febr. 1727. cum comitissa Eleonora Busca, cum qua permansit per spatium unius integri anni, quo lapso dicta comitissa sub die 23. Febr. 1728. in actis curiae archiepiscopalis comparuit, et coram vicario generali institit pro eiusdem matrimonii dissolutione, exponens, quod ob viri impotentiam nunquam in tanto temporis spatio consummatum fuerit matrimonium. Electis itaque a dicto vicario generali medicis et chirurgis utrique parti confidentibus aliisque ex officio, retulerunt confidentes mulieris et illi ex officio electi post diligenter examinatas partes genitales dicti comitis, perpetuam et insanabilem esse illius impotentiam; medicus vero et chirurgus dicto comiti confidentes contrarium asseruerunt. Quibus peractis, eadem mulier iuramentum veritatis super viri impotentia in actis praestitit et una simul adduxit iuramentum septimae manus suorum propinquorum, aliosque testes deponentes ex auditu a dicto comite Gaspare, qui fassus fuerit suam impotentiam, putabat quoque eadem oratrix, quod nonconsummatio resultaret ex comparatione in actis facta ab ipso eius viro, in qua illam admittebat. Attamen comes Casati ad comprobandum, quod ipse habilis existeret, non solum dictos peritos sibi confidentes, sed ulterius tres alios testes de visu attulit, qui asserebant, ipsum vidisse in actuali aptitudine ad consummandum matrimonium. In hoc probationum conflictu mandavit dictus vicarius generalis eosdem testes formiter esse examinandos; a quo decreto cum dicta comitissa ad hanc S. Congr. appellaverit, productisque processu ac relatione Eminent. archiepiscopi, humiliter supplicat pro dissolutione matrimonii.

—

Ex probationibus hinc inde adducendis investigandum erit, an impotentia necessario et evidenter ac per visibilia signa concludatur, quo casu deveniri potest ad matrimonii dissolutionem absque triennali experimento: vel potius ista impotentia sit tantum verisimilis vel etiam dubia et praesumptiva, in quibus circumstantiis absque iuramento utriusque coniugis et septimae manus propinquorum tam mulieris quam viri non solent haec matrimonia dissolvi, ac ulterius iuxta casuum contingentias praescribitur a iudice triennalis cohabitatio, prout referunt Canonistae in cap. *Laudabilem* de frigid. et malef. etc....

Dignabuntur itaque EE. VV. ad instantiam Comitissae Eleonorae decernere;

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu? etc.

S. Congr. die 21. Apr. 1731. resp.: « Dilata; et scribatur Emin. archiepiscopo iuxta instructionem. »

... Instructio autem versabatur in hoc, ut Emin. archiepiscopus eligeret arbitrio suo medicos et chirurgos in Mediolanensi ditione commorantes, qui diligenter recognoscerent ac explorarent, num comes Casatus naturali polleat facultate consummandi matrimonium, adhibitis quoque iis, quae medicae artes ad huiusmodi explorationem praescribunt; deinde vero illi iudicium de hoc suum interposita iurisiurandi religione aperirent.

Emin. archiepiscopus monuit comitem Casatum de iis, quae a S. Congr. commissa sibi fuerant, ut ad effectum perduci possent. At ille respondit, iam pluries semetipsum non sine magna molestia et angore subiecisse medicorum inspectioni; deinceps vero velle preces offerre Pontifici Maximo, ut pro sua potestate matrimonium ratum nec tamen consummatum dissolveret.

Implicandae protrahendaeque litis consilium subodoratus Emin. archiepiscopus, Placentinos delegit peritos, certamque indixit diem ad explorationem faciendam, interpellato ad id iterum comite. Hic vero alia tunc usus fuit exceptione, inquiens scilicet, se novam audientiam impetrasse ab hac S. Congregatione, nec proinde aliud fieri ab ea curia posse ex vi prioris commissionis. At nihilominus Emin. archiepiscopus pressius urgere perrexit comitem, ut depositis verborum ambagibus aperte declararet, an vellet inspectionem a peritis fieri, ne eorum evocatio ad Mediolanensem urbem luderetur. Postremo, cum tricas nectere non desineret comes, Emin. archiepiscopus peritos Mediolanum venire iussit et die iterum statuta se conferre domum comitis, quem rursus de his omnibus praemonuit. Sed cum ad eam pervenissent medici, chirurgi, et rogassent aditum sibi

dari ad comitem, ut suas explerent partes, constantem ab eo repulsam passi fuerunt, quemadmodum retulit archiepiscopus per litteras die 3. Octobris ad S. Congregationem datas.

Cum igitur certiora documenta, quae optata fuerunt, haberi ob comitis contumaciam nequiverint, postulat comitissa iterum perpendi momenta eorum, quae iam allata fuerunt, sibique opportune consuli.

Regula, quae a sacrorum canonum praescripto deprompta servatur in huiusmodi quaestionibus, est, ut, si virum haudquaquam fuisse potentem consummandi matrimonium, et impedimentum ipsum naturae vitio esse perpetuum, nec vinci medicina posse, omnino certum atque evidens sit, tunc statim declaretur nullum irritumque matrimonium; si vero impotentiae signa non physice, sed moraliter tantum certa sint, hoc casu, accedente coniugum iuramento cum septima propinquorum aut vicinorum manu ac etiam adstipulante concordi peritorum iudicio, sine mora ac citra novae cohabitationis experimentum itidem dissolvatur matrimonium; denique si aut periti non sint concordes aut aliter dubia sint argumenta impotentiae, in hac hypothesi adhiberi prius debeat experimentum triennalis cohabitationis, iuxta textum in cap. *Laudabilem* et cap. fin. de frigid. et malef., de quibus fuse agunt omnes iuris canonici interpretes, quos referunt *Sanchez* de matr. Lib. VII. resp. 107. sqq., *de Iustis*, de dispens. L. II. c. 17., *Schmalzgrüber* in Decret. L. IV. tit. V. n. 78., *Rota* inter collect. ad ornat. Card. *de Luca*, de matr. dec. 11. T. II

Itaque ob perpetuae impotentiae certitudinem iudicio peritorum contestatam, locum esse dissolutioni matrimonii absque ulteriori cohabitatione, quam iniungi postulabatur a viro, decrevit S. Congregatio in causa *Ianuen.* agitata inter Leonardum Cattaneum Grillum et Hieronymam Serram die 13. Mart. et 8. Maii 1706., et 12. Febr. et 9. Apr. 1707., ut in lib. LVI. Decr. p. 78. et 149. et lib. LVII. p. 44. et 124.

Aliquando autem, cum de matrimonii quidem non consummatione constaret, sed tamen non satis probatum fuisset impedimentum esse perpetuum atque incurabile, alia breviori via prospectum fuit. Quamvis enim iudicium esset institutum de nullitate matrimonii ob eam impotentiae causam, nihilominus dissidio impositus fuit finis per dispensationem a Pontifice Maximo impertitam super matrimonio rato et non consummato. Ita ex consilio Congregationis particularis, coram Clemente VIII. habitae, olim actum fuit in causa, quae vertebatur inter Sysmundum Transilvaniae principem et archiducissam Mariam ab Austria, ut memorat Card. de Ossat. in epist. 189. iuxta ultimam impressionem.

Sic quoque recentius servatum fuit in causa *Ianuen.* disp. discussa in hac S. Congr. inter Annam Pallavicinam et Ioannem Iacobum Imperialem die 20. Maii et 9. Sept. 1719., ut in lib. LXIX. Decr. p. 256. et 459, et 27. Ian. 1720, ut in lib. LXX. Decr. p. 23.

In causa autem *Tirasonen. matr.* propositum die 18. Sept. 1723. fuit dubium: An esset consulendum SSimo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati? Sed S. Congregatio putavit alio modo esse concipiendum dubium, videlicet: An sit locus dissolutioni matrimonii, vel potius consulendum SSimo pro dispensatione eiusdem tanquam rati et non consummati? Quo proposito die 2. Oct. eiusdem anni rescriptum fuit: « Esse locum dissolutioni matrimonii, » ut in lib. LXXIII. Decr. p. 537.

Denique in alia simili causa *Mediolanen. matr.* vertente inter Mariam Annam a Turre Rezzonicam et Paulum Antonium Besutium disceptatum fuit: An sit locus dissolutioni matrimonii, seu potius sit consulendum SSimo pro dispensatione? Die vero 12. Febr. 1729. existimatum fuit, esse scribendum Emin. archiepiscopo iuxta instructionem, et deinde die 28. Ian. 1730. proposita iterum causa extra folium, respondit S. Congr.: » Ad Emin. archiepiscopum, ut procedat prout de iure. »

Demum die 12. Ian. 1732. rescr.: » In decretis, et Emin. archiepiscopus cogat iuris remediis. »

Die 8. Martii vero censuit S. Congr. « differendam resolutionem, exquirendo interim sententiam Emin. archiepiscopi circa causas a comite Casato expositas pro dispensatione obtinenda; nec non ei significando posse eundem comitem, si vellet, admitti ad praestandum iuramentum de nunquam consummato matrimonio, addita etiam septima propinquorum manu ad normam canonicarum sanctionum. « Ad has litteras nuper rescripsit Emin. archiepiscopus, iustas sibi videri causas postulatae dissolutionis matrimonii rati tantum et non consummati. Comitem vero Casatum penes acta eius curiae iureiurando interposito asseverasse, matrimonium nunquam fuisse consummatum, et septem propinquos itidem iuratos affirmasse, existimari a se ipsis veram comitis asseverationem; ut etiam simile iuramentum pari solemnitate roboratum iam ante emiserat comitissa Eleonora. Ceterum perstat comes tum in

neganda perpetua et incurabili impotentia, tum etiam in voluntate non subeundi nova experimenta. »

Denique die 24. Maii 1732. dubiis propositis:

I. An sit standum vel recedendum a decisis die 12. Ianuarii proxime praeteriti?

II. An sit consulendum SSimo pro dispensatione super matrimonio tanquam rato et non consummato ?

S. C. resp.: Ad I. provisum in secundo. Ad II., *affirmative*, salvis iuribus comitissae quoad restitutionem dotis aliorumque eius creditorum et expensarum litis, prout de iure. »

97. Cum nobilis mulier Fulvia Sinibaldi de matrimonii cum nobili viro Blasio Torre initi nullitate ex capite impotentiae egisset, in prima propositione d. 10. Iul. 1761. rescriptum fuerat: « Dilata et fiat recognitio corporis iuxta instructionem D. Secretarii ». Deinde facta recognitione et renovato examine die 13. Dec. 1767. prodiit responsum: « Dilata et esse locum experimento cohabitationis triennalis. » Diuturnae autem cohabitationis pertaesa mulier novum obtulit S. Congr. libellum, in quo triennalem iam fuisse completam narravit petiitque super matrimonii nullitate proferri iudicium. Quare d. 26. Aug. 1769. litterae datae sunt archiepiscopo Lucano , ut audito interpellatoque iterum viro novam confici mandet recognitionem corporis mulieris servatis servandis, atque S. Congr. distincte reddat quoque instructam animique sui sensum aperiendo preces ipsas una cum novo processu transmittat. His igitur absolutis de nullitate denuo redit disceptatio.

Triennalem itaque cohabitationem interpolatis vicibus subsecutam completam esse contendit mulier, comprehenso tamen eo etiam tempore , quo coniuges ante decretum S. Congr. illam praecipiens convixerunt, ductoque cohabitationis initio a die contracti matrimonii, nempe a die 28. Apr. 1761. Asserit enim primum cohabitasse uno anno et diebus quindecim, deinde mensibus quatuor et diebus octo , ac demum anno uno et mensibus octo, quae quidem diversa tempora tres annos et dies viginti constituunt.

Nec obesse ait, quod tempus duabus vicibus rusticationis causa fuerit interruptum . . . , respondet enim secutum id fuisse de consensu viri. Ulterius observat , cohabitationem non ita stricte esse intelligendam , ut per aliquod temporis spatium recedere non liceat. Et denique notat , virum potuisse ad mulierem sese conferre, cum breve ac facile de uno ad alterum locum pateret iter. Perperam quoque opponi dicit, mulierem tempore interpolatae cohabitationis in uno eodemque lecto cum viro per octo menses non condormivisse. Putat enim satis esse, si sub eodem tecto eademque in domo permanserit , ut occasio vacandi rei nuptiali experiendique coeundi potentiam non deesset....

Ponderandum in hac causa occurrit, an triennalis cohabitatio ad eruendam impotentiam praescripta computari debeat a die inchoatae cohabitationis post rescriptum S. Congr. d. 12. Dec. 1767., vel potius tempus etiam praecedens comprehendi possit. In iure canonico c. *Laudabilem* 5. de frig. et malef. ita legitur constitutum: « Sollicite quoque requisisti , quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis, in qua si defecerint, separentur. Nos vero.. sentimus , ut si naturaliter frigidus non potest illa , quam duxit , uti pro coniuge , a tempore celebrati contractus, si frigiditas prius probari non possit, usque ad triennium secundum authenticum legale cohabitent. »

Huiusce decretalis sensum diversimode interpretati sunt doctores , variisque adhibitis distinctionibus illam explicarunt; magis tamen communem magisque veram ac tutam arbitrati sunt sententiam, quae triennium a die decreti computandum statuit , eamque in consuetudinem transiisse testatus est *Gonzalez* in dictum. c. *Laudabilem* n. 8. S. Congr. nulla habita ratione temporis , quo prius coniuges cohabitaverunt, triennalem cohabitationem praescripsit, in *Narnien. matr.* 26. Aug. 1746. , *Ianuen. matr.* 28. Mai. ei. anni et 3. Aug. 1748., in *Amalphitana* 10. Apr. 1757. , in *Valentina* 22. Mart. 1764. et alibi passim. Verum in *Ariminen.* 16. Mart. 1720. rescripsit: « Dilata , et fiat experimentum triennalis habitationis vel alterius brevioris temporis arbitrio S. Congr. , et ad mentem. » Similiter in *S. Severini* matr. d. 2. Iun. 1742. proposito dubio: An sit locus dissolutioni matrimonii? resp. *affirmative*, quamvis vir triennalem cohabitationem expostulasset, et cohabitationis experimentum per sex tantum mensium spatium exercitum fuisset. Denique non est praetereundum, quod s. m. Benedictus XIV. in causa super validitate matrimonii supplicem libellum remisit ad Rev. almae Urbis Vicesgerentem, qui ad prolationem sententiae procederet prout de iure , perinde ac si elapsum fuisset triennium a die contracti matrimonii. Considerandum tamen, an quae in relatis casibus circumstantiae aderant , in

praesenti quoque concurrant, prout advertit matrimonii defensor, qui eadem exempla minime aptari posse sustinet...

His ergo opportune praemissis EE. PP. definient: An sit locus dissolutioni matrimonii in casu etc.? S. C. resp.: Dilata et prosequatur experimentum per alium annum. » *Lucana* 4. Maii 1771.

—

I. *Impedimentum consanguinitatis.*

98. Ioannes Ioseph Tasset secundum codicem baptismalem naturalis filius erat Mariae Tasset et Petri Brune, idque fama et mulieris testimonio aliorumque plenissime probatum fuit. Ioannes postulavit dispensationem nubendi Deodatae, filiae legitimae dicti Petri Brune, cum qua binos genuit filios. Denegandam vero esse dispensationem super primo consanguinitatis gradu censuit S.C. in *Leodien.* 14. Dec. 1793. (« Nunquam enim hactenus dispensarunt Pontifices super primo consanguinitatis gradu. Huiusmodi dispensationem denegavit Clemens VII. inter ducem de Richemont naturalem filium et Mariam legitimam filiam Henrici VIII. Anglorum regis. »)

99. Cum iuvenis quidam cum puella quadam spuria matrimonium inire intenderet, denunciationibus obstiterunt personae aliquot deferentes impedimentum consanguinitatis primi gradus; sponsam enim filiam naturalem patris sponsi esse contenderunt. Constabat per complures testes, patrem sponsi defunctum fratribus suis aliisque personis saepius dixisse, mulierem illam suam ipsius filiam naturalem esse, maximamque eum, postquam certus factus esset de filii erga illam puellam amore, sibi operam dedisse, ne id matrimonium locum haberet. Probatum denique erat, mulierem, ex qua puellam se procreasse pater dixerat, revera eius famulam fuisse et famulatus tempore enixam fuisse. S. C. resp., de impedimento consanguinitatis satis constare ad impediendum matrimonium contrahendum. *Aesina* 23. Nov. 1805.

—

K. *Impedimentum affinitatis. Impedimentum publicae honestatis.*

100. « Dominicus Marzillus de Terra Cantalupi dioecesis Boianen. matrimonium contraxit cum Martha de Prato vidua, quaeque ex primo marito habebat filium Marcum Antonium. Hic M. A. matrimonium contraxit cum Samaritana Petrecca; cumque tam Martha uxor Dominici, quam Marcus Antonius eius filius ex primo viro mortui sint, et Dominicus matrimonium contrahere intendat cum S. P.,, quae fuit uxor Marci Antonii sui privigni, quaestio excitata est, an id licite et valide fieri possit, cumque eius resolutio fuerit huic S. Congr. remissa, scriptum fuit iuxta morem episcopo pro informatione, qui retulit exposita in facto subsistere, et totam difficultatem in iure versari, exspectando ab hoc sacro consessu resolutionem et cohaerenter ad haec proponitur dubium infra referendum.

Porro ex una parte videtur nihil esse, quod obstare valeat matrimonio contrahendo inter vitricum et uxorem privigni; uxor enim privigni est affinis vitrico, sed non est affinis primo genere affinitatis, sed secundo, uti bene explicat glossa in cap. *Non debet* de consang. et affin., et iuxta novum ius Conc. Lateranensis sub Innocentio III. sublatum est impedimentum, quod olim vigebat, secundi et tertii generis affinitatis, et hodie solum primum affinitatis genus est illud, quod constituit impedimentum usque ad quartum gradum inclusive, uti statuitur in allegato textu in cap. *Non debet* tit. de consang. et aff. ibi: « Cum ergo prohibitiones de coniugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo... difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri ap. probatione Concilii revocantes, praesenti constitutione decernimus, ut si contrahentes de cetero libere copulentur, prohibitio quoque copulae coniugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat. »

—

Absque eo quod quidquam referat, quod a iure civili prohibitae sint nuptiae inter vitricum et uxorem privigni; in hac siquidem, in qua versamur, materia, non ius civile, sed ius canonicum est attendendum, uti probat textus in cap. *Quod clericis* de foro compet.

Multoque minus refragante, quod sublato impedimento affinitatis in secundo genere aliud remaneat impedimentum, quod illicitum et nullum reddere potest matrimonium, et est impedimentum publicae honestatis, sublato quippe a iure canonico recentiori impedimento secundi generis affinitatis, sublatum etiam dici debet impedimentum publicae honestatis descendens a dicto secundo genere affinitatis iuxta glossam l. c. ibi: » Potest dici, quod ubi publica honestas simul incidit in eundem casum cum secundo vel tertio genere,... uno sublato tollitur et aliud per hanc constitutionem, quoties enim vitium ex una etiam ra-

dice nascitur, consequens est, ut una lege tollatur. »

Ex alia vero parte non videtur, quod ullo modo contrahi possit matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni, clarus enim est textus in L. *Uxorem* 15. D. de ritu nupt. ibi: « Uxorem quondam privigni coniungi matrimonio non oportet. »

Nec est dicendum, quod contrarium fuerit a iure canonico statutum, quia textus in cap. *Non debet* de cons. et aff. loquitur de collateralibus consanguineis et affinibus, ita ut aptabilis videatur propositio, quod iura iuribus sunt concordanda, et quod, quando aliquid est dubium de iure canonico et est decisum de iure civili, ius civile non solum observatur in foro civili, sed etiam in foro canonico, et quod, quando aliquid est dubium de iure civili et est decisum de iure canonico, ius canonicum observatur tam in foro canonico, quam in foro civili iuxta textum in cap. *Intelleximus* de novi operis nunciat., in cap. *Super specula* de privil. et in cap. *Clerici* de iudic.

Sic ratiocinatur *Ioannes Oinotim*, ad lib. I. Instit. tit. de nupt. de arbore affin. num. 14. pag. mihi 45. ibi: « Mortua Anna matre Caii, et etiam eius filio Caio, quaeritur an vitricus Pamphilus possit ducere Bertam sui privigni Caii viduam? De iure can. videtur dicendum quod sic, quia ista Berta est Pamphilo in secundo genere affinitatis, quod hodie matrimonium non impedit. Contrarium vero expresse disponitur de iure civili in l. *Uxorem* de rit. nupt... et in l. *non facit* §. hoc itaque ff. de grad. aff.; et quia in hoc casu ius civile expresse non reperitur correctum a iure canonico in consistoriis nostris sequimur in pronunciando dispositionem iuris civilis, quae maximam habet publicae honestatis rationem, prout scilicet semper in coniunctionibus non solum id quod licet, sed et quod honestum est, considerari debet: nec obstat d. cap. *Non debet*, quia illud tantum de collateralibus cons. et aff. loquitur, non autem de ascendentibus et descendentibus cons. et affin. et iura iuribus sunt concordanda, ut vitetur iurium correctio. »

Concordat *Arnoldus Vinnius* ad eund. tit. Inst. de nupt. sub num. 2. pag. 63. edit. Venetae ibi: « Secundum et tertium genus affinitatis temere excogitatum posteriores Pontifices merito abrogarunt, nam qui uxori non sunt consanguinei non possunt dici marito affines, et contra, ac proinde non prohibetur verbi causa uxorem ducere eam, quae fratri uxoris meae quondam nupta fuit. Non obstat quod Papinianus respondet in l. 15. « Uxorem quondam privigni etc. ». hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas et pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio iungi uxorem eius, qui mihi aliquando filius, seu loco filii fuit propter matrem, quam in matrimonio habui. »

His stantibus, quaeritur;

An matrimonium contrahi possit inter Dominicum et Samaritanam in casu? etc. S. Congr. resp.: « Dilata, et scribant bini Theologi. » Unus ex theologis matrimonium locum habere non posse, tres vero posse iniri scripserunt. »

S. Congr. itaque die 8. Mart. 1721. resp.: Ad secretarium iuxta mentem, scilicet quod non impediatur matrimonium.

101. « Ab episcopo extra urbem degente pro regula conscientiarum humillimus ad hanc S. Congr. habetur recursus, ut declaretur, an impedimentum iustitiae publicae honestatis oriens ex matrimonio puro et non conditionato, rato et non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum, iuxta cap. 3. Sess. XXIV. de ref., vel potius extendatur ad quartum, iuxta constitutionem 62. S. Pii V. Bullar. tom. 2.

Ut autem in comperto sit, quid a scribentibus et quid ab hac S. Congr. fuerit alias resolutum, operae pretium esse videtur nonnulla adnotare.

Primum est, quod in terminis sponsalium de futuro, quae pura sint et certa et non conditionata, sed invalida praeterquam ex defectu consensus, distinguendum esse videtur inter ius antiquum, ius medium et ius posterum S. Conc. Tridentini. Loquendo de iure antiquiori, nonnulli putant impedimentum publicae honestatis sibi vindicasse locum in sponsalibus de futuro puris et certis, sed invalidis praeterquam ex defectu consensus. *Gonzalez* in cap. *Ad audientiam* n. 7. de sponsal., *Clericat.* de sacr matr. decis. 30. n. 5., *Pirhing* ad lib. 4. decret. tit. 1. sect. 1. § 6. num. 33. Contrarium ab aliis docetur, et signanter a *Passerino* in cap. un. n. 5. de sponsal. in VIto, ubi notat de iure antiquiori non adfuisse hoc impedimentum, ex quo D. Thomas in IV. Sent. dist. 41. art. 1. qu. 8. ad tertium docuit, illud impedimentum non oriri ex sponsalibus nullis. At quidquid sit de hoc, attento iure medio, ex sponsalibus puris et certis, quavis ratione nulla sint, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad praecedentia dissolvendum impedimentum publicae honestatis, uti solemniter fuit decisum a Bonifacio VIII. in. cit. cap. un. de

sponsal. in VIto. Sed huic Bonifacianae decretali derogatum fuit a S. Conc. Trid. Sess. 24. de ref. matr. cap. 3.., et hoc impedimentum restrictum ad primum gradum durat, etiamsi sponsalia mutuo deinde consensu dissolvantur, dummodo a principio valida fuerint, iuxta resolut. S. huius Congr. a Summo Pontifice Alexandro VII. approbatam apud. *Fagnan.* in cap. *Ad audientiam* num. 29. de spons. et matr. et bene adnotavit. *Cabassut.* in Theor. et prax. iur. can. lib. 3. cap. 24. num. 17.

Secundum est, excitatam olim fuisse controversiam, an allegatus textus Concilii Trid. excludens impedimentum iustitiae publicae honestatis a sponsalibus nullis, et illud restringens ad primum gradum in sponsalibus validis, procederet etiam in matrimonio de praesenti contracto, rato et non consummato, et S. haec Congr. *negative* respondit, uti habetur lib. VI. Decr. pag. 64. a tergo, et sententiae huius S. Congr. adhaesit S. Pius V., qui in constitutione 62. Bullar. tom. 2. definivit, caput tertium Sess. 24. loqui de sponsalibus validis de futuro, et non de matrimonio de praesenti rato et non consummato: « Motu proprio, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus et definimus, decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat. « Sermo ibi fit de impedimento iustitiae publicae honestatis ; cum enim quaestio sit de matrimonio rato, et non consummato, ex huiusce generis matrimonio impedimentum affinitatis causam habere non potest, cum affinitas ex copula carnali consurgat, ut probat textus in c. *Lex* 27. quaest. 2. et in terminis firmant *Diana* in edit. coord. tom. 2. tract. 6. resol. 240. per tot., *Leander* Oper. moral. tom. 2. tract. 9. de matr. disput. 19. quaest. 10., et fuit ab hac S. Congr. resolutum in *Valentina* anno 1607. lib. X. Decret. p. 135. a tergo, ibi: *S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. respondit, ex matrimonio rato et non consummato oriri impedimentum publicae honestatis, non autem affinitatis.* »

Tertium est, quod hoc impedimentum iustitiae publicae honestatis oriens ex matrimonio rato et non consummato, non restringitur ad primum gradum, iuxta cap. 3. Sess. 24. de ref. matr., sed extenditur ad quartum, loquendo saltem de matrimonio valido; si enim ex allegata constitutione 62. Pii V. impedimentum hoc proventum a matrimonio rato et non consummato durat in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat, inferri posse videtur, impedimentum praedictum extendi ad quartum gradum, ut in terminis matrimonii rati et non consummati et validi adnotarunt *Leander* Oper. moral. tom. 2. tract. 9. de matr. disput. 19. quaest. 11., *Bonacin.* Oper. moral. tom. 1. de imped. matr. quaest. 3. punct. 11. propos. 2. num. 10, apud quos alii allegantur, *Iuenin.* de sacram. dissert. 10. de matr. qu. 7. cap. 9. in fine.

Quartum est, nonnullos afferre, impedimentum iustitiae publicae honestatis oriens ex matrimonio rato et non consummato, sed invalido, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu consensus, esse restrictum ad primum gradum, *Cabassut.* in Theor. et praxi iur. can. lib. 3. cap. 24. num. 18. et 19. et haec opinio refertur apud *Barbos.* ad cap. 3. num. 13. Sess. 24. de ref. matr. E contra autem alii communiter docent, quod impedimentum iustitiae publicae honestatis procedens ex matrimonio rato et non consummato, licet invalido praeterquam ex defectu consensus extenditur usque ad quartum gradum ; cum enim S. Pius V. in saepe citata constitutione 62. non distinxerit inter matrimonium ratum validum et invalidum, hinc est, quod, si in terminis matrimonii validi impedimentum extenditur usque ad quartum gradum, hoc ipsum dicendum est in terminis matrimonii invalidi, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu consensus, *Sanchez* de matr. lib. 7. disp. 70. num. 16. *van Espen* in iure eccles. univ. tom. 1. part. 2. tit. 3. de imped. matr. c. 6. num. 29 seqq., *Bonacin.* Opera moral. tom. 1. de imped. matr. qu. 3. punct. 11 propos. 2. num 11. *Filliuc.* Oper. moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 223, novissime *Salmanticenses* Oper. moral. tom. 2. tract 9. cap. 12. punct. 7. num. 83. fuse, et optime *Fagnan.* in cap. *Ad audientiam* a num. 11. usque ad num. 29. et praesertim num. 20. de spons. et matr., *Rebel.* de iustit. num. 4. in append. num. 102, *La Croix* lib. 6. part. 3. num. 681. et videtur esse de mente huius S. Congr., tum ex his, quae a *Faynano* loco cit. late deducta sunt, tum etiam, quia non solum haec eadem Sac. Congregatio alias resolvit, ex matrimonio rato et non consummato, licet invalido consurgere impedimentum iustitiae publicae honestatis, uti habetur ex resolut. edita die 18. Iulii 1611. lib. XI. Decret. pag. 99. sed ulterius declarasse videtur illud impe-

dimentum extendi ultra primum gradum ; cum enim in quadam causa *Brixien. matr.* episcopus retulisset, contractum fuisse matrimonium de praesenti et consummatum inter Bartholomaeum et Mariam, illudque subinde fuisse nullum declaratum, ex quo probatum fuit, inter eos intercedere coniunctionem in quarto consanguinitatis gradu, eundemque Bartholomaeum velle in uxorem ducere quandam mulierem cognomine Cavallariam coniunctam cum Maria in tertio consanguinitatis gradu, et quaestionem excitatam esse, an absque apostolica dispensatione dictum matrimonium contrahere posset, die 3. Decembris 1607. sequenti dubio : An Bartholomaeus possit absque dispensatione apostolica matrimonium contrahere cum Cavallaria? responsum fuit: « non posse contrahere, *obstante illi tum impedimento publicae honestatis, tum affinitatis,* » uti habetur lib. XXV. Decret. pag. 472. seqq. et pag. 484, publicae quidem honestatis propter matrimonium licet nulliter contractum, affinitatis vero propter idem matrimonium consummatum.

Ultimum est, disputationem esse pariter inter doctores, an ex matrimonio rato et non consummato, sed contracto sine praesentia parochi et testium, praedictum oriatur impedimentum, uti videri potest apud *Dianam* in edit. coord. tom. 2. tract. 6. resol. 249. In hac autem controversia nonnulli negant, dictum impedimentum oriri ex matrimonio in locis, in quibus Tridentinum receptum est, *Sanchez* de matr. lib. 7. disp. 70. n. 13. *Engel.* ad tit. de spons. et matr. §. 6. n. 3. *Barbos.* de offic. et pot. episc. alleg. 151. n. 181. *de Iustis* de dispens. matr. lib. 2. cap. 8. n. 3. *Clericat.* decis. 30. de sacr. matr. n. 13. Nonnulli in ea sunt opinione, oriri dictum impedimentum et extendi usque ad primum gradum, si admittatur matrimonium contractum absque praesentia parochi et testium valere in vim sponsalium, *Filliuc.* Oper. moral. tom. 1. tract. 10. par. 2. cap. 6. n. 223, et etiam adnotavit *Sanchez* loco cit. Communiter autem et receptior esse videtur sententia, quod ex matrimonio rato et non consummato, licet contracto sine parocho et testibus, proveniat impedimentum publicae honestatis, quia licet illud nullum sit, non est tamen nullum ex defectu consensus, *Bonacin.* Op. mor. T. I. de imp. matr. Q. 3. punct. 11. prop. 2. n. 18. *Pontius* de matr. L. VII. c. 36. n. 5. *Guttierez* de matr. C. 103. n. 9. *Hurtad.* de matr. disp. 21. difficult. 2. n. 7. *Perez* de matr. disp. 32. sect. 3. n. 3. *Salmanticenses* Op. mor. Tom. I. tr. 9. c. 12. punct. 7. n. 86. *Leander* Op. mor. T. II. tr. 9. de matr. disp. 19. qu. 13. *Fagnan.* in cap. *Sponsam* n. 2. et 3. de spons., *Cabassut.* in Theor. et praxi iur. can. L. III. c. 24. n. 20, nec in horum sententia restringitur impedimentum ad primum gradum, sed extenditur ad quartum, ut colligitur ex doctrinis allegatis. In tantum etenim impedimentum restringi posset ad primum gradum, in quantum matrimonium contractum de praesenti sine parocho et testibus haberet vim sponsalium, quod ab hac Sac. Congregatione non admittitur, uti colligitur ex resolut. ed. mense Mart. anno 1587. lib. IV. Decret. pag. 230, ibi: « Matrimonium contractum per puberes absque praesentia parochi vel alterius sacerdotis de ipsius parochi vel ordinarii licentia, est nullum nec resolvitur in vim sponsalium, ita ut contrahentes iudicialiter cogi non possint ad denuo contrahendum servata forma Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 1. de ref. matr. « et concordat alia resolutio 8. Iun. 1595. lib. VIII. Decret. pag. 130. ibi: « Congregatio censuit, matrimonium sine praesentia parochi per verba de praesenti contractum etiam copula subsecuta, irritum et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi. »

His stantibus quaeritur : « An impedimentum iustitiae publicae honestatis oriens ex matrimonio puro et non conditionato, rato et non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum, seu potius extendatur ad quartum in casu etc.? S. Congr. die 6. Dec. 1722. respondit: *Ad mentem.*

102. Matrimonium contractum inter N. et N. pro nullo irritoque declaratum fuit propter ligaminis impedimentum, quod vir reticuerat. Cum itaque mulier decepta et *vitiata* postea alteri vero nubere vellet, qui cum priore secundo et tertio gradu consanguinitatis coniunctus erat, dispensationem ille a S. P. petiit ad cautelam, si forte aliquo detinerentur impedimento, propter quod matrimonium contrahi non posset. Re ad S. C. delata, ad quaestionem propositam: An matrimonium absque apostolica dispensatione in casu contrahi possit? S. C. iudicavit : *Negative. Valentina* 15. Apr. 1752.

103. « Contractis sponsalibus per verba de futuro inter Iosephum Ioannem Serio et Annam Catharinam del Pomo, antequam matrimonium iniretur, accidit, ut Iosephus lethali vulnere saucius iamiam esset moriturus. Interrogatus autem a sacerdote instante eique extrema pietatis officia persolvente, utrum vellet cum Anna copulari, annuit Iosephus et matrimonium iuxta

ritum ecclesiae contraxit et paulo post occubuit, absque eo quod illud consummaverit (ut ex testium depositionibus apparuit). Defuncto Iosepho cogitavit Sabinus Serio illius frater de desponsanda sibi Anna del Pomo, et hac de causa cum ipsa familiariter conversatus est. Verum animadvertens, obstare impedimentum, quod publicae honestatis appellant, proveniens ex matrimonio cum praedefuncto fratre rato et non consummato, supplex adiit Emin. Prodatarium pro obtinenda dispensatione, deduxitque causam evitandi scandalum et infamiam, quae ex mutua viri et mulieris consuetudine oriri potuissent. Censuit autem laudatus Emin. Prodatarius in re tanti momenti votum exquirere S. Congregationis...

Non una est doctorum sententia, an ex matrimonio rato et non consummato impedimentum affinitatis vel publicae honestatis contrahatur. Affinitatem inde contrahi tradit *D. Thomas* in supplem. quaest. 56. n. 4. his verbis: « Matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti ante carnalem copulam ». Hanc sententiam sequuntur nonnulli, quos refert *Sanchez* de matr. l. VII. disp. 64. n. 24., ea innixi ratione, quod per vinculum coniugale cum potestate ad copulam vir et uxor inveniuntur in ratione unius principii ad generationem.

Alii vero tenent, ex matrimonio rato et non consummato affinitatem oriri non proprie, sed initiative et lato modo sumptam.

Alii demum sustinent, impedimentum contrahi publicae tantum honestatis, non autem affinitatis, quia haec non intercedit nisi ex copula perfecta et consummata, ut ait *Corradus* in praxi disp. l. VIII. c. 7. a num. 13., aliique relati a *Sanchez* l. c.

Quicquid autem sit de difformi doctorum opinione, certum est huiusmodi impedimentum non fuisse per conc. Trid. coercitum ad primum gradum, vel protrahi ad omnes gradus, ad quos ante Conc. protrahebatur. Ita decl. S. Pius V. const. *Ad Romanum* dicens: «Ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent, an decretum oecum. conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. matr. c. 3., quo cavetur, impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum...de sponsalibus per verba, ut aiunt, de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de praesenti contracta, non tamen consummata comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit... Declaramus et definimus, decr. Conc. huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum decretum Conc. introductum erat. »

De potestate S. P. dispensandi super huiusmodi impedimento dubitare non licet, quoniam illud neque ex naturali neque ex divino iure descendit, prout academiae omnes catholici orbis responderunt in causa celebri inter Henricum VIII. et Catharinam defuncti Arthuri fratris viduam. Maximum in veteri Mosaica lege erat discrimen inter casum, quo frater cum filiis, et casum, quo sine filiis decessisset. Siquidem in c. 18. et 20. Levit. reprobata omnino erant coniugia cum uxore defuncti fratris, qui relictis filiis obiisset, e converso autem, si nulla relicta prole interiisset, licita erant, immo demandata huiusmodi connubia.... In nova autem lege tolerantur haec matrimonia, et praevia apost. dispensatione permittuntur in neophytis : « si tamen sine prole fratres discessissent, » quemadmodum resultat ex textu in cap. fin. de divortiis... Verum cum matrimonia, de quibus agitur, redoleant turpitudinem, idcirco nonnisi ex urgentibus causis concedi solet. Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 5. de ref. haec statuit: « In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro idque ex causa concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam, » quare monet *Corradus* l. c. dispensationem huiusmodi tunc solum concedi, quando afferuntur causae, quae allegari solent in dispensationibus super impedimento consanguin. seu affin. in proximioribus gradibus, vel quando intercesserit copula, aut ex ipsius suspicione oriretur infamia vel aliae huius generis iustae et graves causae deducantur.

Non desunt, quamvis raro inveniantur, huiusmodi dispensationum exempla. Iulius III., ut supra narratum est, dispensavit cum Henrico VIII., ut desponsaret sibi Catharinam Austriacam post mortem Arthuri fratris, qui matrimonium cum ea iniverat, sed non consummaverat. Similiter Innocentius X. dispensationem concessit cuidam nobili Pragensi, qui imperatori a consiliis erat, ut matrimonio iungeretur cum

vidua defuncti fratris, quamvis filios reliquisset, ut melius isti educari possent apud matrem, quae in domo eiusdem nobilis a multis annis permanserat. Tria prostant in familia Farnesia istarum dispensationum exempla, ut testatur *Rigantius* ad reg. Canc. XLIV. n. 45.

In huiusmodi dispensationibus concedendis non adeo facilem se praebuit S. Congr., quae iuxta casuum circumstantias illas quandoque concessit, aliquando tamen denegavit. In *Caven.* 17. Nov. 1629. illam concessit, quia certum erat matrimonium a praedefuncto viro non fuisse consummatum; sed in *Leodien.* 10. Mai. 1755. reiecit preces pro dispensatione, quia dubium de secuta consummatione oriebatur. (cf. votum in *Cadicen.* 11. Sept. 1762.). Quibus omnibus rite perpensis expendendum erit: An sit consulendum SSimo pro dispensatione in casu? S. C. resp. *negative. Acheruntina* 16. Iun. 1770.

Instantia renovata anno sequ. reticitam fuisse oratores dicebant carnalem copulam, quae inter eos intercessit sub spe obtinendae dispensationis ab impedimento publicae honestatis.—Id insuper accedere, quod post notitiam denegatae a S. C. dispensationis pandita per Annam Catharinam eius cum Sabino illicita consuetudine parentibus ac fratribus, hi furore et ira abrepti mortem ipsi et Sabino minantur, nisi speratum sequeretur coniugium. Allegabant denique denuo, matrimonium non fuisse inter Iosephum praedefunctum et Annam consummatum, idque non ex circumstantiis solum, sed ex testium quoque depositionibus colligi. Nihilo tamen minus, cum quatuor testes deposuissent, matrimonium in mortis articulo initum fuisse: « per reintegrarla nella fama, » « per rimetter detta Anna nella primiera sua stima, » « per non farla restar lesa nella stima, « per risarcire la stima a detta Anna, » licet archiepiscopi quoque relatio oratoribus faveret, S. C. *stetit in decisis.* 8. Iun. 1771.

Alia denegatae dispensationis exempla prostant in *Pennen.* 29. Maii 1756., *Leodien.* 22. Maii 1762., *Constantien.* 23. Apr. 1768., *Anicien.* 29. Iul. 1769., *Mindonen.* 31. Aug. 1771., *Uritana* 7. Iun. 1777., *Nicien.* 7. Iun. 1778., *Colonien.* 5. Iun. 1779. Causa vero *Gadicensis* supra citata, in qua concessa est dispensatio, haec est:

Petrus Darrot iam defuncta Ioanna Lenormand uxore sua, nuptias inire exoptavit cum Clara eius sorore. Matrimonium se cum Ioanna non consummasse iureiurando firmavit, ita enim ipsam carcinomate et phthisi laborasse asseruit, ut quamvis prima nocte initi coniugii consummationem tentaverit claustrumque mulieris penetraverit, nihilominus foedi tumoris in pectore contactu et vehementi eius tussi commotus absque sexus commixtione recesserit. Dispensationem itaque ab impedimento publicae honestatis frustra postulavit. Postea, cum Claram compressisset et ea abortum passa esset, preces iteravit, causas allegans copulam secutam, populi offensionem inde orituram, animae et corporis sibi et Clarae imminens periculum, denique favorabile episcopi votum, et S. C. inspectis peculiaribus circumstantiis censuit, consulendum esse SSimo pro dispensatione super impedimento publicae honestatis et etiam affinitatis. 12. Iun. 1762., confirm. 25. Sept. ei. anni.

Similiter largita est dispensationem S.C. in *Visen.* 24. Nov. 1787., cum constaret, matrimonium per procuratorem fuisse contractum, maritum ad uxorem, quae in matris domo remanserat, bina tantum vice, scilicet prima ut de modo et tempore migrandi in suam domum conveniret, altera ut aegrotantem inviseret, accessisse, denique conversatum esse oratorem cum defunctae uxoris sorore ita, ut copulae suspicio inde percrebuerit.

104. Puella quaedam cum aliquo viro iniit sponsalia; deinde cum eius fratre contraxit. Quamvis S. C. declarasset, licere ei a sponsalibus primis recedere, non tamen esse sublatum publicae honestatis impedimentum respondit in *Ripana* 23. Apr. 1701. (alleg. IX. 102.)

—

L. *Impedimentum cognationis spiritualis et legalis.*

105. « Procuratorem, qui nomine alterius *suscepit*, vel ad *confirmationem tenuit*, non contrahere cognationem sibi, sed *mandanti*, » censuit S. C. in *Nullius* 15. Mart. 1631., *Theatina* 13. Sept. 1721.

106. « Cupientibus Constantia Musetti vidua cuiusdam Catervi Tacci, et Aloysio Paci nobilibus Tolentinatibus matrimonio invicem copulari, dubium emersit, num inter eos intercedat impedimentum cognationis spiritualis, eo quod in libris baptismorum compertum sit, praefatum Aloysium suscepisse de sacro fonte baptismi Philippum Nicolaum filium eiusdem Constantiae et memorati Catervi eius defuncti viri, prout patet ex partita extracta ex iisdem libris huius tenoris: *Die* 10. *Martii* 1702 *Philippus Nicolaus Barnabeus filius perillustris D. Catervi Tacci et D. Constantiae coniugum natus die Veneris decima currentis*

ut supra hora decima cum dimidia de licentia reverendiss. D. vicarii generalis baptizatus a R. D. Andrea Patiani, et a D. Aloysio Paci et D. Constantia Bonelli de sacro fonte susceptus est. » Viceque versa praetendentibus novis sponsis, nullam propterea inter eos contractam fuisse cognationem spiritualem, cum dictus Nicolaus fuisset antea in puerperio matris baptizatus domi urgente necessitate ob eius periculum, idque ex inadvertentia parochi omissum fuisse adnotari in praedicto libro baptismi. Idcirco recursum habuerunt ad hanc Sac. Congr. pro declaratione nullum scilicet ipsis ea de re obstare impedimentum, iuxta declarationem eiusdem S. Congr. in *Murana cognationis spiritualis* 13. *Apr.* 1669. Datis itaque litteris episcopo pro informatione, hic suo vicario generali commisit praemissorum informationem, qui iurato examini subiecit nonnullos testes, quos inter tres mulieres uniformiter deponunt, sese de mense Martii 1702 adstitisse Constantiae in eius domo parturienti, ac ob partus difficultatem, ne infans medius de utero editus coelesti lavacro inexpiatus decederet, accitum fuisse sacerdotem Carolum Musettum, quem quidem fatentur respersa aqua supra caput pueri, qui nunc est dictus Nicolaus Philippus pronunciasse haec verba: *Io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo.* Huiusmodi depositionibus consonat etiam fides extraiudicialis praefati Caroli sacerdotis recognita a testibus habentibus notam manum, non autem ab eodem, utpote, ut dicitur, absente, profugo et contumace. Verum Andreas Patianus, qui descriptus est in recensita partita libri baptismorum, etiam iuratus deponit, eum baptizasse Philippum in ecclesia absque ulla conditione praesentibus vicario generali et parocho tunc temporis, aliisque pluribus, nec unquam notum sibi fuisse asseverat, eundem Philippum domi exstitisse baptizatum, nisi aliquot abhinc diebus. Episcopus vero transmittens processiculum desuper confectum refert baptismum collatum in ecclesia non habuisse aliam rationem, quam supplendi caeremonias iuxta ritum ecclesiae, nullumque induxisse impedimentum cognationis spiritualis attenta validitate primi baptismi domi rite collati, uti fusius ex eadem ratione, ac aliis in processu contentis dandis in summario.

Hinc hodie oratores humiliter petunt ab EE. VV. declarari: An inter Constantiam Musetti et Aloysium Paci ortum sit impedimentum cognationis spiritualis, quominus possint inter se matrimonium contrahere in casu? Sac. Congr. resp.: *Negative.* » *Tolentina* 16. Mali 1711. (relat. IX. 538.)

107. « Dominicus Antonius Menicacci, cuius domiciliare solum est oppidum Suriani Hortanae dioecesis, primum ex ven. archihospitali S. Spirit. in Saxia Almae huius urbis suscepit Valentinum infantem expositum eumque nutriendum tradidit Portiae eius uxori; deinde vero sub annum 1712. eundem puerum in aetate annorum duodecim iam constitutum sibi « in eius proprium filium subrogavit et adoptavit, promisitque seque obligavit, illum alere, nutrire et vestire, omniaque alia ad victum et vestitum necessaria ei praebere, rudimenta orthodoxae fidei bonosque mores illum docere, ab eius domo et familia quavis de causa et occasione nunquam expellere, nec ei causam dare, ut aufugiat, immo, si aufugeret etiam a semetipso absque ulla causa et occasione, illum diligenter perquirere nec non in eius domum reducere, totumque, dicti archihospitalis ministris quamprimum notificare ac demum tempore eius mortis heredem universalem in omnibus et singulis eius bonis et una cum omnibus aliis eius filiis, quatenus tunc exstiterint, pro aequali rata et portione instituere, prout ex nunc pro tunc etiam iure testamenti nuncupativi instituit, et aere proprio nominavit dictum Valentinum praesentem ac semper illum ut filium proprium legitimum et naturalem habere et tractare; » sunt verba publici instrumenti, quod inter eundem Dom. Ant. et Commissarium generalem omnium proiectorum dicti ven. archihospitalis super asserta adoptione fuit exaratum.

Nuper autem, defuncto Valentino, Dominicus Ant. Men. exoptans matrimonium inire cum Angela Bassanelli, quae fuit uxor eiusdem Valentini, ut consulat tum inopiae dictae Angelae et quinque filiorum, quos superstites idem Valentinus reliquit, tum etiam scandalo orto ex publica atque assidua conversatione, quam hucusque habuit cum eadem Angela, postulavit dispensationem ab impedimento cognationis legalis forsan contractae cum Angela, utpote uxore Valentini illius filii adoptivi. At Sacra haec Congr., cuius sententiam super petita dispensatione exquisivit Dataria Apostolica, die 3. Iulii vertentis anni rescripsit: « Episcopo pro informatione et voto. »

Episcopus refert, veritate niti ea, quae orator in supplici libello exposuit, subindeque in eam propendens sententiam, quod asserta adoptio sit simplex, ita ut nulla cognatio legalis intercedat inter ipsum ora-

torem et Angelam, ita concludit: « Quae si vera sunt, eo magis indulgendum esset, et concedenda dispensatio oratori, qui ex puro motivo caritatis filium proiectum suscepit, et ex eodem motivo eiusdem proiecti filios infantes omni alio auxilio destitutos et uxorem uti verus pater et maritus respective regere et gubernare posse desiderat, secluso scandalo, quod ex conversatione ortum, ut asseritur in supplici libello.... » Dubio proposito: I. An constet de impedimento cognationis legalis in casu, de quo agitur? et quatenus affirmative: II. An sit consulendum SSimo pro dispensatione? S. C. respondit: Ad utrumque *affirmative*. » *Hortana* 25.Sept.1734.

—

M. *Impedimentum criminis.*

108. Ioannes Sobrado commorans in civitate Ulyssiponensi stupravit Mariam a Conceptione Colimbriensem, quamquam esset matrimonio iunctus cum alia muliere domicilium in civitate Bracarae habente,et cum intellexisset, ab uxore adulterium commissum fuisse, Bracaram petiit et veritate comperta uxorem interfecit. Postea, cum Ulyssiponam rediisset, et matrimonium cum Maria a Conceptione inire vellet, oppositum ei fuit criminis impedimentum, quod an adesset,et quomodo procedendum esset, S. C. rogata rescripsit: ordinarius procedat prout de iure et scribatur eidem iuxta instructionem (scilicet: « ut iuxta suam prudentiam curet, an praeter sententiam et praeter iuramentum a viro et muliere praestitum haberi valeant aliae praesumptiones; coniecturae seu probationes, quae ostendunt uxoricidium processisse ex sola causa vindicandi adulterium ab uxore commissum, vel potius an fuerit patratum etiam ut nuberet cum rea, cum qua vivente uxore adulterium commiserat, iisque peractis novis diligentiis prout de iure procedat permittendo vel impediendo matrimonium.») *Ulyssiponen.* 28. Sept. 1726.

109. « Captus amore Rosae deCaro uxoris Carmeli Malfectoni Raymundus Collocola pluries eam polluit per adulterium, data fide nubendi post obitum viri. Mors continuo maritum occupavit die 20.Martii 1732., sed Raymundo non nisi anno 1740. in mentem venit liberandi fidem datam et matrimonium cum vidua contrahendi. Id ubi resciverunt Io. Collocola patruus et duae Raymundi sorores, nihil intactum praetermiserunt, ut has disturbarent nuptias. Rosa coniecta fuit in monasterium et in archiepiscopali curia iudicium instructum, quo duorum criminum futuri coniuges rei dicebantur: adulterii et mortis viri. Raymundus igitur et Rosa, ut omnibus occurrerent, petierunt ab opt. max. Principe nostro dispensationem ab impedimento adulterii, quam obtinuerunt adiecta ab iis assertione « neutro ex sponsis in mortem mariti machinante, » quae in causa fuit, ut Ioannes Collocola et duae Raymundi sorores in curia archiepiscopali subreptitie dispensationem dicerent impetratam, cum studio atque opera uxoris mors viro acciderit. At his spretis curia decrevit, non constare de impedimento machinationis et esse exsequendum breve pontificium ac contrahendum matrimonium absque ulla mora. Provocarunt tamen illi ad hoc S. tribunal, et audito, ut par est, Emin. archiepiscopo, Rosa et Raymundus controversiae definitionem nunc postulant.

—

Rem omnem eo esse deducendam aiunt futuri coniuges, ut cognoscatur, an probetur crimen machinationis in mortem viri, sed hoc tolli praesumptione iuris, quae crimen excludit, tolli testificationibus plurium testium, qui narrant, Carmelum defunctum virum aneurysmate vitiatum guttur habuisse, quos inter plurimum spectandi sunt soror germana Carmeli eiusque vir et Ianuarius Sanseverinius medicinae professor, qui eum monuit, ut caute vitam duceret ob vitii gravitatem, quo affecti facile occumbunt praepedito sanguinis circulo, ut etiam diserte monent duo alii medici. Accedit Carmeli corpus insepultum iacuisse 48. horarum spatio, nullis signis atque indiciis, quae monstrarent evenisse mortem alicuius opera, quaeque signa late numerat *Zacchia* quaest.medico-legal.tom. 1. lib. 2. quaest.7. num. 30., nec mutare, rumorem fuisse in vicinia, non fuisse mortem illam naturalem, sed opera uxoris; testes enim, qui proponuntur, id non habent, ut iure necesse est, quod prae ceteris docet *Fermosin.* in *C. Qualiter* 2. de accusat. qu. 3. num. 3. et. 4., et ob id vanas hasce voces spretas fuisse a fisco laico, qui procul dubio non omisisset inquirere, si rumor ab honestis et fide dignis personis ortum habuisset.

Dubium, quod definiendum proponitur, est: An constet de legitimo impedimento criminis in terminis oppositi, seu potius sit locus exsecutioni litterarum apostolicarum super dispensatione in casu? S. Congr. resp.: *Negative* ad primam partem et *affirmative* ad secundam. » *Neapolitana* 26. Mart. 1746.

N. *Impedimentum interdicti ecclesiae.*

110. Episcopo Giennensi ad dubia proposita: I. Utrum prohibitione facta ab ordinario, ne parochus aliquos desponsaret, ita tollatur iurisdictio ipsius parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus parochus? II. Utrum matrimonium, in quo intervenerit vicarius parochi, non invitus, sed volens, contra prohibitionem tantum ordinarii, sit validum vel potius invalidum, quia non intervenit sacerdos habens iurisdictionem, cum sit sublata ab ordinario? S. C. resp. ad I. Valere matrimonium contractum coram parocho, cui interdictum est ab episcopo ne interveniat, ad II. Esse validum. 1581. Rel. e lib. III. Decr. p. 59. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 23.

111. « Vitus Romigiallus matrimonium per verba de praesenti contraxit cum vidua Maria Elisabetha Donati coram testibus et coram Thoma Valluchio curato ecclesiae vicariae S. Augustini extra portam S. Marci, qui, licet non esset parochus contrahentium, dixit tamen, se habuisse licentiam a vicario generali civitatis Pistoriensis, praedictos matrimonio iungendi, omissis etiam denunciationibus, uti legitur adnotatum in libris matrimoniorum dictae ecclesiae.

Putant Vitus et Elisabetha, matrimonium esse validum, quia Concilium Tridentinum sess. XXIV. de ref. matr. c. 1., praescribit matrimonium esse contrahendum praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, et nomine ordinarii venit vicarius generalis in re, et ad effectum, de quo agitur, iuxta late deducta per *Sanchez* de matr. lib. 3. disput. 29. quaest. 3. n. 18. et 19. Quia vero ex adverso opponitur, quod vicarius generalis dictam licentiam concedere non poterat, ex quo episcopus vero et proprio contrahentium parocho inhibuerat, ne eos matrimonio coniungeret, et quod vicarius generalis non concessit absolutam licentiam, sed conditionatam, quatenus videlicet adfuisset consensus proximorum dicti Viti Romigialli, ex iuribus ab utraque parte circumferendis quaeritur: I. An constet de validitate matrimonii? et quatenus negative: II. An sit locus illius revalidationi? S. Congr. resp.: Ad primum *affirmative.* Ad *secundum* satis provisum in primo. » *Pistoriensis* 22. Apr. 1719.

112. Antonius Romagnolus Caesenas, captus amore Angelae de Nave pariter Caesenatis a domo patriae aufugit et civitatem Forolivii petiit, in quam Angela quoque se recepit. Quo facto per apocham a quinque testibus subscriptam sponsalia contraxerunt, edita ab Angela iurata declaratione, sese Forolivium venisse, ut domicilium in domo aviae maternae constitueret. Cum vero episcopus Caesenas fidem status liberi transmittere recusaret, ne matrimonium absque illa fide contraheretur, ordinarius Forolivii prohibuit. Nihilo tamen minus sponsi ad parochum, cum fidei rudimenta puellis explicaret, ex improviso devenerunt et consensum coram duobus testibus, quos secum duxerant, per verba de praesenti declaraverunt. Mota exinde controversia S. C. matrimonium validum esse iudicavit. *Caesenaten.* seu *Forolivien.* 20. Febr. 1723.

113. « Anna Maria Morillo per speciale mandatum commisit Emanueli Mamanae, ut suo nomine coram parocho et testibus matrimonium per verba de praesenti contraheret cum Luciano Genovese, et procurator commissum sibi munus adimplevit. Cumque propter aegreferentiam Gasparis, patris Annae Mariae quaestiones exortae sint, demandatum fuit ab hac S. Congr., quod Anna detineretur in monasterio, in quo degebat, et quod episcopus Agrigentinus procederet ad voluntatis explorationem; supponebatur enim, eam fuisse non liberam, sed coactam.

Ordinarius subdelegavit Andream de Angelo sacerdotem, ut praedictam faceret explorationem, cumque Anna Maria in hoc novo experimento asseruisset, se cum omni sua libertate mandatum procurae fecisse, se ratum habere quicquid a suo procuratore gestum est, se quoque in eadem voluntate persistere et usque ad obitum perstituram, novaeque subinde ab utroque coniuge preces exhibitae fuerint pro impetranda cohabitatione, rescriptum fuit, quod episcopus procederet prout de iure; cumque eiusdem ordinarii et partium intercedente consensu causa fuit ad hanc S. Congregationem delata, bina in praesenti dubia disputanda proponuntur ad calcem restrictus referenda.

Solae mihi exhibitae fuerunt scripturae Annae Mariae et Luciani, ita ut, quid a Gaspare sit opponendum, ignorem; cumque ex praedictis scripturis mihi exhibitis, et ex contradictoriis habitis coram me, supponatur maiorem vim pro annullando ex parte Gasparis constitui posse in praecedenti inhibitione per ordinarium Agrigentinum parocho facta, ne matrimonio assisteret, et in sponsalibus praecedenter a Luciano contractis cum quadam Francisca Lamagna, quam etiam stuprasse supponitur, contendunt coniuges, neutram ex his oppositionibus esse attendendam; non pri-

mam, quia iuxta receptam et formiter disputatam in hac S. Congr. sententiam validum est matrimonium contractum coram parocho, cui ordinarius interdixerat, ne cius celebrationi interesset, uti videri potest apud *Fagnan.* in cap. *Litterae* a num. 5. usque ad fin. de matr. contr. contra interdictum ecclesiae; non secundam, quia licet de iure decretalium sponsalia de futuro transirent in matrimonium de praesenti ex copula inter sponsos affectu maritali exercita, ad normam textus in cap. *Is qui fidem* de sponsal., cessat tamen haec dispositio propter ius novum a Sac. Conc. Trid. inductum Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matrim.; ubi nullum declaratur matrimonium sine parochi praesentia contractum, uti adnotarunt in d. cap. *Is qui fidem Gonzalez* sub num. 1. versic. *Hodie tamen*, *Fagnan.* n. 8. de sponsal. et matrim. et *Rota* decis. 19. n. 37. et seq. part. 10. rec., et quod ita fuerit declaratum tempore Gregorii XIII. ab hac S. Congr. testatur fundatissimus theologus *Estius* in lib. IV. Sententiarum dist. 17. §. 10. versic. *Diximus autem.*

Ad ornatum quoque materiae adnotare fas sit, quod, licet a nonnullis fuerit dubitatum, an matrimonium contractum contra interdictum S. Pontificis sit validum, uti habetur in scripturis, quae circumferuntur, vera tamen opinio est, quae adstruit nullitatem matrimonii contra interdictum Papae celebrati, dummodo interdictum fuerit munitum decreto irritante. Sicut etenim Papa potest statuere per legem universalem impedimenta impedientia et dirimentia matrimonium, ita potest in casu particulari sub poena nullitatis interdicere, ne tale matrimonium in casu particulari contrahatur, uti adnotarunt *Alex. de Nevo* et *Calderin.* in cap. *Tua* de sponsa duorum, *Barbosa* in cap. *Ad dissolvendum* sub num. 4. de desponsat. impub. *Leander* Operum. moral. tom. 2. tract. 9. decis. 23. de imped. matr. quaest. 3., *Beccan.* Summa tit. 2. sacram. cap. 49. quaest. 5. num. 8., *Schmalzgrueber* ad lib. 4. Decret. tit. 16. num. 9.

Et in eo, quod attinet ad ceteros praelatos inferiores, ea recepta videtur esse sententia, ut eorum interdictum non valeat nullitatem matrimonii causare, nisi sit innixum causae perpetuae, hoc est impedimento impedienti et dirimenti, ad differentiam casus, in quo esset innixum causae temporali, hoc est impedimento tantum impedienti, quocirca ab Alexandro III. validum declaratur matrimonium celebratum pendente lite super praecedentibus sponsalibus et pendente superioris inhibitione, uti habetur in cap. *Litterae*, et in cap. *Ex litteris* de matr. contr. contra interdictum ecclesiae, et Clemens III. in cap. *Dissolvendum* de desponsat. impub. nullum declaravit matrimonium pendente interdicto contractum a puella constituta in aetate impubere, uti colligitur ex integra textus lectura in tertia decret. collectione *Antonii Augustini* pag. mihi 205., et Alexander III. in cap. *Tua fraternitas* de sponsa duorum, nullum quoque declaravit matrimonium pendente inhibitione contractum post aliud praecedenter initum, licet carnali copula non consummatum, uti pariter ex integra textus lectura desumitur in prima collectione decret. edita ab eodem *Ant. Augustino* pag. 60.

Haec sunt, quae primum dubium respiciunt. Quia vero secundum pertinet ad matrimonii contracti dissolutionem per gratiosam dispensationem, coniuges replicant, ei nunquam esse posse locum, quia, admissa Papae potestate dissolvendi matrimonia simpliciter rata, desunt tamen circumstantiae pro usu huius potestatis et signanter ex quo nullus ex coniugibus pro dissolutione instat, cum instantia promoveatur a Gaspare patre Annae Mariae, quae non vult recedere a matrimonio praecedenter contracto cum Luciano. His positis, quaeritur: I. An matrimonium contractum inter Annam Mariam Morillo et Lucianum Genovese fuerit validum in casu etc.? et quatenus affirmative: II. An sit locus illius dissolutioni per viam gratiosae dispensationis in casu? S. Congr. resp.: Ad primum *affirmative*, ad secundum *negative*. « *Agrigentina* 15. Mart. 1727.

—

O. *Impedimentum temporis clausi.*

114. S. C. censuit, etiam temporibus expressis c. 10, Sess. XXIV. posse matrimonium contrahi coram parocho, sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductiones ad domum et carnalem copulam prohiberi. Rel. sine anno a *Bened.* XIV. Inst. LXXX.

—

P. *De matrimoniis inter homines disparis conditionis contractis et de coniugiis initis invitis parentibus consanguineisve.*

115. Thomas del Conte in uxorem ducere cupiens Camillam Manganellam inter secundam et tertiam denunciationem adversos habuit matrem, germanum fratrem cetorosque consanguineos non solum ob conditionis disparitatem, sed potissimum propter hanc causam, quod avus Camillae maternus propter patratum vestium furtum in portu Liburn. condemnationem in opus passus esset. Sponsi, cum vicarius generalis eis, si contracturi essent, excommuni-

cationis poenam esset minatus, Romam se contulerunt, et S. C. resp., matrimonium esse contrahendum, *Florentina* 12. Ian. 1726.

116. Antonius Maria Ricciolius nobilis Urbinatensis filium heredem instituit adiecta lege, quod, si nupturus esset feminam inferioris conditionis, excepta legitima debita expers esset hereditatis, in quem casum in ecclesiae aliarum piarum causarum favorem de bonis suis disposuit. Postea filius, cum Elisabetham Ligiam honestam quidem, sed non nobilem puellam ducere vellet, patris dispositionem libertati matrimonii repugnare putans, declarari a S.C. petiit, an ei matrimonium istud absque paternae hereditatis amissione inire liceret. Itaque S. C. respondit, consulendum esse SSimo pro gratia derogationis ad cautelam, quod SSimus eadem die approbavit. *Urbinaten.* 10. Maii 1732.

117. Cum consilium, quod Reformantiae vocant, urbis Maceratensis d. 24. Apr. 1756. poenam eiectionis ab ordine nobilium illi indixisset, qui decus propriae nobilitatis vilibus abiectisque coniugiis essent commaculaturi, de validitate huius statuti propterea dubitatum fuit, quod matrimonii libertati esset contrarium. S. C. tamen illud non obstare libertati matrimonii censuit. *Maceraten.* 16. Ian. 1761.

118. Tertias nuptias appetens Comes Ioannes de Castro Prosperi cum honesta licet ignobili muliere Teresia Bravi sponsalia iniit. Celebrando matrimonio vero obstiterunt propinqui et filius potissimum Comes Angelus, tum propter disparem sponsae conditionem, tum propterea, quod Ioannes aetatis septuaginta septem annorum, vulneris in crure et herniae scrotalis culpa impotentia laboraret. S. C. vero, licet consanguinei nobiles omnes refragarentur, tamen matrimonium non esse prohibendum censuit. *Tudertina* 7. Sept. 1793.

—

Q. *De iure statuendi impedimenta matrimonii.*

119. « Matrimoniis fidelium coram ecclesia contractis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacunque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, ecclesia minime consulta nec probante, perperam ac nulliter lata » rescripsit S. C. Episcopo *Brixinensi* a. 1804. (CI. 128.) p. 128.

R. *De dispensationibus ab impedimentis matrimonii et consensus renovatione.*

120. S. C. censuit episcopum in casu urgentissimae necessitatis non posse ante contractum matrimonium ex impedimento publico dispensare, » 13. Mart. (alleg. LXV. 114.

121. S. C. ratam habuit declarationem sequentem a S. Congregatione Inquisitionis etiam: « Propositio asserens, episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonium dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint exspectare dispensationem sedis apostolicae, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa » die 19. Ian. 1661. (alleg. LXV. 114.)

122. Episcopus Aegitaniensis, parum fidens invectae in aliqua regni Portugalliae parte contrariae opinioni, cum dubia sex proposuisset:

I. An dispensationes in gradu consanguinitatis cum copula per consanguineos contrahentes obtentae et effectum suum sortitae, non peracta prius poenitentia in bulla dispensationis praescripta, fuerint valide exsecutae, ita ut nulla nova revalidatione egeant?

II. An et quae in posterum obtinentur sint exsequendae, priusquam fuerit peracta dicta poenitentia?

III. An episcopus dispensare possit in foro conscientiae tantum in impedimentis dirimentibus matrimonium et post eius publicationem et confirmationem detectis? et quatenus affirmative:

IV. An possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium?

V. An possit, quando ob moram habendae dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiae et scandali?

VI. An possit, quando impedimentum provenit ex parte feminae passurae iacturam vitae, famae et scandali, si illud detegeretur?

S. C. ad I. distulit resolutionem ac per theologos et canonistas scribendum censuit. Ad II. resp. *negative.* Ad III. et IV. non posse secluso scandalo de quo in V. dubio, posse autem, quatenus impedimentum non sit publice detectum. Ad V. et VI. *affirmative* quoad forum conscientiae tantum. *Aegitanien.* 19. Apr. 1692. (alleg. XXXVII. 124.)

123. Provisores et vicarios generales a capitulis sede vacante deputatos non valere dispensare in gradibus prohibitis ad matrimonia contrahenda, cum non succedant in iis facultatibus, quibus episcopi Indiarum fruuntur dispensandi super gra-

dibus prohibitis ex speciali indulto apost. renovando pro singulis novis episcopis ; permittendum vero esse, ut matrimonia ex tali dispensatione contracta praevia renovatione consensus inirentur, neque esse inquietandos eos, qui fuissent in bona fide, S. C. censuit in *Mexicana* 28. Ian. 1708. (IX. (II.) 136.)

124. Vir et mulier quarto consanguinitatis gradu coniuncti, postquam dispensationem vacante sede ordinaria obtinuerunt directam episcopo viciniori, cum tamen is, cui directa fuit, non esset vicinior, obtento decreto pro exsecutione dispensationis, praeviis denunciationibus forma Conc. contraxerunt. Matr. declaratum fuit invalidum, in *Venusina* 3. Oct. 1716. (IX. (II.) 197.)

125. Dataria litteras dispensatorias super impedimento consanguinitatis vacante sede episcopali contrahentium ad officialem episcopi vicinioris direxit. Qui, postquam poenitentiam ipsis inflictam nupturi peregerant, eorum parocho licentiam seu mandatum denunciandi et celebrandi matrimonium dedit vi illius decreti, quo tempore iam novus episcopus eorum ordinarius adfuit. Qui cum parocho, ne illius officialis decreto pareret, interdixisset, licentiam seu mandatum illud concedere spectare ad contrahentium ordinarium resp. S. C. in *Ugentina* s. *Alexan.* 28. Sept. 1737.

—

126. Cum petita esset dispensatio in tertio et quarto gradu propter incompetentiam dotis et mandatum fuisset episcopo, ut, si preces veritate niterentur, auctoritate apostolica dispensaret, non constare de nullitate contracti matrimonii iudicatum est, licet dotem competentem fuisse apparuerit, quoniam defectus causae non finalis, sed impulsivae non vitiat dispensationem. *Praten.* 4. Iul. 1722.

—

127. Petita erat dispensatio in secundo et quarto gradu propter dotis incompetentiam, adiecta a sponso promissione, se sponsam esse dotaturum. Postea, cum quod suum erat sponsus non fecisset, pro valida nihilo tamen minus declarata est dispensatio, quoniam pro obtinenda dispensatione sufficiebat, mulierem esse indotatam, nec ratio habenda erat novae et sufficientis dotationis a sponso faciendae. *Neapolitana* 4. Iul. 1722.

128. Homo quidam pontificiam dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis iam ante contractae ob illicitam consuetudinem cum sorore puellae, quam in matrimonium erat ducturus, impetravit cum adiecto de more decreto : « Iniuncto eisdem oratoribus sub poenis gravissimis, ne in civitate, oppido seu loco, in qua seu quo praedictae oratricis sororem pro tempore commorari contigerit, habitent; et si mandato huiusmodi non paruerint, praesentes litterae eis quoad forum conscientiae nullatenus suffragentur. » Paritum ei praecepto non fuit, etenim in eodem loco post matrimonium contractum domicilia habuerunt. Non tamen constare de nullitate matrimonii, censuit S. C. in *Conimbricen.* 3. Apr. 1734.

—

129. Primi gradus in petenda dispensatione mentionem esse faciendam, si inter virum et mulierem adsit affinitas *primi* et *tertii* gradus, censuit S. C. in *Dubio affinitatis* 19. Sept. 1682.

130. Matrimonium contractum inter coniunctos extra primum gradum, *praevia dispensatione super remotiori*, et non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, validum esse, nisi aliud obstiterit, satisque fuisse obtinere postea declarationem super gradu propinquiori iuxta Const. san. mem. Pii V. hac de re editam (Const. 13. Bull. T. II.) neque opus fuisse post declarationem huiusmodi repetere formam Concilii vel denuo contrahere, censuit S. C. die 1. Maii 1607. (« Litterae enim declaratoriae sunt tantum necessariae, ut matrimonium sit licitum, non autem, ut sit validum ». Discurs. Secretarii II. p. 154. §. 18.)

—

131. Matrimonium initum (inter principem Sapieham et Constantiam Radzivil) praevia S. P. dispensatione super quarto consanguinitatis gradu non esse nullum, licet contrahentes tertio et quarto gradu inter se essent coniuncti, separandos tamen esse coniuges, donec obtinuerint litteras declarationis, S. C. censuit in *Lucaeorien.* 28. Mart. 1722.

132. « Decretum SSimi D. N. *Benedicti* PP. XIV. in causa *Lisbonen.* Nullit. Matr. quae fuit resoluta in hac Sac. Congr. Cardd. Conc. Trid. Interpr. die. 13. Septembris 1755.

(XXIV. 156 seqq.)

Cum super matrimonio, praevia dispensatione super impedimento quarti gradus consanguinitatis a fel. rec. Clemente P. XII. concessa, in civitate Zamorensi contracto inter Violantem Iosepham Henriquez de Almada et Aloysium Franciscum Assis Sanchez de Baona et nunquam carnali copula consummato contentio exorta fuerit, tum quia Violantes asserebat, illud non fuisse

contractum coram proprio contrahentium parocho, tum quia comprobare nitebatur, a se re integra fuisse revocatum mandatum, quod procuratori dederat ut matrimonium contraheret; controversiae definitio a nobis commissa fuit Congr. Cardd. Conc. Trid. Interpr. et cum ipsi post nonnulla responsa aperiendae veritati maximopere conducenda binas tandem ediderint resolutiones matrimonii validitati faventes, petente praedicto Aloysio iuxta morem fuerunt eaedem confirmatae per nostras apost. litteras in forma brevis exped. die 8. Iulii 1750. Iudicium favorabile validitati matrimonii bis latum, et, uti supra dictum est, a nobis confirmatum, completum et terminatum dici poterat ad tramites const. a nobis ed. super ordine et forma causarum matrimonialium, quae incip. *Dei miseratione*, et quae est 33. in nostro Bullar. T. I. Sed aliter res se habuit, instaurata videlicet controversia contra validitatem matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram parocho illegitimo aut post revocatum procurae mandatum, sed ex alio disputato capite, uti mox exponetur. Violantes et Aloysius non erant coniuncti tantum tertio et quarto consanguinitatis gradibus, sed duplicibus tertio et quarto gradibus a duplici latere provenientibus; dispensatio autem concessa a nostro praedecessore Clemente P. XII. quartum tantummodo et ad summum tertium gradum comprehendebat nec se extendebat ad duplicem tertium et quartum gradum. Cumque instante Aloysio fuerint a nobis expeditae litterae apost. in forma brevis die 12. Sept. 1750. quartum ope duplicitatis gradus impedimentum sublatum dici poterat, sed sanatoriae gratiae concessio eo sub obtentu facta sit, quod Violantes tunc esset ignara novi impedimenti duplicitatis gradus inter ipsam et Aloysium intercedentis, et Violantes provinciam assumpserit comprobandi, quod tempore concessionis gratiae et expeditionis brevis sanatorii ipsa erat conscia novi impedimenti, eiusque sensum perfecte cognoverat: ex his instaurata est controversia contra validitatem matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram parocho non proprio contrahentium, vel ex quo initum fuisset post revocatum procurae mandatum, uti supra dictum est, sed ex alio disparato capite seu fundamento, quod videlicet contractum fuisset vigente impedimento dirimente per apost. litteras nullatenus sublato. Delata ad nos novae praetensionis notitia, eius definitio eidem mem. Congr. Cardd. Conc. Trid. Interpr. fuit a nobis commissa, ea tamen adiecta conditione, ut de validitate aut nullitate matrimonii cognoscerent, habita tantum ratione sufficientiae aut insufficientiae derogationis obtentae super impedimento gradus, nec ulla habita consideratione aliarum rationum, ob quas praecedenter et in praeteritis causae propositionibus promota fuerat instantia pro nullitate matrimonii. Ad tramites impositae legis examen assumptum est, adhibitisque opportunis diligentiis, communibus tandem suffragiis edita est resolutio contra validitatem et pro nullitate matrimonii, defensore matrimonii ad tramites nostrae constitutionis constituto suo munere de more egregie tum voce tum scriptis functo, exhibito tantum in postrema causae propositione ab Aloysio supplici libello, in quo se et iura sui matrimonii iudicio Congr. submittere professus est. Unica resolutio favens nullitati matrimonii iuxta mem. nostram const. non sufficit, ut iudicium absolutum dici possit, cum altera resolutio praecedenti conformis accedere debeat. Pro totius ergo negotii finali absolutione necessarium fuisset, ut causa iterum in Congregatione proponeretur et alia ederetur resolutio praecedenti conformis. Sed cum id fieri nullatenus posset absque novis expensis et longioris temporis mora maximopere inopportuna in causa matrimoniali a longo tempore introducta, non obstante gravi aetate, in qua sumus constituti, neque pariter obstantibus molestis negotiis, quibus quotidie vexamur et opprimimur, inhaerentes etiam insinuationi praedictorum Cardinalium, qui in Congregatione uniformibus suffragiis censuerunt matrimonium fuisse nullum, quique expediens futurum esse dixerunt, ut posthabita nova propositione in Congregatione nos ipsi rem totam perpenderemus: laborem assumpsimus scripturas Congregationi exhibitas perlegendi et omnia et singula quae a scribentibus fuerant deducta, ponderandi, ut, quatenus iudicium nostrum conforme fuisset resolutioni Congregationis, superabundanter dici possent adimpleta, quae a nobis in constitutione nostra statuta sunt, et quatenus difforme fuisset, nulla amplius superesset de validitate matrimonii dubitatio. Tria sunt, de quibus actum est in causae discussione. Primum est, an pro validitate matrimonii necessaria fuerit dispensatio a nobis concessa, permittens, ut non obstante impedimento duplicis gradus matrimonium contrahi posset, vel potius sufficiens fuisset praecedens dispensatio a nostro praedecessore concessa, quae impedimentum sustulit tertii et quarti gradus. Secundum, an dispensatio a nobis

concessa eo sub praesupposito facta sit, quod tempore concessionis Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. Tertium, an tempore expeditionis novi brevis Violantes ignoraret, seu potius conscia esset impedimenti duplicitatis gradus. Ex horum quippe dubiorum resolutione, prout uno vel altero modo fieri contingat, iudicium pendet validitatis aut invaliditatis matrimonii contracti. Dum autem initio a primi examine puncti, cum in tribunalibus et communiori calculo a scribentibus ea opinio recepta sit, quae pro validitate dispensationis et consequenter matrimonii, quod dependenter ab ea contrahitur, requirit, ut coniunctio proveniens ex duplicitate gradus exponatur, et quod eidem derogetur, sed quod, ea minime obstante, permittatur, ut coniuncti duplici consanguinitatis gradu matrimonium inter se contrahere possint, suo marte sequitur, pro validitate matrimonii fuisse necessariam novi brevis expeditionem, per quam impedimentum duplicis consanguinitatis gradus de medio tolleretur, nec sufficere potuisse primum breve derogans impedimento quarti seu tertii et quarti gradus. Hoc quippe breve sufficiens fuisset, si Violantes et Aloysius coniuncti fuissent simplici tertio et quarto gradu iuxta const. s. m. Pii V. in bulla 23. Bullar. T. II. ubi, excepto casu, quod vir et mulier primum consanguinitatis seu affinitatis gradum attingeret, in quo protestatus est, se nolle dispensare quoad reliquos gradus, decrevit pro validitate dispensationis satis esse expressionem remotioris gradus, obtentis postea super propinquiore litteris declaratoriis. Iuxta quoque communem doctorum sententiam in tribunalibus receptam illicitum tantum est, sed non invalidum matrimonium, quod contrahitur ope dispensationis obtentae super quarto gradu nulla tertii gradus facta mentione, et antequam litterae declatoriae praescriptae a S. Pio V. fuerint obtentae: prout, dum in minoribus secretarii Concilii munere fungeremur, fuse a nobis comprobatum est et a Congr. admissum in discussione causae *Luceorien.* null. matr., quae fuit proposita et resoluta die 18. Mart. 1722, uti videri potest Tom. II. Thes. Res. praedictae Congr., ubi noster discursus una cum resolutione typis editus est. Sed cum praedicta omnia sibi vindicent locum in simplici impedimento tertii et quarti gradus, et non in impedimento duplicis consanguinitatis gradus: nemo est qui non videat, pro validitate matrimonii, de quo nunc agitur, nullatenus fuisse sufficientem dispensationem a nostro praedecessore concessam, quae tertii et quarti gradus impedimentum sustulit, sed aliam pro dicta validitate fuisse necessariam, cuius ope duplex ex duplicitate gradus impedimentum derivans de medio tolleretur. Admissa necessitate expeditionis novi brevis, et admissa primi insufficientia pro validitate matrimonii, sequitur, ut videatur, an secundi brevis facta fuerit concessio eo sub praesupposito, quod tunc Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. At, si Aloysius exorans pro concessione novi brevis, ut remanere posset in matrimonio non obstante impedimento duplicitatis, exposuit, se timere, ne scandala orirentur, si huius novi impedimenti notitia ad Violantem deveniret, si cohaerenter ad haec facta fuit concessio brevis, exclusa necessitate novi consensus a Violante praestandi, vel quod ipsa de novo impedimento certior fieret, ut ex lectura brevis plane dignoscitur; ex his evidenter desumitur, novae gratiae concessionem emanasse eo sub praesupposito, quod Violantes tempore concessionis ignoraret impedimentum descendens ex duplicitate gradus, et eo fortius cum in eodem brevi legatur gratiam debere in suo robore permanere, si post eius concessionem notitia impedimenti ad Violantem devenisset, quae circumstantia evidenter evincit comprobatque, gratiam fuisse eo sub praesupposito concessam. Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit urgente magna causa et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente non a iure divino aut naturali, sed a iure ecclesiastico, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt: de quibus omnibus a nobis fuse actum est, dum in minoribus secretarii Concilii munere fungeremur in causa *Pragen.* matr., quae fuit proposita d. 13. Iun. 1720, 16. Ianuar. 1723. 28. Aug. ei. an. et tandem resoluta die 18. seq. Sept., uti videri potest T. I. et II. Thes. Resol. dictae Cong., ubi typis edita inveniuntur ea omnia, quae tunc a nobis deducta fuerunt. Cumque solius Romani Pontificis sit, non solum dispensationes in radice matrimonii indulgere, sed etiam conditiones statuere pro validitate gratiae adimplendas: in ea, de qua nunc agitur, ea quodammodo statuta dici potest conditio, quod tempore concessionis Violantes

novum impedimentum ignoraret, ne ipsa contradicente et obnitente, prout contigisset, si impedimentum scivisset, concessa dispensatio diceretur; in hoc quippe rerum themate factum est atque concessum quidquid fieri aut concedi poterat, ut matrimonium, cuius validitas fuerat approbata, persisteret; nec mulieri sublata est facultas impugnandi ex novo capite validitatem, si novi impedimenti notitiam tempore concessionis, gratiae novaeque dispensationis habuisset, nulla habita consideratione notitiae supervenientis post concessionem brevis; ea quippe superveniens superveniret post sublatum ope novae dispensationis duplicitatis gradus impedimentum. Post haec nihil aliud remanet, quam ut videatur, an tempore concessionis gratiae Violantes haberet notitiam novi impedimenti. Cumque ex documentis et testibus quacunque exceptione maioribus demonstratum sit, quod Violantes impedimenti notitiam ante concessionem et tempore concessionis gratiae habuerat, et omnia parabat necessaria pro instauranda controversia super nullitate matrimonii in vim novi impedimenti, cui in primo brevi non fuerat derogatum: nedum approbamus Congr. Conc. iudicium ultimo loco prolatum pro nullitate matrimonii, sed hoc nostro decreto inter acta Congr. Conc. asservando et per litteras apost. in forma brevis etiam corroborando dicimus et pronunciamus: matrimonium contractum inter V. I. H. de Almada et A. F. S. de Baona nullitatis vitio laborare, et quatenus aliud canonicum non obstet impedimentum, posse utrumque ad alia vota transire.

Datum *Romae* apud S. Mariam Maiorem die 27. Septembris 1755.

Benedictus PP. XIV.

Praesentem copiam decreti SS. D. N. manu Sanctitatis Suae signati, collatione facta cum originali existen. in Secretaria Sac. Congregationis Concilii, concordare, testor et affirmo in fidem etc. Dat. *Romae* hac die 10. Novembris 1755.

Loco + Sigilli.

I. A. Furriettus Secret.

(Confirmatum est hoc decretum per breve apost. dat. Rom. 30. Sept. 1755.)

133. « Cum die 11. Novembris 1710. ex hac vita migrasset Catharina uxor Amici de Federico, idemque exportasset ad alia vota transire cum Beatrice de Luce Terra S. Anatoliae dioecesis Reatinae, recursum habuit ad Sacram Poenitentiariam pro obtinenda dispensatione super impedimento affinitatis ex copula illicita, ex quo antecedenter rem habuerat cum matre praedictae Beatricis, obtentoque consueto brevi, non potuit illud exsecutioni demandari propter consuetam clausulam *si occultum*, quae apponitur in brevibus dicti tribunalis; copula quippe cum matre Beatricis erat publica et notoria.

Denegata praedicti brevis exsecutione, Amicus summo Pontifici pro dispensatione supplicavit per organum Datariae, uti fieri debet, quando impedimentum est publicum, et breve dispensationis obtinuit expeditum die 13. Aprilis 1711, sed nec istud potuit exsecutioni demandari, cum tempore intermedio habita fuerit notitia aliorum duorum impedimentorum impedientium et dirimentium, adulterii videlicet ab ipso commissi cum Beatrice tempore, quo Catharina prima uxor vivebat cum promissione eam ducendi in uxorem post huius obitum, et etiam veneni propinati praedictae primae uxori, ut matrimonium cum mem. Beatrice contrahere posset.

Pertaesus Amicus longioris morae matrimonium de facto contraxit cum Beatrice coram parocho et testibus, et cum ea cohabitavit; et ab ea tres liberos habuit; cumque admonitus a sacerdote quodam de necessaria reparatione et de infelici statu animae suae, recursum habuerit ad S. Congr. Episc. et Regul. et ab eadem facta fuerit remissio ad hanc S. Congr., iuxta morem datae fuerunt litterae ad episcopum Reatinum pro informatione eidemque fuit iniunctum, ut processum compilatum transmitteret cumque ageretur de homine pauperrimo, qui sumptus suppeditare non poterat,... operae pretium esse existimatum fuit, processum consignare D. Florello locumtenenti criminalis auditoris camerae, ut eius restrictum efformaret et suum etiam subderet votum pro veritate.....

In eo, quod attinet ad impedimentum proveniens ex adulterio cum promissione ducendi adulteram in uxorem post obitum verae coniugis tunc viventis, concordant in hoc, nullam videlicet adesse difficultatem de adulterio commisso, cum Amicus illud ingenue fateatur, sed difficultatem consistere in promissione ducendi adulteram in uxorem; promissio haec etenim non innititur nisi cuidam revelationi, quam parochus sibi factam fuisse dixit a Victoria adulterae matre, se videlicet fuisse ab Amico adhuc cum Catharina uxorato requisitam de assensu pro contrahendis ab ipso sponsalibus cum Beatrice filia, sibique reluctanti assensum praestare, fuisse ab Amico dictum: » *havemo fatto senza di voi, stantechè ci havemo promesso, crepate ed*

schiattate, noi havemo fatto senza di voi;» cumque eadem Beatricis mater ad examen formale subinde vocata etiam iuramento interposito dixerit, se nihil scire de promissione, nec unquam eam parocho revelasse, hinc tam ab episcopo in sua relatione, quam a D. Florello in suo restrictu dicitur, sufficientem non adesse huiusce impedimenti probationem.

Transeundo ad aliud impedimentum, propinati videlicet veneni Catharinae uxori, eius prima probatio constituitur in quatuor testibus, qui testantur, Catharinam mense Maii a. 1710. et sic per sex menses ante suum obitum quandam portionem farris coxisse, eamque comedendam tradidisse Petronillae nepti et aliis consanguineis, qui doloribus statim et vomitu correpti sunt, eundemque farrem subinde datum fuisse gallinis ad comedendum, quae paulo post mortuae sunt, et quia factum hoc nihil conduceret ad probandum, venenum fuisse ab Amico Catharinae propinatum, alii duo superadduntur testes, qui dicunt, se audivisse a Petronilla, quod Amicus nescio quid albi in farre cocto miscuerat, et quod Catharina existimabat, ex ea causa vomitum processisse; sed cum Petronilla non potuerit examinari utpote mortua ante compilatum processum, infirma admodum haec exhibiti veneni probatio existimatur tam ab episcopo quam a Florello. Subsequitur secunda probatio, quae in duorum testium dicto reponitur referentium, die omnium SS. et sic paulo ante obitum Catharinae fuisse ipsi ab Amico marito exhibitum quendam panem una cum uvis ad comedendum, et quendam liquorem ad bibendum, quem in nonnullis vasculis retinebat, et Catharinam post comestionem et potum acrius fuisse morbo vexatam, quo deinde occubuit die 11. mensis Novembris; sed cum omnes alii testes examinati concordent, praedictam Cath. fuisse delicatae naturae, et pati consuevisse quolibet anno dolores colicos et febres, iisdemque fuisse vexatam in ultima aegritudine, et parochus S. Anatoliae et alii sacerdotes eiusdem loci non solum in hoc concordent, sed etiam superaddant, nullam contigisse in cadavere Cath. mutationem, nec ullum in eo apparuisse veneni signum, hisce de causis concludit episcopus in sua informatione, probationes propinati veneni esse debiles et aequivocas, et sic sibi videri, annuendum esse petitis, facultati videlicet contrahendi matrimonium, ut etiam consulatur honori Beatricis, et Amici incolumitati, cuius vita dicitur insidiis exposita propter inimicitiam ipsi indictam a fratribus Beatricis, si matrimonium non sequatur; neque discordat D. Florellus....

Impedimentum impediens et dirimens, quod dicitur impedimentum criminis, quodque ex solo adulterio vivente prima coniuge patrato non coalescit, coalescit ex adulterio una cum promissione adulteram ducendi in uxorem post obitum coniugis tunc viventis iuxta textum in capp. *Significasti*, *Veniens*, fin. de eo qui duxit, sive adulterium praecedat promissionem, sive promissio praecedat adulterium, dummodo promissio sit vera et seria et ab altera parte acceptata, uti late prosequuntur *Pirhing* ad d. tit. Decr. §. n. 14., 15.; *Anaclet.* eod. n. 4. et 15.; *Rossignol.* in noviss. praxi T. VI. de matr. praenot. 13. n. 19. seqq.

Item relatum criminis impedimentum impediens et dirimens matrimonium ex machinatione mortis coniugis coalescens ad terminos citati textus in c. *Significasti*, et can. *Si quis vivente*, adulterium exposcit, si mortis machinatio ab altero tantum processit, et etiam sibi vindicat locum sine adulterio, sed dummodo uterque ad caedem seu mortem coniugis cooperatus sit, uti probat text. in c. 1. et *Super hoc*, *De eo* etc., *Pirhing*, *Rossignol.* citt., in quo rerum themate non videtur, in hypothesi dubitandum de hoc impedimento, in eo, quod attinet ad ius, sed in eo solum, quod spectare potest ad probationem facti.

Adeoque ad probationem descendendo, supponendum esse videtur, quod versamur non in matrimonio contracto, sed in contrahendo, licet enim illud de facto fuerit contractum, perinde tamen se habere debet, ac si contractum non fuisset; ad partes quippe positio criminalis impedimento, super quo praesens quaestio versatur, aliud supererat impedimentum affinitatis ex copula illicita, cum dispensatio per organum Datariae expedita, non fuisset exsecutioni mandata, quando illud de facto contractum est. Sacri autem canones distinguunt inter matrimonium contractum et contrahendum et quando agitur de contrahendo, non exposcunt claras et concludentes impedimenti oppositi probationes, statuunt enim, unicum testem sufficere, ex quo agitur de vitando peccato, uti habetur in cap. *Praeterea* de sponsal., et cap. *Super eo* de testib., *Ciarlin.* Lib. III. controv. c. 234., dummodo tamen testis sit bonae famae et non patiatur exceptionem in persona aut in dicto, *Tondut.* quaest. benef. P. III. c. 165. n. 5., *Monacell.* P. I. pag. 183. n. 1., *Ursaya* T. V. p. 2. disc. 22. n. 13. seqq., et dummodo testis asserat cum iuramento, se certe scire impedimentum, *Sanchez* L. I. disp. 71. n.

11., ubi num. 16. seqq. ait, non sufficere famam ad impediendum matrimonium, si clariores adsint probationes de fama contraria, et simplicem rumorem non posse matrimonium impedire.

Quatenus probationis impedimenti criminis insufficientes esse videantur ad rem, de qua nunc agitur, ita ut, iisdem minime obstantibus, S. haec Congr. sit in sensu, quod possit esse locus exsecutioni dispensationis super alio impedimento ex copula illicita, discutiendum remanet, an necessaria sit renovatio consensus coram parocho et testibus. Quando etenim impedimentum, prout hic, ex copula illicita est publicum, consensus renovatio dicitur necessaria coram parocho et testibus, etiamsi durante impedimento matrimonium fuisset contractum in facie ecclesiae et coram testibus et parocho ad differentiam casus, in quo haec facta fuissent, sed in terminis impedimenti occulti iuxta praxim S. Poenitentiariae, de qua *Navarr.* consil. 4. de sponsal., et resolutiones huius S. Congr. apud *Fagnan.* in cap. *Is qui fidem* n. 14. de spons. et matr., *Rotae* decis. 900. coram *Seraphino*.

Dignabuntur itaque EE. VV. ex his, quae hucusque deducta sunt, sequentibus dubiis respondere: I. An sit procedendum ad exsecutionem Brevis Datariae sub impedimento affinitatis ex copula illicita in casu? et quatenus affirmative: II. An consensus a contrahentibus sit renovandus coram parocho et testibus?

S. C. respondit: Ad I. *affirmative*, obtenta dispensatione per Secretarium a SSimo super falsa imputatione praetensorum impedimentorum, de quibus agitur. Ad II. *affirmative*. » *Mediolanen.* 13. Iulii 1725.

—

S. *Qui matrimonium accusare possint. De probatione in causis matrimonialibus praestanda.*

134. « Die 26. mensis Novembris anni 1801. Anna Bruzzo iustis adhibitis solemniis matrimonium iniit cum Carolo Paganini. Breve post tempus, maritali domo relicta, apud Franciscum Ronco, cuius utebatur familiaritate, eadem Anna confugit, eiusque contubernalis evasit. Ex hoc contubernio quatuor filios peperit illa ad annum usque 1816. Tunc enim in curia archiepiscopali actionem nullitatis matrimonii cum Paganinio initi proposuit ob gravem metum sibi a matris auctoritate et violentia iniuste, ut aiebat, incussum; et die 31. Ian. 1817. propitio marte a iudiciali aula recessit

A decreta nullitate matrimonii ad apostolicam sedem appellavit matrimonii defensor officiosus; utque iudicialibus expensis parceret, S. M. Pius VII. rogavit Anna, ut tres iudices in partibus deputarentur, qui apostolica auctoritate in secundo iurisdictionis gradu iudicium ferrent. Annuit summus Pontifex rescripto examussim edito sub die 30. Mart. 1817.

Sacratissimi huius rescripti vigore adlecti ea de re fuerunt iudices die 9. Iun. ei. an. ac definitivam sententiam sub die 28. ei. mensis protulerunt, qua curiae metropolitanae sententiam super nullitate editam undequaque confirmaverunt. Quod sane actrici accidit periucundum, quippe novas appetere nuptias visa fuerat.

Revera tunc ad coniugium cum Francisco Ronco properavit Anna, quod solemniter contraxit die 4. Iulii in seq. obtenta dispensatione a proclamationibus et » *immediate ante huius matrimonii celebrationem dicti (coniuges)... unanimiter ad effectum legitimandi prolem iam ab ipsis natam per subsequens matrimonium, notam mihi (parocho) tradiderunt coram testibus infrascriptis... in quo nomina eorum filiorum continentur, una cum epocha singulorum nativitatis, et confessi et testati sunt hos filios ab ipsismet esse genitos et natos tempore, quo ambo erant liberi et soluti ab omni matrimonio.* » Ex his quatuor editi fuerunt in lucem, antequam nullitatis querela proponeretur, quintus vero pendente iudicio; quibus duo alii super accesserunt, unus anno 1819., alter anno 1825.

Carolus Paganini et ipse post alteram editam de nullitate sententiam ad alia vota transivit, et die 15. Oct. 1830. decessit, ac proinde ipso sospite omnes filios Anna peperit.

Cum Franciscus Ronco divitiis affluens ex hac vita migraverit die 4. Apr. 1841. nullo suae voluntatis edito elogio, eius nepotes ex fratre, qui heredes legitimi forent, si excluderentur filii, quos habuit cum Anna sive ante sive post nuptias, utpote adulterini, supplices exorarunt facultatem probandi validum fuisse coniugium, quod Anna Bruzzo cum Paganinio contraxerat anno 1801., irritum proinde fuisse alterum cum ipsorum patruo initum, mala fide utramque sententiam fuisse extortam, ideoque adulterinos fuisse filios omnes ab ipsis vivente Paganinio editos. Legitimitatem vero suam ad hoc instruendum iudicium sibi adstruunt oratores ex iure, quod ipsis provenit ex patrui morte intestato ad hereditatem sibi vindicandam, qua certe carebant praecedente tempore, ut nullitatem secundi coniugii demonstrarent. Placuit SSimo D. N. rem ad S. Congr. Conc. ablegare, mandavitque, ut exposito prius voto defenso-

ris matrimonii EE. VV. iudicio subiiceretur.

Neminem latet Alexandrum III. in cap. 7. de sent. et re iud. privilegium tribuisse causis matrimonialibus, ne unquam in rem iudicatam transirent, sed rursus in iudicialem controversiam revocari possent, cum constaret de errore... Idem sanxit S. M. Benedictus XIV. in sua const. *Dei miseratione*...

Illud etiam fuit a SS. ecclesiae canonibus constitutum, qui possint contra matrimonium audiri, quique et quibus ex causis repellendi. Innocentius enim III. in cap. 5. qui matrim. accus. poss. vel contra illud testari, repelli mandavit accusantes matrimonium propter questum... Praeterea in c. 6. eod. tit. repellitur ab eodem Innoc. III. ab accusatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit, nisi denunciationem probabiliter ignoraverit, vel iuret de novo didicisse, et quod non obiicit illam malitiose....

Illud etiam animadvertere praestat, diligenter perquisitas fuisse S. huius ordinis resolutiones, nullumque reperiri potuisse exemplum, quo ob questum et civiles effectus admissa fuerit instantia accusantis matrimonium, postquam fuerant priores nuptiae iudicialiter dissolutae. Praeterea nullum in praecedentibus resolutionibus repertum fuisse exemplum introductae nullitatis post obitum alterutrius coniugis. Unicum ac recens prostat exemplum decretae die 21. Aprilis proxime praeteriti per S. C. particularem a SSimo deputatam nullitatis matrimonii inter Comitissam Mathildem Perotti et Carolum Guglielmi Interamnensem, qui in privilegio fere propositionis causae et post distributas allegationes ex hac vita migravit.

Quatenus EE. VV. oratorum instantiam admittendam esse censuerint, praefinienda erit methodus servanda: utrum nimirum sint reassumenda acta praecedentia, quae hactenus sibi denegata fuisse oratores asserunt, num novus processus sit conficiendus, servata forma const. S. M. Benedicti XIV. *Dei miseratione*, et qui iudex delegandus sive ad acta sive ad sententiam proferendam, vel quae brevior methodus sit adhibenda.

Hisce praehabitis dirimendum proponitur: An et quomodo oratorum precibus sit annuendum? S. Congr. respondit: *Negative in omnibus.* » *Ianuen.* 17. Sept. 1842.

135. Octavius Antinori, ut tres filios Iosephum nempe, Franciscum et Annam Cherubinam, quos ex Margarita Scuri susceperat, legitimis restitueret natalibus, utque violentias, quas a Hieronymo duce terrae Brundusii germano fratre metuebat, evaderet, impetrata ab ordinario per organum episcopi Vestani tunc temporis praepositi civitatis Canusii proclamationum dispensatione, sub vespere diei 5. Iul. 1724. in suo palatio occulte, quantum fieri potuit, eandem Margaritam sibi in uxorem adiunxit coram archipresbytero Bellezza proprio utriusque parocho et coram testibus Dominico Belli et Leonardo Prete sacerdotali charactere insignitis, qui super libero contrahentium statu fuerant praecedenter examinati.

Haec facti series, quae exponitur a defensoribus Margaritae, satis probari contenditur tum ex pluribus epistolis, in quarum aliquibus matrimonium contrahendum, in aliis vero iam contractum enunciatur, tum ex consueto matrimoniorum libro, ubi reperitur adnotatum, tum denique ex testimonio, quod praebent praefatus episcopus Vestanus atque Dominicus Belli alter ex dictis testibus iudicialiter auditus.

Verumtamen, quia, secuto sub annum 1726. obitu Octavii, memoratus Hieronymus eius frater praetendere coepit anno 1732., nullum inter Octavium et Margaritam intercessisse matrimonium, id ipsum hodie propugnat Ioachim Antinori filius Hieronymi, contendens nimirum de illo haud satis constare, primo quia eius acta nec in curia episcopali nec penes parochialem ecclesiam inveniuntur; secundo, quia ante hoc matrimonium, quod dicitur initum die 5. Iul. 1724. aliud in dicto libro adnotatum legatur inter Ioannem Rosiochio et Annam Martorano contractum die 12. Aug. 1725.; tertio, quod nomina Margaritae Scuri et testium, qui huic matrimonio interfuerunt, ita scripta sint extra debitam lineam, ut falsitas adnotationis appareat manifesta; quarto, quia Dominicus Belli et Leonardus Prete testes dicti matrimonii sint personae suspectae, quodque ipsis intersit veritatem occultare; et demum, quia idem Octavius in suo testamento Iosephum Dominicum, Franciscum et Innocentium Hierardum filios nuncupaverit naturales ex dicta Margarita procreatos.

Additur praeterea, publica fama notorium esse, quod Octavius ante assertum matrimonium Annam Margaritae sororem carnaliter cognoverit, adeo ut ob affinitatis impedimentum matrimonium controversum, etiamsi contractum re vera dici posset, irritum tamen atque invalidum foret, iuxta

(Constitutionem Benedicti XIV., qua processui in causis annullationum modus praescriptus est, vide in Appendice.)

textum in cap. *Tuae fraternitati* de eo qui cognovit, sanctionem S. Conc. Trid. Sess. 24. c. 4. de ref. matr. atque decretum huius S. Congr. in *Caesenaten.* 18. Iun. 1611. lib. XI. Decr. pag. 99.

Hac autem super re fas est in iure adnotare, quod licet sola impedimenti fama et unius testis asseveratio de certa scientia satis sit ad impediendum matrimonium contrahendum ex textu in cap. *Super eo* de consang. et affin., in cap. *Super eo* de test. et attest. et in cap. *Praeterea* de sponsal., attamen ad dirimendum matrimonium iam rite celebratum requirantur concludentiores probationes, ita ut nec fama nec unius testis depositio, praesertim si in causa habeat interesse, vel matrimonii validitas displiceat, suffragetur, uti per text. in can. *Si duo* 35. qu. 6. et in cap. 1. de consanguin. tradunt *Hostien.* in c. *Praeterea* cit. n. 3. de sponsal., *Ciarlin.* controv. 233., *Tondut.* Quaest. benef. T. 2. P. III. c. 165. n. 5., *Sanchez* L. II. disp. 45. n. 30., *de Iustis* de dispens. matr. L. I. c. 6. n. 412.; et constat ex resolutionibus editis ab hac Sacra Congr. in *Baren. matrimonii* 9. Apr. 1701., ubi proposito dubio: an matrimonium sustineatur, vel potius, an obstet impedimentum affinitatis in secundo gradu? resp. fuit: Non constare de impedimento affinitatis, ut in lib. LI. Decr. pag. 170., et in *Neapolit. matrimonii* 25. Ian. 1721. et in binis hisce ultimis causis scripsit *Ursaya* T. III. P. II. discept. 9., T. V. P. II. discept. 22.

Onus erit EE. VV.... statuere: An constet de matrimonio inter Octavium Antinori et Margaritam Scuri eiusque validitate in casu? Sacr. Congr. resp. *affirmative et amplius.* » *Matheranen.* 30. Iul. et 3. Dec. 1735.

136. Post inita inter Carolum Ulmi et Hieronymam de Ghilianis sponsalia fama in civitate Bobiensi invaluit, Hieronymam ex coitu inter eius matrem et Caroli fratrem susceptam fuisse. Processu inde confecto constabat quidem inter sponsi fratrem et sponsae matrem inhonestam conversationem et per epistolas amatorias commercium intercessisse. Cum vero in libris parochialibus Hieronyma tanquam filia legitima designata fuisset, et maritus cum uxore illius matre conceptionis tempore habitasset, non constare de impedimento S. C. censuit. *Bobien.* 16. Febr. 1743.

137. Licet per testes probatum esset, sponsam cum sponsi patre saepe diu noctuque in locis secretis conversatam eumque amplexam fuisse, tamen, cum deesset ipsius fornicationis actus probatio, S. C. iudicavit, non constare de affinitatis impedimento, in *Senogallien.* 17. Aug. 1805.

T. *Matrimonium putativum.*

138. Impetravit Isabella baronissa de Merode in Hoffalize professa in monast. S. Sepulcri Iuliacen. apostolicam commissionem, ut causa nullitatis suae professionis cognosceretur in gradu appellationis ab episcopo et principe Paderbornensi et a Superiore Ord. S. Sepulcri specialiter ad hanc appellationis causam a S. sede delegatis, remanente illa interim in habitu et tonsura et sub obedientia suorum superiorum. Cum in universa Germania superiori nullus esset praedicti Ordinis superior, qui iuxta litteras apost. de hac causa cognoscere posset, speciali commissione eiusdem episcopi Paderb. subrogatus fuit P. Aegidius Auxenis prior conventus s. Crucis Leodii in Germania inferiori. Hic iudex servatis servandis et citatis omnibus interesse habentibus decretum tulit subministrationis alimentorum et sumptuum litis, data etiam Isabellae potestate ad dandam et capiendam necessariam pro defensione informationem; nullus vero contradictor apparuit, eius Isabellae frater in declarationem nullitatis professionis suae sororis tanquam vi et metu initae expresse consensit. Tandem iudex ad causae conclusionem processit, et de plurium theologorum et iurisperitorum consilio pariter et assensu sententiam tulit nullitatis professionis tanquam vi et metu extortae.

Delata hac sententia iam scripta ab eodem P. Aegidio cum toto processu et testimonialibus datis ab episcopo Paderb. ad effectum illam publicandi, communi utriusque iudicis nomine Isabella e monasterio egressa est de proprii confessarii consilio, et reputans publicatam fuisse sententiam illam ab episcopo Paderbornensi bona fide cum nobili viro matrimonium contraxit. Decessit inde episcopus et post illius obitum rescivit Isabella, omissam fuisse publicationem eiusdem sententiae, ideoque, speciali procuratore in actis constituto, nihil intactum reliquit apud successorem episcopum, ut suppleretur defectus publicationis; quid vero actum fuerit ignoratur, nam ob translationem tabularii sive archivii episcopalis omnia acta in hac causa sive omissa sunt sive non reperiuntur, licet ea, quae in secretaria S. huius Congr. edita sunt, legaliter extracta fuerint a suis originalibus anno 1726., originalia tamen reperiri non potuerunt, et vicarius generalis Paderbornae requisitus a nuncio apost. ad Tractum Rheni, ad quem, ut fieri solet, epistola data fuit ab amplissimis patribus, respondet eadem acta non modo vidisse, sed et in suis manibus habuisse, imo in iis

legisse sententiam nullitatis professionis declaratoriam.

De his omnibus itaque certior nuper factus Christianus Augustus de Molzfeld eques et liber baro in ducatu Cliviae, qui cum filiis abiurata die 19. Maii 1744. haeresi Calviniana, spretisque nobilibus officiis, divitiis, dignitatibus et possessionibus, quas pater, dum viveret, habebat in Hollandiae republica, ad catholicam venit religionem, grave tulit in dubium revocari posse legitimam natalium suorum qualitatem ob defectum publicationis sententiae declarantis nullitatem professionis emissae ab Isabella matre, quae res et sibi et filiis detrimentum inferret, ideoque libellum obtulit SSimo principi nostro, qui rei huius cognitionem dedit amplissimis patribus, auditoque, ut diximus, nuncio apost. ad tractum Rheni, causa nunc definienda proponitur.

Nullam Christianus ait de validitate matrimonii Isabellae matris, ea viva, ortam fuisse dubitationem, ideoque nullo iure inficiari posse legitimam esse prolem, quae ex eo matrimonio genita est, quod matre vivente impeditum non fuit iuxta rescriptum Alexandri III. in cap. *Causa*, Qui filii sint legit., praesertim cum nunc non agatur de illius foedere vel sustinendo vel impugnando (matrimonium enim utriusque coniugis morte dissolutum fuit), sed de effectu matrimonii, ideoque sive res sit pro alimentis sive pro successione, respondendum semper est favore matrimonii, quod eousque verum est, ut locum habeat, etiamsi matrimonium non fuerit legitime celebratum ad textum expressum in cap. *Perlatum*, Qui filii sint legit. Ius enim nostrum non patitur, ut filii, quorum nulla fuit culpa, detrimento afficiantur dissoluto matrimonio, sive si nati essent, sive etiam duntaxat concepti ante matrimonii dissolutionem, sed reputari debeant legitimi, et ius illis est, ut interea ex parentum bonis alantur iuxta aureum Alexandri rescriptum in cap. *Cum inter*, Qui filii sint legit.

Quod si haec locum habent, ubi de matrimonii validitate utroque coniuge vivente dubitari contingat, etiamsi postea matrimonium solvatur, longe potiori iure locum habent, ubi nulla quaestio, nullum dissidium exortum et vivis coniugibus, et solum post eorum mortem in discrimen revocatur, an legitima soboles sit, hoc enim casu legitima pronunciari debet, statuit Coelestinus in cap. *Pervenit*, Qui filii sint legit.; nullamque vim facere debet defectus publicationis sententiae; nulla enim fuit coniugum culpa, quod illa publicata non fuerit, satisque est Isabellam fuisse in hac bona fide et putasse eam fuisse publicatam, ut est textus apertus in cap. *Ex tenore* ibique glossa singularis verb. *legitimum*, Qui filii sint legit.

Atque haec longiori calamo referre opus fuit, ut amplissimi patres scirent, quid in hac causa esset, nam Christianus Augustus ea premitur egestate, ut nequeat iurium suorum libellum EE. patribus distribuere, Dubium, quod in causa proponitur, est: An reputari debeat quoad omnes iuris effectus legitima proles suscepta ex matrimonio celebrato ab Isabella de Merode non obstante asserto defectu publicationis sententiae latae super nullitate professionis in casu? S. Congr. resp. *affirmative* in *Colonien.* 22. Ian. et 12. Febr. 1746.

—

IV. MATRIMONII RATI NON CONSUMMATI DISSOLUTIO.

A. *Per dispensationem.*

139. Anna Maria Pallavicina matrimonium contraxit cum Ioanne Iacobo Imperiali, cum quo per triginta tres menses cohabitavit. Inde in domum avunculi sui se recepit et primum de nullitate connubii ex capite impotentiae viri iudicium instituit, deinde vero mutato consilio viro contradicente dispensationem propter odium et dissidia ex matrimonio orta, et ne ad perpetuam virginitatem ipsa cogeretur, imploravit. Cum ex ipsius, decimae propinquorum manus aliorumque testium iuramento, extraiudiciali mariti confessione et ex artis peritorum obstetricumque iudicio constaret, matrimonium non consummatum fuisse, S. C. dispensationem concedendam censuit. *Ianuen.* 20. Maii 1719. Causa iterum producta, licet vir se matrimonium consummasse iurasset, novo examine testium artisque peritorum facto stetit in decisis 27. Ian. 1720.

140. Postquam in civitate Ulyssiponen. Isabella Britti cum Paschali Christino absente et in loco S. Angeli in Vado commorante per procuratorem matrimonium inierat, Italiam petiit cum fratre viri in nave, cuius dux erat Ricardus quidam Anglus. Qui amore eius correptus, cum post multas tempestates Liburnum venissent, eam secum duxit et Gibilterrae, ut ferebatur, ritu anglicano sibi desponsavit. Maritus postquam frustra uxorem exspectaverat et ut eam inveniret, operam dederat, dispensationem petiit, quam in forma commissoria ad archiep. Pisarum S. C. concessit. *Urbanien.* 12. Ian. 1726.

141. « Episcopus Chien. consulit S. Congregationem de Propaganda Fide super sequenti casu, prout ex eius epistola sub die 26. Oct. 1728. tenoris sequentis: L'ultimo del mese di Gennaio del 1726. fu contratto matrimonio secondo le formole del S. Concilio Trid. tra Giuseppe Odiber ed Angelica Molin oriundi Francesi ed abitanti in questa città. Il matrimonio non fu mai consumato, nè i coniugi coabitarono, anzi lo sposo mancò per molti mesi da questa città; tornato nel mese di novembre del medesimo anno ad istanza della sposa, lo feci richiedere per mezzo del curato D. Francesco Bavestrelli, perchè non coabitasse con la suddetta, con la quale da tanti mesi prima avea contratto il matrimonio? Rispose al medesimo curato in presenza di degni testimonj: Io non voglio, mentre sono stato ingannato, e coll'inginocchiarmi avanti di voi in chiesa non ho mai creduto di dover restar ligato con la mia volontà, che perciò son maritato in Tine, ed ho consumato il matrimonio, anzi se mai fossi forzato a coabitare con la prima, il seguente giorno l' abbandonerei, e ripartirci da questa città. Questa fu la risposta di Odiber, come mi costa per fede giurata del suddetto curato e testimonj. Fede autentica altresì ricevei da Msgr. Cigala vescovo di Tine, la quale attesta, aver il detto Odiber contratto ivi matrimonio secondo li ordini del Sac. Concilio di Trento alli 18. Agosto del medesimo 1726. con la signora Gaetanula Aliprandi, et aver coabitato con la medesima. La prima sposa ha aspettato sin al presente giorno, nè mai si è potuto trovar ripiego d'accomodo, ora iusta, e supplica, stante la mancanza del consenso interno dello sposo; esser dichiarata libera, allegando per se molti autori, e principalmente il P. Sporer par. 2. cap. 2. sect. 2. de peccat. coniug. nu. 433. Laymann. loc. cit. Silvestro etc. Trasmetto dunque l'affare all'EE. VV. et le priego con tutta celerità o di dispensa, o di dichiarazione, come meglio alla loro prudenza e dottrina parerà opportuno; tanto più, che la medesima supplicante è in evidentissimo pericolo sì per la sua povertà, e sì per alcuni turchi, che li danno la caccia; intorno a che non posso meglio spiegarmi, intelligenti pauca, mentre stò attendendo con duplicato le grazie dell'EE. VV. con umil'inchino bacio l'orlo della Sacra Porpora. »

Eadem S. Congr. de Prop. Fide rem tam gravem pro decisione remisit huic S. Congr. Dignabuntur itaque EE. VV. eorum sapientissimum oraculum proferre sub dubio transcribendo in fine restrictus.

Duae principales quaestiones videntur examinandae in praesenti casu, altera nempe, an primum matrimonium sit validum? alia vero, an, data illius validitate, urgeat causa pro dispensando super eodem, quod supponitur ratum et non consummatum?

—

Quoad primam, ratio dubitandi oritur ex eo, quod sponsus asserit se fuisse deceptum, nec vere consensisse in facie ecclesiae coram parocho, sed ficte et simulate, super qua licet verum sit, quod per fictum et simulatum consensum unius de contrahentibus matrimonium sit omni iure irritum eo, quia sine consensu vero matrimonium subsistere nequit iuxta textus in c. *Sufficiat* 27. quaest. 3. in c. *Cum locum*, et in c. *Tua nos* de sponsal., hoc tamen procedit, quando concurrit et plene probatur causa simulandi, ac adsint coniecturae et circumstantiae simulationem suadentes, prout in *Mutinen. matr.* sub die 4. Iunii 1725. in qua haec S. Congr. respondit pro nullitate, quia concludenter probata fuit causa simulandi, et concurrebant urgentissimae coniecturae simulationem prae se ferentes, quae recensentur in folio diei 19. Aug. 1724.

In praesenti vero vir simpliciter asserit, se fuisse deceptum ac non habuisse animum se obligandi; non specificat tamen, minusque probat, quaenam fuerit causa deceptionis, ob quam fuit inductus ad contrahendum in facie ecclesiae, et ad contrahendum ficte et simulate, hinc eidem ita asserenti nullo modo deferendum venit in foro externo, etiamsi medio iuramento id affirmaret, cum verisimilius sit, modo mentiri, quam in contractu principali; ut probat text. in cap. *Consultationi* §. *Sane*, de sponsal. et ibi omnes canonistae, praecipue *Abb.*, *Ioann. Andr.* et *Zabarell.* et post D. *Thomam* Quodlibet art. 14. conveniunt theologi plene relati apud *Layman*. Theol. moral. Lib. V. tract. 10. par. 2. cap 3. num. 6. et *Sanchez* de matr. L. II. disp. 45. n. 2. seq.

—

Et quamvis theologi asserant, posse ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus vel subsequentibus probari simulatum seu fictitium animum contrahentium etiam sine ulla praecedenti causa simulationis, circumstantiae tamen in sensu eorumdem debent esse adeo praecisae et urgentes, ut certum moraliter reddant iudicem huius ficti consensus, ut videre est apud *Petr. Ledesma* de matr. Qu. XLV. art. 4. et *Sanchez* eod. tr. d. cap. 45. n. 4.

Inter ceteras coniecturas et circumstantias hunc simulatum consensum efficaciter

demonstrantes ea ad nostrum propositum recensetur a praedictis theologis, quando vir illico et in continenti post contractum matrimonium animum suum aperit, se ficte consensisse vel factis, statim nempe fugiendo, vel verbis, id expresse faciendo, et insimul aliud matrimonium ineat, aut ad religionem transeat, vel ad ordines sacros se promoveri faciat: ista enim consensus ficti citissima manifestatio, et insimul si audeat aliam uxorem ducere, aut ad alium statum incompatibilem transire, demonstrare videntur suum fictum consensum, cum praesumendum non sit, si vere consensisset, tam cito se poenitere, et tam immemorem suae salutis esse, ut alias nuptias contrahere auderet; ut post *Riccard.*, *Turrecremat.*, *Veracrux.*, *Rosell.*, *Sylv.*, *Barthol.* et *Petr. de Ledesma* late probat *Sanchez.* d. lib. 2. disp. 45. n. 2. et 3. Immo post istos et alios theologos subiungit idem *Sanchez* n. 5. iam dicta procedere, etiamsi post aliquod temporis intervallum hic fictus consensus detegeretur a viro, quoties id iuramento firmaret, ac ex vitae eius qualitate probabile fieret, eum non periurare, quia nempe solitus esset sacramenta recipere et frequentare, bonorumque familiaritate uti, et insimul aliam uxorem duceret. Quia in his circumstantiis verisimile non esset, eum velle in re tam gravi sibi et uxori adeo perniciosa mentiri.

In casu autem praesenti, licet asseratur, virum post contractum matrimonium non cohabitasse cum uxore, ac post aliquot menses ad secundas nuptias migrasse, ignoratur tamen, an post dictum matrimonium illico reclamaverit, an statim vel quanto tempore post e civitate discesserit, cuius vitae et qualitatum, indolis ac naturae sit, quibus moribus imbutus, et similium, ex quibus certum iudicium efformari posset.

Quod vero ad secundam inspectionem, an scilicet data validitate primi matrimonii rati, non consummati, locus esse possit eiusdem dispensationi? istius decisio dependet a pondere causarum, quae iuxta opinionem omnium canonistarum in cap. *Ex publico*, de convers. coniug. debent esse urgentissimae.

Tres causae allegari possunt in praesenti: prima est, quod vir asserit, se esse deceptum, nec habuisse animum contrahendi et se efficaciter obligandi. Causam istam sufficientem ad dispensandum credit *Socin. sen.* cons. 28. n. 6. et 7. lib. 1., *Felin.* cons. 26. n. 21. vers. *Praeterea dato*, *Menoch.* de praes. lib. 2. praes. 19. n. 45. et cons. 585. n. 12. Eam tamen tanquam ineptam reiecit cl. mem. Card. *Lancelott.* in quodam suo voto in *Hispalen.* dissol. matr. transcripto apud modernum *Ursayam* discept. 21. T. III. P. II. n. 70. et 71. ea ratione, quia haec assertio coniugis non est admittenda, uti improbabilis, vel si admitteretur, matrimonium esset nullum ex defectu consensus, et sic vana esset dispensatio.

At *Sanchez* de matr. L. II. disp. 16. n. 7. praedictam causam iustam et sufficientem reputat, quando vir nullo modo induci possit ad praestandum verum consensum, ut ibi: « Quarta causa est, quando alter coniugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi. Sic *Socin. sen.* Quod credo verum, quando nullo modo induci possit, ut praestaret verum consensum, ita ut ex eo matrimonio tum coacto graves inimicitiae orirentur »; et in iisdem terminis sequitur *de Iustis* de disp. L. II. cap. 10. n. 23.

Altera causa est, quod vir nullo modo induci potuit ad praestandum verum consensum et ad cohabitandum cum prima uxore, immo expresse protestatus fuit, se illico derelicturum illam fore, si ad cohabitationem cogeretur. Quae causa praecipue si cum alia praecedenti concurrat sufficientissima iudicatur pro dispensatione a *Sanchez* et *de Iustis* mox supra relatis; et in fortioribus terminis, quod aversio et discordia coniugum irreparabilis, et sine probabili spe reconciliationis sit causa rationabilis dispensandi, accedente praesertim consensu utriusque, ad effectum evitandi maiora scandala aliaque mala, docent *Caietan.* in Oper. T. I. tr. 28. de matr. qu. un., *Felin.* cons. 26., *Ancharan.* cons. 239. sub n. 4. *Bertrand.* cons. 28. in f. T. V., *Purpurat.* cons. 457. n. 7. et 9. Card. *Lancellot.* in dicto voto, ubi plures alios adducit. Nam stante dicta assertione et credulitate viri, se non remansisse obligatum in hoc contractu, nec non eiusdem pertinacia in non praestando verum consensum, periculosum summopere esset eum adstringere ad cohabitandum cum prima uxore, ne, vera existente sua assertiva super consensu ficto, in foro saltem interno, praeberetur occasio committendi adulterium, ideoque theologi sunt in sensu, quod in hoc casu praelatus haec iubere non debeat; ut docet supplem. *D. Thom.* qu. 45. art. 4. *Ledesma* de matr. P. III. qu. 45. art. 4. dub. 2. *Layman.* Theol. mor. L. V. tr. 10. par. 2. c. 6. in fine, ac cum in his circumstantiis ad evitanda haec mala forsan eventura, et ne mulier cogatur perpetuo exspectare, iusta videretur dispensatio.

Tertia demum est, quod vir secundum matrimonium contraxit et consummavit; nam etsi primum matrimonium rite contractum non possit dissolvi per secundum cum alia contractum et consummatum, ut habetur in cap. *Licet*, et cap. fin. de sponsa duor., et in c. *Si inter*, de sponsal., attamen ad evitanda scandala, infamiam secundae mulieris, ac innumera peccata, quae inde sequerentur, iustam et rationabilem esse causam pro dispensando super primo matrimonio rato, probat *de Iustis* de dispensat. L. II. c. 10. n. 32. et 33. ubi testatur, ita fuisse dispensatum in simili casu occulto per sacram Poenitentiariam, et concordat *Pacin.* de visit. p. 1. qu. 9. n. 31. *Boer.* cons. 20. n. 4. *Sylvester* in verbo *Luxuria* qu. 5. *Layman.* l. c., *Diana* T. III. tr. 1. de potest. Pont. resol. 94. n. 11. Card. *de Luca* de matr. disc. 7. n. 7. Et eo magis haec urgere videntur, si cum aliis prioribus causis, ut par est, insimul iungantur.

Haec ad materiam adnotare visum fuit; EE. PP. nunc erit, ea qua pollent sapientia decernere: An, et quomodo sit providendum in casu?

S. C. respondit: *Ad dominum Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem.*» *Chien.* 12. Mart. 1729. (Et mens erat: «Episcopo, ut praevio iudiciali processu per ipsum formaliter et servatis servandis conficiendo, postquam ex eodem sibi constiterit, de libero consensu utriusque coniugis super dissolutione matrimonii et de illius non consummatione praevio iuramento tam a viro quam a muliere praestando et verificato cum authenticis probationibus, quod praefati coniuges post contractum matrimonium insimul nunquam cohabitaverint, neque conversati sint, quodque dictus Odiber a Chiensi civitate discesserit, et ad insulam Tinen. se contulerit, ibique aliud matrimonium cum Gaetanula Aliprandi contraxerit et consummaverit, tunc imposita eidem Iosepho Odiber gravi poenitentia, supradictum matrimonium ratum et non consummatum pro suo arbitrio dispenset.»)

142. Ioannes Petrus Douren., ut negotia serenissimi electoris Palatini gereret, urbem Crucenacensem petiit, ibique ex Anna Cumens Calviniana illegitimam prolem procreavit, qua mortua cum matre id flagitante coram parocho catholico matrimonium secundum ritum catholicum celebravit. Divertit tamen statim, et dispensationem petiit, cuius causas tum aetatis et generis disparitatem, tum odium, malam mulieris famam, et haeresim eius allegavit. S. C. tamen non esse locum dispensationi censuit. *Wormatien.* 23. Ian. 1734.

143. Marchionissa Angela Muscat, ut a vexationibus patris sese liberaret, nupsit comiti Francisco Bianchi Anconitano, qui ut patris patruique desiderio satisfaceret, nuptiis illis consensum quidem praestitit, paucis vero diebus post Anconam rediit, ubi per octo annos remansit. Matrimonium nunquam consummatum fuit, neque aliud inter coniuges nisi per epistolas commercium locum habuit. Cum itaque dispensatio flagitaretur, attentis plenis tum vexationum illarum, tum aversi inter coniuges animi probationibus, consulendum esse SSimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato S. C. censuit. *Melevitana* 7. Febr. 1789.

144. Dispensandum esse super matrimonio tanquam rato et non consummato, reiecta nullitatis quaestione, censuit S. C., cum probabilissima esset viri impotentia ex dicto peritorum atque testibus, nec non iuramento sponsae ac septimae manus propinquorum, quamvis vir ipse iuravisset, se consummasse matrimonium, in *Barchinonen.* 20. Dec. 1806. et 23. Ian. 1808.

145. Homo quidam cum aliqua muliere matrimonium contraxit ad sedandas inter ipsos discordias atque ut satisfaceret testamento avunculi eiusdemque uxoris vitrici. Nunquam vero cum femina cohabitavit, contumaxque semper fuit in reddendis obsequiis. Periculum erat, ne mulier incontinens fieret, atque honor eius eo laedebatur, quod vir publice pronunciaverat, eam esse utero gravem, se vero cum ea non cohabitasse. Rixis denique exortis odium secutum erat atque summa animorum aversio. Itaque cum dispensatio peteretur a matrimonio rato et non consummato, S. C. annuendum esse censuit, in *Ianuen.* 9. Sept. 1815.

146. T. puella tredecim annorum post patris mortem a matre sacerdotis alicuius curae commissa fuit, qui cum desideraret, ut matrimonium cum T. fratre iniret, minis matrem eo perduxit, ut consentiret, puella tamen reluctante. Itaque inscia puellа impetratae fuerunt apostolicae litterae pro relaxando affinitatis vinculo, et vicarii generalis super denunciationibus dispensatio; demum sacerdoti illi parochus assistendi matrimonio in domo licentiam concessit. Quo facto sacerdos cum fratre T. aliisque domum intravit, et absente matre, quae in aliud cubiculum se receperat, puellam adiit, quae metu correpta consensum declaravit. Eundem praestitit sacerdotis frater; matrimonium tamen nunquam fuit consummatum, cum inter sacerdotem, matrem ac virum iam antea convenisset, ut

propter puellae aetatem differretur. Postea puella, quae se semper restitisse, neque unquam animo consensisse contendebat, matrimonium nullitatis accusavit, in quo postremo virum quoque socium habuit. S. C. censuit constare de nullitate matrimonii et *ad cautelam* saltem esse dispensandum super matrimonio rato et non consummato. *Lunen. Sarzanen.* 22. Ian. 1833.

147. N. et N. post celebratas nuptias per triennium cohabitaverunt. Matrimonium tamen propter viri impotentiam consummatum nunquam fuit, ut ex utriusque coniugis iureiurando, ex septima propinquorum utriusque partis manu, denique ex obstetricum iuratarum super mulieris virginitate iudicio constabat. Quibus probationibus fulti cum pro dispensatione supplicassent, S. C. propositis dubiis: I. An constet de nullitate matrimonii? II. An sit consulendum SSimo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato? resp. ad I. provisum in secundo; ad II. *affirmative*. Deinde cum S. P. iterum de ea re disputari voluisset, resp. ad I. et II.: « ita constare de nullitate, ut sit consulendum SSimo pro dispensatione rati et non consummati matrimonii, et non concedendam licentiam viro transeundi ad alia vota nisi consulta S. Congregatione. » *Bonon.* 25. Iun. 1836. Demum mulier alteri nupsit et vir, qui sublatum esse, quo antea laboraverat, impedimentum contendit, nubendi licentiam a S. C. flagitavit. Nova itaque instituta corporis eiusdem inspectione, S. C. rescr. « licere eidem inire matrimonium *cum vidua*. » 23. Apr. 1842.

—

B. *Per professionem religiosam.*

148. « Die 27. Maii 1721. contractum fuit matrimonium per verba de praesenti in facie ecclesiae, videlicet S. Pauli civitatis Placentiae, inter Bartholomaeum Malaspinam et Rosam de Corvis coram duobus testibus et coram parocho eiusdem Rosae, nullis praecedentibus denunciationibus, parochoque praedicto sub alio praetextu vocato et reluctante; cumque die 19. Iunii eiusdem anni procurator Bartholomaei comparuisset coram ordinario et exposuisset, quod agebatur de matrimonio rato et non consummato, et quod suus principalis intendebat ad religionem transire, die 23. Iulii eiusdem anni prolata fuit a memorato ordinario sententia, in qua pronunciatum fuit pro validitate matrimonii, sed ex quo contractum fuerat sine denunciationibus, ita ut illicitum reputandum esset, additum fuit, quod coniuges incurrerant poenam excommunicationis, necnon subiecti remanserunt mulctae scut. 100. pro unoquoque locis piis applicandorum ad tramites constitutionum synodalium, prohibitumque iisdem fuit, ne insimul cohabitarent, nisi post obtentam absolutoriam, et quia, uti supra dictum est, Bartholomaeus animum aperuerat religionem ingrediendi, fuit ipsi praefixus terminus duorum mensium, ut eam ingrederetur debitoque tempore professionem emitteret, imposita excommunicationis poena in hypothesi, qua praedicto termino elapso, nec ingressu facto in religionem, cohabitare recusaret cum Rosa, quam etiam iudex liberam a vinculo matrimoniali declaravit, si Bartholomaeus religionem ingressus fuisset et in ea solemnem professionem emisisset.

Bimestre a iudice assignatum elapsum est, absque eo quod Bartholomaeus religionem ingressus sit, cumque alii termini subinde fuerint assignati, nec idem alicui ordini regulari nomen dederit, promota fuit instantia, ut ad excommunicationem et cedulonum affixionem iudex deveniret, qui sub obtentu contumaciae et posthabitis protestationibus interpositis a procuratore Bartholomaei super continuatione desiderii religionem ingrediendi, quod exsequi non potuerat, licet reverenter instetisset, ut reciperetur inter canonicos regulares S. Euphemiae civitatis Placentinae, et inter monachos monasterii S. Theodori civitatis Ianuen., die 4. Maii 1722. Bartholomaeum excommunicavit et cedulones affigi mandavit, et die 27. eiusdem mensis stetit in decisis.

Contendit Bartholomaeus, quod quidquid sit de validitate matrimonii a se cum Rosa contracti, nunquam tamen esse possit locus exsecutioni censurarum; in eo enim, quod attinet ad modum, quo praedictum matrimonium contractum est, coram videlicet parocho reluctante omissis denunciationibus, nec episcopus nec eius constitutiones synodales imponere poterant poenam excommunicationis, cum haec nec a sacris canonibus, nec a sacro Concilio Tridentino sit imposita, et eo fortius, cum alia adsit in iisdem constitutionibus imposita poena, scut. videlicet 100. pro unoquoque coniuge locis piis applicandorum; haec siquidem incompatibilis dicitur cum alia poena excommunicationis; et in eo, quod spectat ad non consummationem matrimonii, subdit se non potuisse ex hac causa excommunicari, cum ante consummationem possit coniux intra bimestre religionem ingredi, iuxta textum in cap. *Ex publico* de conversione coniugatorum, et anathema sit, quicunque dixerit, matri-

monium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, uti definitum est a Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de matr.; parum urgente lapsu bimestris absque ingressu in religionem; quando quidem aliquando prorogationes a iudice obtinuit, quod iudici vetitum non est iuxta ea, quae docet *Sanchez* de matr. lib. 2. disput. 24. quaest. 3. num. 12. et tam tempore prorogato quam extra praedictum tempus diligentias adhibuit, ut religionem inveniret, et demum quia benevolum invenit receptorem, hoc est patrem Priorem Conventus Beatae Mariae Virginis Assumptae, in quo rerum statu, licet elapsum sit bimestre, et licet elapsi sint termini prorogati, potest coniux religionem ingredi, et in ea professionem emittere; cum nequeat praeiudicare privilegio religiosae professionis, ut per eum videlicet dissolvatur matrimonium ratum et non consummatum, uti late ostendit *Sanchez* de matr. lib. 1. disput. 24. quaest. 6. n. 27. *Salmanticenses* in cursu moral. tom. 2. tract. 9. de matr. cap. 4. punct. 4. n. 90.

Alia plura ab eodem Bartholomaeo cumulantur contra validitatem censurarum, quae legi possunt in eius informatione per manus circumferenda.

Adversus haec autem Rosa excipit, asseritque, nullum dubium moveri posse de validitate matrimonii, cum fuerit contractum coram parocho et testibus duobus, nec ullum pariter dubium moveri posse adversus censuras, cum clarissimum sit, Bartholomaeum nectere moras, nec animum habere ingrediendi religionem, et in eadem profitendi, uti ex eius facto desumitur, cum nec religionem ingressus sit intra bimestre eidem a iudice praefixum, nec intra terminos prorogatos, nec postquam invenisse dicit benevolum receptorem; agitur quippe de matrimonio contracto die 27. Maii 1721. pluresque anni elapsi sunt tum a die praefixionis termini, tum a fine prorogationum obtentarum, et demum a die, quo se invenisse dicit benevolum receptorem, absque eo quod religionem ingressus sit; non attento, quod valida sit professio etiam post bimestre, et etiam post terminum prorogatum, quia valida est professio, sed illicita, uti docent *Salmanticenses* loco citato, et valida est sententia excommunicationis a iudice lata ob non ingressum intra terminum prorogatum, eademque durat usquequo religionem ingrediatur, cum sit a iudice absolvendus, uti docet Innocentius in cap. *Ex publico* de conversione coniugatorum.

His stantibus quaeritur. I. An constet de validitate matrimonii, de quo agitur? et quatenus affirmative: II. An censurae sint exsequendae in casu? S. Congr. respondit: Ad I. *affirmative* Ad II. sustineri censuras latas a constitutionibus, et quoad alias latas ob contumaciam procedat ex integro, praefixo termino unius mensis, quo elapso et non parito, omnino procedat ad ulteriora, et amplius. » *Placentina* 3. Febr. 1725.

—

149. Cum matrimonium inter Annibalem Caesareum et Annam Elisabeth Scorno initum propter viri impotentiam non fuisse consummatum constaret, Annibali licere religionem approbatam ingredi ad effectum in ea profitendi, S. C. rescr. in *Neapol.* 11. Apr. 1761. conf. 18. Iul. ann. eiusd.

150. Matrimonium inter Vincentium Confalone Marchionem Petinae et Catharinam Boianam initum nullum propter viri imbecillitatem declarari postulaverunt coniuges, praesertim vero Vincentius de non facta consummatione probanda eo consilio sollicitus fuit, ut religionem approbatam ingredi posset. Mulier ab obstetricibus integra inventa, et viri inertia e medicis et chirurgis recognita fuit, denique accedebat utriusque coniugis iuramentum, et septima propinquorum iurata manus. Quoniam vero vir anteacto tempore, cum uxorem fugitivam e monasterio repeteret, consummationem factam fassus fuerat, negativum a S. C. prodiit responsum. *Neapol.* 28. April. 1770. Reproposita causa ad utriusque coniugis instantiam rescriptum fuit: « Dilata et coadiuventur probationes servata forma const. Benedictinae (cf. App.) 28. Sept. 1771. Confecto autem processu rescriptum fuit praevio recessu a decisis, licere Marchioni Vincentio ingredi religionem approbatam et in ea profiteri et *ad mentem* (scil., ut marchionissa Catharina libera non remaneret, nisi post expletum a Marchione Vincentio integrum tirocinium emissamque professionem, idque eidem Marchionissae notificaretur») 18. Iul. 1772., conf. 19. Sept. eiusd. anni.

—

V. DE MATRIMONII IN INFIDELITATE CONTRACTI DISSOLUTIONE.

151. « Vicarius generalis Eminentissimi Domini Card. archiepiscopi super infrascripta facti specie S. Congr. oraculum exquirit. Pluribus abhinc annis Stella Enriquez, mulier hebraea et uxor Isaac Pinto, divina afflante gratia, catholicam fidem amplexa est, et Mariae Rosae nomen accepit, viro in iudaica perfidia relicto. Quo iuridice praemonito, an vellet et ipse Christianus fieri et uxorem conversam sequi termi-

no assignato ad deliberandum elapso, declaratum fuit a iudice ecclesiastico, praefati matrimonii vinculum esse omnino dissolvendum, ita ut liceret praefatae mulieri conversae ad secunda vota transire. Ipsa nihilominus sperans fore aliquando, ut et ipse vir converteretur, semper mansit innupta. E converso vir infidelis in matrimonium duxit Ester neptem ex sorore, una cum qua novissime baptismi gratiam suscepit, Ferrantis Mariae nomen assecutus. Quia vero Maria Rosa prima uxor instabat suum sibi virum restitui, a secunda uxore statim post baptismum separatus est, quae in conservatorio honestarum mulierum degit, donec vel viro restituatur, vel alteri nubat. In re autem tanti ponderis, ut rectius ac tutius procedatur, meum esse existimavi EE. VV. certiores reddere, humillime insuper istius sacri senatus oraculum expetendo pro decisione, an dictus Ferrantes Maria debeat ad primam uxorem redire, an vero cum secunda perseverare. Die etc. S. Congr. censuit referendum SSimo votum S. Congr., scilicet *debere Ferrantem redire ad primam* in Florentina 1. Iulii 1679. lib. XXX. Decr. pag. 352. a tergo. Repropositaque causa die 13. Apr. 1680., uti habetur l. XXXI. Decr. pag. 88. a tergo, S. Congr. *stetit in decisis*, uti colligitur ex sequenti decreto, sub die 1. Iul. 1679: « Cum disputatum fuisset de dubio infrascripto, EE. PP. mihi iniunxerunt, ut SSimo referrem vota Sac. Congr., scilicet Ferrantem teneri redire ad primam uxorem, quo facto, Sanctitas Sua ob gravitatem materiae voluit eam amplius examinari. Verum quotquot theologi consulti sunt, sententiam S. Congr. veram renunciarunt. Canonista duntaxat contrariae sententiae scripto adhaeret, quamobrem revocato ad trutinam articulo, ac posita facti specie descripta in folio praecitato, quaeritur, an Ferrantes debeat ad primam uxorem redire, an vero cum secunda perseverare. Die etc. Sacra etc. stetit in decisis, scilicet teneri redire ad primam. »

Haud urgente, quod in casu mox exposito infidelis duxerat in uxorem neptem ex sorore, hinc inferendo matrimonium fuisse nullum, et sic mirum non esse, quod ipsi fuerit demandatus reditus ad primam uxorem. Totum quippe dictae causae momentum fuit constitutum in examine, an primum matrimonium fuisset quoad vinculum dissolutum, ex quo intra terminum praefixum infidelis non dixerat, se velle habitare sine contumelia creatoris, vel potius subsisteret, ex quo coniux fidelis ad alia vota non transiverat. Nec aliter profecto res esse potuit. Cum etenim infideles legibus canonicis non teneantur, matrimonia ab ipsis in infidelitate contracta in secundo vel tertio vel ulteriori gradu non dissolvuntur, sed permanent etiam post baptismum iuxta famigeratum textum in *cap. Gaudemus*, *De divortiis.* » (Ex discursu Secretarii ad causam *Florentinam* sub num. 152. relatam.)

152. Anna Maria Medicea divina inspirante gratia iudaicam perfidiam abiuravit, et die Oct. 1721. una cum quatuor filiis sacrum baptismum recepit. Dum Anna erat in statu infidelitatis, matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barba Hebraeo, a quo tamen iuxta ritum Iudaeorum usque de anno 1710. libellum habuerat repudii; cumque Anna praedicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio milite Christiano, et periculum sit in mora, et Abraham in longinquis degat regionibus, absque eo quod sciri tuto possit, in quo loco versetur, exorta est Florentiae disputatio, an Abraham praedictus sit de iure interpellandus, et quatenus affirmative, an concurrentibus circumstantiis possit Anna matrimonium facere cum milite Christiano, omissa ex superiorum indulgentia memorata interpellatione, et a vicario capitulari Florentino, qui omnia praedicta in sua informatione refert, huiusce S. Congr. oraculum exposcitur.

Ducto initio ab interpellatione, apostolus Paulus in prima ad Corinthios epistola cap. 7. inquit: « nam ceteris ego dico etc. (*vers.* 12. *seqq.*). A quibus apostoli verbis, sicuti deducitur, quod per conversionem ad fidem unius ex coniugibus tunc tantum solvitur matrimonium quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate non vult converti, vel non vult habitare sine contumelia creatoris, uti perpendit Innocentius III. in cap. *Quanto* de divortiis (IV. 19. 7.): *Si enim* etc. Ita infertur, coniugem fidelem debere de necessitate coniugem infidelem interpellare, an velit converti et cohabitare sine contumelia creatoris, ad effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat, uti late docent *Salmanticenses* Tr. IX. de matr. c. 4. n. 48., *Sanchez* L. VII. disp. 74. n. 12.., Card. *de Laurea* de matr. disp 16. n. 198. et 202., *Clericat.* in decis. de sacr. matr. dec. 11. n. 24., ubi formam per extensum refert huiusce interpellationis.

Haud urgente, quod usque de anno 1710 Abraham vir miserat ad mulierem, de qua nunc agitur, libellum repudii, ita ut ipsa remanserit in libertate alium ducendi virum, uti habetur in Deuteron. c. 24. Cum enim Christus Dominus Matth. c. 19. dixerit, Mosem ob duritiam cordis permisisse Iudaeis, ut uxores dimitterent, sed

ab initio sic non fuisse, et hoc ipsum iterum dixerit Marcus c. 10. concludendo, « quod ergo Deus coniunxit homo non separet, » docent communiter theologi, hodie Iudaeis, non esse permissum uxores suas repudiare et per repudium non solvi vinculum matrimonii. Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primaevum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quae circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa, *Medina* de contin. controv. 1. c. 10., Card. *Bellarmin.* T. II. controv. de matr. c. 15., *Corn. a Lapide* in Deuteron. c. 24., *Sanchez* L. X. disp. 1. n. 7., *Lessius* in tert. part. *D. Thomae* de sacr. matr. c. 5. n. 92. dub. 3., *Pontius* de matr. L. VII. c. 50., *Clericat.* dec. 9. de matr. n. 46., *Pignatell.* cons. 93. t. VIII.

Et licet hisce minime obstantibus etiam hodie inter Hebraeos, scientibus et tolerantibus superioribus ecclesiasticis, vigeat praxis repudii adhibitis nonnullis solemnitatibus, uti late prosequuntur *Marquard.* de iud. p. 2. c. 8. n. 4., *Ioseph. Sessa* in eod. tract. de iud. c. 33. n. 21., *Tondut.* quaest. benef. c. 48. n. 22. et 22., *Laurent.* decis. Aven. 57., *Bertrand.* cons. 119. Lib. II. cons. 132. L. VI. et cons. 124. L. VII., haec tamen et similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in repudio inter infideles misso et iisdem in infidelitate permanentibus, secus autem, quoties, prout hic, alter ex iis ad fidem conversus est, uti probat textus Innocentii III. in cap. *Gaudemus* de divort. (IV. 19. 8.)

Haec quoad necessitatem interpellationis de iure loquendo, post quae transitum faciendo ad punctum, an stantibus circumstantiis ex superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio, refert vicarius capitularis, primo periculum esse in mora, si interpellatio facienda sit, et si ante matrimonium exspectandus sit lapsus temporis in interpellatione praefigendus, secundo elapsum esse tempus undecim annorum a die repudii ab Abraham missi, absque eo quod ille unquam de uxore et filiis requisiverit, tertio libellum repudii esse conceptum verbis adeo iniuriosis, ut nullum spei vestigium supersit reditus viri ad uxorem repudiatam, ultimo denique ignorari, an Abraham sit vivus aut mortuus, nec ullam a die discessus habitam fuisse notitiam loci, quem ipse petiit.

Concurrentibus autem consimilibus circumstantiis, nonnulli putant, posse iure suo coniugem fidelem, omissa interpellatione viri infidelis, transire ad alia vota, *Sanchez* L. VII. disp. 74. n. 14. 15., sicque fuisse in curia archiepiscopali Neapolit. decisum, referunt *Genuensis* in prax. dictae curiae c. 27. n. 20., *Riccius* in prax. p. 1. resol. 241., et haec opinio tanquam probabilis admittitur a *Diana* in Oper. coord. T. II. tr. 6. res. 124. et in terminis mulieris hebraeae ad fidem conversae, et hic in Italia degentis, quod stante latitatione viri in infidelitate permanentis posset omissa interpellatione aliud matrimonium contrahere, docuerunt *Comitiol.* lib. 1. qu. 124. *Clericat.* de sacr. matr. dec. 11. n. 29.

E contra alii censent, quod etiam concurrentibus circumstantiis de iure sit locus interpellationi, sed quod, si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cuius est in eo rerum statu indulgere, ut omissa interpellatione coniux fidelis ad alia vota transire possit, *Pontius* l. VII. c. 48. n. 22.; concordat *Nicolaus* Lucubr. civil. l. I. tit. 10. de nupt. n. 43. ubi dicit, sic resolutum fuisse ab hac S. Congr., et faciunt apost. lit. Gregorii XIII. ap. *Pignatell.* cons. 93. tom. 8. vers. fin., in quibus singulis locorum ordinariis, parochis et presbyteris missionariis Soc. Iesu in Anglia, Aethiopia et Brasilia degentibus concessit, ut, si aliquis ex coniugibus ad fidem convertatur, et alius in infidelitate remaneat, quoties sibi summarie et extraiudicialiter constiterit, coniugem infidelem abesse et legitime moneri non posse, dispensare valeant, ut coniux fidelis omissa interpellatione aliud contrahat matrimonium.

His stantibus quaeritur: I. An de iure necessaria sit interpellatio in casu? et quatenus affirmative: II. An stantibus circumstantiis indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu?

S. Congr. resp.: *Ad utrumque affirmative.* » *Florentina* 19. Ian. 1722.

153. Ricca Esther, dum erat Iudaea, matrimonium contraxit cum Abraham Hebraeo et illud consummavit; cumque post aliquod temporis spatium iudaicam perfidiam abiurasset et ad catholicam religionem conversa esset, post canonicam consuetam monitionem reliquit Abraham in sua iudaica perfidia, et licet ad alia vota transire posset, caelibem nihilominus statum elegit, et etiam hodie remanet innupta.

Post Riccae conversionem Abraham existimavit se in libertate positum, quo circa anno 1721. aliam Hebraeam nomine Blancam duxit in uxorem, et matrimonium cum ea consummavit, cumque tam Abraham quam Blanca anno praeterito suam patefecerint voluntatem de Iudaismo abiurando et catechismo fuerint subiecti, suum quoque desiderium explicaverunt de per-

severando post receptum baptismum in matrimonio uti supra contracto.

Ricca interrogata, quid super hac re sentiret, respondit, se suum libentissime assensum praestare, et se nolle ullo modo ad Abraham redire etiam post abiuratam ab ipso iudaicam perfidiam et eius conversionem ad nostram sanctam religionem.

Dubiis propositis his: I. An adhuc subsistat matrimonium in Iudaismo contractum inter Riccam et Abraham? et quatenus affirmative: II. An Abraham post suam et Blancae conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca et Blancam relinquendam? et quatenus affirmative: III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso? et quatenus affirmative: IV. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blanca? et quatenus affirmative: V. An consilium praestandum sit Sanctiss. Dom. Nostro pro concessione dictae dispensationis?

Sac. Congr. die 27. *Iulii* 1727. respondit: « Ad I. et II. *affirmative*, in reliquis dilata et scribant theologi et canonistae et perquirantur exempla, et ad mentem. »... Mens fuit, ut scriberetur archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra praeiudicium conversionis ad fidem catholicam Abraham separaretur a Blanca, et ad Riccam rediret, item an Ricca esset in statu virum ducendi aut emittendi professionem religiosam in aliqua religione. Per hanc enim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum et non resolutorum...

6. Fundamentum affirmativae responsionis ad prima duo dubia constitutum fuit in hoc, quod, licet certum sit, matrimonium in infidelitate contractum solvi quoad vinculum, si alter ex coniugibus in infidelitate permaneat, et nolit habitare cum coniuge ad fidem converso, vel si cohabitare velit, nolit cohabitationem sine contumelia creatoris, incertum nihilominus est, quo tempore matrimonium praedictum quoad vinculum solvatur; cumque communis et communissima hodie sit theologorum et canonistarum sententia, quod matrimonium quoad vinculum dissolvatur tunc, cum coniux fidelis aliud contrahit matrimonium, hinc optimo iure ponderatum fuit, quod, si Ricca conversa nullum adhuc contraxit matrimonium post conversionem, subsistere de necessitate debebat matrimonium per eam in Iudaismo contractum cum Abraham, et sic per consequens, quod Abraham post suam et Blancae conversionem tenebatur ad redeundum cum Ricca et Blancam relinquendam, et eo fortius, cum auditis theologis et articulo formiter examinato et accedente Summi Pontificis approbatione in consimili prorsus casu fuerit eodem modo responsum ab hac Sac. Congr. in alia causa *Florentina* 1. Iulii 1679.....

21. Quod (vero) Summi Pontifices aliquando dispensaverunt, ut infidelis ad fidem conversus possit remanere cum ea uxore, quae fidem Christianam amplexa est, derelicta prima, quae in infidelitate permansit, desumitur ex brevi S. Pii V. expedito die 2. Augusti 1751., in quo cum exposuisset, Indos in infidelitate plures insimul habere uxores, et aliquando dari casum, ut maritus convertatur ad fidem et una cum marito uxor convertatur, non prima, sed alia, prima remanente in infidelitate; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret, primam coniugem reperire, ex apost. benignitate concessit, ut permanerent cum uxore, quae baptismum recepit et huiusmodi validum declaravit, *ut Indi sic, ut praemittitur, baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere debeant tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apost. auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque huiusmodi legitime inter eos consistere, sicque etc. iudicari ac definiri debere.*...

23. Apost. litterae S. Pii V. impressae sunt apud *Veracrux* in Speculo Coniugum par. 3. art. 8. Concl. 5., et earum meminit *Avendanus* in Thesauro indico tom. 2. tit. 12. cap. 14., et praeter has apost. litteras aliae occurrunt *Gregorii* Papae XIII. impressae ap. *Pontium* de matr. L. VII. cap. 48. 24. Exponitur in his postremis litteris, quod plures ex Angola, Aethiopia, Brasilia et aliis indicis regionibus ab eis exterminantur, ita ut proprias cogantur relinquere uxores. Exponitur, hos aliquando ad fidem Christianam converti, et non posse interpellare coniugem infidelem, an velit converti. Facta hac expositione Pontifex ait: « *idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint,* » et deinde non solum concedit, ut contrahere possint matrimonium et consummare cum muliere fideli, postquam summarie constiterit, non potuisse interpellare coniugem infidelem, ibi: « *ut eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito, responso non exspectato matrimonium*

cum quavis fideli alias tamen rite contrahere et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet eis summarie, hoc est missionariis, et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum per tempus eidem monitioni praefixum suam voluntatem non significasse; » sed ad ulteriora procedendo valida et firma declaravit haec matrimonia contracta ab infideli converso cum muliere Christiana, etiamsi deinde probaretur, primam coniugem non potuisse iustis de causis suam voluntatem explicare, et etiam, quod ipsa non erat infidelis, sed fidelis tempore secundi matrimonii contracti, ibi: « *quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditas declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversas fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse.* »

25. Quocirca si Gregorius dixit, matrimonia infidelium necessitate suadente dissolvi posse, si dependenter ab hoc principio validum declaravit matrimonium ab infideli converso contractum cum muliere fideli, etiamsi primum ipse contraxisset et consummasset matrimonium in infidelitate, et etiamsi tempore secundi matrimonii uxor conversa fuisset, et id fieri non valeat, nisi dissoluto quoad vinculum primo matrimonio in infidelitate contracto et consummato, eo magis crescit assumptum, favens pontificiae potestati in ordine ad dispensandum super matrimonio infidelium licet consummato. « Ex rel. Secretarii.)

Sac. Congr. nullam cepit resolutionem sed respondit:

« Scribatur iuxta instructionem. » *Florentina* 27. Mart. 1727.

154. « Quaeritur a theologis et canonici iuris consultis, quando matrimonium solvatur contractum ab Hebraeo cum Hebraea, quae se convertere recusat, et quando conversus novum matrimonium cum muliere Christiana et quando Hebraeus cum Hebraea contrahere possit. Quod ad conversum attinet, quidam volunt, praecedens matrimonium dissolvi quoad vinculum, statim ac infidelis renuit Christianam fidem amplecti, aut intra terminum seu temporis spatium praefixum in interpellatione, quae illi facta est, nullum responsum praebet. Alii vero putant, matrimonium solvi, quando conversus aliud matrimonium celebrat cum Christiana, quae opinio in praesenti communior est inter theologos et canonici iuris peritos, et in praxi eam sequitur Congr. S. R. E. Card. Decret. Conc. Trid. Interpretum. » *Bened.* XIV. in litteris super abusu libelli repudii Conversorum a Iudaismo 1747. Bullar. T. II. p. 330.

—

VI. DE MATRIMONII CONSUMMATI PER VOTUM SOLEMNE QUASI DISSOCIATIONE.

155. Quando matrimonii iura laesa sunt propter adulterium et diminuta propter divortii sententiam, potest innocens coniux in saeculo remanere et alter ad religionem transire, si coniux innocens eidem praestet licentiam, et votum simplex castitatis emittat, « donec uxor vixerit. » *Lucana* 14 Nov. 1682., *Ferrarien.* 2. Maii 1639.

156. Maria Victoria Fossa Francisci Venatii uxor ita se obscoenae libidini dedidit, ut instante viro pluries detenta fuerit in publico hospitio, in quo impudicae mulieres custodiri solent. Cum Franciscus amplius cum ea cohabitare nollet, ad professionem religiosam animum appulit, cui ille praestitit consensum, adiecta asseveratione, se ipsum quoque, nisi parentes iam senescentes haberet, ad professionem religiosam paratum fore. Petita itaque pro Maria ingrediendi religionem licentia S. C. rescripsit: posse permitti Mariae Victoriae ut monasterium ingrediatur et in eo professionem regularem emittat, accedente consensu viri canonice praestando et accedente voto continentiae ab eodem emittendo, *donec uxor vixerit. Ianuen.* 2. Maii 1722. Refertur tamen in causa *Salamantina* 6. Mart. 1723. II. 288. §. *Duo autem* a Secretario. Congreg. Cong. in causa *Ianuen.* die 23. Maii 1723., « reclamante viro innocente contra superius positam castitatis obligationem, mandasse, quod dicta conditio deleretur, » ut etiam practicatum fuerat in s. cit. caus. *Ferrarien.* et optimo iure, cum iura prohibentia professionem seu mutationem status alterius coniugis absque voto continentiae emittendo ab eo, qui in saeculo remanet, procedant in casibus, ubi matrimonium integrum et illaesum perseverat, secus autem, quando eius iura sunt laesa et diminuta. »

157. Cum vir et uxor solemne castitatis votum emittere cuperent, neuter vero tum propter 67. annorum aetatem tum propter corporis infirmitatem monasterium ingredi posset, ad sacerdotium ascendere vir, apud Tertiarias O. S. Agustini nomen profiteri mulier constituit. Cum itaque quaereretur, utrum in saeculo et statu saeculari vir remanere possit, an potius uterque monasterium ingredi teneatur, et si in saeculo remanere possint, in una domo licitum eis sit habitare: locum dispensationi esse S. C. cen-

suit, dummodo habitent in separatis domibus. *Panormitana* 28. Maii 1725. (XXI. 80.)

(Cf. decl. ad c. 6. Sess. XXIV.)

—

VII. DE CONIUGUM A THORO SEPARATIONE.

158. Novem a contracto matrimonio inter Ioannem Baptistam Pagani et Mariannam Baruzzi diebus elapsis vir correptus est morbo, quem luem Celticam esse chirurgus iudicavit. Itaque uxor thori separationem adulterii causa postulavit. Cum tamen unicus tantum et quidem extraiudicialis testis allatus esset, et medici sensissent, absque viri confessione iudicari vix posse, utrum ab illicito amplexu an a causis innoxiis morbus ille originem trahat, denique de viri probitate complures testes deposuissent, petitam separationem S. C. denegavit. *Imolen.* 11. Mart. 1786. Eandem sententiam postquam iura mulier deduxerat, tulit d. 19. Sept. eiusd. anni, et d. 16. Dec. rescripsit: « praefigatur a Cardin. archiepiscopo Bononiae post extraiudicialia officia terminus duorum mensium ad effectum redeundi ad obsequia matrimonialia, quo elapso collocetur in aliquo conservatorio aut monasterio ab eodem Card. archiepiscopo eligendo ». Denique cum de dotis restitutione et vita separata instituenda inter partes convenisset, mulier timens ne in monasterium detruderetur, redeundi ad patriam a S. C. facultatem petiit. Hinc proposito dubio, an sit standum vel recedendum a decisis d. 16. Dec.? resp., scribendum Cardin. archiepiscopo, quod provideat iuxta suum votum etiam cum facultatibus S. Congregationis. Archiepiscopus vero censuerat: « fidem ac securitatem, quam oratrix postulat, esse concedendam, ut ipsi tuto huc venire, et in hac urbe apud parentes suos commorari liceat, quin quidquam ab ecclesiastico foro vereri debeat, dummodo Christianis moribus vitae institutum accommodet ».

159. Post triennalem vitae consuetudinem in Iosephum Fogliette maritum ita exarsit nobilis mulier Francisca Moscheni, ut denegatis ei matrimonialibus obsequiis, propter calumniam adulterii a marito sibi illatam, propter verbales saevitias et adversam valetudinem thori separationem flagitaret. De diffamatione testes aliquot testimonium perhibuerant. Cum vero optimi testes a viro producti deposuissent, de saevitiis realibus non esse timendum, et constaret, uteri convulsiones, quibus mulier se laborare dixerat, non ita esse comparatas, ut ex obsequiis matrimonialibus vitae periculum immineret, cum duos ex Iosepho filios absque periculo esset enixa, non esse locum petitae separationi S. C. iudicavit. *Firmana* 13. Iun. 1789. confirm. 19. Sept. eiusd. anni.

—

VIII. DE MATRIMONIIS MIXTIS.

160. « Licet per decretum S. Concilii Tridentini Sess. XXIV. cap. 1. caveatur, quod matrimonium aliter, quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contractum sit irritum et nullum, imposita etiam poena iis, qui huiusmodi contractui interfuerint, quodque per Bullam fel. rec. Pii IV. ordinatum sit, omnia decreta Concilii ad reformationem ac ius positivum spectantia a Kalendis Maii tunc proxime praeteriti omnes obligare coepisse, neque post eam diem excusationem cuiusque admittendam: tamen, dum ex facto proponeretur, Martinum de Rivera natione Hispanum, dum in civitate Londonen. regni Angliae negotiandi causa uno aut altero mense solum egisset, tertia mensis Augusti anno 1572. in praesentia cuiusdam notarii publici, et cuiusdam Alphonsi Basurtii in quodam coenaculo cum quadam Hestere de Sabitoris etiam catholica, et quae a duobus tantum mensibus citra ex civitate Antuerpiensi in Angliam venerat, protulisse, et scripsisse vel subsignasse verba sequentia: « Ego Martinus de Rivera accipio Hesterem de Sabitoris pro mea sponsa et uxore ex hoc die in antea pro tota vita mea, eoque fine ei do meam veram fidem; » et dictam Hesterem similia reciproca verba ad praedictum Martinum directa protulisse, scripsisse vel subsignasse, hoc addito, quod inter ipsos contrahentes id actum fuisset, ut data opportunitate in Hispaniam aut in inferiores regiones catholicae maiestati subiectas traicerentur, ibique solemniter in sanctae matris ecclesiae facie matrimonium contraherent.

Dubitatum est, anne praedictum decretum Concilii Tridentini ad praedictos contrahentes, non obstante, quod paulo ante in regnum Angliae haeretica pravitate infectum, ubi parochorum non est copia, divertissent, porrigi et extendi debeat, eosque ad sic contrahendum inhabiles reddiderit?

S. Congr. censuit: non extendi, si in illa ecclesia, in cuius parochia tunc habitabant contrahentes, nondum eo tempore, quo sic contraxerunt, erat, ut palam dicitur, publicatum decretum Concilii Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 1., ut in l. 1. Decr. p. 74. » *Antuerpien.*

161. « Discusso dubio: An, quando mulier catholica cum haeretico vel e contra matrimonium praesente ministro haeretico contrahat in loco, in quo dubitatur, an S.Conc.Trid. fuerit publicatum, debeat coram parocho catholico iterum contrahere? S. C. sub die 13. Nov. 1638. ita respondit: « Si non constet de publicatione S. Conc. Trid. in parochia contrahentium, non esse invalida matrimonia coram ministro haeretico contracta; si vero constet de publicatione S. Conc. in parochia saltem ex illius observantia per aliquod tempus, tamquam decreti S. Concilii, ad validitatem matrimonii requiri, ut coram parocho catholico iterum contrahant, ut in l. XVI. Decr. p. 117. » *Poloniae.*

162. « In scripturis et informationibus a S.Congr.S.Officii ad hanc S. Congr. pro infrascriptorum dubiorum resolutione remissis continetur, quod in Serra de Malavari Indiarum orientalium ab exordio schismatis aliqui catholici coniungebantur in matrimonium a parochis invalide ordinatis ab archidiacono intruso; alii a presbyteris catholicis in parochos institutis ab eodem archidiacono; alii a presbyteris factis schismaticis, et in parochos a populo electis; alii absque interventu ullius parochi ob timorem regum paganorum, et in aliquibus matrimoniis dictus archidiaconus dispensavit super impedimentis dirimentibus. Istis positis, quaeritur: I. An matrimonia in praedictis casibus contracta sint valida? II. An in Serra matrimonia clandestina sint invalida? III. An, supposita huiusmodi matrimoniorum invaliditate et impossibilitate coniuges separandi, vel eos denuo publice contrahere faciendi, potuerit episcopus concedere et publicare, se concessisse parochis eos denuo privatim in ecclesia coram duobus aut tribus testibus absque alia publicatione coniungendi?

Die 30. Mart. 1669. S. Congr. respondit: Ad I. Si decretum eiusdem Concilii cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matr. in iis regionibus non fuit publicatum in parochiis intelligibili idiomate, seu nunquam receptum et in usu positum, vel ipsius memoria prorsus perierit, valida esse infra scripta matrimonia, nempe contracta coram parochis ordinatis seu institutis ab archidiacono intruso. Secundo, contracta coram sacerdotibus catholicis, et institutis parochis ab eodem intruso. Tertio, contracta coram aliis sacerdotibus factis schismaticis. Quarto, contracta coram parochis a populo electis. Quinto tandem, contracta absque ullius parochi praesentia. Si vero decretum illud S. Conc. fuit praefato modo in parochiis publicatum et receptum, adsitque memoria, quod de tempore ante schisma erant in usu, et coram legitimo parocho vel missionario apostolico et testibus iuxta formam Concilii contrahebantur matrimonia, in hoc casu esse distinguendum. Vel parochi legitimi aut missionarii aderant in ea regione, et accessus ad eos erat tutus et facilis, vel non aderant, nec, si aderant, accessus ad eos erat tutus et facilis. Si primum, omnia praefata matrimonia, cum potuerint fieri coram parocho legitimo vel missionario, et non fuerunt sic facta, esse invalida et revalidanda; si secundum, iuxta alias decisum ab eadem S. Congregatione, stante impossibilitate habendi legitimum parochum vel missionarium, esse valida, si coram testibus saltem facta sunt. Contracta autem cum impedimentis dirimentibus dispensatis ab intruso esse invalida, nec posse dissimulari, et propterea, obtenta dispensatione a SSimo, vel ab alio facultatem a SSimo habente, esse revalidanda. Ad II. ut supra, si nimirum praecitatum decretum S. Concilii fuit in parochiis intelligibili lingua publicatum, clandestina esse invalida; si non ita publicatum, esse valida. Praesumendum autem esse, quod fuerit hoc modo publicatum, si de tempore vel praesenti vel praeterito exstet memoria, quod matrimonia contrahi solebant coram parocho aut missionario et testibus tanquam ex praescripto eiusdem S. Concilii. Ad III. modum illum revalidandi secreto coram parocho aut missionario et testibus sine nova publicatione esse legitimum et prudentem, ideoque in similibus casibus clandestinorum usum tenendum, ut in l. XXVI. Decr. pag. 198. et 199. » *Indiarum orientalium.*

163. « Catholicus cum haeretica, quae haeresim abiurare promiserat, matrimonium coram magistratu saeculari in loco, ubi Conc. Tridentinum est receptum, et parochus commode haberi et adiri poterat, contraxit, et postea consummavit; verum quia mulier non solum ad haeresim abiurandam adduci non potuit, sed etiam alteri viro nupsit, orator ad partes viventes sub obedientia S. sedis se recepit, et cum alia muliere contrahere desiderat. Sed quoniam ordinarius recusat permittere absque S. Congr. declaratione, orator supplicat decerni: An praedictum matrimonium contractum ab ipso cum dicta haeretica modo, ut praefertur, fuerit nullum?

S. C. die 2. Maii 1676. rescripsit: secundum ea, quae proponuntur, dictum matrimonium fuisse nullum, ut in l. XXIX. Decr. pag. 241. « *Ruremund.*

164. « A SSimo D. N. remissus fuit pro voto supplex libellus sequentis tenoris: Beatissime Pater, Officialis Gedanen. defert hunc casum de consensu partium prout de iure decidendum. Fuit contractum matrimonium inter Eliam Constantium Schodier catholicum, et Elisabetham mulierem haereticam, non tamen coram parocho catholico, licet ibi fuerit publicatum S. Conc. Tridentinum. Supplicatitaque committi declarationem S. Congr. Conc. Trid., ut partes possint sibi consulere, an matrimonium huiusmodi fuerit nullum?

S. Congr. die 8. Maii. 1677. distulit resolutionem, quousque distinctius informent, ut in l. XXIX. Decr. pag. 415. terg.

Postea; cum additum esset, in loco matrimonii concilium fuisse publicatum, ibidemque adesse parochum catholicum, ad dubium: An matrimonium inter catholicum et haereticam contractum, non tamen coram eorum parocho catholico, fuerit nullum? S. Congr. die 4. Sept. 1677. respondit: Affirmative, matrimonium fuisse nullum, ut in l. XXIX. Decr. pag. 501. » *Gedanen.*

165. Quidam ex missionariis significavit D. Internuntio Belgii, complurium catholicorum conscientias scrupulis agitari circa validitatem matrimoniorum, quae inter catholicos et haereticos coram magistratu haeretico contracta sunt. Censebant prius missionarii, matrimonia huiusmodi nulla esse, tum quia S. Conc. in dictis provinciis publicatum ac receptum fuit, tum quia haec Sac. Congr. anno 1603. a D. Nuncio apostolico consulta respondit, ipsorum etiam haereticorum matrimonia absque forma Concilii quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta nulla atque irrita esse; consueverant itaque missionarii catholicos de nullitate monere eorumque conscientias urgere ad validandum matrimonium ritu catholico, cum separari non possent.

Ab hac autem praxi modo cessatur, quia vicarius apostolicus prohibuit per haec verba: « Prohibemus etiam sub poena suspensionis ab officio missionis omnibus missionariis, ne quis personas, quarum altera est acatholica, nobis inconsultis et sine nostro speciali consensu praesumat coniungere. »

Imo in aliquot casibus pro licentia requisitus respondit: « ut puella cum acatholico matrimonium initura ritu catholico coniungatur, non expedit tum ob sacramenti sanctimoniam, quae violatur, dum acatholico administratur, tum ut catholica coniux aliqua poena afficiatur, quod non in Domino nupserit. Poterit tamen cum acatholico coniugaliter vivere, quia coniunctio coram magistratu facta est civile matrimonium, quod liberat a fornicatione, quamvis non sit sacramentum, quod usum coniugis coelesti gratia perfundit. Porro puella illa a sacramento eucharistiae suspendenda est, iniuncta tamen poenitentia, ut saepius veniat ad sacramentum; poenitentiis, sanctis adhortationibus et piis operibus in Dei servitio confirmanda... »

His stantibus D. Internuncius a missionario requisitus per Secretariam Status supplicat ab hac S. Congr. declarari: An in provinciis Belgii confoederatis valeant matrimonia catholicorum cum heterodoxis contracta coram magistratu haeretico non obstante decreto Concilii de solemnitatibus matrimonii in illis provinciis publicato et recepto?

S. C. die 23. Aug. 1681. rescripsit: ad mentem cum Sanctissimo, *scilicet, si esset respondendum dubio, esset respondendum negative*, ut in l. XXXI. Decr. pag. 459. » *Hollandiae.*

166. « Vicarius apostolicus enarrat fuisse ab haereticis editam legem, qua cavetur, nulla esse matrimonia, quae coram magistratu aut ministro haeretico celebrata non fuerint, unde dubitat, an in casu, quo quis ex coniugibus, matrimonium iuxta legem praefatam iniverunt, convertantur ad fidem, teneatur renovare consensum coram proprio parocho, maxime cum pluries necesse sit conversionem occultare, et quia qui praetenderet nullitatem primi contractus, gravi poena afficeretur tanquam violator dictae legis, neque haereticus coniux permitteret novum consensum praestari, supplicat SSimo D. N. quatenus declarare dignetur, licere conversis continuare in matrimonio contracto coram ministro haeretico etiam sine novo consensu, quoties iste commode praestari non possit. Cum autem S. Congr. S. Officii huiusmodi dubiorum decisionem ad hanc S. Congr. remiserit, Emin. PP. respondere non gravabuntur: I. An si quis, dum erat haereticus, matrimonium contraxit coram magistratu vel ministro haeretico, et postea convertatur ad fidem catholicam, requiratur ad validitatem huiusmodi matrimonii novus consensus utriusque coniugis vel conversi tantum? II. An quatenus huiusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in huiusmodi matrimonio possit conversus licite perseverare?

S. Congr. die 13. Febr. 1683. rescripsit: *Ad mentem.* Mens est, quod servetur id,

quod fuit observatum in simili casu a S. Congr. Conc. in una Hollandiae matrimoniorum 23. Aug. 1681., ut in l. XXXIII. Decr. p. 52. « *Boscoducen.*

167. « In dioecesi Antuerpiensi pro maiori parte sita sub dominio Hollandiae inita matrimonia coram magistratibus saecularibus revocantur in dubium tanquam non servata forma concilii Tridentini, licet ibidem publicata (sub imperio tamen Hispaniae) ad tollenda clandestina , quae fieri consueverant. Modo sub dominio acatholicorum nullis exsistentibus solemniis contrahuntur coram scabinis et reformatis , quae valida tuetur episcopus Canturiensis nuper in Hollandia vicarius apostolicus , ea ductus ratione , quia forma praescripta sit tantum in locis catholicis , huiusmodi sit praxis apud Germanos et poenitentiarios Romae similia matrimonia non reprobantes. Cum autem in hac dioecesi pro invalidis constanti consuetudine habeantur, instat modernus episcopus pro declaratione: An huiusmodi matrimonia non servata forma Concilii sint valida ?

S. Congr. die 14. Ian. 1690. respondit: Ad Dominum Secretarium iuxta mentem cum agente episcopi Antuerpiensis , quae tamen non fuit explicata ut in l. XL. Decr. p. 47. « *Dubium valid. matr.*

168. « Relato die prima Martii praeteriti statu ecclesiae Ruremundensis, episcopus inter cetera exposuit: « In quibusdam partibus huius dioecesis haereticis subiectis iidem obligant omnes nubere coram magistratibus sub poena nullitatis , et prohibitum est sub gravi poena, ne renovent suos consensus coram sacerdote , imo plurimi utriusque sexus vadunt habitatum sub haereticis, et postquam ibi sunt coniuncti, revertuntur ad antiquam residentiam , nec volunt (praesertim si mariti sunt haeretici) renovare consensum coram parocho, quapropter ad tollendas angustias confessariis, quando pars catholica venit ad confessionem, supplicat responderi: An similes possent sic relinqui , et tamen a suis absolvi peccatis? »

Huiusmodi dubio proposito S. Congr. cognitionem remisit ad S. Congr. S. Officii, quae et ipsa satius duxit idem dubium de novo remittere ad hanc S. Congr. Conc. sub die 4. Iunii proxime praeteriti , quare dignentur EE. VV. benigniter respondere.

S. C. Conc. die 19. Iul. 1692. huiusmodi causae cognitionem remisit ad S. Congr. S. Officii, ut in lib. 42. Dec. pag. 428. terg. Factis autem diligentiis nihil in regestis S. Inquisitionis potuit reperiri, quod oculis EE. VV. subiiceretur. « *Ruremunden.*

169. « Exponente inter cetera episcopo: « Licet pauci subditi dioecesis sint haeretici , multi tamen a triennio et ultra tempore praesidii hiemalis copiarum principum confoederatorum confluunt , quorum plurimis adhaerent filiae dioecesanae sub specie praetensi matrimonii contracti coram ministris acatholicis. Consului theologum Lovaniensem, qui resolvit, huiusmodi Matrimonia non posse sustineri, nec licita esse, sed cum his belli temporibus impossibile sit abusus hosce repellere , maxime quia Consilium Flandriae causas omnes etiam ecclesiasticas ad se trahit, hinc supplicat edoceri: An et quomodo in hos abusus se gerere debeat ? S. Congr. die 3. Mart. 1696. resp. ad III.: Matrimonia esse nulla , ut in l. XLVI. pag. 138. et sqq. » *Gandaven.*

170. R. P. Patriarcha Venetus supplicat pro decisione casus infrascripti : « Titius Italus et catholicus, contractis Amstelodami sponsalibus cum Berta pariter catholica, temere ductus ad ecclesiam haereticorum matrimonio se iunxit cum eadem Berta coram ministro acatholico et testibus , illudque successive consummavit. Non multo post mercaturae causa in Hispaniam profectus , et illinc Amstelodamum reversus invenit Bertam alteri se in matrimonium copulasse. Licet autem plene edoctus fuisset , in ea regione in hisce casibus optionem dari marito vel repetendi vel deserendi uxorem, statuit tamen eam deserere. Quare, Berta derelicta , navigans in Graeciam aliam puellam in uxorem duxit , ex qua filios suscepit. Modo Titius factus dubiae fidei circa validitatem primi vel secundi matrimonii supplex exposcit sapientissimum EE. VV. oraculum super infrascriptis nempe: I. An primum matrimonium contractum cum Berta coram ministro acatholico fuerit validum necne? II. An secundum matrimonium cum puella Graeca sustineatur ?

S. Congr. die 1. Dec. 1696. resp.: Primum matrimonium esse nullum; secundum esse validum, nisi aliud obstiterit, ut in l. XLVI. Decr. pag. 481. « *Venetiarum.*

171. Decem abhinc annis vir quidam Boisalair nuncupatus origine Gallus , dum stipendia merebatur apud Batavorum turmas in provinciis Hollandiae, matrimonium contraxit cum quadam puella cognomento Sckoltis, nata ex patre Lutherano et matre catholica, quae moram trahebat in pago de Rysvich prope Hagam. Matrimonium id praecesserunt proclamata solemnia iuxta morem earum regionum in aede acatholicorum reformatorum cum interstitio septem

hebdomadarum, quibus elapsis praefati sponsi coniuncti fuerunt a ministro haeretico. In statu coniugali vixerunt iidem sponsi quinque et amplius annis, procreando etiam prolem iam defunctam, donec dictus Boisalair captivus in bello factus in Gallias ductus fuit, ubi sub regis stipendiis merere perrexit. Hoc interim plures litteras amore et aestimatione refertas suae coniugi dedit, sed abhinc circiter biennio, cum reperiretur in stativis civitatis Yprarum in Belgio, captus amore cuiusdam puellae ex custode carcerum natae, cum ea aliud iniit coniugium et prolem suscepit, deserendo supradictam primam coniugem, quae ad animum id revocans sese contulit Ypras, querelas suas deferendo apud episcopum dictae civitatis et magistratum loci pro repetitione sui viri. Episcopus antedictus dicitur in eo sensu esse, quod primum matrimonium sit nullum ex defectu praesentiae sacerdotis catholici. Hinc exoptans pastor Hagae edoceri, an in casu, quo primum matrimonium declaretur nullum ab episcopo Ypren., possit mulier iterum cum alio nubere, exhibuit abbati Passioneo thema facti supra recensiti, ab eoque transmissi ad Secretariam Status SSimi D. N., a qua ad supremum tribunal S. Officii, et ab eo tandem ad hanc S. C. pro resolutione remissum fuit. Pleraque excitat motiva idem pastor super primo matrimonio praemisso. Quod nimirum fuerit illud solemnizatum praeter morem, cum lapsu scilicet septem hebdomadarum ad proclamata facienda, cum duntaxat quindecim dies intercedere soleant; quod coniuges uti subiecti illis statibus generalibus contraxerint coram persona publica et in publico loco; quod vixerint pluribus annis uti coniuges suscepta prole; quod, ubi unus contrahentium est catholicus, alter vero haereticus, regulariter coniunctio non fiat coram parocho catholico, sed solummodo coram magistratu sive alio ministro, hocque non obstante habetur inibi contractus validus iuxta assertam decisionem olim factam a S. C. Inquisitionis tempore Castoriensis; quod aliter peccaretur adversus patrias leges dictantes primum matrimonium esse validum; quod tandem eiusmodi matrimonium ita secutum, etsi improbatum, nunquam tamen controversum seu reiectum exstitit a pastore catholico. Praefatus abbas Passioneus propendere videtur insubsistentiae opinionis episcopi Ypren., quam nonnisi cum alteratione patriarum legum locum sibi vindicare posse asseverat. Quibus sane perpensis quaeritur ab EE. VV. declarari: An primum matrimonium contractum inter praefatum virum Boisalair et puellam Sckoltis sit validum in casu etc. ?

Die 15. Nov. 1710. Sac. Congr. distulit propositionem, et causa non apparet amplius proposita. » *Hollandiae.*

172. Georgius d'Ascoli Graecus catholicus matrimonium contraxit cum muliere Lutherana coram duobus testibus et ministro Lutherano. Post reditum ex captivitate cum tres filios interea uxorem peperisse invenisset, de vinculi solutione egit, quam triplici mulieris confessione innixus, ex more a synodo cum facultate transeundi ad alias nuptias obtinuit. At vero S. C., apud quam de novis nuptiis ineundis instetit, matrimonium nec quoad vinculum dissolvi nec nullum declarari posse censuit, cum in loco contractus sacerdos catholicus non adfuerit, Conc. vero Trid. ibi non sit publicatum. *Dubium matr.* 15. Ian. 1724.

173. « Maria Anna de Horst patria Iuliacensis et de dioecesi Coloniensi, viginti circiter abhinc annis cum esset in aetate annorum quatuordecim, matrimonium contraxit parentibus invitis cum Boleslao Schuerin haeretico Pomerano Neomagi in Hollandia coram ministro haeretico, licet parochus catholicus adiri et commode haberi potuisset in eodem loco. Ex hoc matrimonio duo filii nati sunt, cumque Boleslaus post quinquennium Mariam Annam deseruisset, et abiens in longinquas Sueciae regiones haereticam duxerit uxorem, infelix Marianna, quae miseram duxit vitam per spatium plurium annorum, cum occasionem invenerit matrimonium contrahendi cum Edmundo Gevershagen catholico, supplices preces porrexit huic S. Congr. pro declaratione nullitatis matrimonii a se contracti cum Boleslao, et pro libera facultate matrimonium contrahendi cum Edmundo.

Datae fuerunt litterae pro informatione ad ordinarium, qui respondit, primo subsistere in facto ea, quae fuerunt exposita; secundo, matrimonium fuisse contractum coram ministro haeretico castrensi, non tamen proprio illius legionis, sub qua Boleslaus militabat; tertio, potuisse contrahi matrimonium coram missionario catholico et testibus iuxta Conc. Trid. decretum; quarto, Conc. Trid. et decretum de matrimonio contrahendo coram parocho et testibus fuisse in loco publicatum, nec ullam quoad hunc punctum moveri posse controversiam; quinto se iuxta repetitas huius S. Congr. Declarationes inclinare pro nullitate matrimonii, sed se deinde dubitare, ex quo Emin. Dominus meus Card. *Petra* in suis doctissimis commentariis ad constitutiones aposto-

licas tom. 4. scripsit non expedire, ut procedatur ad declarationem nullitatis horum matrimoniorum, cum ex consimilibus declarationibus multa mala sequantur, et catholici degentes in regionibus haereticorum periculis persecutionum exponantur; sexto, se haec mala praevidere in casu, de quo nunc agitur, cum in recessu, quem vocant, religionis facto de anno 1672. inter marchionem Brandeburgicum et ducem Neoburgicum intuitu terrarum ex successione Iuliacensi inter se divisarum, conventum fuerit, quod in contrahendis mixtis matrimoniis, hoc est v. g. catholicae cum haeretico, assistere semper debeat parochus, seu minister sponsi, et quod proles mascula educetur in religione patris, et proles feminea in religione matris; septimo, quod, licet haec prodierint ab incompetenti auctoritate, nihilominus in praxi recepta sunt, ita ut mala, infortunia, persecutiones catholicorum et alia huius generis imminere probabilissime credenda sint, si ad aures principum acatholicorum deveniat, pro nullis haberi matrimonia contracta coram ministro haeretico a femina catholica cum viro heterodoxo; octavo, superesse modum, quo res componi posset, si videlicet, praetermisso defectu assistentiae parochi catholici, procederetur ad publicationem nullitatis matrimonii utpote contracti coram ministro, qui non erat proprius sponsi minister, erat enim minister alterius legionis, sub qua Boleslaus non militabat, uti supradictum est, cum acatholici, etsi reputent valida matrimonia contracta coram alieno ministro, severe nihilominus puniant ministrum assistentem matrimoniis, quae a suis subditis contracta non sint, et idcirco credi possit mitius esse laturos, si nullum declaretur id, quod ipsi perperam gestum agnoscunt; ultimo demum permissum fuisse Boleslao remanere in secundo matrimonio contracto cum haeretica, non quia existimatum fuerit, primum matrimonium contractum cum Maria Anna fuisse invalidum, sed quia ponderatum fuit ab haereticis, uti sibi ordinarius Coloniensis asserit ex actis constare, quod secundum matrimonium contractum fuerat cum femina nobili praecedentis matrimonii ignara.

Haec sunt, quae continentur in luculenta dicti ordinarii relatione; nunc autem transeundo ad exponendam praxim et consuetudinem huius S. Congr., nec non asserta doctorum, praemissaque regula generali desumpta ex littera Concilii Sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim., quod ipsa videlicet sancta synodus noluit nullitatem matrimonii ex defectu praesentiae parochi et testium sibi vindicare locum in parochiis, in quibus decretum publicatum non fuerit, redactaque quaestione ad eos locos, in quibus Tridentinum decretum fuit publicatum, nonnulli in ea sunt opinione, quod haeretici degentes in locis praedictis non sint praedictae legi subiecti, ita ut matrimonia ibi ab eis contracta coram ministro acatholico, et sic sine vero parocho et testibus pro validis sint habenda, ut late ostendere conatur *Theophilus Raynaudus* in Heteroclit. spiritualibus tom. 16. pag. mihi 176. a num. 7. usque ad num. 14. Alii in ea sunt opinione, quod matrimonia haec haereticorum valida sint in illis locis, in quibus utpote tunc principi catholico subiectis, licet olim fuerit publicatum Tridentini decretum, hodie nihilominus subsunt principibus haereticis, quam assertionem ampliant etiam ad casum, in quo non deest copia parochi catholici, etiam ad casum, in quo alter ex contrahentibus catholicus esset, uti late ostendere conatur *van Espen* Iuris ecclesiastici tom. 1. part. 2. tit. 12. de sponsal. a num. 31. usque ad finem. Et alii demum volunt matrimonia haec haereticorum nulla esse, sive inter haereticos contracta fuerint, sive inter haereticum et catholicam, dummodo tamen copia haberi potuerit parochi aut sacerdotis catholici, qui matrimonio interesset, quam sententiam latissime tuetur *la Croix* lib. 6. part. 3. matrimonio num. 772., et in pluribus sequent. et eidem late adhaerent etiam ceteri plena manu cumulati per *Anaclet.* ad tit. Decret. de clandestina desponsatione §. 3. a num. 132. sequ., P. *Schmalzgrueber.* ad eundem tit. Decret. §. 2. a num. 115., et in pluribus sequ., ubi enim parochi catholici non sunt, vel est moraliter impossibile eos reperire, validum etiam est matrimonium sine eorum praesentia contractum iuxta responsum Ven. Dei servi Card. *Bellarmini*, cuius meminit *Rota* decis. 308. num. 25. coram Dunoxet seniore, et quod per extensum refertur apud *Gobat.* in Theologia radicali tract. centesimo decimo sexto cap. 4. de matrim. clandestino pag. mihi 528.

Deveniendo ad huius S. Congr. resolutiones, fuit alias ab ea resolutum, haereticos teneri pro validitate matrimonii ad servandam formam praescriptam a Conc. Tridentino, si eius decretum fuerit in loco publicatum. Item haec eadem S. Congr. alias resolvit matrimonia haec esse valida, quamvis contracta sine parocho, si in loco nec episcopus, nec parochus adsit, dummodo tamen duo aut tres testes fuerint adhibiti, et sic servata fuerit, quantum potuit, forma Concilii, et omnes hae resolutiones im-

pressae reperiuntur apud *Pignatell.* tom. 5. consult. 79. num. 26., et sequ., apud *Anaclet.* ad tit. Decret. de clandestin. desponsatione sub num. 132., et sub. num. 141., et apud Emin. Dominum Cardinalem *Petra* ad constitutiones apostolicas tom. 4. pag. 78. et pluribus sequ., et concordant aliae resolutiones recentiores huius eiusdem S. Congr. in *Colonien.* 16. Dec. 1719. l. XCVI. Decret. pag. 609. a tergo, et in *Moguntina* 31. Maii 1721. l. LXXI. Decr. p. 184. tergo.

At quia haec eadem S. Congr. bis, hoc est in causa *Hollandiae matrimoniorum* 23. Aug. 1681., et in *Boscoducen. matrimonii* 13. Febr. super hoc eodem dubio rescripsit Secretario cum Sanctissimo ad mentem, et praedictus Emin. Dominus meus Cardinalis *Petra*, qui pluribus annis laudabiliter et laboriose functus est officio Secretarii, mentem explicavit, quae fuit, ut si dubio respondendum esset, non aliter responderi posset, quam pro nullitate matrimonii, sed animadversum, id non expedire, ne catholici periculis exponantur, ex hoc natum est dubium ordinario Coloniensi iuxta ea, quae in superioribus dicta sunt. In quo proinde rerum themate onus erit EE. VV. decernere: Quid in proposito casu statuendum sit, aut ordinario Coloniensi respondendum?

S. Congr. die 17. Ian. 1728. distulit propositionem; reproposita autem causa sub die 21. Febr. rescripsit: *ad mentem*, quae in litteris Coloniensi officiali datis fuit hunc in modum explicata, quod matrimonium, ut supra, a praefata Maria Anna contractum ex deductis sit nullum, ac proinde eidem Annae Mariae transitus ad alia vota permittatur ut in lib. LXXVIII. Decr. p. 73. et in lib. Litterarum. XXVII. « *Colonien.*

174. « Aliquot abhinc annis in oppido Hohensolten, quod est in ditione ducis Lotharingiae et in dioecesi Wormatiensi, initum fuit coram Lutherano ministro matrimonium inter Andream Meen et mulierem eiusdem oppidi incolam, ambos eiusdem haereseos veneno pollutos, cum libere ibidem degant tam catholici quam haeretici. Mulier deinde, procul absente viro, sobolem ex alio homine, sed catholico, concepit et cum eo nuptias contrahere cupiens petiit a S. Congr. irritum declarari primum coniugium utpote iunctum contra praescriptum S. Conc. Trid. in c. 1. Sess. XXIV. de ref. matr.

Ordinarius tres epistolas hac de re ad S. Congr. dedit. In prima, quam scripsit ad diem 11. Apr. 1730, pro vero asseverat, matrimonium non fuisse contractum coram parocho, qui in eo residet loco, et Conc. Trid. ibi a catholicis religiose servari. Affirmat etiam, quod mulier eo animo erat, ut orthodoxam fidem amplecteretur et in ea quoque educaret tam filium sexennem cum priori viro procreatum, quam prolem, quam utero gerebat.

In altera epistola data die 27. Febr. curr. a. refert, dictam mulierem iam fausto eventu, ut proposuerat, errorem eiurasse; memoratum vero Andream Meen militem gregarium agere in remoto Prussicae ditionis oppido, quod penitus a catholicae religionis institutis abhorret. Subiungit, se propterea non potuisse eundem Andream personali citatione monere, ut iura sua huic S. Congr. exponeret; sed id fecisse per edictum affixum valvis tam ecclesiae cathedralis quam ecclesiae parochialis eius loci, in quo domum habet, et ubi omnes eius propinqui morantur. Quin etiam curasse, ut de his certior fieret per litteras catholici hominis, qui eius socer est. Ceterum (ut constat ex binis litteris ab ipso Andrea scriptis matri suae) ille, qui obfirmato animo in haeresi est, et molestissime tulit conversionem mulieris, aperte denunciavit se liberum esse a coniugali foedere ob eius fidem ab uxore fractam (quam quidem ob causam penes haereticos solvitur connubiale vinculum), nec se velle deinceps illam uti suam coniugem agnoscere.

In tertia demum epistola scripta die 10. Apr. proxime praeteriti ordinarius iterum inquit, non esse sperandum, quod Andreas Meen causam agat coram hac S. Congr. ad propagandam matrimonii validitatem, cum uxorem se repudiare tum ob violatam ab ea thalami fidem tum propter eius reditum ad catholicam ecclesiam in memoratis litteris declaraverit.

His in facto positis videndum erit, quid iuris sit. Nonnulli quidem sunt doctores, qui existimant matrimonia, sive inter catholicum et haereticum sive inter acatholicos sine praesentia veri parochi inita in locis, ubi decretum Conc. Trid. publicatum fuit, et quorum dominatum hodie teneant acatholici, esse valida, ut videre est apud *van Espen.* de iur. eccl. T. I. p. 2. tit 12. de sponsal. a n. 31. usque ad fin., *Stalen.* in diss. theol. polit. P. II. c. 4., *Theophil. Ragnaud.* in Heteroclit. spiritual. T. XVI. p. 176. a n. 7. ad 14., *Gobat.* theol. experiment. tr. qu. 33. sq. 460. sq. Probabilius tamen esse, quod huiusmodi matrimonia irrita sint et invalida iuxta ecclesiasticam legem, a qua exemptos non reddit haereticos ipsum crimen defectionis ab ecclesia, intrepide affirmant *La Croix* l. VI. par. 3. de matr. n. 772., *Anaclet.* ad tit. Decr. de cland. despons. §. 3. n. 132., *Schmalzgrueb.* eod. tit. n. 115.,

Pignat. consult. 79. n. 26. T. V. et cons. 104. T. VIII., Emin. *Petra* maior poenitentiarius T. IV. comment. ad const. XII. Ioannis XXII. n. 20. cum aliis relatis.

Multo autem certius id videtur admittendum in hypothesi regionis etiamnum subiectae principi catholico, ut in hac specie versatur casus praesens, quia locus, in quo matrimonium initum fuit, subest duci Lotharingiae. Ex qua etiam circumstantia plane sequitur, nequaquam ibidem defuisse verum parochum, coram quo matrimonium contrahi potuisset; cum tamen ex diverso, ubi nec episcopus nec parochus catholicus exsistat, vel eis ob metum latentibus ignoretur, quo loco sint, vel ad eos tutus non pateat accessus, tunc matrimonium valere etiam absque praesentia parochi, modo servetur, quantum ceteroquin potest, praescriptum Concilii, videlicet adhibitis saltem duobus aut tribus testibus, censuerit ven. Card. *Bellarminus*, cuius responsum habetur apud *Sgobar.* in theol. radical. tr. 118. cap. 4. de matr. cland. par. 528. et cuius meminit *Rota* decis. 308. n. 25. coram *Dunoz* sen. Atque ita etiam respondit haec S. Congr. die 27. Sept. 1602., ut in l. X. Decr. pag. 47. et in una *Belgii* 27. Mart. 1632. iuxta decretum, quod refert et exornat Emin. *Petra* in T. IV. Commentar. ad const. XII. Ioannis XXII. num. 30. et seqq.

At nihilominus consideratione fortasse dignum videtur, quod, etiamsi in tali loco sit parochus, hic tamen assistere non debet matrimonio vel inter haereticos vel inter haereticum et catholicum contracto, ut rescripsit S. Congr. die 22. Iun. 1624., l. XII, Decr. pag. 183. in haec verba: « Sive alter tantum ex coniugibus sit haereticus, sive ambo, nullatenus debere parochum haereticorum matrimoniis assistere. » Et in *Dubio iurisdictionis capellanorum exercitus* die 6. Mart. 1694., cum propositum fuerit VIII.: « An capellani catholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis etiam intra fines Italiae? » S. Congr. rescripsit *negative*, ut in l. XLIV. Decr. pag. 80. Si ergo, ubi etiam exsistat parochus rite institutus, haeretici tamen matrimonium contrahentes illum uti parochum non agnoscunt, sique praeterea nec etiam ipse parochus assistere debet tali matrimonio, inferri per modum obiectionis posset, casum istum non videri discrepantem ab eo, in quo vel parochus omnino desit vel ob eius latitationem ignoretur, ubinam sit; in quibus porro terminis matrimonium sine parochi praesentia contractum valere dictum antea est, quia scilicet in iis, qui iuris humani sunt, cessare censetur obligatio servandi eam legem, quae servari vel physice vel moraliter non possit, ut observat *Fagnan.* in cap. *Si clericus* n. 58. de foro compet. Ad quod tamen responderi posset, id esse intelligendum, ubi impedimentum servandi legem aliunde proveniat quam ex culpa eius, qui legis obligatione adstringitur, ne alioquin culpa ipsa commodum afferat exemptionis.

Recensendum modo restat, quid hac de re senserit Sac. Congregatio. Primum, quod reperiri potuit, decretum prodiitque (ut coniici potest) occasione casus, qui evenerat in dioecesi Antuerpiensi, his verbis conceptum legitur: « Haereticos quoque, ubi decretum dicti cap. est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea istorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla esse atque irrita; « ut in l. X. Decr. pag. 47., atque id ipsum habetur in alio decreto edito die 22. Iun. 1624., ut in l. XII. Decr. pag. 183.

An in causa *Hollandiae matrimonium.* 23. Aug. 1681. et in *Boscoducen. matrimonii* 13. Febr. 1683. eadem S. Congr. censuit, abstinendum esse ab expressa resolutione, sed rescripsit: « Secretario cum Sanctissimo ad mentem. » Ut autem explicat Emin. *Petra* loco supra cit. n. 23. et seqq., sententia quidem S. Congr. erat, matrimonia haereticorum cum catholicis coram ministro haeretico iis in locis contracta esse invalida; sed tamen non expedire huiusmodi declarationem edere, ne catholici nimium gravibus obiicerentur periculis.

Itaque his exemplis inhaerens S. Congr. in *Colonien.* proposita die 21. Febr. 1728., cum mulier catholica peteret declarari nullitatem matrimonii, quod ea pridem contraxerat cum haeretico coram ministro itidem heterodoxo, licet S. Conc. Trid. decretum fuisset in eo loco promulgatum, ibique etiam parochus vel missionarius catholicus non deesset, qui matrimonio potuisset assistere, opportunum censuit rescribere: « Ad mentem. »

Ceterum quandoque etiam (ubi scilicet fortasse non impendebat periculum perturbationum et inconvenientium) S. Congr. non abstinuit ab expressa declaratione nullitatis; nam in causa *Gedanen.*, quae civitas est in Prussia, contracto matrimonio inter catholicum et haereticum, non tamen coram parocho catholico, licet ipse in eo loco non deesset ibique S. Conc. Trid. observari soleret, die 4. Sept. 1677. rescriptum fuit: «Matrimonium esse nullum» l. XXIX. Decr. pag. 415. et 501. Sic quoque resolutus fuit

alter similis casus matrimonii inter haereticos initi in *Colonien.* 16. Dec. 1719., l. LXIX. Decr. pag. 609.

In *Moguntina*, cum in loco huius dioecesis, in quo Conc. Trid. fuit publicatum, mulier Calviniana in matrimonium collocata fuisset homini Lutherano coram ministro haeretico, ipseque vir eiurato errore alterisque nuptiis cum muliere catholica initis angeretur timore validitatis prioris matrimonii, S. C. die 31. Maii 1721. rescripsit: « Dandum esse decretum diei 26. Sept. 1612. », quo scilicet invalida declarantur huiusmodi matrimonia, ut in l. LXXI. Decr. pag. 184. Idemque in affinibus circumstantiis resp. in *Paderbornen.* 4. Aug. 1725. l. LXXV. Decr. pag. 447.

Sane vero in casu, qui hodie proponitur, nullus videtur urgere timor damni in catholicos redundaturi, tum quia principes, cuius imperio locus subest, orthodoxus est, tum etiam, quia vir procul abest, et declaravit, se pro soluto habere vinculum coniugii ob causam, cuius mentio facta superius fuit; tum demum, quia ipse ordinarius Wormatiensis in suis litteris concludit, quod, si S. Congr. censuerit, invalidum declarandum esse hoc matrimonium, decretum istud libere et sine ulla molestia aut haereticorum contradictione poterit exsecutioni demandari. Fusius haec oportuit exponi in folio, quia nulla partium scripta circumferentur. Decernere autem non gravabuntur EE. VV.: An constet de nullitate matrimonii in casu etc. ?

S. Congr. resp. *affirmative.* » *Wormatien.* 7. Iulii 1731.

175. Ioannes Bauer catholicus Eystettensis dioec. cum in Saxonia morans rem cum Christina haeretica habuisset, coactus a magistratu matrimonium iniit coram ministro Lutherano adiecta expressa conditione: « si Christina mecum se contulerit ad meam patriam catholicam ». Post annum cohabitationis, ac susceptam prolem, quam Christina interfecit, eidem denunciavit, se eam amplius coniugem habere non velle, et cum consobrina haeretica in patriam aufugit, ex qua Christinam, ut conditioni satisfaceret, interpellavit. Haec vero post latam a tribunali divortii sententiam ad aliud matrimonium transiit. Ioannes cum consobrina coram ministro acatholico nuptias celebravit, et postea obtinere cupiens apostolicam a S. Poenitentiaria dispensationem super secundo consanguinitatis gradu et secundi matrimonii revalidationem, institit coram ordinario Eystettensi, ut prius matrimonium nullum esse declararetur. Proposita causa in S. C. et re matura discussa rescriptum primo fuit: *Ad mentem* d. 9. Febr. 1732. Postea vero S. C. perpendens, quod « quamvis in dubio favor matrimonii iam contracti postulet iudicium pro illius validitate, haec tamen regula non videtur pertinere ad ea matrimonia, quae ob alicuius circumstantiae vitium sint odiosa et illicita, (ut certe fuit saltem illicitum matrimonium a catholico initum cum femina haeretica coram ministro acatholico), de huiusmodi quippe coniugiorum valore iudicandum esse non secundum favorem causae matr., sed iuxta rigorem iuris » et considerans quoque, timendum esse, ne si dispensatio denegaretur, tota familia a religione catholica desciscceret: de nullitate prioris matrimonii in casu, de quo agitur, constare censuit. *Eystetten.* 21. Iun. 1732.

176. « Episcopus Iprensis, ut pastorali pro grege sibi concredito solicitudini faceret satis, in relatione status ecclesiae ad hanc S. Congr. transmissa iuxta praescriptum notissimae constitutionis Sixtinae incipientis *Romanus Pontifex* haec inter cetera exposuit: « Secundum, quo vexantur parochi et confessarii, et quorum anxietas nobis ipsis anxietatem parit, concernit matrimonia in Hollandia contracta coram ministro et magistratu acatholico. Cum in hac civitate Iprensi et pluribus adiacentibus sit praesidium militare Hollandicum, ex istis militibus multi alia matrimonia in Hollandia contraxerunt vel cum catholica vel cum acatholica, sed quae iam in his partibus exsistens heresim eiuravit. Pars illa catholica vel conversa petit, an suo marito adhaerere possit, vel, etsi non petat, pastor tamen vel confessarius, sciens sic esse iunctam, dubitat, an beneficio absolutionis sit donanda, an ad alia sacramenta amittenda in periculo mortis, nisi promittat, in casum reconvalescentiae a suo marito recedere. Insuper, si matrimonia illa dicantur invalida, exinde orietur evidens impedimentum conversionis haereticorum, sic enim relinquendus maritus, deserendae proles. » Deindeque nomine eiusdem episcopi porrectus fuit supplex libellus, in quo praefatae quaestioni altera quoque sapientissimo Eminentiarum VV. oraculo dissolvenda hisce verbis adiicitur: « Altera difficultas nascitur ex matrimoniis, quae aut haereticus cum catholica, aut duo haeretici, quorum alter subinde catholicam religionem amplectitur, in dictarum celebrant praesidio urbium, quarum in parochiis constat et publicatum esse et observari decretum Concilii. Quaeritur perinde atque EE. VV. oraculum expetitur tam super re

ipsa, quam super modo agendi, quem sequi debeant orator, parochi et confessarii dioeceseos, praesertim quando coniux catholicus aut conversus quaerit an possit necne perseverare in matrimonio ? »

Ut sedulo statuatur, quid praelaudato antistiti super expositis dubitationibus sacrum hunc senatum consulenti rescribere oporteat, praemittendum in facto est, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, aliasque confoederatas provincias tam legitimo territorii principi, quam S. R. E. rebelles evasisse a catholica deficientes religione, postquam decretum S. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de. ref. matrim. in singulis earundem provinciarum paroeciis fuerat iussu Philippi II. Hispaniarum regis iam promulgatum, uti testantur *Bruno Neusser* disp. 182. quaest. 2. num. 4., *de Veryviis* art. 1., *Reiffenstuel.* in ius can. lib. 4. tit. 3. §. 3. num. 137. in fin., *Busembaum.* in medull. theol. moral. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 2., *la Croix* theolog. moral. lib. 6. part. 3. de matrim. n. 767. et diserte Emin. *Petra* in suis commentar. ad constit. 12. Io. XXII. tom. 4. num. 23.

In iure vero fas est praenotare, quod, tametsi catholici cum haereticis matrimonium illicite quidem, sed valide contrahant, iuxta sanctionem text. in can. *Cave*, in can. *Non oportet.* 27. quaest. 1. et in cap. *Decrevit* de haeretic. in VIto et doctrinam Angelici Praeceptoris in 4. Sentent. dist. 39. quaest. 1. art. 1. in respons. ad 5. ibi.: « Si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam haereticam, sicuti peccaret, si cum excommunicato contraheret, non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur », quam communiter sequuntur theologi et canonistae: in locis tamen, ubi decretum S. Conc. Trid. fuit promulgatum, formam ab eo praescriptam ipsi quoque haeretici, sive cum catholicis sive inter se matrimonium celebrent, servare tenentur, cum nequiverint infelici haeresis praesidio a sacrorum canonum sanctionibus sese subtrahere, quemadmodum advertit cum aliis Emin. *Petra* tom. 4. in comment. ad constit. 12. Ioann. XXII. num. 19 et 23., adeo ut, si, dicta S. Concilii forma posthabita absque parochi testiumque praesentia matrimonia ineant, irrita sint atque invalida, quemadmodum ex canonistis tradunt praeter alios *Fagnan.* in cap. *Si clericus* n. 56. et seq. de for. competen., *Reiffenstuel.* in ius can. lib. 4. de clandestin. despousat. §. 3. num. 132. et seqq., *Schmalzgrueber.* eod. tit. Decretal. num. 115., *Pignatell.* consult. 79. num. 26. tom. 5. et consult. 104. tom. 8., Emin. *Petra* tom. 4. commentar. ad constit. 12. Ioan. XXII. num. 20., et ex theologis: *Rebell.* de obligat. iust. lib. 1. in praelaud. quaest. 5. num. 14., *La Croix* lib. 6. par. 3. de matrim. num. 772. et seqq., *Pontas* Dictionar. theologiae moral. tom. 2. verb. *Impedimentum clandestinitatis* cas. 20. et consonant resolutiones S. Congregationis . . et signanter in una *Hollandiae matrimoniorum* 23. Augusti 1681.

Hisce praehabitis, circa potissimam difficultatem, quae examinanda occurrit, num in locis ab haereticis modo occupatis, ubi publicatum fuit saepedictum Tridentini decretum, valida sint matrimonia, quae inter haereticos vel inter haereticum et catholicam et e contra celebrantur sine parochi quidem praesentia, sed coram magistratu aut ministro haeretico, nonnulli auctores sunt, inter quos modernus *Lovanienses* de iur. eccles. tom. 1. part. 2. tit. de spons. a num. 31. ad fin., *Martin.* de *Swaen.* de sponsa duorum, *Stalen.* in dissert. theolog. polit. part. 2. pag. 17., *Theopil*, *Raynaud.* in Heterocl. spirit. tom. 16. fol. mihi a n. 7. ad 14., *Gobat.* theolog. experimentali tract. 9. n. 33 et seq., tuentes matrimonia ut supra inita sustineri, pluribus allatis rationibus, quae in his potissimum sistere videntur: primo, quod si non physice, moraliter saltem impossibile sit matrimonium inter haereticos contrahi coram proprio parocho, quamdiu provinciae seu loca, ubi illa celebrari contigit, acatholici principis imperio remanent subiecta; secundo, quod inde possent haereticorum conversiones impediri, pluraque exoriri incommoda, quae facile avertentur, si haeretici petentes catholicae ecclesiae reconciliari non obligentur uxores haereticas converti nolentes deserere, sed possint cum iis pristinum prosequi connubium, tametsi nequeant istae ad novum consensum coram parocho catholico praestandum pro matrimonii convalidatione induci; et tertio, quod incommoda ex matrimoniis clandestinis, quae in foro externo probari non poterant, satis evitentur ex nuptiis publice coram magistratu vel ministro acatholico celebratis.

Contra vero Sacra haec Congr. admittit quidem, valere matrimonium etiam absque parochi praesentia, ubi nec parochus catholicus nec vicarius ab ipsis deputatus exsistat, vel iis ob metum et acatholici principis persecutionem latentibus ignoretur quonam loco sint, vel ad ipsos nequeat tutus haberi accessus, modo servetur, quantum ceteroquin fieri potest, forma a

Tridentino praescripta, videlicet, adhibitis saltem duobus vel tribus testibus, uti constat ex decreto edito sub die 26. Sept. 1602. l. X. decr. pag. 47. et ex altero in una *Belgii* 27. Martii 1632. hisce verbis concepto: « Ubi constat, decretum S. Conc. esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tanquam decretum S. Conc. observatum, sed parochialis ecclesia, utpote carens proprio parocho, et cathedralis itidem episcopo atque capitulo habente facultatem alium sacerdotem delegandi careat, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi vel episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus aut tribus testibus. Si exsistant quidem parochus vel episcopus, sed nullo constituto vicario uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma S. Conc. Trid. adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. »

At, si regio, ubi matrimonium fuit initum, catholico principi subiecta reperitur, vel si in ea dominetur princeps haereticus, constet tamen, ibi non defuisse verum parochum, coram quo poterat matrimonium rite celebrari, eadem S. Congr. constans in ea fuit sententia, quod tunc matrimonia tam inter haereticos quam inter catholicum et haereticam et e contra, etiamsi coram magistratu vel haeretico ministro celebrata, nullitatis vitio laborent, uti pandit decretum relatum in lib. X. Decr. pag. 47. hisce verbis: « Haereticos quoque, ubi decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla esse atque irrita » et concordant plura alia rescripta...*)

Imo matrimonium initum coram parocho haeretico, uti parochialis beneficii titulo ob haeresim destituto, minime sustineri, tradunt *Fagnan.* in cap. *Quod a praedecessore* a num. 26. ad fin. de schismat., et scite Emin. *Petra* in Commentar. ad constit. Ioann. XXII. num. 26. et seqq. et in haec verba resolvit S. Congr. sub die 19. Maii 1572; « Nullum esse matrimonium contractum coram parocho haeretico, si decretum Concilii cap. 1. de ref. matrim. publicatum fuerit in parochia, et lapsi erant triginta dies a die primae publicationis, » — eandemque rescribendi rationem servavit in altero decreto, quod refert praecitatus *Fagnan.* cap. *Ad abolendam* an. 38. de haeretic.

Veruntamen posito, quod toties memorata matrimonia irrita iudicentur, duo adhuc supersunt ponderanda; alterum nempe, an expediat rescriptum edere, quo eadem matrimonia expresse declarentur invalida. Sacra enim Congregatio, ne catholici, qui aliquando matrimonium cum haereticis inierunt sine parochi praesentia, nimium gravibus obiicerentur periculis, si illud vellent coram catholico parocho convalidare, noluit de eorundem matrimoniorum nullitate quidquam edicere, uti signanter contigit in causa *Hollandiae matrimoniorum*, ubi, cum propositum fuisset, a vicario apostolico illius regionis existimari, matrimonium inter haereticos coram magistratu heterodoxo celebratum saltem iure contractus civilis ita consistere, ut praevia renovatione consensus coram parocho catholico convalidari non oporteret, tum quia Concilium fuerit quidem in illis provinciis publicatum, non tamen in illa republica, quae, postquam ab orthodoxa religione descivit, eadem, quae antea, amplius non sit, sed tam quoad gubernium et habitatores, quam quoad religionem hodie maneat immutata; tum etiam quia resolutiones S. Congregationis, quibus contrarium fuerat definitum, congruerent tantum antiquiori tempori, quo nondum desperata erat conversio Hollandiae ad Hispanos, disceptato dubio: « An in provinciis Belgii confoederatis valeant matrimonia catholicorum cum heterodoxis contracta coram magistratu haeretico, non obstante decreto Concilii de solemnitatibus matrimonii in illis provinciis publicato et recepto? S. Congr. sub die 23. Augusti 1681. sese abstinens ab explicata declaratione nullitatis dictorum matrimoniorum, rescripsit: *Ad mentem cum Sanctissimo*, scilicet, si esset respondendum dubio, esset respondendum negative, ut in l. XXXI. Decr. pag. 459.

In *Boscoducen.* itidem *matrimonii*, propositis dubiis I.: « An, si quis, dum erat haereticus, matrimonium contraxit coram magistratu vel ministro haeretico, et postea convertatur ad fidem catholicam, requiratur ad validitatem huiusmodi matrimonii novus consensus utriusque coniugis vel conversi tantum? II. An quatenus huiusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in huiusmodi matrimonio possit conversus licite perseverare? die 3. Febr. 1683.

*) *Colonien* 26. Sept. 1602. Eandem regulam S. C. secuta est in *Colon.* 26. Dec. 1719., *Mogunt.* 31. Mai. 1721., *Wormatien.* 7. Iul. 1731. (cf. II. 97.)

prodiit rescriptum: *Ad mentem*, eaque hunc in modum explicata reperitur: « Mens est, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu a S. Congr. Conc. in una *Hollandiae matrimoniorum* 23. Augusti 1681. l. XXXIII. Decr. pag. 52. et seq. »

Demum in *Traiecten.* summatim exposita hac facti serie: « Quidam missionarius, qui dicit, se esse unicum pastorem catholicum in exercitibus Hollandicis, quique potius a statibus Hollandicis toleratus quam stabilitus appellari valet, licet iam decimus septimus labatur annus, ex quo praedicto pastorali fungitur officio, per epistolam certiorem reddidit D. Abbatem S. Catharinae Internuncium Bruxellensem, quod quatuor circiter abhinc annis quaedam mulier vidua catholica matrimonium contraxerit cum Lutherano Mosae Traiecti coram ministro Lutherano et in forma apud Lutheranos usitata, et quod usque adhuc habiti sunt pro legitimis coniugibus, tum quia quidam director spiritualis mulieri persuasit, matrimonium esse validum, tum quia multi tam Lovanii quam alibi sentiunt pro validitate consimilium matrimoniorum, et quod solum postremis diebus mulier, quae dubitare coepit de validitate matrimonii, dubium praedictum sibi aperuit, cui tamen prohibuit, ne illud notum faceret vel marito vel capitaneo legionis draconum Wallonum, inter quos maritus adscriptus est; cum enim ille etiam sit Lutheranus, dubii manifestatio cedere posset in detrimentum catholicae religionis, et in epistola ab Internuncio Bruxellensi quaesivit, an matrimonium esset validum, et quatenus validum non esset, petiit licentiam, ut coram se possent consensus renovari », discussisque binis dubiis: « I. An matrimonium inter haereticum et catholicam contractum coram ministro haeretico validum sit in casu etc.? et quatenus negative: II. An sit concedenda facultas caute renovandi consensum coram parocho catholico in casu etc.? » die 22. Nov. 1721. responsum fuit: *Ad mentem*, quae in eo versata est, *quod matrimonium esset nullum*, ut in l. LXXI. Decr. pag. 506.

Interdum vero (ubi scilicet nullus urgere videretur timor damni in catholicos, vel in eos, qui, eiurato errore orthodoxam religionem cupiunt amplecti, eadem S. Congr. non abstinuit ab expressa declaratione nullitatis; cum enim in causa *Gedanen.* ageretur de matrimonio contracto inter catholicum et haereticam, non tamen coram parocho catholico, qui eo in loco non deerat, ibique decreta S. Conc. Trid. observari solerent, die 4. Sept. 1677. rescriptum fuit: matrimonium esse nullum, ut in l. XXIX. pag. 451., atque in similia verba responsum fuit in *Ruremunden. matrimonii* 2. Maii 1676. l. XXIX. Decr. pag. 241., in *Colonien.* die 16. Dec. 1719., in *Moguntina* 21. Maii 1721. l. LXXI. Decr. pag. 184., et in *Paderbornen.* 4. Aug. 1725. l. LXXV. Decr. pag. 447.

Alterum vero, quod examinandum restat, in eo vertitur, num coniugi catholico vel ad catholicam fidem converso permitti possit in connubio antea inito tuta conscientia perseverare, eique confessarius vel parochus absolutionis beneficium queat impertiri aliaque sacramenta administrare tam in casu, quo illi sciscitetur, an licitum sibi sit coniugi suo adhaerere, quam in altero, quo de validitate sui matrimonii non dubitet, sed in bona fide versetur. Quamvis enim certum sit, coniuges, qui matrimonium coram ministro haeretico invalide contraxerunt absque praesentia parochi, in perpetuo vivere concubinatu, nisi subinde curent renovato consensu coram parocho catholico matrimonium convalidare, uti cum aliis advertunt *La Croix* theol. moral. l. VI. part. 3. num. 770. et *Pignatell.* t. 8. consult. 104., ubi haec habet: « Multi haeretici convertuntur ad fidem, inter quos non pauci sunt coniugati. Altero coniuge perseverante in haeresi, coniugati, inquam, ritu tamen haeretico ideoque invalido, cum in illis partibus publicatum sit decretum S. Conc. Trid., pars conversa cupit matrimonium renovare secundum formam eiusdem decreti Tridentini, at compartem haereticam, a qua separari moraliter impossibile est, nullatenus potest inducere, ut coram parocho compareat; quaeritur, quid pastores catholici cum tali agere debeant, et speciatim, an coniugem bonae voluntatis ad usum sacramentorum possint admittere? Respondeo, si in dictis locis non fuerit publicatum decretum Conc. Trid. de reform. matrim. cap. 1., matrimonium, etsi ritu haeretico celebratum, validum est, ut declaravit S. Congr. Conc. in *Bisuntina* 26. Iun. 1698., ac perinde pastores catholici poterunt admittere ad sacramenta alterum coniugem conversum ad fidem, dummodo vivat in matrimonio sine contumelia creatoris. Si vero in iis locis fuerit publicatum, et eius forma non fuerit in eiusmodi matrimoniis observata, matrimonia sunt nulla, nam haeretici quoque, ubi decretum dicti cap. 1. est publicatum, tenentur talem normam observare, et propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla atque ir-

rita sunt, iuxta declarationem S. Congr. Conc. transmissam episcopo Tricaricensi nuncio apostolico apud inferiorem Germaniam, quam refert inter alios *Zypaeus* in analysi iur. pontific. I. IV. tit. de spons. num. XVI., et nos alibi; quare in hoc casu coniux conversus non potest admitti ad sacramenta, nisi prius separetur, cum vivat in assiduo concubinatu. »

Attamen ii, qui in haeresi coniugium invalide inierunt forma Tridentini non servata, subindeque ad catholicam religionem conversi bona fide in eo perseverant, suoque coniugi adhaerent, relinquendi potius videntur in eadem bona fide, quam de matrimonii invaliditate monendi, ne alias, cum velint matrimonium renovato consensu coram parocho catholico convalidare, plurimis gravibus subiiciantur periculis, quae facile sibi impenderent ob odium et persecutionem principis seu magistratus acatholici aegre ferentis, validitatem matrimonii coram ministro haeretico initi in dubium revocari, ut ex mente S. Congr. in cit. causa *Hollandiae matrimoniorum* docet Emin. *Petra* tom. 4. in Commentar. ad const. 12. Ioannis XXII. num. 24. ibi: « Sacra Congregatio Concilii respondit: *Secretario cum Sanctissimo* ad mentem, quae erat, si respondendum esset, matrimonia non valere, attamen animadversum fuit, id non expedire, quia potius deberent permitti in eorum bona fide permanere, quam tot periculis exponere catholicos; verum, ut notatum vidi in quodam voto Cardinalis Casanate, scriptum fuit Internuncio, ut mandet vicario apostolico, ne audeat missionariis prohibere, ne talia matrimonia contrahant; sane aliud est tolerari, aliud, quod contrahentes induci non valeant a missionariis ad verum matrimonium contrahendum, quod ultimum falsum certe est, et modis placidioribus curandum quoad contracta et insistendum quoad contrahenda. »

Coniuges vero catholici vel recens ad fidem conversi, si dubitantes de valore matrimonii in haeresi coram ministro haeretico contracti pastores vel confessarios suos consulant, num sibi licitum sit in eo coniugio sic inito permanere, inducendi omnino sunt, ut caute coram parocho catholico consensum renovent, ac ita matrimonium revalident. Quod si tuto et commode id fieri nequeat, non desunt doctores, qui putant, eis licere in usu matrimonii iam initi, non renovato consensu coram parocho catholico, perseverare, arbitrantes, hanc opinionem veluti probabilem admitti posse, non obstante propositione ab Innocentio XI. proscripta in ordine prima, quae de sacramentis administrandis vel conficiendis, et respective de matrimonio contrahendo, non autem de iam celebrato loquitur, quemadmodum prae ceteris tradit *La Croix* Theol. moral. lib. 6, part. 3. de matrim. n. 177. ibi: « Si matrimonium iam sit ita contractum, poterunt coniuges etiam conversi permanere in usu illius, quamvis consensum non renovent coram parocho catholico, quia probabile est, fuisse validum, et sequendo hanc opinionem probabilem haud sacramentum exponitur periculo nullitatis vel irreverentiae; tutius tamen erit eos adducere, ut, obtenta dispensatione in impedimentis, si quae adsint, contrahatur de novo coram parocho catholico et testibus, ne se exponant periculo materialis fornicationis. » Alii vero censent, praestare, ut Summus Pontifex suprema sua auctoritate coniugibus conversis indulgeat in matrimonio celebrato coram ministro haeretico, etiam dicto consensu non iterato, permanere, secundum ea, quae ad rem notant *Layman.* lib. 4. tract. 10. par. 2. cap. 2., *Dicastillo* de sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 3. dub. 10. n. 74., *Tanner.* tom. 4. disput. 3. quaest. 3. dup. 9., quos refert Emin. *Petra* loc. supra cit. num. 25., ubi post expositam mentem S. Congr. in *Buscoducen. matrimonii* sic inquit: « Etenim dubio procul est, huiusmodi matrimonia coram scabinis seu ministris haereticis celebrata nulla esse ob formam Concilii non servatam. Nihilominus cum solemnitas matrimonii sit iuris positivi, ac agatur de locis, in quibus haeretici gravissimis poenis afficiunt eos, qui praetendunt nullum matrimonium contractum coram ministro haeretico: ad maius malum evitandum, et ob catholicorum favorem expedit potius tolerare huiusmodi matrimonia, praesertim quia, ut asserebatur in cit. *Buscoducen.*, si coniux conversus praetenderet nullitatem primi contractus, gravi poena afficeretur ab haereticis tanquam violator eorum legis, neque coniux haereticus permitteret praestari novum consensum, unde merito petebatur, quod Pontifex indulgere dignaretur, licere conversis continuare in matrimonio contracto coram ministro haeretico etiam sine novo consensu, quoties iste commode praestari non posset. »

Et sane, sicuti Summus Pontifex concurrente legitima causa potest matrimonium irritum propter defectum praesentiae proprii parochi vel ob aliud quodvis impedimentum de iure tantum ecclesiastico matrimonium dirimens in radice convalidare,

et directe dispensando super matrimonii invaliditate prolem ex copula putative coniugali suscepta ad legitima restituere natalia, iuxta communem canonistarum sententiam in cap. *Per venerabilem*, ubi *Ioannes Andreae* n. 26., *Abbas* num. 22., *Alexander de Nevo* num. 18., *Gonzalez* num. 23., *Barbosa* num. 6., Qui filii sint legitimi, et ad eundem titulum Decretalium prosequuntur *Pirhing* §. 2. num. 42. et seq., *Anaclet.* §. 2. num. 51., *Navarr.* cons. 2. lib. 4. eod. tit. Qui filii sunt legitimi, *Barbosa* voto decisivo 27. per tot. lib. 2., *Sanchez* de matr. lib. 8. disput. 7. num. 4. et plurib. seqq., *Pontius* de matrim. lib. 11. cap. 5. §. 1. num. 7., *Castillo* tom. 5. controvers. cap. 105., et praecipue num. 28., *Diana* in edit. coord. tom. 3. tract. 1. resolut. 87. per. tot., *Peregrinus* de fideicom. art. 24. num. 76. et plurib. seqq., *Corrad.* in prax. dispensat. lib. 8. cap. 3. num. 46. et seqq., *de Iustis* de dispens. matrim. lib. 1. cap. 7. num. 284. et seqq., fuitque perpetua opinio Rotae, ut habetur ex decisis in causa Pampilonensi illegitimitatis 5. Dec. 1608. et 10. Iun. 1609. coram *Iusto*, impressis apud *Garziam* de benef. par. 7. cap. 2. num. 40. et seqq., et dec. 1121. coram *Seraphino*, dec. 462. lib. 2. in correctis coram *Puteo* dec. 19. per totum, coram *Ludovis.* dec. 174. post secundum volumen Consil. *Farinacii*, et plenissime in decis. 455. par. 1. recent., et dec. 617. par. 2. recent., et in terminis matrimonii invalidi ex defectu praesentiae parochi rescripsit Sacra haec Congr. in *Pragen. matrimonii* die 18. Sept. 1723. lib. LXXIII. Decr. pag. 495. ita ponderandum est, num id generali quopiam decreto fieri expediat pro casibus, quos ita generatim exposuit episcopus consilium aeque ac remedium postulans in iis potissimum circumstantiis, in quibus facile patet, coniugem acatholicum nolle ab haeretica pravitate resilire; cum de cetero in praecitata *Traiecten.*, ubi praeter dubium concernens validitatem matrimonii inter haereticum et catholicam initi discussum quoque fuit, num, quatenus invalidum illud iudicaretur, concedenda esset facultas caute renovandi consensus coram parocho catholico, S. Congr. noluerit quidquam circa id respondere, tametsi matrimonium irritum esse censuisset.

Haec sunt, quae ad duplicis quaestionis ab Iprensi episcopo propositae decisione fusius exponere oportuit, quia nihil ad manus Eminentiarum VV. deferetur, solumque Sacrae huic Congr. praeter eiusdem antistitis relationem exhibitus fuit enunciatus supplex libellus, in quo post relatas resolutiones S. C. in citatis causis *Hollandiae matrimoniorum* et in *Buscoducen. matrim.* ita subiungitur: « Et licet haec cogitandi methodus S. Congr. decisionem supremam inferre non videatur, nec stricte huncce casum proprie tangere, cum respiciat eos duntaxat coniuges sub dominio reipublicae Hollandicae commorantes, ubi timor periculi perpetuo adest, in urbibus vero ad limites cessat, quippe in eis et episcoporum et catholicorum copia et pastores orthodoxi liberum exercentes religionis nostrae exercitium, tamen, cum officiales praesidiorum omnimodam in milites eorumque uxores habeant auctoritatem, coniux ad sanam revocatus doctrinam eadem pati potest pericula in iis urbibus ac in Hollandicis, nec aliud reperitur remedium, nisi ad alias urbes confugiendo. » Et inferius: « Orator non praetermisit omnes pastores et confessarios monere, ut coniugi adhuc haeretico persuadere conarentur, ut novum consensum daret, tacitum saltem, hoc est sine proclamationibus, in praesentia pastorum catholicorum, dum autem id non sufficiat, ut persaepe dissensu coniugis haeretici accidere datur, partium erit prudentiae EE. VV. reddere, ac ostendere, medium aliquod magis ipsis idoneum visum. »

Omnibus itaque perpensis, onus erit EE. VV. deliberare: An et quomodo sit rescribendum episcopo in casu etc.?

....At Eminentissimi PP., quibus laudati praesulis petitio sub die 17. Aug. 1737. proposita fuit, ponderosum rei momentum pensantes necessarium duxere, absolutam eius definitionem maturiori examini reservare, intereaque mandarunt rescribi episcopo, ut coniuges de validitate proprii matrimonii non dubitantes in bona fide relinquerentur, neque a sacramentorum participatione deberent arceri, eorum vero, qui vexantur scrupulis super suorum matrimoniorum validitate, peculiares casus et circumstantias distinctim exponeret. Datis igitur iuxta hanc mentem litteris, S. Congr. iussibus sedulo obsecutus vigil antistes iamdudum respondit, atque inter multiplices casus, quos in eiusmodi materia frequenter nimis tam in sua dioecesi, quam finitimis in regionibus ait occurrere, sequentes praesertim hisce verbis recensuit:

« I. Casus. Si pars una acatholica in his ditionibus sacrae caesareae maiestati vel regi Christianissimo subiectis domicilium habens matrimonium ibi contrahere velit cum alia parte vel catholica vel acatholica, pariter in iisdem ditionibus domicilium habente, iudicat ipse *(nimirum episcopus)* absolute sub poena nullitatis observandum decretum Conc. Tridentini. Idem iudicat

de talibus, qui in ipsa civitate Mosae Traiect. contrahere vellent, cum civitatem illam status Hollandiae non possideant iure dominii, sed tantum oppignorationis. Idem iudicat de praesidiariis militibus, quorum legiones in iisdem ditionibus erectae sunt, cum nulla occurrat ratio, quare tales ab observatione decreti conciliaris sese eximere vellent, cum decretum eos attingat tam qua locale, quam qua personale: huius iudicii nostri approbationem vel improbationem ab EE. DD. enixe petimus.

« II. Casus. Dubium tamen ab aliquibus movetur v. g. de milite haeretico, qui cum sua legione in centro Hollandiae erecta ad has partes venit tanquam praesidiarius, et hic matrimonio iungitur coram ministello, vel cum una catholica harum ditionum, vel etiam cum alia acatholica, quae cum eadem legione ad has partes venit. Pro ratione dubii allegant, legionem esse quasi parochiam ambulantem, cuius ministellus agit partes parochi, ac parochiam illam ambulantem non teneri aliis legibus, quam teneantur parochiae fixae in centro Hollandiae, in quibus non observatur saltem ab haereticis decretum Tridentini. In sic contrahentibus potest esse bona fides, maxime ubi pars utraque tempore contracti matrimonii erat acatholica. Pars una ad fidem convertitur, quaeritur, an in sic contracto matrimonio continuare possit? Addendum tamen, in dioecesi Iprensi constanter hactenus observatum, quod similia matrimonia partis acatholicae cum acatholica coram ministellis contracta semper habita fuerint tanquam invalida, et sic contrahentibus et in simili matrimonio perseverantibus denegata fuerint sacramenta. Gratissimum nobis erit iudicium rescire EE. DD. super hac nostrae dioecesis praxi. Optandum foret, si in his partibus, in quibus tot immixti sumus haereticis, matrimonia subditorum sacrae caesareae majestatis cum acatholicis inhibita forent, et invalida declarata saltem quantum ad effectus civiles. Decretum illud multos certo averteret a contrahendis matrimoniis talibus. Simile decretum datum est a rege Christianissimo in Nov. anno 1680., quo non tantum matrimonia suorum subditorum catholicorum cum haereticis inhibet, sed insuper declarat invalide contracta, proles ex talibus matrimoniis procreatas illegitimas, et ad successionem parentum inhabiles. Simile decretum meditata est serenissima Belgii gubernatrix, et desuper anno 1734. iudicium exquisivit episcoporum provinciae, sed nihil hactenus factum.

« III. Casus et magis frequens est de duobus, qui in iis provinciis Hollandiae, quae liberum ius hodie habent reipublicae, matrimonium contraxerunt coram magistratu vel ministro acatholico, bona fide putantes, id in iis provinciis sufficere. Sic iuncti ad has partes deveniunt cum praesidiis militaribus vel aliis occasionibus. Hic exsistentes parti catholicae, vel ei, quae meditatur ad fidem catholicam transire, inter colloquendum a civibus catholicis iniicitur scrupulus de talium matrimoniorum validitate. Hi anxii recurrunt ad confessarios, petuntque, quid sit de validitate talium matrimoniorum. Pro validitate respondere non audent, quia ecclesia hactenus desuper non fuit locuta. Si respondeant, esse invalida, exinde consequitur, parti catholicae deserendam esse partem acatholicam, quae consensum coram parocho catholico non vult renovare; deserendas proles, etiam saepius cum evidenti periculo perditionis illarum, utpote quae a parte catholica in fide instruuntur, vel saltem ad eam disponuntur, et parti catholicae transeundum ad statum mendicitatis, quam duram conditionem multi sustinere non volentes, praeeligunt in suo matrimonio permanere, et pars, quae conversionem suam meditabatur, a suo proposito resilit, videns, se post conversionem ad tales extremitates redigendam.

« IV. Casus est: Titius catholicus harum provinciarum subditus cum navibus vectoriis aliisque occasionibus devenit ad partes Hollandicas, ibidem matrimonium contrahit cum acatholica coram magistratu vel ministro acatholico. In eodem matrimonio continuat ad plures annos, etiam proles procreat. Postea suae uxoris pertaesus eam deserit, redit ad has partes, et subticens contractum in Hollandia matrimonium, hic alias nuptias contrahit, vel illud matrimonium declarans petit eo non obstante ad aliud hic admitti, quia, ut supponit, matrimonium in Hollandia ut ante contractum nullum fuit. Quaeritur, an talis in contracto hic secundo matrimonio continuare possit, vel ad contrahendum secundum admitti; eo etiam non obstante, quod, quando cum acatholica matrimonium contraxit in Hollandia, revera crediderit, se legitime et valide contrahere?

Praeterea vero quatuor alios casus, qui novissime contigerunt, in haec verba exponit.

« I. Cornelius de Pouu catholicus iam a viginti et uno annis matrimonium contraxit in patria dicta Cassant sub ditione statuum Hollandiae, in qua antehac publicatum fuit Tridentinum, cum acatholica coram ministro haeretico tantum, ex quo ma-

trimonio natae sunt quatuor proles. Uxor acatholica cum una prole a praefato Cornelio recessit, ad dioecesim nostram iam a mense accessit saepedictus Cornelius cum tribus prolibus, et petit iungi matrimonio Petronillae Widein mulieri catholicae eo titulo, quod prius matrimonium in Hollandia ut ante contractum fuerit invalidum. Ex praefata Petronilla modo prolem unam habet. An ad matrimonium admitti potest?

« II. Franciscus Boninge Winori Bergensis dioecesis nostrae orthodoxae fidei cultor anno 1713. matrimonium contraxit in Vlissinge oppido Zelandiae sub ditione statuum Hollandiae, ut in priori casu, cum Anna Blusce acatholica coram solo ministro acatholico, quacum quatuor procreavit proles. Praedictus Franciscus invita uxore tertio navigavit ad Indias. Redux petit accedere ad suam uxorem Annam Blusce, illa propter iteratos recessus mariti eum repellit. Repulsam passus redit Dunchercam civitatem dioecesis nostrae, gerit se ut innuptum, meditatur matrimonium cum Clara Hugeloors Dunchercana, illudque finaliter contrahit anno 1732. coram pastore Dunchercano, non obstante oppositione et declaratione prioris matrimonii in Hollandia contracti, et nulla a nobis obtenta bannorum dispensatione. Quaeritur, an in isto suo secundo matrimonio continuare possit? In ea hactenus fuimus opinione, eum non posse, et similibus matrimoniis hactenus nos opposuimus, hoc motivo praeter alia, quod, si talia matrimonia Dunchercae, utpote portu maritimo, admitteremus, ea in dies forent admittenda cum nautis, qui ad portum continuo appellunt.

« III Casus, quem nominibus et cognominibus exprimere non possumus, quia in actu ipso sacramentalis confessionis proponitur, est ut sequitur. Pars catholica cum parte acatholica in centro Hollandiae matrimonium contraxit coram magistratu vel ministro acatholico. Ibidem existentes nunquam dubitarunt de validitate sui matrimonii, ibidem enim confessarii nunquam poenitentes molestant circa similia matrimonia, vel quia non audent, vel quia putant valida. Dum ad has partes veniunt tanquam praesidiarii milites, aliud audiunt a catholicis, quam audierunt in Hollandia; de suis matrimoniis dubitant, consulunt confessarios, qui responsum dare non valentes ad nos recurrunt, et nobis ipsis cespitantibus nihil superest, nisi ad S. sedem recurrere.

« IV. Casus praecedenti affinis est. Titius miles haereticus ad has partes deveniens, et videns omnia, quae in ecclesia catholica fiunt, quae antea nunquam viderat: solemnitatem officiorum divinorum, administrationem sacramentorum, audiens conciones catholicorum, movetur ad amplectendam religionem Romano-catholicam, sed remoram videt ex parte coniugis in haeresi obstinatae. Si convertatur, non poterit ab ea recedere, non enim licitum est ipsi consulere, ut sine venia militiam deserat. Si a debito coniugali abstinere velit, eum uxor deferet officialibus haereticis, et sub poena carceris vel forte gravioribus cogitur adhaerere uxori suae. Unde quaeritur, an post conversionem licebit ipsi cum uxore cohabitare, ut ante?

His itaque ob oculos habitis, resumpto folio sub dicta die 17. Augusti 1737. distributo, perpensa elaborata doctissima relatione Emin. D. Cardinalis ab Alsatia archiepiscopi Mechliniensis, qui sententiam suam super postulationibus Iprensis episcopi aperire rogatus fuit, visisque demum, si placet, etiam adnotationibus Secretarii una cum resolutionibus sive rescriptis ab hac S. Congr. per varia tempora editis *) seiunctim circumferendis, placeat EE. VV. statuere: An, et quomodo sit rescribendum episcopo?

I.

Relatio eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis de Alsatia archiepiscopi Mechlinensis.

Accepi folia in Urbe impressa, quae continent dubia S. Congregationi Conc. die sabati 17. Augusti labentis anni proposita, et iuxta morem eiusdem S. Congr. de iure resolvenda, inter quae praecipuum et summi sane momenti dubium proponitur circa matrimonia in Hollandia contracta citra formam a S. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matrim. praescriptam. Super quo dubio et super expositis ibidem in utramque partem rationibus placuit EE. VV. sententiam meam exquirere.

Omnibus igitur attente perpensis extimatisque rationibus, quae in supradictis foliis in utramque partem doctissime simul et studiosissime allata sunt, primum illud occurit examinandum, an S. Conc. Trid. in Hollandia fuerit sufficienter publicatum in ordine ut nova Tridentini constitutio ibi vim legis obtinuerit olim et obtineat hodie, adeoque an ad mentem ipsiusmet Concilii matrimonia praeter formam praescriptam contracta irrita sint atque invalida? Video in dictis foliis p. 151. allegari plures auctores graves, qui asserunt Conc. Trid.

*) Cf. supr. num. 160–170. et 172.

in omnibus provinciis Belgii fuisse publicatum. Verum inter illos auctores nullus est Belga, et hi aliique ita sentire videntur, quia constat Philippum II. Hispaniarum regem iussisse saepius, ut ad publicationem Concilii non obstantibus quibuscunque oppositionibus procederetur, et Margaritam Parmensem ducemque Albanum Belgii gubernatores dictam publicationem ursisse et modis omnibus procurasse. Hos conatus, iussiones, mandata loquuntur historici omnes, et agnosco ego. Nihilominus mihi valde dubium est, an in Hollandia et confoederatis provinciis sufficiens Conc. Trid. publicatio facta fuerit, imo an fieri potuerit talis necessaria publicatio, qualem ipsummet Concilium requirit, adeoque an observantia constitutionis Tridentinae unquam cum auctoritate et cum effectu inducta fuerit in Hollandia foederatisque provinciis.

Fridericus Schenckius primus et unicus post novarum sedium erectionem archiepiscopus Ultraiectinus mense Octobris 1565. indixit synodum provincialem pro publicatione Tridentini facienda ex mandato regis. Reclamarunt contra archidiaconi, praelati et capitula quinque ecclesiarum. Posthabita illorum protestatione iussit publicationem fieri in synodo die 31. dicti mensis Octobris; verum appellantibus plerisque alia solemnis publicatio facta fuit in metropolitana ecclesia latine, et ex domo publica civitatis Belgicae die 22. Iunii 1566. Legitur etiam publicatio facta fuisse Delphis oppido Hollandiae et dioec. Ultraiectinae mense Augusto eiusdem anni 1566. Cum nullum ob turbulenta tempora effectum habuisset, secuta est tertia publicatio Ultraiecti facta anno 1570., de quibus videri potest Bat. Sac. par. 2. p. 19. et seqq., cui auctori, quamvis schismatico presbytero Ultraiectino, non est cur fidem denegem in hac parte historiae, quia nullam fallendi causam habuit et pro Concilii Tridentini observantia semper stetit. Ceterum ne Schenckio quidem archiepiscopo sat auctoritatis fuit ad Tridentini publicationem et observantiam procurandam. Archidiaconi nempe antiqua iura non dimittebant. Et Cornelius Meropius, archidiaconus maioris ecclesiae, cui universa olim intra civitatem et aliquot in locis extra illam iurisdictio competebat, patrio idiomate Conc. Trid. annunciavit.». Quo successu in his et in reliquis locis dioecesis Ultraiectinae, id ex sequentibus utcunque colligi poterit. Vid. Bat. Sac. p. 19. et 55.

Verum enim vero hae tres diversae Concilii publicationes ex regio mandato factae videntur fuisse meri conatus, et omni effectu caruisse. Erat namque illis temporibus miserrima ecclesiae Batavae facies, et iconomachia grassabatur per totum Belgium anno 1566. adeo, ut magistratus Ultraiectinus coactus fuerit unam e parochialibus ecclesiis civitatis S. Iacobo sacram haereticis permittere et tradere die 27. Augusti 1566., id est, decem mensibus post primam, et duobus dumtaxat post secundam, et quatuor omnino annis ante tertiam Concilii publicationem ibidem factam, quae parochialis ecclesia nunquam fuit restituta, rebus semper in peius labentibus et tandem desperatis; de quibus angustiis et de eversa re catholica loquuntur historici omnes, et signanter videri potest, qui nuper ex professo (ut aiunt) haec examinavit, ecclesiae meae metropolitanae canonicus, nunc etiam archipresbyter *E. P. Hoynck van Papendrecht* in hist. eccl. Ultrai. p. 6. et 7., et in eiusdem Specim. Gr. Broeders. pag. 30. et 31. Difficultates et oppositiones publicationi Concilii factas adnotarunt historici passim, et prae ceteris Nicolaus Burgundus Belga primum professor Ingolstadiensis, dein senator Brabantinus vir catholicus et scriptor accuratus, qui rem compendio exhibet his verbis « Primus omnium archiepiscopus Cameracensis, nec sine contentione (Conc. Tridentinum) vulgavit. Eandem enim regionem necdum contagio late insederat. Post multum demum temporis Mechliniensis aegre obtinuit. Ultraiectino pertinacius contradictum. Canonici insolitam severitatem aspernabantur, spernendi morum et licentiae assueti cum archiepiscopo crebro intendebant certamen, cuius frugalitatem pro vitiis oderant. Frisiorum Civitates misere legatos in Curiam. Opponentibus maiorum mores, constituta, responsum fuit, nihil adferri, cur morarentur desiderium regis, quod ceterae provinciae tam prompte absolverant. Nec eosdem nunc scrupulos sibi primum moveri: plures provincias idem agitasse; sed manere iura sua cunctis integra, quoad definierit rex, quid de his fieri placeat. Non movebant haec Frisios obstinatos adversus imperium,...multisque contradictionibus auctoritatem gubernatricis destructam sequens motus languentem exstinxit.»

Inter episcopos suffraganeos sedis Ultraiectinae unicus legitur Conc. Trid. in sua dioecesi publicasse, nempe Daventriensis, quod serius ea regio a fide et ab Hispano rege defecerit. Idem conabatur Middelburgensis episcopus ordinationibus suis et synodi dioecesanae prelo Lovaniensi commissis, cum tota Zelandia a fide defecit.

Reliqui tres, nempe Harlemensis, Levardiensis, et Groeningensis publicatione in Ultraiectina synodo facta contenti ursere Trid. Conc. observantiam, quantum quidem potuere, et hinc nata auctorum sententia asserentium, Concilium in foederato Belgio publicatum fuisse; prout etiam ad S. sedem relatum fuit centum post annos in relat. archiepiscopi Ephesini apud *Hoynck* hist. eccl. Ultrai. par. 95.

Quid Schenckius archiepiscopus post synodi celebrationem egerit, id nos latet omne, et est mirum apud omnes auctores de hoc praesule silentium, quamvis superfuerit annis prope quindecim, nempe usque ad 25. Augusti 1580., quo die obiit. Nemo illi successit, sed archiepiscopus Ultraiectinus cum quinque suffraganeis dioecesibus vicario apostolico a S. sede attributi sunt. Primus Sasboldus Vosmerus de publicatione Concilii dubius anno 1609. 28. Iunii illud rursum publicavit, usurpans haec verba: « Concilium Tridentinum.... alias publicatum iterato vobis proponimus, et in omnibus suis partibus observandum sub anathematis poena mandamus, renovantes et confirmantes omnia, quae felicis memoriae Reverendissim. DD. Egidius de Monte episcopus Daventriensis, et Ioannes (verius Cornelius) a Mirop praepositus et archidiaconus Ultraiectensis super hoc statuerunt.» Bat. Sac. par. 55, et 67. Haec ille, veluti si daretur intelligi, nihil actum fuisse a Schenckio totaque synodo Ultraiectina, vel ipsos frustra fuisse conatos. Certe de publicatione facta in aliis dioecesis locis ac pluribus oppidis nihil prorsus post longum et diligens examen invenitur actum: nimirum Dordraci, Leidae, Gandae, Roterodami, Schiedami, Gorcomii, Brilae, Schoonhoviae, Amersfortii, Dosestradi, quod iniqua tempora nihil simile permiserunt. Et Henricus Cuyckius episcopus Ruremundensis secundus anno 1596. institutus, videns insigniora quoque dioecesis suae oppida ab haereticis sibi erepta, uti Neomagum aliaque, non dubitavit declarare verbis ex autographo infra referendis, Conc. Trid. illis in locis publicatum vix fuisse aut publicari potuisse.

Porro ipsummet Concilium valde specialem publicationem cap. 1. de reform. matrim. requirit, et talem, inquit *Zypaeus* cons. can. lib. IV. de spons., et matrim. cons. 4. num. 3., qualis nulla exigitur in toto corpore iuris, nimirum, ut populo publicaretur et explicaretur in singulis parochialibus ecclesiis, adeo ut non qualiscunque huius decreti conciliaris publicatio obliget, sed ea demum, quae in singulis parochiis facta fuerit. « Proindeque S. Congr. eiusdem Concilii Interpres alias declaravit non censeri satisfactum menti Concilii per publicationem in regno, provincia aut in synodo factam, sed necessario publicandum esse decretum in singulis parochiis. » Ita Emin. *Petra* const. XII. Ioannis XXII. tom. 4. num. 33. Iam vero, quo tempore Schenckius Concilium publicare aggressus est, haeretici cuncta terrore repleverant, deficiebant civitates et oppida diebus singulis, et quotidianae erant monachorum parochorumque apostasiae a fide, ut statuendum videatur, quod non constet, et rationabiliter dubitetur, an Conc. Trid. in singulis parochiis per Hollandiam ceterasque foederati Belgii provincias publicatum sit, aut publicari potuerit. Auctores porro omnes, qui asserunt, Conc. Trid. in Hollandia publicatum esse, non loquuntur de publicatione facta ad mentem Concilii, id est, in singulis parochiis, prout in Belgio catholico factum fuit, et patet ex synodo prov. Mechl. 1., quae voluit, ut dictum cap. 1. non semel, sed saepius populo in concionibus proponerent parochi; sed illi et hi auctores quoque, qui in scripto EE. VV. porrecto pag. 151. citantur simpliciter scribunt, Concilium in Hollandia publicatum fuisse, prout communiter hodieque apud nos dicitur ob cognitam scilicet regis Philippi voluntatem et imperium.

Non dissimulabo, quod vicarii apostolici Sasboldus et Rovenius pro munere suo Concilii observantiam et signanter huius cap. 1., continuo urserint, prout decreta ab ipsis emissa et relata in Bat. Sac. fidem faciunt; sed, an haec decreta sufficientis et necessariae publicationis vim et robur obtineant, id enim vero non est valde expeditum, quandoquidem, dum illi praeessent, eversa esset tota religio, tum quod ipsimet vicarii apostolici quidquam publicare prohibebantur per status acatholicos, per quos etiam in exilium missi sunt ambo, tum etiam, quod eorum decreta vix divulgabantur, et nonnisi sero maximoque cum periculo pervenire poterant ad manus non iam parochorum, (quales nulli amplius, ablatis iam templis proscriptaque religione catholica, supererant), sed missionariorum latentium in occultis ignotisque locis, qui quoque talem Tridentini constitutionem sine capitis periculo populo publicare et explicare in singulis parochialibus ecclesiis non valebant aut poterant. Quod adeo verum est, ut episcopus Castoriensis vicarius quoque apostolicus anno 1668. (mitioribus nempe temporibus) evulgans constitutiones servandas a presbyteris in foederato

Belgio laborantibus testatus fuerit, quod « constitutiones, quas archiepiscopus Philippus Rovenius emisit, temporum ratio vel infregerit vel fere antiquaverit. »

Porro quousque hae meae circa Concilii Tridentini non sufficientem promulgationem considerationes et anxietates valere debeant, EE. VV. sapientissimo iudicio relinquo. Aliud aggredior, quod pariter in facto consistit, nempe illam obtinuisse praxin in foederato Belgio, ut matrimonia haereticorum absque forma Concilii contracta, ibidem rata et valida habeantur, et quod coniuges ad fidem conversi non soleant ad de novo contrahendum obligari.

A quo tempore haec praxis introducta fuerit, non liquet, verum illa incrementum cepit ex prolata sententia episcopi Castoriensis vicarii apostolici, quam, cum a visitatione sacrorum liminum reversus esset, consulta super hac re sancta sede omnibus per Hollandiam sacerdotibus in cura animarum laborantibus annunciavit, et quam refert auctor Bataviae sacrae p. 481., super qua a praedecessore meo Alphonso de Berghes interrogatus episcopus rescripsit eidem prout in annexo folio desumpto ex autographo, quod in archiviis meis conservatur. Eiusdem cum Castoriensi dudum antea mentis fuit Henricus Cuyckius Ruremundensis episcopus, qui ad praedecessorem pariter meum Matthiam Hovium scripsit haec verba ex autographo in iisdem archiviis asservato: « De matrimoniis, quae apud perduelles, ubi publicum catholicae fidei profligatum est exercitium, absque parochi praesentia contracta sunt et in dies contrahuntur, dici aliud non potest, quam rata esse habenda: nec illis obstare Tridentinae Synodi constitutionem, talia irritantem matrimonia iis in locis, ubi constitutionis illius legitima facta est publicatio. Ea enim constitutio pluribus in locis vix publicata est ante catholicae religionis proscriptum exercitium, et post subsecutam longissimi temporis perduellionem, nec unquam repetitam aut renovatam eam publicationem, tum in civitatibus, tum maxime in pagis iam dudum obliterata censeri debet, et iunioribus prorsus incognita est ea constitutio eiusque publicatio. » Ubi observo, quod testante episcopo Cuyckio Conc. Trid. constitutio et publicatio iunioribus in dioecesi sua huic meae sedi metropolitanae suffraganea incognita esset ante quadraginta annorum lapsum. Publicatio enim per. provinciam Mechliniensem facta est anno 1570., et Cuyckius obiit anno 1609.

His praemissis, ut istius S. Congr. iussioni satisfaciam, dubia, quae EE. VV. in laudato scripto typis impresso proposita sunt, in quosdam articulos dividenda duxi, ut mentem meam et votum dilucidius exponam.

I. « Duo acatholici Hollandi, contracto matrimonio coram ministro vel magistratu acatholicis, convertuntur ambo ad fidem. Quaeritur, an matrimonium sit nullum, et ritu catholico renovandum servata forma Concilii Tridentini ? »

Ad hanc quaestionem de iure respondere ad solam spectat S. sedem apostolicam. Quare referam de sola praxi observata in Hollandia, et de rationibus, quibus illa innititur. Igitur EE. vestras certiores facio, ab omnibus omnino missionariis saecularibus et regularibus talia matrimonia haberi valida et nullo prorsus scrupulo illos desuper angi, ac nunquam ipsos adigere coniuges conversos, ut de novo contrahant. Quinimo matrimonia inter catholicum et acatholicam ac viceversa eodem modo contracta habentur valida ad minus in ratione contractus, nisi pars acatholica esset anabaptista et non baptizata. Haec praxis a tempore episcopi Castoriensis, id est ab anno 1671., universaliter introducta et observata fuit, eo quod ille Roma reversus tam verbis quam scriptis declaravit, sibi a S. Officio mandatum fuisse, « ut sequeretur quod saluti animarum maxime crederet opportunum, » prout pariter testatus est apud praedecessorem meum, ut est in annexo folio. Atqui, inquiunt missionarii Hollandi, S. sedes non ignoravit hanc praxim a Castoriensi introductam, et is non caruit adversariis, qui Romae exponerent, quid ille tanquam a S. sede acceptum allatumque depraedicabat, prout re ipsa contigisse asserit *Martinus de Swaen* de spons. duorum, citatus in scripto Sac. Congr. exhibito. Porro S. sedes non contradixit, et non vetuit praxim, quae iam sexaginta et amplius annos obtinet.

Rationes huius praxis receptae allegant duas, unam, ne religio catholica illis in partibus, si docerent, acatholicos omnes tali modo coniunctos esse fornicatores et ex fornicatione natos, maximopere odiosa fieret acatholicis, et acerbissimam in se persecutionem excitaret. Altera, ut facilior redderetur conversio acatholicorum, dum coniuge acatholico conversionem procrastinante parti catholicae licitum est, in matrimonio ita contracto permanere sine contumelia creatoris. Ex hac praxi concludunt missionarii Hollandi, quod cum scienter et non prohibente S. sede illa iam tanto tempore obtinuerit, ecclesia derogarit legi Tridentinae, aut saltem pro Hollandia relaxarit.

Dixi matrimonia in Hollandia contracta ibidem rata haberi saltem in ratione contractus, quia illi missionarii ex scholis nostratibus eo missi, qui separant contractum matrimonialem a sacramento, et tenent, parochum, non autem contrahentes esse ministrum sacramenti, hi, inquam, hanc alteram habent praxim: quod etsi credant, talia matrimonia esse valida, tamen ea renovari curant, dum utraque pars convertitur, et dum id commode fieri potest: alligantes pro ratione: I. quia certius est, matrimonium subsistere, quod coram parocho et testibus initur; II. quia benedictionis sacerdotalis participes tunc fiunt; III. quia probabiliter etiam sacramentum et gratiam sacramenti tunc suscipiunt, certum non sit, an non sufficiat pro materia sacramenti matrimonii illa renovatio consensus, ut aliqui doctores adnotant. Et haec forsitan ratio est, cur in locis catholicis de novo coram parocho et testibus post separationem et peractam poenitentiam contrahere iubeantur illi, qui ab ante invito et renitente pastore in ipsius et testium praesentia contraxerunt.

II. « Casu, quo una pars supradictorum coniugum convertatur ad fidem altera in haeresi permanente, quaeritur, an pars catholica possit relinqui in illo coniugio, et in bona fide, et admitti possit ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae. »

In tota missione Hollandica obtinet praxis, ut pars conversa in matrimonio relinquatur, et peracta poenitentia ad sacramenta admittatur. Et eiusdem mentis est Emin. *Petra*, et *la Croix* relati in scripto S. Congr. oblato pag. ibidem 156. Nam, ut supponitur, matrimonium in ratione saltem contractus est validum. Haec autem sententia vel ideo est amplectenda et oppositae praeponenda, quia conversioni favet et tranquillitati publicae. Nam si pars conversa separari deberet a parte haeretica (prout certo in opposita sententia fieri deberet) innumerae sequerentur difficultates, maxime ubi proles iam esset nata, ex quibus se extricare nullatenus posset pars conversa, nisi patriam relinqueret, et sic omnes omnino missionarii evidenti periculo exilii aliorumque gravium malorum subiicerentur.

Quare videtur quoque parochus talibus non debere sacramenta denegare, sed partem vere conversam paterno affectu amplecti, et quamdiu altera pars conversa non fuerit, nihil de matrimonio imprudenter effutire. Sic enim melius consuletur educationi prolis in fide catholica, et facilius allicietur ad fidem pars nondum conversa, quae alias forsitan resiliret, dum resciret, se usque modo in continua vixisse fornicatione, et resiliendo prolem secum adduceret ad templa acatholicorum, uti experientia docuit.

III. Quaeritur: « An expediat definitive declarare ex auctoritate apostolica, matrimonia Hollandorum citra formam a Conc. Trid. praescriptam contracta nulla esse et invalida? »

Episcopus Castoriensis testatus est, quod anno 1671. sibi Roma responsum fuerit a S. Officio: « Non convenire, ut quaestio a se proposita a sancto Officio definiretur. » Et haec S. Congr. sub die 23. Aug. 1681., sese abstinens ab explicita declaratione nullitatis dictorum matrimoniorum rescripsit: *Ad mentem cum Sanctissimo*, scilicet « si esset respondendum dubio esset, respondendum negative, » et huic sententiae inhaesit die 30. Febr. 1683. Ita in supracitato scripto in S. Congr. exhibito pag. 154.

Si tempore Castoriensis episcopi et decennio post visum fuerit, talem decisionem non expedire, patientur EE. VV., ut hodie iudicem, talem decisionem horrendum in modum obfuturam bono religionis in Hollandia, cuius rei ratio frustra a me multis verbis allegabitur, dum illa EE. VV. minime lateat. Unum illud exponere liceat, evidentissimum et inevitabile religioni catholicae exitium imminere, dum ex tali declaratione rectores reipublicae foederati Belgii intelligerent, se post centum quinquaginta annos demum damnari tanquam in continua fornicatione viventes, ex fornicatione natos, et nonnisi prolem fornicariam gignentes. Vereor etiam, ne Iansenistae nondum subacti et non omni potentia exuti in S. sedem crudeliter insurgerent, et ipsosmet reipublicae rectores in universos Romano-catholicos omnesque orthodoxos missionarios implacabiliter concitent, prout nuper effecerunt occasione Officii S. Gregorii Papae VII., quando exiit edictum iuramenti ab omnibus omnino missionariis praestandi sub poena exilii aliorumque malorum. Quare etiam, supposita S. Conc. Trid. promulgatione sufficienti et per omnes ac singulas parochiales ecclesias, censeo non expedire, ut talis definitiva edatur declaratio nullitatis matrimoniorum in Hollandia citra praescriptum Concilii contractorum. Verum est, acatholicos hanc gratiam non mereri, sed bonum religionis et fidei catholicae conservatio, nec non quinquaginta millium Romano-catholicorum in foederato Belgio degentium commiseratio hanc gratiam videntur mereri in re, quae est solius iuris positivi ecclesiastici.

Omnibus consideratis, sinant EE. VV. ut sententiam meam totaliter et integre aperiam. Non videtur mihi sufficere, ut matrimonia, de quibus quaestio, simpliciter tolerentur, prout hactenus illa tolerata fuere. Nam sic episcopis, parochis et missionariis supersunt et remanent eaedem perplexitates, anxietates et dubia, de quibus merito apud hanc S. Congr. conqueritur episcopus Iprensis, et quae me etiam subinde vexarunt et ancipitem reddiderunt. Et salvo Sanctitatis Suae supremo oraculo, iudico expedire in re adeo perplexa, ut pro salute animarum et pro incremento fidei catholicae in foederatis provinciis (in quibus Conc. Trid. sufficienter fuisse publicatum non constat) Summus Pontifex legem latam per Conc. Trid. ex suprema auctoritate relaxet, et super dicto impedimento novo cum incolis provinciarum illarum dispenset, quando cessabunt gravissima incommoda; conversio ad fidem catholicam reddetur facilior; dissidia et odia non orientur inter partem catholicam et haereticam ratione consensus, quem pars haeretica non volet renovare coram parocho; una pars alteram non deseret, nec ad aliud matrimonium convolabit; vitabuntur fornicationes non tantum formales, sed etiam materiales, quae, dum fieri potest, impediri quoque debent; denique pars catholica sine ulla anxietate ad sacramenta admitti poterit.

Liceat quoque illud adnotare, quod in matrimoniis Hollandicis, pro more et secundum leges regionis celebratis, nimirum praemissis tribus proclamationibus, super quibus nunquam dispensatur, et adhibitis duobus testibus, qui semper ibidem adhibentur, obtineatur finis a Concilio intentus; qui fuit, ut gravissima peccata, quae ex clandestinis matrimoniis sequebantur, efficaciter impedirentur, praesertim eorum, qui hac occasione in statu damnationis perseverabunt, dum priori coniuge, cum qua contraxerant, relicta contrahebant cum alia publice, quia prius matrimonium probari non poterat, et sic cum posteriori coniuge in perpetuo adulterio vivebant; atque hic finis etiam obtinetur per matrimonia coram magistratu acatholico in Hollandia contracto.

Postremo ad EE. VV. notitiam deducendam existimavi, spem esse non infundatam, ut ipsimet status Hollandiae modum ponant frequentibus illis coniugiis inter disparis religionis homines, unde ecclesiae catholicae non modica adveniret utilitas, dum ex illis matrimoniis tam bene nascitur periculum perversionis partis haereticae, et proles non periclitabitur de fide; certe anno 1728. proponente magno Pensionario in ordinario statuum congressu deliberatum fuit, ut ad impediendas rixas, dissidia et alia varia incommoda, provenientia ex matrimoniis praetensi reformati cum catholica, non liceret ulli reformato aut illi, quorum parentes actualiter aut, dum viverent, religionem reformatam profitebantur, coniugium inire cum catholica; et quod proles ex similibus prohibitis matrimoniis nati essent illegitimi et legitimari non possent. Porro die 30. Aprilis 1732. constituerunt in alio ordinario congressu hanc propositionem exsecutioni mandare, et per edictum promulgare, quod ultimum tamen usque in hunc diem (incompertum ob quas causas) ad effectum deductum non est, nisi nuper admodum pro solis officialibus militaribus.

Igitur, ut votum meum ad premissa dubia distincte apud EE. VV. proferam, censeo ad primum: *Matrimonia acatholicorum in Hollandia contracta citra formam a Conc. Trid. praescriptam, rata esse et valida, ac minime renovanda, si nullum obstet impedimentum canonicum.*

Censeo ad secundum: *Partem conversam posse relinqui in illo coniugio taliter contracto et in bona sua fide, atque a parocho posse et debere admitti ad alia sacramenta, servatis servandis.*

Censeo ad tertium: *Non expedire solemniter declarare matrimonia Hollandorum esse nulla et invalida, etiamsi S. sedi videretur statuendum esse, quod ea nulla et invalida sint, idque ob gravissima et inevitabilia mala religioni catholicae ex tali declaratione imminentia.*

Mechliniae die 18. Octobris 1737.

Thom. Cardinalis de Alsatia.

II.

Annotationes Secretarii in causa.

Articulus I.

An decretum S. Conc. Trid. cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matrim. fuerit in Hollandia ceterisque provinciis confoederatis promulgatum?

Religiosissimus Hispaniarum rex catholicus Philippus II., ut eximio, quo erga apostolicam sedem cultu studioque gloriabatur, eius ecclesiasticis sanctionibus obsequeretur, cum primum accepit, S. Trid. Syn. decreta fuisse a Summo Pontifice Pio IV. solemni sua constitutione sub datum diei 24. Ianuarii 1564. confirmata, statim edixit, ut eadem in singulis statibus atque provinciis sibi subiectis promulgarentur, utque rectores ac praesides ipsorum statuum et provinciarum curarent ibidem ea recipi atque observari. Id vero cum

feliciter in Hispaniarum regnis successisset, non aequa rerum tranquillitate parique animorum consensione obtineri potuit in Belgio aliisque finitimis provinciis, quas eo tempore regis fratris sui nomine gubernabat Margarita Austriaca, Parmensis nuncupata. Licet enim Philippus sororem suam monuisset: « In diligenti publicatione et celeri executione Conc. Trid. nullo motivo impediri debere: » iterumque aliis in litteris eidem mentem suam aperuisset in haec verba: « Nobis nullomodo placeret, ubi minimum quid in publicatione S. Synodi exciperetur, ne querelis ansam demus; iura regis et provinciarum, omnibus rite perpensis, dum de Concilio promulgando in Hispaniis agetur, easdem subministrabunt difficultates; ast ubi datum aliquod temperamentum, omnis evadet discussio. Ac ita desiderat ipse, ut eandem in Flandria sequantur methodum. Qua de causa mittit copiam formae promulgationis in Hispania factae, ut omnes populi suo subditi imperio eandem imitentur normam. » Iuxta testimonium, quod hac de re perhibet clar. mem. Card. *Pallavicinus* in histor. Concil. Trident. lib. XIV. cap. 12. Tot tamen tantique tumultus sub illa tempora et ea occasione in praedictis regionibus sunt excitati, ut merito in controversiam revocari posse videatur, num S. Trid. Conc., et praesertim eius cap. 1. Sess. XXIV. de reform. matrim. fuerit in Hollandia ceterisque provinciis confoederatis iuxta legem ab eodem Concilio promulgatum; cumque ad rem, de qua agitur, id prae primis stabiliendum sit, haud inutile erit, momenta, quae in utramque partem adduci possunt, paulo fusius exponere.

2. Ut itaque exordium sumatur ab iis, quae promulgationem Tridentinae Synodi in enunciatis regionibus secutam videntur evincere, occurrit primo auctoritas plurium non obscuri nominis historicorum, qui referentes praemissos catholici regis Philippi iussus, eosque tanta animi firmitate ab ipso iteratos, posthabitis quibuscunque magistratuum multipliciter obnitentium contradictionibus, omnia et singula Tridentinorum Patrum decreta sine ulla penitus limitatione promulgari praeceperit, inde coniectant asserun tque, eius imperatis fuisse paritum; uti prae ceteris videre est apud *Spondanum* ad annum Christi 1565. num. 5., *Famianum Strada* de bello Belgico dec. 1. lib. IV. in fin., Card. *Bentivoglio* delle guerre di Fiandra lib. II. pag. mihi 22., et Card. *Pallavicinum* in histor. Concil. Trident. lib. XIV. cap. 12., qui, post relatas praeinsertas Philippi litteras, in haec verba concludit: « Pietas illa Philippi regis uti et ea Sebastiani ac Italorum principum Concilio subiectas indicavit regiones occidentales unius et alterius orbis, partem septentrionis, Indias orientales, multasque Africae plagas. »

3. Secundo in eandem sententiam conveniunt graves theologi et canonistae, ubi enim agunt de famigerato Trid. Syn. decreto irritante matrimonia, quae sine parochi ac duorum saltem testium praesentia in posterum contraherentur, apposite tradunt, eandem Synodum fuisse in saepedictis provinciis evulgatam, inter quos sunt *Bruno Neusser* disput. 182. num. 4., de *Veryviis* art. 1., *Reiffenstuel* in ius can. lib. IV. tit. 3. §. 3. num. 137. in fin., *Schmalzgrueber* eodem loco num. 115. et seq., *Verricell.* de apostolic. mission. tit. 12. de matrim. quaest. 172. sect. 1., *Platelius* in synopsi cursus theolog. par. 5. cap. 7. §. 5. de claudest. matrim. num. 1123., *Arsdekin.* theologia tripartit. tom. 2. par. 2. tract. 4. cap. 8. de matrim. §. 4. num. 2., *La Croix* theolog. moral. lib. VI. part. 3. de matrim. num. 767., Emin. *Petra* in suis doctissimis Commentar. ad const. 12. Ioannis XXII. n. 23. tom. 4., et alii.

4. Tertio concurrunt testimonia, quae non semel perhibuere tum apostolici vicarii, tum missionarii in eas regiones ablegati; quippe qui consulentes modo unam, modo alteram ex S. Congregationibus Urbis, num matrimonia ibi coram acatholico ministro inita deberent rata censeri, iuxta casus expositos in folio in hanc causam distributo sub die 17. Augusti superioris anni §. *Verumtamen*, et duob. seq., pro certo assumere videntur, Tridentinum fuisse illic promulgatum; secus enim dictorum matrimoniorum validitatem, quam de cetero conati sunt aliquando propugnare, in defectu promulgationis Tridentini facillime constituissent.

5. Accedit demum non semel pandita Sacrae huius Congr. opinio; sive enim attendatur dubium in causa *Hollandiae matrimoniorum* in haec verba conceptum: « An in provinciis Belgii confoederatis valeant matrimonia catholicorum cum heterodoxis contracta coram migistratu haeretico, non obstante decreto Concilii de solemnitatibus matrimonii in illis provinciis publicato et recepto? » cui sub die 23. Augusti 1681. rescriptum fuit: » *Ad mentem cum SSimo*, » mens autem explicata est: « Si esset respondendum, respondendum esse negative, » ut in l. XXXI. Decr. pag. 459.; sive ratio habeatur posterioris resolutionis datae in *Boscoducen. matrimonii* 3. Febr. 1683. ubi, disceptatis dubiis I. « An si quis, dum

erat haereticus, matrimonium contraxit coram magistratu vel ministro haeretico, et postea convertatur ad fidem catholicam, requiratur ad validitatem huiusmodi matrimonii novus consensus utriusque coniugis vel conversi tantum. II. An, quatenus huiusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in huiusmodi matrimonio possit conversus licite perseverare? « rescriptum pariter fuit» *Ad mentem*, « quae in hunc pariter modum legitur exposita: » Mens est, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu a S. Congr. Conc. in una *Hollandiae matrimoniorum* 23. Aug. 1681. lib. XXXIII. Decret. pag. 52. et seqq., res utique absoluta videtur, S. Congr. de sufficienti promulgatione Trid. Concilii, et signanter eius decreti sub cap. 1. Sess. XXIV. de reformat. matrim. iam pridem secuta in Hollandia aliisque confoederatis provinciis nequaquam dubitasse.

6. At adversus haec non levia sunt quae opponuntur, quaeque, si non probant omnino per negativam, ut dici solet, coarctatam, Tridentinum in Hollandia aliisque confoederatis provinciis promulgatum non fuisse, rem saltem videntur in magna dubietate constituere; siquidem pro eo, quod pertinet ad historica monumenta, ponderandum in primis sese offert, omnes ferme auctores in eo convenire, quod sub anno 1564. truculentissima bella civilesque seditiones coeperint in dictis provinciis excitari, ita quidem, ut insequenti anno 1565. iam fuisset illic ab heterodoxis letale haeresis venenum late diffusum, unde altaribus praesertim dirutis, sacris imaginibus e templis undequaque abrasis, falsaque doctrina ab exedris publice disseminata, catholici pastores a parochiis suis exulare cogerentur, ac mala tandem eousque devenerint, ut circa annum 1572. totam ferme Hollandiam, Zelandiam ac Frisiam a catholico rege et ab avita religione miserrime defecisse, enarrent *Famianus Strada* de bello Belgico dec. 1. lib. IV. in fin., Card. *Bentivoglio* delle guerre di Fiandra lib. II. pag. mihi 22. Hinc enim videtur inferri posse, Trid. Concilium, ac praecipue decretum cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matr. nequivisse iis in regionibus promulgari, quemadmodum ratiocinantur nonnulli auctores, quos tacito nomine refert *Marchantius* in tribunali sacram. tom. 3. part. 3. tractat. 1. tit. 7. quaest. 10. concl. 3.... ubi primum sic habet: « Porro quidam chronologico argumento non male probant, Conc. Tridentinum, et hanc maxime legem de praesentia parochi, nec sufficienter promulgari, nec usu communi firmari a principio in Hollandia potuisse, quia anno 1563., quo primum Romae promulgatum est, in provinciis illis Belgii erant truculentissima bella et seditiones civiles, haereticis et haeresibus iam grassantibus et venenum suum diffundentibus, ita ut anno 1565. templa spoliarentur, iconoclastarum furore imagines et altaria destruerentur, pastores suis parochiis exturbarentur, conciones haereticae publice fierent, boni et fideles reges exularent, donec tandem anno 1572. tota Hollandia, Zelandia, Frisia a rege catholico et avita fide deficeret; » deinde vero ex recensita historia in haec verba concludit: « Quis hisce concussionibus et turbulento patriae statu credat, Conc. Trid. in locis tam afflictis fuisse legitime promulgatum et usu communi legem de praesentia parochi receptam? maxime cum parochi exularent, ita ut nullus sacerdos auderet comparere, unus fuerit fidelium luctus, quoad sacramenta etiam necessaria, quae horum plenam fidem faciunt. » Et quamvis re ipsa Trid. Synodum a Friderico Schenckio primo Ultraiectino antistite semel, iterum ac tertio sub annis 1565. 1566. et 1570., ab archiepiscopis Cameracensi et Mechlinensi, et demum ab uno ex suffraganeis Ultraiectinae sedis, nimirum ab episcopo Daventriensi, promulgatam fuisse referat auctor Bataviae sacrae par. 2. n. 19. et seq., dubitandi adhuc locum de sufficienti saltem promulgatione videntur praebere difficultates, impedimenta atque oppositiones a cathedralium et collegiatarum capitulis, archidiaconis aliisque inferioribus praelatis, itidemque a saecularibus earundem provinciarum magistratibus interiecta, ne Tridentinae sanctiones publica auctoritate promulgarentur; magisque, ne earum fieret acceptatio vel sequeretur exsecutio, quemadmodum ex historicis scripsere Card. *Bentivoglio* delle guerre di Fiandra lib. II. fol. mihi 45. 48. et 117., praecitatus auctor Bataviae sacrae part. 2. pag. 19. et seqq., *Hoynck van Papendrecht.* in hist. eccl. Ultraiect. pag. 6. et 7. et in eiusdem specim. Gr. Broeders. pag. 30. et 31. et prae ceteris *Nicolaus Burgundus* Belga (supra citatus).

8. Augetque dubitandi occasionem defectus certi alicuius monumenti, ex quo peculiariter elici queat promulgatio saepedicti cap. 1. Sess. XXIV. de reform. matrim. Cum enim praecitati auctores eam videantur inferre ex sola generali promulgatione Conc. Tridentini, haec tamen sufficiens non praebet argumentum asserendi, quod factum fuerit satis legi indictae a Tridentinis Patribus, qui de hac sanctione agentes

praeceperant omnibus ordinariis, « ut cum primum poterint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis, idque primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint, utque huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos, » et notant *Fagnan.* in cap. *Quod a praedecessore* 1. n. 143. de schismatic. *Reiffenstuel* in ius can. lib. IV. tit. 3. de clandestin. despons. n. 21., *Schmalzgrueber* eodem loco §. 2. num. 98.

9. Et sane ipsi quoque historici scriptores, promulgatum asserentes Tridentinum in illis provinciis, nullum adferunt testimonium, ex quo compertum fiat, toties dictum decretum aliquo temporis spatio fuisse inibi observatum ; cum de cetero validius argumentum pro inferenda promulgatione memorati decreti iis in locis, ubi satis de illa non constat, erui soleat ex observantia, si nimirum doceatur, ibi aliquando matrimonia cum parochi ac testium praesentia fuisse celebrata, uti apposite notant *Fagnan.* in dicto cap. *Quod a praedecessore* 1. num. 143. de schismatic., *Pignatellus* tom. 4. consult. 79. num. 40., *Schmalzgrueb.* in ius can. lib. IV. de clandest. desponsat. §. 2. num. 100., et *Marchantius* in tribunali sacram. tom. 3. part. 3. tract. 1. tit. 7. quaest. 10. concl. 1. utens hoc argumento sic ait: « In locis Hollandiae, Zelandiae, Frisiae etc. in quibus non constat, legem Tridentini fuisse legitime promulgatam, et ex vi eiusdem Concilii aliquo notabili tempore, saltem unius vel alterius anni, communiter et passim observatam, pro non promulgata habenda est; » et consonat rescriptum S. Congr. relatum per *Farinac.* par. 4. decis. seu resolut. eiusdem S. Congr. fol. mihi 271., ubi eadem S. Congr., ab episcopo Tricaricensi consulta circa formam matrimoniorum, quae in partibus Hollandiae, Zelandiae, et Frisiae contrahuntur, ita respondit: «Ubi hoc decretum nondum est publicatum in parochia, valet matrimonium contractum absque observatione formae a Concilio praescriptae. Publicatio autem decreti facta praesumitur, ubi decretum ipsum fuit aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum. » In idemque collimat altera resolutio edita in *Costantinopolitana* 2. Dec. 1634., in qua responsum fuit : « Rituale Romanum de sacramento matrimonii continens formam decreti S. Concilii cap. 1. Sess. XXIV. de reform. matr. observatum in singulis parochiis civitatis Perae tanquam decretum S. Concilii et S. Pontificis Romani, inducere sufficientem praesumptionem publicationis eiusdem decreti, ita ut in celebratione matrimoniorum pro illorum validitate servanda sit forma ab eodem S. Concilio praescripta, » ut in l. XV. Decr. pag. 130. Unde a contrario sensu, ut dici solet, merito inferri posse videtur, quod, ubi minime constat, controversum Tridentini decretum fuisse aliquando observatum, non debeat promulgatum censeri.

10. Neque magnum momentum videtur constitui posse in aliis resolutionibus eiusdem S. Congr. praecedenter allegatis ; quippe quae declarantes invalida matrimonia in saepedictis provinciis confoederatis absque parochi et testium praesentia celebrata, tametsi citra dubium innitantur assertae promulgationis Concilii ibidem secutae, nusquam tamen apparet, iisdem resolutionibus praecessisse sedulam maturamque investigationem, num vera promulgatio Conc. Trid. in iis regionibus fuerit rite expleta; adeo ut prudenter liceat opinari, facilem fortasse S. Congr. praestitisse fidem missionariis et vicariis apostolicis, qui, sufficienti rerum indagatione non praemissa, eas tantum promovebant quaestiones, quibus dispositio Tridentini, quatenus promulgata et usu recepta, locum praeberet, quemadmodum bene colligitur ex verbis, quibus conceptum fuit dubium in praecitata causa *Hollandiae matrimoniorum*, prae se ferens tanquam rem sub disputatione tunc minime cadentem, quod decretum Concilii de solemnitatibus in matrimonii contractu servandis fuisset in illis provinciis nedum publicatum, sed etiam receptum.

11. Quin vero haud inconsulto explicitum censeri debet in memorato dubio discusso pro causa *Hollandiae matrimoniorum*, quod saepedictum Tridentini decretum fuisset in iis regionibus non solum promulgatum, verum etiam receptum, quia, si S. Congr. sola qualiscunque publicatio fuisset exposita, ita ut Emin. Patres suspicari potuissent, decretum illud nunquam ibi fuisse usu receptum, difficilius fortasse emanassent rescriptum declarans, matrimonia catholicorum cum heterodoxis contracta coram magistratu haeretico non valere, cum plures numerentur doctores opinantes, praemissam Tridentini legem, ubi ea recepta non fuit, minime obligare saltem ad effectum, ut irrita dici debeant matrimonia, quae sine forma per illam praescripta fuerint celebrata, ut in specie praeter alios tuentur *Guttierez* de matrim. pag. 61. num. 12. in fin., *Sanchez* lib. III. disput. 18. num.

1., *Castro Palao* de sponsal. disput. 2. punct. 13. §. 8. num. 3., *Pirhing* in ius canon. lib. IV. de clandestin. desponsat. num. 9., *Schambog* num. 8., *König* num. 27., *Wiestner* num. 23., *Schmalzgrueber* §. 2. n. 97., et *Zoesius* de clandest. desponsat. num. 21., ubi haec habet: « Quamvis ecclesia eiusque caput Romanus Pontifex immediate a Deo suam habeat auctoritatem, ut possit irritos reddere contractus clandestinos independenter ab acceptatione populi: iudicavit tamen expedire, non ante eos irritare, quam per subordinatas ecclesiarum potestates in suis provinciis esset acceptata irritatio. Posset enim ex ea gravius malum oriri. Itaque, antequam acceptetur irritatio, licet non sine peccato quis refragetur, clandestina matrimonia sunt valida, » et brevius eandem sententiam tradit *Gobat.* tract. 9. cas. 18. num. 456. ibi: « Attamen non sufficit promulgatio, sed requiritur acceptatio, » *Marchantius* in tribunali sacram. tom. 3. tract. 1. tit. 7. quaest. 9. conclus. 1. ibi: « Ubi Tridentinum communi usu receptum non fuit, etsi forte promulgatum, ibi non obligat praesentia parochi tanquam necessaria conditio ad valorem matrimonii, » *Reiffenstuel* eod. tit. num. 119. ibi: « In locis et provinciis, ubi Conc. Trid. promulgatum quidem, sed receptum non est quoad dispositionem de matrimonio clandestino, incolae illius loci valide contrahunt matrimonium absque praesentia parochi et testium. »

12. Indeque alia successit opinio, quod, si probabilis subsit dubitatio, num toties memoratum Tridentini decretum fuerit aliquo in loco promulgatum, aut si promulgatum, non constet, fuisse receptum, matrimonia ibidem absque parochi et testium praesentia contracta pro validis haberi debeant, ad tradita per *Navarr.* de clandest. desponsat. conf. 2. num. 6., *Marchantium* dicto tit. 7. quaest. 10. concl. 5., *Gobat.* in append. 1. ad cas. 18. num. 501. lit. E., *Pichler.* de clandest. desponsat. n. 22. Et rescripsit S. Congr. in *Antuerpien.* lib. I. Decr. pag. 74 et ubi etiam eiusmodi sententiis nolit adhaereri, illud saltem colligi posse videtur, quod nisi S. Congr. expositum fuisset, saepedictum Tridentini decretum fuisse in Hollandia promulgatum atque receptum, de ipsa promulgatione morosior Sacra eadem Congr. investigasset, an actus assertae promulgationis iuxta mentem Tridentinorum Patrum in singulis parochiis, et iuxta methodum a S. Synodo praescriptam fuisset expletus.

13. Cum itaque ab editis resolutionibus inferri nequeat, satis constitisse S. Congregationi Conc., quod decretum Tridentini, de quo agitur, fuerit in Hollandia aliisque confoederatis rite promulgatum, prudenter utique ex rationibus superius allatis de ipsius sufficienti publicatione videtur dubitari posse; donec autem dubium eliminetur ac rei veritas elucescat, non debet ab ea recedi sententia, quae matrimonia sine parocho inibi valide celebrari tuetur, cum in dubio possessionis legis standum sit pro libertate, quemadmodum de omni lege tenent *Salas* par. 2 tract. disput. unic. sect. 18. num. 189., *Azorius* par. 1. instit. lib. II. cap. 19. quaest. 12., *Tamburin.* in Decal. lib. I. cap. 3. verb. *leges et praecepta* n. 1., et in terminis de hoc Tridentini decreto asserunt: *Navarr.* de clandest. desponsat. cons. 2. n. 1. primae edit., *Marchant.* cit. tit. 7. quaest. 10. concl. 3., *Gobat.* in appendic. 1. ad saepius citatum casum 18. n. 501. lit. *E.*, *Pichler* tit. de clandest. desponsat. num. 12., aliique passim.

14. Haec sunt, quae circa propositam quaestionem, num S. Trid. Synodus, et praesertim eius decretum Sess. XXIV. cap. 1. de reformat. matrim. fuerit in Hollandia ceterisque provinciis confoederatis iamdudum iussu catholici regis Philippi II. sufficienter promulgatum, videntur expendi posse. At ubi de sufficienti ac legitima promulgatione sub iis memorati regis temporibus secuta certum nequeat proferri iudicium, adhuc, superest examinandum, an saltem quoad catholicos successu temporis idem decretum ita in illis regionibus publicatum dici queat, ut matrimonia, quae ab ipsis eius forma non servata contrahuntur, irrita censenda sint.

15. Sane fidelium coetus post bella et seditiones, quae in Hollandiam ceterasque confoederatas provincias novum gubernii genus demum invexere, paulatim coepit una cum episcopis, vicariis et missionariis apostolicis ibidem restitui, et pacifice adeo conquiescere, et verosimillimum aliquibus reddatur, eosdem episcopos et vicarios seu missionarios apostolicos catholicis illic degentibus praefatum Tridentini decretum rite denunciasse, plurimumque eius observantiam ursisse, uti prae ceteris ad rem nostram ratiocinatur *Marchantius* in tribunali sacram. tract. 1. tit. 7. quaest. 9. conclus. 4. ibi: « Restituto tantisper coetu fidelium in Hollandia, episcopis et vicariis generalibus, parochis et aliis ministris catholicis restitutis per Hollandiam, maxime verisimiliter ab iis, qui Romanae catholicae ecclesiae adhaerent, Conc. Tridentinum et eius leges, et specialiter de praesentia parochi in matrimoniis, usu communi re-

ceptae sunt, adeoque in locis, ubi de communi usu constat, lex de parochi praesentia in matrimoniis iam obtinuit, nec absque validitate matrimonii (ubi nullum esset periculum aut iustum impedimentum) omitti potest. Ratio est, quia, etsi in territorio quoad politiam civilem Conc. Trid. possit supponi non receptum, quia tamen coetus fidelium in politia ecclesiastica rempublicam quandam facit, et in eodem territorio politiam ecclesiasticam obtinet, legibus eius usu receptis se conformare debet; suppono autem, legem de praesentia parochi a fidelibus velut in parochias congregatis ex zelo fidei et reverentia ad ecclesiam catholicam Romanam et Tridentinum eiusque leges susceptam, et vicariorum generalium in spiritualibus sollicitudine introductam esse, adeoque regulariter et communiter, ubi iustum impedimentum non est, observari debere.

16. Et re ipsa de vicariis apostolicis Sasboldo, Rovenio, necnon de episcopo Castoriensi vicario itidem apostolico, qui, rebus postmodum in Hollandia pacatis, informando fidelium gregi iuxta sanctiones catholicae Romanae ecclesiae leges sedulo incubuere, testimonium perhibet auctor Bavariae sacrae pag. 19., adeo ut mox allatum argumentum ex verisimilitudine depromptum, cui innititur *Marchantius*, non modici fortasse ponderis videri possit in finem concludendi, quod saepedictum Tridentini decretum, si non fuit in Hollandia aliisque confoederatis provinciis sub illa priora tempora sufficienter promulgatum secundum iussus catholici regis Philippi II., fuerit saltem postea ab episcopis, vicariis et missionariis apostolicis universo catholicorum illic degentium coetui denunciatum atque indictum; adeoque haec etiam circumstantia et temporum differentia prae oculis est habenda; ut ex aequo iudicetur, num ad evadendam eiusdem decreti legem res satis tuta sit in asserto eius legitimae promulgationis defectu momentum constituere; quae tamen inspectio ad catholicos potius, qui veram religionem illic semper professi sunt, quam ad heterodoxos, qui iamdudum a fide defecerunt, videtur posse pertinere.

Articulus II.

An matrimonia inter haereticos celebrata in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque provinciis confoederatis sine parochi praesentia, sed coram magistratu sive ministro a catholico, sint valida.

17. Quaestio haec assumenda proponitur dependenter a iudicio, quod prius statuatur super articulo praecedenti, num scilicet decretum cap. 1. de ref. matr. censeatur sufficienter in memoratis provinciis promulgatum. Quatenus enim vel eius publicatio non crederetur rite peracta, vel decretum illud haberetur tanquam vim legis obligatoriae non assecutum, utpote in iis regionibus nunquam usu receptum, prompta facilisque esset decisio pro validitate eiusmodi matrimoniorum, cum, seposita obligatione servandi formam a Tridentino praescriptam, ceterisque cessantibus canonicis impedimentis, citra dubium matrimonia inter haereticos coram ministro sive magistratu heterodoxo contracta deberent valida diiudicari.

18. At si de sufficienti promulgatione saepedicti decreti ad formam Tridentini usque ab initio secuta constare reputetur, ita ut de illius acceptatione sive observantia nulla possit debeatve amplius quaestio institui, plura adhuc supersunt ad propositi articuli definitionem dispicienda.

19. Et primo quidem ea praemitti debet regula generalis, quod, si in loco, ubi contingit matrimonia celebrari, neque parochus neque sacerdos ab eo deputatus, qui eisdem matrimoniis valeat assistentiam praestare, inveniatur, vel si quis existat, haereticorum tamen metu latitet, sive tutus nequeat ad eum haberi accessus, rite valideque nedum inter haereticos, verum etiam inter catholicos absque illius praesentia celebrari possunt matrimonia, si modo, quantum ceteroquin fieri potest, adhibitis saltem duobus testibus, forma a Tridentino praescripta servetur, quemadmodum ex theologis tradunt communiter *Sylvius* in Commentar. in Supplement. ad 3. part. S. Thom. qu. 45. art. 5. quaeritur 4., *Platelius* in Synopsi curs. theolog. par. 5. cap. 7. §. 3. de clandestin. matrim. num. 1123., *Marchant.* in Tribunali sacram. Tom. 3. par. 3. Tract. 1. tit. 7. quaest. 9. concl. 5., *Stephanus Bonvii* de sacram. tract. in quaest. 1. de matr. clandestin. citra fin. lit. D. et E., *Arsdekin.* Theol. tripartit. Tom. 2. par. 2. Tract. 4. cap. 8. de matrim. num. 3. et 4, *Pontas* Dictionar. theol. moral. verb. *impedimentum clandestinitatis* cas. 20. et ex canonistis *Zyppaeus* de sponsal. et matrim. num. 16.

20. Et consentanee ad hanc canonici iuris censuram consulta iam pridem Sacra haec Congr. de forma, sub qua matrimonia in saepedictis provinciis forent celebranda, die 27. Martii 1632. in haec verba rescripsit Episcopo Tricaricensi: «Ubi constat, decretum S. Conc. esse publicatum, vel etc.» (*ut supra*) et consonat aliud antiquius de-

cretum, quod referunt *Philippus Gamaches* in 3. par. tract. de matrim. cap. 28. in fin., *Ioannes Sotallus* in declarat. S. Congregationis ad Trident. collect. in Sess. XXIV. de Refor. matrim. cap. 1., *Farinac.* ibidem fol. mihi 274., et *Verricell.* de apostolic. miss. Tit. 2. de matrim. quaest. 174. Sect. 1.

21. Secundo adverti debet, magnam versari posse differentiam inter matrimonia, quae in memoratis regionibus haeretici contrahant inter se, et ea, quae inter catholicos tantum sive inter catholicum et haereticam vel e converso celebrentur. Plures enim auctores inferius recensendi, licet existiment, matrimonia ibi ab haereticis inter se celebrata absque parochi praesentia non esse invalida: secus tamen tenendum fore tuentur de matrimoniis inter catholicos ibidem initis, ut prae ceteris sustinent *Iuenin.* de sacrament. dissert. 10. quaest. 5. cap. 4., *Marchant.* in Tribunali sacram. tract. 1. tit. 7. q. 9. concl. 4., et *Platelius* in Synops. curs. theolog. par. 5. cap 7. §. 5. de clandestin. matrim. num. 1123. ibi « Petes tertio, quid dicendum sit de Hollandia aliisque locis, in quibus Tridentinum aliquando fuit receptum, sed modo subiacent haereticis, Tridentinum non recipientibus, an scilicet in istis locis valeat matrimonium clandestinum? Respondeo non valere initum inter catholicos illic habitantes, si possit haberi parochus vel eius substitutus sine gravi ipsius vel contrahentium periculo. »

22. Et in terminis matrimonii a catholico cum haeretica et e converso celebrati disserunt *Rosignol.* de matrim. Tom. 1. disquisit. 1. praenot. 20. num. 1. pag. mihi 61. et seqq., *Verricell.* de apostolic. mission. tit. 12. de matrim. quaest. 172. ibi: « Respondetur tertio dicto, quod duo haeretici valide contrahant absque parocho; tamen secus est, si unus coniux sit haereticus et alter catholicus; nam ratione catholici cum contrahatur in loco, ubi receptum est decretum Tridentini, adhibendus est parochus. Probatur; nam ex Tridentino requiritur parochus viri vel mulieris, ergo, quidquid sit de viro haeretico, mulier ligatur dispositione Tridentini, et sic ratione mulieris est adhibendus parochus; quod pluribus exemplis ostenditur, quamvis enim paganus non sit subiectus ecclesiae, nec ligetur constitutione ecclesiastica, quia tamen mulier Christiana subiicitur, ideo haec sit inhabilis ad contrahendum cum pagano, et sic indirecte paganus subiicitur legi ecclesiasticae, ergo licet haereticus non esset subiectus ecclesiae, aut non haberet parochum, et sic non teneretur observare decretum Tridentini (quod est falsissimum), tamen quia catholica de cetero subiicitur, indirecte quoque haereticus cum ea contrahens ligatur, ut nequeat valide contrahere absque parocho.

23. Hinc itaque progrediendo ad examen quaestionis unice versantis circa matrimonia inter haereticos celebrata iis in locis, ubi constat, decretum Tridentini fuisse sufficienter promulgatum, et ubi non desit copia parochi, tutusque ad eum haberi possit accessus, fateri oportet concordem super ea non esse doctorum sententiam, et graves in utramque partem militare rationes; siquidem pro invaliditate matrimoniorum, quae illic fiant absque praesentia parochi et duorum saltem aut trium testium, etiamsi contrahantur coram magistratu seu ministro acatholico, docet huius sententiae antesignanus *P. Lessius* in Actuar. ad pr. 2. verb. *Praescriptio*, quem sequuntur *Basilius Pontius* in appendic. de matrim. lib. V. cap. 7. num. 1., *Busenbaum* in Medull. theol. moral. lib. VI. tract. 6. cap. 3. disput. 2., *La Croix* lib. VI. par. 3. num. 769., *Rosignol.* de matrim. 1. praenot. 20. num. 1. tom. 1. pag. 61. et seqq., *Zypaeus* lib. IV. de sponsal. et matrim. num. 15., *Boss.* de matrim. cap. 1. num. 78., *Bellarmin.* ad cap. 1. Sess. XXIV. de refor. matr., *Verricell.* de apostol. miss. tit. 39. quaest. 174. sect. 1. et 4., *Gobat.* Theol. experiment. tract. 9. cas. 18. per tot., ubi allegat iudicium a facultate theologica universitatis Viennensis post maturam rei discussionem latum 18. Maii 1665, *Schmier* Iurisprud. canonico-civil. Tom. 3. lib. IV. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86., *Reiffenstuel* in ius can. tit. de clandest. desponsat. num. 132. et signanter num. 138., *Schmalzgrueber* eod. tit. decretal. num. 115., *Pignatell.* Consult. 79. num. 26. tom. 5. et consult. 104. tom. 8. et doctissime Emin. *Petra* tom. 4. in Commentar. ad constit. 12. Ioannis XXII. num. 20.

24. Praecipuum vero sententiae huius fundamentum a praefatis auctoribus allatum in eo sistit, quod haeretici sanctam Dei ecclesiam per baptismi lavacrum ingressi, quemadmodum ceteris omnibus apostolicis constitutionibus subiiciuntur, ex text. in can. *Non in vobis* de consecr. dist. 4., in can. *Quod quidem* 1. et ex aliis pluribus, quos cumulat *Gonzal.* in cap. *Sicut* num. 12. de haeretic., ita etiam Tridentini decreto formam in contrahendis matrimoniis servandam praescribenti obnoxii sint, eidemque sub poena nullitatis suorum matrimoniorum parere teneantur, ut in specie disserunt *Schmier* in ius. can. lib. IV. tract. 3. cap. 5. sect. 4 §. 1. num. 86., *Wiestner* in

ius can. lib. IV. de sponsal. et matr. art. 9. num. 191., *Verricell.* de apost. miss. tit. 12. de matr. quaest. 174. sect. 4. num. 9., *La Croix* Tom. 2. lib. VI. par. 3. de matrim. num. 172., et Emin. *Petra* in suis mox laudatis Commentar. ad Const. 12. Ioannis XXII. num. 19. et 23.

25. E contra tamen eorundem matrimoniorum validitatem propugnant ex theologis *Layman*. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap 4. n. 7., *Tannerus* Theol. Tom. 4. disput. 8. quaest. 3. dub. 6. num. 122., *Dicastillo* de matr. disput. 3. dub. 4. num. 24., *Marchant.* in tribunali sacr. tom. 3. par. 3. tract. 1. tit. 6. quaest. 4. Concl. 4. et tit. 7. quaest. 10., *Sporer* Theol. tom. 3. par. 4. cap. 1. sect. 1. num. 35., *Arsdekin*. Theol. tripartit. tom. 2. par. 2. tract. 4. cap. 8. §. 4., *Platelius* Theol. par. 5. cap. 7. §. 5. in fin., *Marin*. Theol. tom. 3. tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 44., *Iuenin*. de sacr. dissert. 10. de matrim., *Bonagratia* in dissert. de matrim. haeretic. §. *Ad primum, Henricus Mayer* in opuscul. de sponsal. et matrim. num. 70., *Ioan. Moquitius* in disput. de nupt. clandest. num. ult., *Theophil. Raynaud.* Heteroclit. spiritual. tom. 16. sect. 1. punct. 14. num. 8., et ex canonistis *Wex* in Opuscul. canon. Triden. de sponsal., *Pirhing*, in ius can. lib. IV. tit. de clandestin. desponsat. num. 12., *Pichler* eod. loco lib. IV. tit. 1. num. 98. et tit. 3. num. 16., *Wiestner* ibidem tit. de sponsal. et matrim. num. 192., *Koenig* tit. de clandest. desponsat. num. 4., *Kugler* de matrim. quaest. 65. per tot., et modernus *Lovaniensis* de iur. eccl. tom. 1. par. 2. tit. de sponsal. a num. 31., *Martin. de Swaen* de sponsal. duorum, *Stalen.* in dissert. theol. polit. de matrim. haeret. par. 1. quaest. 4. et par. 2. cap. 4.

26. Hic autem praestat animadvertere, paucos ex mox allegatis auctoribus loqui peculiariter de matrimoniis inter haereticos in Hollandia aliisque confoederatis provinciis contractis, sed plerosque agere de matrimoniis in genere, aut de iis tantum, quae in aliis haereticorum regionibus, et praesertim in Germania aut Gallia celebrantur. Praeterea iidem auctores priorem sententiam uti probabilem admittunt, alteram vero veluti probabiliorem depraedicant; et demum illorum aliqui, post exposita utriusque opinionis fundamenta, aut a suo proferendo sensu abstinent, aut ingenue concludunt, difficile esse quid certi hac in re statuere, ut inter alios fatetur *Koenig* in ius canon. lib. 4. tit. 3. de clandest. desponsat. num. 4. Ne tamen quid dissimulem, memini, me in proem. iur. can. n. 9. allegasse declarationem Cardinalium ad Tridentinum dicto cap. 1. sess. 24. num. 10., in qua S. Congr. expresse declaravit, matrimonia nulla esse, quae haeretici coram suo praedicante celebrant in locis, ubi Tridentinum sit promulgatum, unde difficile est quid certi statuere. Quinimmo apostolicae sedis definitionem necessariam esse, pridem sensit *Guilelmus Estius* in 4. distinct. 24. §. 9. in fin. « Huic malo, quod ex haereticorum inobedientia nascitur, poterit ecclesia maturiori consilio, quod aliquando futurum speramus, occurrere, idque vel explicando decreti sui sensum, vel novum decretum statuendo. »

27. Rationum vero momenta, quibus auctores praedicti ad amplectendam libentius posteriorem sententiam matrimoniorum validitati faventem trahuntur, haec potissima videntur esse. Primo quod in locis, ubi cum catholicis permixti commorantur haeretici, binae debeant in quolibet parochiali districtu paroeciae considerari, non loco quidem, sed fide, doctrina, religione ac moribus distinctae, altera nempe catholicorum, altera vero haereticorum, qui unam societatem et communitatem quoad spiritualia omnino separatam, distinctam et diversam a communitate catholica constituunt, propriosque habent usus, caeremonias et ministros seu pseudoparochos, adeoque, cum in eadem asserta haereticorum parochia Tridentini decretum nunquam fuerit rite promulgatum minusque usu receptum, nequeat eorundem haereticorum coetus lege et forma in eo decreto praescripta censeri obstrictus, tametsi in catholicorum parochia decretum illud fuerit promulgatum atque inter istos usu receptum, eo plane modo, quo dictum decretum in una catholicorum parochia publicatum non ligat in alia, in qua eius promulgatio secuta non fuerit, uti prae ceteris arguunt *Tannerus* Theolog. tom. 4. disput. 8. q. 3. dub. 6. n. 122., *Dicastillo* de matrim. disput. 3. dub. 4. num. 24., et *Marin.* Theolog. tom. 3. tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 43., ubi sic inquit « Secundo, quia in talibus locis, ubi haeretici habent suos praedicantes, licet parochia haereticorum et catholicorum sit physice eadem, moraliter sunt duae parochiae fide et moribus distinctae, ideoque promulgatio decreti Tridentini moraliter censetur facta in una parochia, et non in alia, cum facta non sit a praedicantibus haereticis. »

28. Secundo, quod haeretici, re strictius accepta, nullam habeant parochiam, proindeque tanquam vero et proprio parocho carentes ea non ligentur lege, quae iubet, matrimonia coram proprio parocho cele-

brari, iuxta ea, quae opinatur *Philippus Gamacheus* in 2. part. tract. de matrim. c. 28. in fin., ubi ait: « Haereticos non habere ullam parochiam, quia haeretici moraliter loquendo non reputantur parochiani nostrarum ecclesiarum, licet in earum confinio habitent, eo quia nullo modo ad eas accedunt, et palam confitentur, nolle unquam accedere, nec ad eas accedere aliquando coguntur. »

29. Tertio, quia vetitum cum sit parocho assistere matrimonio sive inter haereticos sive inter catholicum et haereticam contrahendo, uti rescripsit S. haec Congr. die 22. Iunii 1624. lib. 12. Decr. pag. 183. in haec verba « Sive alter tantum ex coniugibus sit haereticus, sive ambo, nullatenus debere parochum haereticorum matrimoniis assistere, » et in causa, cui titulus *Dubia iurisdictionis capellanorum exercitus*, cum disceptatum fuerit: VIII. « An capellani catholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis etiam intra fines Italiae, » die 6. Martii 1694. prodiit rescriptum: *Negative*, ut in lib. 44. Decr. pag. 80., impossibile propterea sit haereticis uti praesentia parochi in suis matrimoniis, adeoque nihil plane discriminis intercedat ab eo casu, quo vel parochus omnino desit, vel tutus ad eum haberi nequeat accessus; unde pari prorsus ratione valere debeat matrimonium inter haereticos celebratum absque praesentia parochi, qui nequit accersiri vel accersitus non assisteret; cum in iis, quae iuris humani sunt, cessare censeatur obligatio servandi legem, quae sive physice sive moraliter servari non potest, ut cum aliis observat *Fagnan.* in cap. *Si clericus* n. 58. de for. competen.

30. Quarto, quod haeretici, si doctiores excipias, saepedictum decretum, quo clandestina coniugia irritantur, prorsus ignorent, unde teneri non debeant poena legis, quam nesciunt a se violari.

31. Quinto, quod haereticorum ministelli communiter veri ac legitimi parochi reputentur; matrimoniis vero ineundis nedum verus et proprius parochus, sed etiam is, qui ex communi populi errore pro vero ac legitimo parocho habetur, licet re ipsa talis non sit, valide assistit, iuxta receptissimam sententiam, quam cum aliis sequuntur *Pichler* in ius canon. lib. 40. tit. 1. n. 98. et tit. 3. n. 16., pluresque ex doctoribus supra relatis.

32. Sexto, quod admodum verisimile sit, Tridentinos patres ex quadam epikeia noluisse haereticorum matrimonia sub decreto saepedicto comprehendere, quippe qui optime scirent, plura gravissima pericula et incommoda ipsis imminere, si, post habito ministro heterodoxo, vellent sua connubia coram catholico parocho celebrare; adeoque, licet forma ad alicuius actus validitatem praescripta nequeat, quacunque etiam urgente necessitate, immo etiam concurrente impossibilitate eam servandi, absque eiusdem actus nullitate omitti, uti contingit in matrimonio, quod, si fortasse in articulo mortis sive ad legitimandam prolem sive ad avertendum quodcunque aliud gravissimum incommodum absque praesentia parochi celebretur, irritum esset, tametsi in ea temporis angustia impossibile fuisset parochum adhiberi, secundum ea, quae fuse tradunt *Suarez* de legibus lib. 5. cap. 23. per tot., *Sanchez* de matrim. lib. 3. disput. 17. n. 7., *Guttierez* eodem tract. cap. 61. n. 4., *Pontius* lib 5. cap. 6. num. 31., *Perez* disput. 39. sect. 4. n. 4., *Navarr.* cons. 45. sub. tit. de sponsal., *Barbosa* de offic. et potest. episc. alleg. 32. num. 147.; attamen ubi impossibilitas universalis et perpetua foret, totamque rempublicam, regionem aut communitatem aliquam afficeret, omnis aequi bonique ratio postulet, ut talis forma quoad illud personarum genus, cui difficillimum ac ferme impossibile redditur eam servare, non censeatur inducta, quemadmodum cum aliis expendit *Marchant.* in tribunali sacr. par. 3. tit. 1. quaest. 8. concl. 3.

33. Septimo, quod a centum et ultra annis, post promulgatum scilicet usuque ab initio fortasse etiam receptum Tridentini decretum, inoleverat in Hollandia aliisque provinciis confoederatis universalis et pacifica consuetudo celebrandi inter haereticos matrimonia sine parochi praesentia coram magistratu aut ministro acatholico; centenaria autem eiusmodi consuetudo utpote vim habens novam inducendi legem facilius potuerit abrogare illam a Tridentino indictam, uti cum aliis arguit *Wiestner* in ius. can. lib. 4. de sponsal. et matrim. art. 9. num. 191.

34. Octavo, quod luctuosa incommoda, quae ex clandestinis connubiis solent oriri, quaeque S. Trid. Synodus voluit avertere, sufficienter ex nuptiis publice coram magistratu vel ministro acatholico ineundis evitentur, adeoque satis inde factum videatur menti Tridentinorum patrum, ut supervacaneum sit ulterius saepedictae sanctionis implementum postulare, uti inter alios ponderant *Stalenus* in dissert. theol. politic. part. 2. cap. 4. et modernus *Lovaniensis* de iure ecclesiast. Tom. 1. par. 2. tit. de spons. 4. n. 21. ad fin.

35. Nono, quod apostolica sedes a saepedicta Tridentina lege haereticos tacite dispensasse censeatur, quemadmodum in specie disserunt *Sporer*. theol. moral. tom. 3. par. 4. cap. 1. Sess. 1. num. 35., ubi sic ait « Putandum non est, decretum se ad matrimonia facta ibi sine parocho extendere, adeoque matrimonia haereticorum ibi sine parocho catholico sive coram ministro haeretico celebrata esse valida, quippe sciente nonque contradicente, eoque ipso tacite consentiente Summo Pontifice, ne multa ibi incommoda oriantur, quod filii eorum legitime nati non essent, ideoque non capaces officiorum vel sacrorum ordinum; » *Marin*. theol. tom. 3., tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 44. ibi: «Haec sententia valde verisimilis est, quia non est credendum, esse voluntatem pontificiam, ut decretum Tridentini se extendat ad ea matrimonia, unde multa incommoda oriantur, si eorum filii non sint legitimi, non capaces officiorum, dignitatum et sacrorum ordinum, praecipue cum Papa sciens non contradicat, nec declaret irrita eiusmodi matrimonia;» *Pirhing* in ius can. lib. 4. de clandest. desponsat. §. 2. n. 12. circa fin. ibi: « In locis, ubi Conc. Trid. est promulgatum, et haeretici cum catholicis permixti vivunt, valida erunt matrimonia sine vero parocho celebrata propter tacitam dispensationem Summi Pontificis, qui sciens eiusmodi matrimonia contrahi non contradicit, nec irrita declarat, ideoque non est existimandum, velle Pontificem, ut decretum Conc. Trid. ad eiusmodi matrimonia clandestina se extendat, ne multa gravia incommoda inde oriantur; » et *Koenig*. in ius can. lib. 4. tit. 3. de clandest. desponsat. num. 4. vers. *Dico secundo*, ibi: « Primaria ratio est, quia praesumi non debet de pia matre ecclesia, quod unquam mens eius fuerit ob defectum legitimi parochi annullare eiusmodi matrimonia propter maxima mala ac pericula inde proventura. Si enim acatholici viderent suos liberos natos ex talibus matrimoniis a nobis haberi pro illegitimis, quanta hinc calamitates atque passim catholicorum persecutiones, quot bella et seditiones moverentur? » Accedente praeterea in argumentum praesumpta, dispensationis, quod nedum Summus Pontifex haereticorum matrimonia absque parochi praesentia in iis regionibus passim contracta hactenus invalida non declaravit, verum etiam neque matrimonia praedicta post ipsorum conversionem consueverunt coram parocho et testibus restaurari, minusque coniugi ad fidem converso permissum fuit, priori relicta uxore ad secunda vota transire, sed eadem matrimonia prorsus valida fuere reputata, ac usque dum reputantur, ut filii inde procreati tanquam legitimi absque ulla apostolica dispensatione ad ordines solent promoveri, quemadmodum veluti testes oculati referunt *Pichler* in ius canon. lib. 4. de clandestin. desponsat. num. 16., *Wiestner*. tit. de sponsal. num. 197., *Schmalzgrueber* eodem loco num. 379., *Stalenus* dissert. de matrim. haeretic. et *Swaen* in dissert. de sponsal. duorum

36. Ad haec plurimum momenti constituitur in eo, quod Ioannes episcopus Castoriensis olim per provincias confoederatas vicarius apostolicus, cum super hac ipsa quaestione Congr. S. Officii consuluisset, hoc accepto, uti asseritur, responso: « non convenire, ut ea quaestio a S. Officio definiretur, verum statueret ipse quod cederet animarum sibi creditarum saluti maxime expedire, » ratus praestare magis, ut ea, de quibus dubitari contigerat, haereticorum matrimonia valida declararentur, litteris ad episcopum Gandensem 14. Aug. 1685., et ad Antonium Hoessac cathedralis Antuerpiensis canonicum 14. Decembris eiusdem anni datis, matrimonia praedicta valida esse ac pro validis habenda fore edixerit, qua de re apud Sacram hanc Congr. insimulatus, quidquid a se actum fuerat, enunciato supremi tribunalis Sacrae Inquisitionis responso vindicaverit, ita ut, auditis etiam rationibus, quibus se motum asseruit episcopus Castoriensis, nihil amplius contra doctrinam et praxim ab eo inductam fuerit subinde decretum, uti affirmat *Stalen*. in dissert. theolog.-politic. de matrim. haeret. par. 2. cap. 4., *Swaen* in cit. dissert. de sponsa duorum, modernus *Lovaniensis* de iur. eccl. univers. par. 2. tit. 12. cap. 5. n. 33., *La Croix* lib. 6. quaest. 3. n. 798., et *Arsdekin*. in theolog. tripartit. tom. 2. par. 2. tract. 4. cap. 8. §. 4.

37. Decimo tandem rationibus hactenus allatis addi posse videtur, id saltem evinci, quod ex omnibus praemissis atque ex tot doctorum auctoritate probabile ut minimum sit, controversa haereticorum matrimonia saepedicto Tridentino decreto non subiacere. Ubi autem probabile est, impedimentum aliquod matrimoniorum validitatem inficiens nequaquam in iure subsistere, tunc eadem matrimonia censenda sint valide celebrari ob ipsius matrimonii favorem, eius namque validitas iuxta cap. fin. de sentent. et re iudic., quoad fieri potest, sustineri debet, et in specie ad rem tradit *P. Viva* in theses damnatas par. 2. proposit. 1. num. 29. ubi ait: « quod rationabiliter ecclesia vult favere matrimonio, reddendo

illud validum, quoties iuxta probabiles opiniones contrahitur, » ostendens, id procedere non solum in matrimoniis contractis, verum etiam in contrahendis, et consonare videtur *Sanchez* lib. VIII. de matrim. disput. 6. num. 18. *Diana* par. 4. tract. 4. resol. 4., *Cardenas* in sua crisi theolog. proposit. 1. dissert. 2. cap. 8. art. 3. et seqq., *Pichler* in ius canon. lib. IV. tit. 1. num. 100.

38. Istae igitur rationes tot doctorum auctoritate firmatae, nisi seorsim, singulae coniunctim saltem, uti fas est, acceptae videntur plurimum urgere pro validitate matrimoniorum, de quibus agitur. At ne quidquam ex iis quae in re tanti momenti merentur expendi, praetereatur, operae pretium erit in unamquamque earum quaedam animadvertenda subiicere.

39. Ad primam scilicet de publici paroeciain quolibet parochiali districtu consideranda, catholicorum nempe una, et altera haereticorum, ponderandum est, num ratio haec suffragari possit haereticis Hollandiae aliarumque provinciarum confoederatarum, ubi iudicetur, Tridentini decretum fuisse in illis regionibus iussu Philippi II. sufficienter promulgatum circa annos 1565. et 1566.; tunc enim haeretici neque peculiarem pseudoparochiam potuerunt adhuc sibi constituere, neque postmodum id iis licuit, ne asseratur hoc pacto haereticos posse ab ecclesiasticis legibus, quibus directe subiiciuntur, sese indirecte subducere ac liberare contra ea iuris principia, quae ad rem expendunt *Zypaeus* in ius can. lib. IV. tit. de sponsal. et matrim. num. 15., *Schmier* iurisprud. canonico-civil. tom. 3. lib. IV. trac. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86., *La Croix* tom. 2. lib. VI. par. 13. num. 869 et seqq., Emin. *Petra* tom. 4. in suis eruditissimis Commentariis ad constit. 12. Ioannis XXII. num. 19. et 23.

40. Ad secundam, quod haeretici non ligentur Tridentini decreto, quia re ipsa nullum habeant proprium parochum, expendenda sunt, quae cum *Basilio Pontio* de matrim. lib. V. cap. 7. num. 1., et in appendic. cap. 9. §. 1. num. 1. respondet *Verricell.* de apostolic. mission. tit. 12. de matrim. quaest. 174. sect 4. num. 9. ibi: « Haereticus subiectus est iurisdictioni ecclesiae, nequit enim ab eius iurisdictione contumacialiter se eximere, cui iure divino subiicitur per baptismum, ergo Papae subiectus est ceterisque superioribus Papae subordinatis, ut episcopis, ergo et parochis, nam non minus parochus, quam episcopus est eius pastor, quamvis ille immediatus et subordinatus; ergo, sicuti nequit contumacialiter se eximere a Papae aut episcopi iurisdictione, ita nec parochi; ergo proprium parochum et parochiam habet, neque obstat argumentum Gamachei, quod scilicet haereticus nunquam adeat parochiam, et profiteatur, se nolle eam adire, nam esse sub tali parocho non provenit, quia parochialem ecclesiam quis adeat, sed quia habitat in tali loco; neque contumacia haeretici potest eum a parochi iurisdictione eximere, alioquin ex delicto commodum reportaret. Nec etiam obstat, haereticos non compelli ad parochiam adeundam, vel quia non possunt compelli, vel ad maiora incommoda vitanda non compelluntur; hoc autem non indicat consensum approbativum, sed permissivum superiorum, tum quia frustra compellentur adire parochiam, non abiurata haeresi, quare patet, non excusari. »

41. Ad tertiam de impossibilitate reperiendi parochum, qui matrimoniis haereticorum assistat ob decreta id parochis districte vetantia, opponi videtur regula iuris, quod tunc solum cessat obligatio servandi aliquam legem, quando impedimentum, ne illa servetur, aliunde provenit quam ex culpa eius, qui legis vinculo obstringitur, secus enim culpa ipsa commodum delinquenti adferret.

42. Ad quartam de ignorantia Tridentini decreti apud haereticos hodiernos ferme generaliter vigente, proindeque de ipsorum exemptione tam a lege quam a poena legis, quam communiter ignorant, perpendendum est, num assertae ignorationis effectus eousque protendi possit, ut habilitas, quam Tridentina Synodus omnibus semel ecclesiam ingressis ad matrimonium sine praesentia parochi ineundum ademit, ab haereticis obtineri censenda sit, cum de cetero lex omnis, quae irritans dicitur, etiam ignorantes afficiat, ut tradit *Suarez* de legibus lib. V. cap. 22. num. 4., ac signanter de Tridentino decreto docent *Sanchez* de matrim. lib. III. cap. 17. num 10., *Basilius Pontius* lib. V. cap. 6. num. 18., *Perez* disput. 39. sect. 5., *Guttierez* de matrim. cap. 61. n. 11.. *Castropalao* par. 4. tract. 28. de sponsal. disput. 2. punct. 13. §. 8. n. 7., ubi rationem assignant his verbis: « Quia irritatio actus non in poenam contrahentium clandestine imponitur, sed in odium talis contractus, ut inconvenientia inde orta vitentur, ac proinde, sive ignoranter sive scienter matrimonium clandestinum contrahatur, nullius est valoris; » *la Croix* tom. 2. lib. VI. par. 3. de matrim. num. 173., ubi ita respondet: « Ad quartum admitto, quod invincibilis ignorantia possit excusare a peccato, sed illa non potest eos facere

habiles ad contrahendum, quos ecclesia reddidit inhabiles, uti patet in consanguineis, qui, si contrahant etiam ignorantes impedimentum, invalide contrahunt. »

43. Ad quintam, quod haereticorum ministelli, utpote pro veris et legitimis parochis communiter ab illis habiti, eorundem matrimoniis valide assistant ex regula de parocho putativo passim recepta, occurri facile potest sententia a pluribus gravissimis doctoribus acerrime propugnata, quod nisi cum errore communi concurrat quoque titulus coloratus, quo certe haereticorum ministelli prorsus destituti sunt, solus ille communis error ad validitatem actuum, qui celebrantur, sive quibus assistitur a pseudoparocho, non sufficiat, quemadmodum adhaerens opinioni quinquaginta circiter doctorum, quos recenset, mordicus tuetur *Sanchez* de matrim. lib. III. disput. 22. num. 29. Praeterquam quod, ubi etiam titulus non reputaretur necessarius, sed error communis sufficere posset, iuxta sententiam *Pontii* lib. V. de matrim. cap. 20. n. 2., *Dianae* parte 3. tract. 4. resolut. 142., cum iste debeat in hunc finem esse probabilis, non autem, ut dici solet, crassus atque supinus, difficultas adhuc superesset, num talis censeri queat error ille haereticorum ex obdurata ipsorum pertinacia derivatus.

44. Ad sextam de verisimili Tridentinorum Patrum voluntate non comprehendendi ex quadam epikeia sub ea lege connubia haereticorum, quippe qui secus gravissimis exponerentur periculis, si posthabito ministro haeretico vellent matrimonia coram catholico parocho celebrare, videtur obiici posse, neminem sub obtentu verisimilis aequitatis aut epikeiae a generali decreto praesentiam parochi pro forma matrimonii explicite demandante immunem censendum fore secundum ea, quae per text. in cap. *Cum dilecti* de rescr. in terminis notat prae ceteris *Castro Palao* part. 4. punct. 13. §. 8. n. 9., eoque minus haereticos, qui, dum ecclesiae leges contemnunt, si mala deinde ipsis et gravia, ut dici solet, per accidens obveniunt incommoda, non debent tamen ab iisdem legibus eximi, uti cum aliis ratiocinatur *la Croix* tom. 2. lib. VI. par. 3. de matrim. num. 772., accedente praeterea, non facile quemquam sibi imperare posse, ut credat, noluisse Tridentinos Patres memoratam legem protendi ad haereticos Hollandiae, Zelandiae, Frisiae aliarumque provinciarum confoederatarum, ut enunciata mala evitarentur, quia, licet communiter receptum sit, haereticos ecclesiae legibus post infelicem eorum lapsum non teneri, quippe quod nolit ecclesia potestatem et iurisdictionem, qua ceteroquin pollet, in filios illos perduelles exercere, ad notata per *Marchant.* in tribunali sacram. tom. 3. par. 3. tract. 1. tit. 6. quaest. 4. conclus. 4.: haec tamen ratio videtur suffragari tantum haereticis Angliae, Scotiae, Hiberniae, Sveciae, Daniae, aliarumque provinciarum, quae ante annum 1545., quo Tridentina synodus haberi coepit, haeresi iam infectae reperiebantur, iuxta tradita per *Wex* Ariadn. par. 5. tract. 2. §. 1. num. 25., *Schmalzgrueber* in ius canon. de clandest. despons. §. 2. num. 98., *Schmier* eodem loco lib. IV. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86. et seqq., secus vero quoad praefatos haereticos Hollandiae aliorumque statuum confoederatorum, qui ab Hispano imperio et a catholica religione defecere post iam absolutam Tridentinam synodum, iuxta ea, quae ex historicis scriptoribus superius sunt adnotata.

45. Ad septimam de consuetudine a centum et ultra annis inducta celebrandi matrimonia sine parochi praesentia coram magistratu aut ministro haeretico, cuius vigore contenditur lex Tridentini abrogata, perpendendum est, num eadem consuetudo, veluti proveniens ex infecta haeresis radice, ex insano potestatis clavium et iurisdictionis ecclesiasticae contemptu, ex odio in ecclesiam, et ex pertinaci errore, quo acatholici auctoritatem legislatoris a Christo Domino relictam suo in terris vicario negant, ullius hac in re momenti valeat iudicari, ut expendunt adducti per *Lessium* loc. supra cit. cas. 1. num. 3. et *Reiffenstuel* in ius canon. lib. I. de consuet. num. 145., itidemque ponderandum, an ea censeri debeat quocunque Summi Pontificis alioquin necessario consensu destituta, cum praesumi non posse videatur, supremum ecclesiae caput suum consensum accomodasse consuetudini, qua haeretici ecclesiae rebelles propria freti pertinacia tentarunt se a saepedicta Tridentini lege subducere, uti hoc argumento passim utuntur doctores adducti per *Wiestner* in ius can. lib. IV. de sponsal. et matrim. artic. 9. num. 191., et alii plures priorem tuentes sententiam.

46. Ad octavam, quod satis obtineatur finis, quem Tridentini Patres intenderunt arcendi mala plurima ex clandestinis connubiis provenientia, statim ac ista coram magistratu sive ministro haeretico celebrantur, hisce verbis respondet praeter alios *La Croix* Theolog. moral. lib. VI. part. 3. de matrim. num. 772.: « Ad 3. dico, mentem ecclesiae esse non tantum, ut publice sibi constet de matrimonio legitime contracto, alioquin etiam in partibus catholicis

sufficeret contrahere coram magistratu, sed ut sibi de hoc constet per suum qualificatum ministrum. Parochus enim non adhibetur mere tanquam testis, sed cum matrimonium sit sacramentum, ecclesia voluit, ut ipsi assisteret talis minister istius solemnitatis, quem voluit esse proprium parochum. »

47. Ad nonam de tacita dispensatione, quae praesumi debeat ab apostolica sede indulta, ne huic Tridentinae sanctioni modo amplius obnoxii censeantur haeretici, ponderandum imprimis est, huic praesumptae dispensationi plurimum officere iteratas resolutiones; (quarum aliquae descriptae fuerunt in Folio diei 17. Augusti 1737., et aliae etiam recentiores ad calcem praesentium Adnotationum apponentur) ex quibus coniicitur, tam S. hanc Congregationem, quam alteram S. Officii pluries censuisse, controversa haereticorum matrimonia, veluti sine parochi praesentia contracta, tanquam invalida habenda esse; quemadmodum cum aliis advertunt adducti per *Wiestner* in ius can. lib. IV. de sponsal. et matrim. art. 9. num. 191., et *Koenig* in ius can. eod. lib. VI. tit. 3. de clandest. desponsat. num. 4. vers. *Dico secundo*, praeterea que merentur expendi quae in eiusdem tacitae dispensationis exclusionem proponit praelaudatus *La Croix* loco mox allegato: « Ecclesia aliquando contradixit, ut constat ex dictis, neque prudenter praesumi potest, quod Papa nunc velit indulgere et permittere despici leges illas ab illis rebellibus, qui ei negant potestatem ad talia impedimenta inducenda vel tollenda. Quod autem saepius non contradixerint Pontifices, inde est, quia sciebant, nil profuturum apud contumaces, et satis erat semel saepiusque protestatum esse; nam, ut recte notat cum communi *Suarez*, ex hoc solo, quod superior etiam sciens aliqua permittat, inde non posse universaliter colligi eius consensum, quia multa per patientiam tolerantur, quae non approbantur, ut dicitur cap. *Iamdudum* de praebend. et huc faciunt verba, quae Tridentinum Sess. XXIV. cap. 5. de reform. matr. ex iure profert; non enim dignus est, qui ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria monita temere contempsit. Quod si illi ipsi haeretici scirent, Papam sic benigne secum agere, irriderent eum, uti solent; ergo censeri debet, quod Papa pergat manere invitus. Probatur tertio, quia in facultatibus extraordinariis, quas singulis quinquenniis sacra sedes concedit nunciis apostolicis et episcopis Germaniae, haec est una dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus contrahendis, in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam, ex qua facultate colligitur, Papam etiam nunc non agnoscere illa matrimonia haereticorum cum impedimento consanguinitatis aut affinitatis contracta esse valida. Quod autem addit, filios eorum censeri legitimos, verum et saltem pro foro externo et civiliter secundum dicta lib. IV. num. 754. Hinc etiam quandoque dissimulatur ab episcopo, quandoque autem non; ideo pro securitate a plerisque petitur dispensatio. « Advertenda tamen sunt verba, quae postmodum subiicit iste auctor, quaeque illum non satis firmum in impugnanda validitate eiusmodi matrimoniorum ostendunt. Inquit enim « *negari autem debet, quod tales coniuges conversi possint ab invicem divelli quia probabile est, eiusmodi matrimonia valere, et esse vera sacramenta.* »

48. Decimae tandem rationi, quae innititur dispositioni iuris matrimoniorum validitati faventis libenter admittendae, ubi ex copia et gravitate doctorum satis probabile reddatur oppositum aliquod impedimentum non subsistere, duplex videtur obiici posse animadversio; prima scilicet, num probabilis vere dici queat sententia dictorum matrimoniorum validitatem propugnans, cui resolutiones SS. Congregationum Urbis adversantur; altera vero, quod, licet matrimonium, postquam fuit contractum, debeat validum reputari, si dubium insurgat, illud fuisse cum impedimento dirimente initum, sed probabile sit, impedimentum illud nequaquam subsistere, ut ad rem notat saepedictus *La Croix* Theol. moral. lib. VI. part. de matrim. num. 167. ibi: « Si matrimonium iam sit ita contractum, poterunt coniuges etiam conversi permanere in usu illius, quamvis consensum non renovent coram parocho catholico, quia probabile est, fuisse validum, et sequendo hanc opinionem probabilem, haud sacramentum exponitur periculo nullitatis vel irreverentiae. « At si agatur de matrimonio ineundo, non eadem videtur recipi posse sententia, ut in terminis, quod nequeant haeretici iuxta praemissam *Staleni* aliorumque opinionem matrimonia contrahere, tuetur idem *La Croix* loc. cit. num. 169. sic inquiens: « Probabilius est, non esse licitum contrahere, suadere aut cooperari matrimonio ineundo secundum relatam Staleni et aliorum sententiam, quia secundum damnationem primae propositionis ab Innocentio XI. factam illicitum est in admi-

nistratione sacramenti sequi sententiam probabilem relicta tutiore, quando agitur de valore, nisi aliunde accedat certitudo, uti dictum est lib. VI. par. 2. num. 104. ad n. 111. Atqui sententia Staleni est tantum probabilis, et opposita est tutior, agiturque de sacramenti valore, pro quo non accedit aliunde certitudo, cum sententia illa non sit communiter recepta, nec conformis stylo Curiae Romanae, quae, si interrogetur, resolvit talia matrimonia esse invalide contracta; ergo quando matrimonium est adhuc contrahendum, illicitum est sequi sententiam illam relicta tutiore. » Hactenus memoratus auctor. Et haec sunt, quae ad librandum aestimandumque pondus rationum superius allatarum videntur considerari posse.

49. Ad haec vero, quia inter auctores propugnantes validitatem matrimoniorum, quae sine praesentia parochi ab haereticis contrahuntur, ubi decretum Tridentinae Synodi est promulgatum, rem satis diffuse pertractat *Theophil. Raynaudus* in Haeteroc. spirit. tom. 16. sect. 1. punct. 14. n. 8., atque ex eius argumentis facile in memoriam redire queunt graviora momenta in utramque partem recensita, licet potissimum agere videatur de matrimoniis in Gallia contractis, non abs re est ipsius verba transcribere. Putat ille siquidem valida probari haereticorum coniugia absque parocho contracta: « quia nisi id admittamus, fatendum erit, omnia haereticorum matrimonia in Gallia esse fornicationes, et omnem eorum sobolem esse illegitimam. Nam vix est paroecia ulla in Gallia, in qua decretum Concilii Tridentini adversus clandestina matrimonia non sit promulgatum, et tamen celebrantur ibi ab haereticis coniugia non coram parochis, sed eorum ministris. Igitur, si assistentia parochi aeque pro haereticorum matrimoniis exigeretur ac pro matrimoniis catholicorum, omnia haereticorum matrimonia per Galliam essent scortationes, omnes haereticorum uxores scorta, omnes liberi spurii haberi deberent, quod dici non posse multa evincunt. Nam alioquin male faceret ecclesia, cum id simularet in haereticis, nec ea, ut de aliis sceleribus, quae ex impiis dogmatibus exercente, ut de negatione baptismi pueris extra catechesim, de ciborum contra interdictum usu, deque aliis plerisque illicitis redargueret. Male item faceret, cum redeuntibus ad se a Calvinismo coniugibus, qui in haeresi contraxerunt et consummarunt, non praescriberet ut confiteantur, quoties usi sint praetenso matrimonio; nam iuxta sententiam, quam reiicimus, toties peccassent mortaliter. Et quamvis dici possit, quod id ab aliquibus non sit explicandum, quia fuerunt in bona fide, nec mortaliter deliquerunt ea in parte: tamen plerique alii, ut qui inter eos sunt eruditiores vel a nostris doctoribus id inaudire potuissent, bona fide caruissent, atque adeo tenerentur ad explicandum praedictum numerum, quod dicere esset usum omnium peritorum confessariorum damnare, et illaqueare conscientias, nec modicum obicem conversioni plurimorum opponere. »

50. Ad argumentum ex Tridentino desumptum respondet « hanc legem, tametsi iustam et sanctam, esse tamen humanam, atque adeo adversus eam posse praescribi interveniente bona fide et silente ecclesia. Quamvis enim exemptio a subiectione debita potestati spirituali Summi Pontificis non possit praescribi, cum ea subiectio sit iuris divini, et nulla humana obfirmatione aut voluntate sit abdicabilis, tamen exemptio ab obligatione legis semel latae nec renovatae a superiore praescribi potest consuetudine, ut definivit Greg. IX. cap. ult. de consuetudine, et ex multis DD. confirmat *Covarruvias* 3. Variar. cap. 13., et nominatim quoad leges humanas de sic vel aliter ineundo matrimonio id ipsum notavit *Lessius* de iust. cap. 6. n. 45.; neque dicas ad praescribendum exigi bonam fidem, quae haereticis deest; quamvis enim haeretici quoad dissensum a fidei dogmatibus careant bona fide, tamen quoad usus sacros et leges politicas ecclesiasticas possunt bona fide potiri, praesertim qui non inchoarunt usum contrarium legi ecclesiasticae et praelatis, quorum esset legis neglectae observationem curare, nihil tale urgentibus. »

51. « Quamvis igitur haeretici (prosequitur idem auctor) initio, cum lex Conc. Trid. quoad matrimonia clandestina in locis ipsorum promulgata est, peccaverint, eam non servando, et irrita matrimonia celebrarint non advocando parochum, tamen posteriores, qui priorum vestigiis insistentes de ea obligatione non cogitarunt, nec dubitarunt quin valide sine parocho contraherent, fuerunt quoad hoc in bona fide, tandemque per consuetudinem diuturnam dissimulante ecclesia praescripserunt ius contrahendi valide absque parochi proprii praesentia, non obstante lege Concilii obligante catholicos, circa quos ecclesia invigilavit, ut contra eam legem semel promulgatam non peccarent impune, et ne contra eam possent praescribere. »

52. Respondet etiam argumento desumpto ab auctoritate S. Congr. Concilii, ita scribens: « Quod vero Emin. Cardinales decla-

rationi Tridentinorum decretorum praefecti affirmasse dicuntur, decretum hoc Tridentinum de advocando parocho obligare etiam haereticos, si sit promulgatum in locis, in quibus degunt, expediri potest dicendo, vere ita esse rem spectando unde, et attenta vi iuris humani legitime nondum praescripti. Id enim intererat docere, quia est per se, et pertinet ad communem iuris obligationem. Quod autem aliqui intervenientibus conditionibus ad praescribendum idoneis praescribant contra legem, est per accidens, nec consideratur a sapientibus, sicut, qui diceret legem ieiunii obligare etiam mulieres in tali aetate, recte diceret per se loquendo, neque esset reprehendendus, eo quod mulieres gravidae, etiamsi ad eam aetatis mensuram pertigerint, non teneantur lege ecclesiastica ieiunii; quia per accidens est ad legem latam pro personis in tali aetate constitutis, quod inter eas aliquae habeant impedimentum graviditatis, doctores autem aeque ac legislatores non spectant ea, quae sunt per accidens, sed tantum quae sunt per se.

53. « Hi porro Emin. Interpretes (subiicit ille demum) non habent locum legislatorum, neque urgent obligationem legum ab ecclesia latarum, ut obsistant praescriptionibus adversus eas, sed mere interpretantur legislatoris mentem, qualis fuit, cum lex est lata, ac proinde in re praesenti non infirmant praescriptionem. Nec tantum eam nunc infirmant, postquam legitime praescriptum est, sed etiam non infirmassent nec impedivissent cursum eius, quamvis eorum declaratio fuisset exhibita ante exactum tempus legitimum ad praescriptionem necessarium, quia eorum scripta (ut dixi) sunt tantum declarationes sensus legis a Trid. Synodo latae, non autem confirmationes vel renovationes eius ad abrumpendam inchoatam praescriptionem, tantumque differunt ab interpretationibus privatorum doctorum, quod sint authenticae interpretationes, nec adversus eas recalcitrare liceat, quod fas est adversus aliorum doctorum interpretationes praestare. »

54. Postremo illud etiam pro coronide veluti peculiari animadversione dignum videtur, quod cum viginti et amplius auctores superius indicati sub num. 25. stent pro validitate matrimoniorum, de quibus agitur, et eorum plerique scripserint, cum tantum temporis spatium a die defectionis Hollandiae a fide catholica non praeteriisset, nec eadem, quae modo spem fere omnem redigendi gentes illius ad obedientiam S. sedis praescidit, rerum constitutio firmata esset, ponderandum se offert, an dictorum doctorum sententiae libentius hodie sit adhaerendum, eoque magis, si coniungatur maximâ occasio dubitandi, quod controversum Tridentini decretum nunquam fuerit iis in regionibus legitime promulgatum. Haec enim sola ratio, quod clare non constet de legitima illius promulgatione, sufficere potest, ut pro dictorum matrimoniorum validitate tuto pronuncietur, ad tradita per doctores allegatos sub num. 13. Immo vero Sacram quoque Congr. fuisse in sensu, quod in iis regionibus, ubi non constet decretum praedictum fuisse publicatum in parochiis intelligibili idiomate, seu nunquam receptum et in usu positum, vel ipsius memoria perierit, matrimonia coram non parochis contracta valida sint, apparet ex resolutione emanata in *Indiarum Orientalium matrimon.* 30. Mart. 1669., et confert etiam rescriptum prius editum in causa *Poloniae* 13. Nov. 1638.

55. Quoniam vero de resolutionibus atque rescriptis huius S. Congr. iam pluries incidit sermo, ne ista lateant EE. VV., quotquot ad propositam quaestionem pertinentia summo labore exquisita licuit invenire, ad litteram, uti ea legere est in libris decretorum, Emin. VV. oculis subiiciuntur. At quia ex illis nondum satis Pastorum solicitudini, qui in Belgio finitimisque provinciis animarum curae invigilant, satis consultum videtur, praestat repetere, quod iampridem *Guillelmus Estius* (cuius tamen doctrina num in reliquis mereatur approbari, S. sedis iudicio relinquitur) firmiorem super hac re definitionem exoptans veritus non est pronunciare in 4. dist. 24. §. In fin. « Huic malo, quod ex haereticorum inobedientia nascitur, poterit ecclesia maturiori consilio, quod aliquando futurum speramus, occurrere, idque vel explicando decreti sui sensum, vel novum decretum statuendo.

C. A. Archiep. Philippen.
S. C. C. Secret.

Declaratio SSimi D. N. *Benedicti* XIV. cum instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda.

« Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent sive inter haereticos ex utraque parte sive inter haereticorum ex una parte virum, et catholicam feminam ex alia parte aut vice versa non servata forma a S. Trid. Concilio praescripta, utrum valida habenda sint nec ne, diu multumque disceptatum est animis hominum ac sententiis in diversa

distractis, id quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, cum praesertim episcopi, parochi atque illarum regionum missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta S. sede auderent statuere ac declarare. Cum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti gravique causa apostolicae sedis iudicium vehementius exposceretur, urgeretque id in primis vigilantissimus Iprensis episcopus, dum pro debito officii sui et sua erga B.Petri cathedram observantia de concreditae sibi ecclesiae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet, Clemens XII., id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem quanti oportebat aestimaret, S. Congregationi Emin. Card.Conc. Trid. Interpr. in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem S. Congr. quam accuratissime procedere commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii episcoporum relationibus atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot huius almae Urbis theologos, quibus iniunxit, ut rem totam ea qua decet maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione propter viduitatem, quae incidit Romanae ecclesiae, donec ad summum Pontificatum feliciter evectus SSimus D. N. Benedictus XIV. inter primas regiminis sui curas causae huius cognitionem repeti iussit a memorata S. Congr. Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Emin. Patrum sententiis ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio praefata sub die 13.Maii currentis anni 1741. coram S.Sua fuerit habita, idem SSimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto hanc nuper declarationem et instructionem exarari praecepit, qua veluti certa regula ac norma omnes Belgii antistites, parochi, earumque regionum missionarii et vicarii apostolici deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

Primo scilicet, quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis foederatorum ordinum dominio subiectis celebrata non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis S. Congr. Conc. pro eorum invaliditate respondisse: aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab apostolica sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit declarare, negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse, adeoque si contingat utrumque coniugem ad ecclesiae catholicae sinum se recipere, eodem quo antea coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus, sive masculus sive femina, convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod vero spectat ad ea coniugia, quae pariter in iisdem Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in matrimonium ducat, sive catholica femina haeretico viro nubat, dolens in primis quam maxime S.Sua eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae S. mater ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant, episcopos omnes, vicarios apostolicos, parochos, missionarios et alios quoscunque Dei et ecclesiae fideles ministros in iis partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod huius generis matrimonium Tridentini forma non servata ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, matrimonium huiusmodi, alio non concurrente ca-

nonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum matrimonium inire; id vero debere sibi potissimum in animum inducere coniugem catholicum sive virum sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicae ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

—

Ad haec declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum dictumque est de matrimoniis sive ab haereticis inter se, sive inter catholicos et haereticos initis in locis foederatorum ordinum dominio in Belgio subiectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorundem foederatorum ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*, ita quidem, ut matrimonia ibi praeter Tridentini formam sive inter haereticos utrimque sive inter catholicos et haereticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineat, et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a republica foederatorum ordinum quamvis non iure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa coniugia, quae contrahuntur vel in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent, vel in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus principum catholicorum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis iuxta canonica iuris communis principia probatasque in similibus casibus alias editas a S. Congr. Conc. resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit statuitque ac ab omnibus imposterum observari praecepit. »

Die 4. Novembris 1741.

A Card. Gentili S. C. Concilii Praefectus.

C. A. Arch. Philippen. Secret.

177. Propositis ad supplicationem parochi Xantensis dubiis: I. An matrimonia contracta inter catholicos et haereticos coram ministris acatholicis ducatus Cliviensis sint valida et licita? II. An et quomodo parochi catholici eiusdem ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda? III. An declaratio s. m. Benedicti XIV. quoad Hollandiam et Belgium sit extendenda ad praedictum ducatum? S. C. resp.: consulendum SSimo pro extensione declarationis s. m. Benedicti XIV. ad ducatum Cliviensem iuxta instructionem. *Dub. sup. matr.* 15. Iun. 1793. (Eandem declarationem Clemens XIII. extendit die 29. Nov. 1764. per supremam Inquisitionem ad *Quebecum* et *Canadam*, die 27. Februar. 1765. ad *Vratislaviam*, die 12. Sept. 1765. ad *Malabariam*, die 17. Maii 1767. ad *Bombainum*. Idem fecit *Clemens* XIV. die 5. Maii 1774. quoad *Culmiam*, Pius VI. 2. Mart. 1780. quoad eam *Poloniae* partem, quae Moscorum subest Imperanti. Ad formam Benedictinae valida declaravit Pius VI. die 3. Mart. 1785. mixta *Hiberniae* matrimonia. Conf. Thes. Res. LXII. 153.)

—

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta synodus, reformationis materiam prosequens, haec in praesenti sessione statuenda decernit.

C. I. *Norma procedendi ad creationem episcoporum et cardinalium.*

Si in quibuslibet ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum nihilque praeposterum, multo magis elaborandum, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur

in corpore non inveniatur in capite. Unde, etsi alias [1]) sancta synodus de promovendis ad cathedrales et superiores ecclesias nonnulla utiliter decrevit, hoc tamen munus huiusmodi esse censet, ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut, cum primum ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem et dioecesim indicantur, quibus clerus populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcunque ius quacunque ratione a sede apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint; et quos ex legitimo matrimonio natos, et vita, aetate, doctrina atque aliis omnibus qualitatibus praeditos sciant, quae iuxta sacros canones et Tridentinae huius synodi decreta requiruntur [2]). Quoniam vero in sumendo de praedictis omnibus qualitatibus gravi idoneoque bonorum et doctorum virorum testimonio non uniformis ratio ubique ex nationum, populorum ac morum varietate potest adhiberi, mandat sancta synodus, ut in provinciali synodo per metropolitanum habenda praescribatur quibusque locis et provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma, sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur; ita tamen, ut, cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta [3]) quamprimum ad sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur, ut ipse summus Pontifex, plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes quaecunque, de promovendi qualitatibus et ecclesiae statu a quibuscunque etiam in Romana curia habitae, per cardinalem, qui relationem facturus erit in concistorio, et alios tres cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipsa cardinalis relatoris et trium cardinalium subscriptione roboretur, in qua ipsi singuli quatuor cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia invenisse promovendos qualitatibus a iure et ab hac sancta synodo requisitis praeditos, ac certo existimare sub periculo salutis aeternae, idoneos esse qui ecclesiis praeficiantur; ita ut relatione in uno concistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud concistorium iudicium differatur, nisi aliud beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea vero omnia et singula, quae de episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et caeteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, etiam si diaconi sint, exigenda, quos sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem sancta synodus, tot gravissimis ecclesiae incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universae ecclesiae ex

muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis ecclesiis praeficiat, idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.

[1]) cf. Sess. VI. de ref. c. 1., Sess. VII. de ref. c. 1. et 3. Sess. XXII. de ref. c. 2. — [2]) cf. ead. conc. Trid. cap. cum can. alleg. — [3]) cf. bullam Pii IV. *Iniunctum nobis* infra in Appendice relatam.

C. II. *Synodi provinciales quolibet triennio, dioecesanae quotannis celebrentur; qui eas cogere, quive illis interesse debeant.*

Provincialia concilia [1]), sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis [2]), aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur. Quare metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis coepiscopus antiquior, intra annum ad minus a fine praesentis concilii, et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciae, non praetermittat synodum in provincia sua cogere, quo episcopi omnes et alii, qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Nec episcopi comprovinciales praetextu cuiuslibet consuetudinis ad metropolitanam ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem episcopi, qui nulli archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cuius synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quae ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio et privilegia salva atque integra maneant. Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur [3]), ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, synodo interesse. Quod si in his tam metropolitani quam episcopi et alii supra scripti negligentes fuerint, poenas sacris canonibus sancitas [4]) incurrant.

[1]) cf. c. 2. (Leo I.) 3. (conc. Nic.) 4. (conc. Antioch.) 5. (conc. Laod.) 6. (conc. Chalc.) 7. (synod. Nic. II.) c. 9. (Stat. eccl. ant.) c. 10 (conc. Carth. V.) c. 12. (conc. Arel.) c. 13. (conc. Agath.) c. 14. (conc. Tarrac.) D. XVIII. et al. — [2]) cf. c. 25. X. de accus. V. 1. (Innoc. III.) — [3]) cf. conc. Basil. Sess. XV. — [4]) cf. 1. l. not. 1.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. S. C. resp., posse episcopum in dicto oppido (suae dioecesis) dioecesanam synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam cathedralem celebret. *Acernen.* 17. Maii 1636. (rel. LI. 154.)

(De synodis in dioecesibus unitis habendis cf. decl. ad Sess. VII. c. 2.)

2. Proposito dubio: « An vicarius generalis possit, episcopo absente, synodum dioecesanam congregare, ita ut constitutiones in ea editae sint observandae? S. C. resp., non potuisse absque speciali mandato episcopi, ac propterea constitutiones in synodo, ut proponitur, factas esse ipso iure nullas. 4. Dec. 1655. Ex l. XIX. Decr. p. 543. all. a *Bened.* XIV. de syn. dioec. II. 8.

3. S. C. censuit, abbatem non posse congregare synodum, quamvis habeat iurisdictionem quasi episcopalem, nisi etiam habeat ius congregandi synodum (sc. expresse per beneplacitum apost. concessum.) *Nullius* 17. Aug. 1626. (all. VIII. p. 104.)

4. Abbatem non posse convocare synodum, quamvis habeat iurisdictionem quasi episcopalem et in specie ius libere concur-

sus quoscunque ad beneficia curata vacantia indicendi et instituendi, resp. S. C. in *Nullius* s. *Messan.* 5. Iul. 1738.

—

5. Episcopum in synodo dioecesana per se constitutiones facere posse absque consensu et approbatione cleri, requirendum tamen consilium capituli, licet id non teneatur sequi episcopus praeterquam in casibus a iure expressis, S. C. censuit in *Urgellen.* 1581. l. III. Decr. p. 34. Eodem modo rescr. in *Burgen.* 5. Iul. 1627. l. XIII. Decr. p. 267. et saepius. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 1.

6. S. C. rogata, ut recognosceret acta dioecesanae synodi Strongolensis, resp.: se non consuevisse revidere et approbare, nisi synodos provinciales ex constitutione Sixti V., et quod idcirco episcopus uteretur iure sibi ex S. Conc. competente, 17. Iun. 1645. Ex l. XVII. Decr. p. 484. ap. *Bened.* XIV. l. c. XIII. 3.

7. Cum episcopus Asculanus synodum habiturus decreta quaedam, quae ferre constituerat, capitulo ecclesiae cathedralis et parochis civitatis legenda tradidisset, nimis aspera ea esse rati parochi per procuratores episcopum adierunt, ut ea moderaretur protestationemque in synodo sibi reservarunt. Quae cum prospere non succesissent, demum protestationem, qua cleri mentem ab illorum decretorum approbatione alienam esse dicebant, obtulerunt procuratori cleri, eoque illius receptionem scripto fateri recusante, ope publici notarii illam insinuandam curaverunt. Moniti postea, ut quae emollienda cuperent specifice indigitarent, cleri tantum nomine expuncto, renovarunt protestationem. Re delata ad S. C., cum rescriptum prodiisset: « Episcopus procedat prout de iure », vocatis parochis episcopus iniunxit, ut recollectiones spirituales in religiosis domibus unicuique ab episcopo designandis iuxta instructionem dandam earundem recollectionum directoribus explerent. Provocarunt ab hoc decreto parochi et dubio proposito: An decretum poenale episcopi sit exsequendum in casu? S. C. rescr. *ad mentem*, et mens erat, quod suspenso decreto poenali una simul et publice petant veniam ab episcopo. *Ascul.* 29. Aug. 1767.

8. Episcopus Aquinas, postquam clericis suae dioecesis hanc legem imposuerat, ut synodales constitutiones ab ipso in lucem editas sub poena suspensionis et censurarum emerent, canonicos cathedralis ecclesiae, cum huic mandato satis non fecissent, in suspensionem a divinis incidisse declaravit. Ab hac sententia cum canonici appellassent, suspensionem non teneri S. C. iudicavit. *Aquin.* 28. Febr. 1750. Simili modo clericos dioecesanos ad emenda synodi exemplaria cogi non posse censuit *Larinensi* 30. Aug. 1732.

—

9. S. C. resp.: Vicarium generalem in dioecesana synodo habere locum ante canonicos et dignitates ecclesiae cathedralis, si non sint parati. *Petragoricen.* 16. Sept. 1649. ex l. XVIII. Decr. p. 678. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. III. 10. (qui tamen ex ipsis declarationibus S. C. addit: « nisi vicario assistat consuetudo etiam tunc praecedendi, aut nisi ipse pariter sit indutus habitu praelatitio, rocheto videlicet et mantelletta »).

10. S. C. censuit, episcopum non posse cogere ad accedendum ad synodum habentes beneficia simplicia, nisi ex consuetudine aliud observatum fuerit. *Tulen.* 17. Mart. 1593. Ex l. VII. Decr. p. 69. rel. a *Bened.* XIV. l. c. III. 6.

11. Episc. Balneoregiensi supplicante responderi: I. An ipse cogere possit simplices sacerdotes non beneficiatos suae dioecesis ad interessendum synodo dioecesanae? II. Et quid, si concurrat consuetudo? S. C. resp. posse cogere, quando in synodo agendum est de reformatione morum sive de aliqua re concernente totum clerum vel de intimandis decretis factis in synodo provinciali; hoc autem casu in ipsa synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de praedictis erit tractandum. Ad II. concurrente consuetudine posse. 15. Dec. 1629. Ex l. XIV. Decr. rel. a *Bened.* XIV. ib. III. 6.

Utramque resp. confirmavit in *Ianuen.*

—

10. Sept. 1633., addens in circumstantiis in quibus simplices beneficiarii aliique de clero synodo adesse coguntur, eos non esse admittendos ad votum ferendum pro confirmatione iudicum et examinatorum synodalium. Ex l. XIV. Decr. p. 780. rel. ib.

Repetitae denique sunt in *Forosempron.* d. 17. Ian. 1654., adiuncta ad episcopum secreta monitione, ne absque necessitate cogeret clericos et sacerdotes ad interessendum synodo. Ex l. XIX. Decr. p. 302. rel. ib.

12. Quaeritur an, sicut episcopus exemptus tenetur semel eligere metropolitanum eiusque conciliis provincialibus interesse et decreta in illis condita observare, idem dicendum sit de capitulis exemptis, vel potius dicendum sit, ut decreta illius concilii provincialis, cui interfuerit illorum episcopus non exemptus, observari debeant. SS. D. N., etiam ex sententia S. Congr. Concilii declaravit, ita debere observari.

1573. Ex l. I. Decr. p. 51. ap. *Bened.* XIV. l. c. XIII. 8.

13. S. C. censuit, esse iniungendum omnibus regularibus, qui vel capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, ut ad synodos dioecesanas accedant sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae, atque aliis poenis arbitrio episcoporum imponendis, etiam excommunicationis, adeo ut ius declarandi atque poenas imponendi ad episcopos non obstante quacunque consuetudine pertineat, eisdemque episcopis ius sit praedictos regulares, qui nullis capitulis subduntur, absolute cogere ad dioecesanae synodi observationem, eos vero, qui ratione curae animarum interfuerint, ad servanda ea omnia, quae in synodo decreta fuerint circa curam animarum, et administrationem sacramentorum. 17. Dec. 1604. Ex l. X. Decr. p. 102. rel. a *Bened.* XIII. l. c. III. 1. Quod de parochis regularibus hic statutum est iterum confirmavit S. C. in *Passav.* 1. Oct. 1667. (*Bened.* XIV. ib.)

14. Ad dubia: I. An patres guardiani ceterique superiores parvorum conventuum (i. e. eorum, in quibus non sunt sex regulares ex decr. Innoc. X. *Ut in parvis*) teneantur accedere ad synodum dioecesanam, quatenus fuerint vocati ab episcopo tanquam sedis ap. delegato, et quatenus affirmative: II. An casu, quo non interveniant, subiacere debeant mulctae in praedicta synodo dioecesana adversus contumaces comminata? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. pariter *affirmative* arbitrio ordinarii excepta mulcta pecuniaria. *Pientina* 16. Iul. 1703. rel. a *Bened.* XIV. ib. III. 2.

15. Episcopum procedere posse ad poenas etiam censurarum contra regulares exercentes curam animarum in ecclesiis parochialibus regularium, si renuant accedere ad synodum, non autem contra superiores eorundem regularium. *Segov.* 1. Apr. 1656. ex l. XIX. Decr. p. 560. rel. a *Bened.* XIV. ib. III. 1.

16. Ad dubium: An rectores, qui sunt nullius dioecesis, teneantur accedere ad synodum dioecesanam illius episcopi, qui tanquam proximior potest eos visitare? S. C. resp. *teneri* 12. Febr. 1622. Ex l. XII. Decr. p. 90. rel. a *Bened.* XIV. l. c. III. 5.

—

17. Ecclesia collegiata S. Agathae civitatis Cremonae subiecta immediate fuit sedi apostolicae atque eo privilegio fruebatur etiam postquam ad saecularem statum redacta erat. De episcopi iurisdictione ac potestate eam ad synodum vocandi ante Tridentinum exempta erat, praepositusque eius multa iura episcopalia possidebat. Rixis inter eum et episcopum Cremonen. exortis, S. C. rescripsit: episcopum posse cogere praepositum ad accedendum in synodum dioecesanam ex decreto Conc. Trid.. Sess. 24. cap. 2. *Cremonen.* 15. Maii 1574. Eadem S. C. resp.: praepositum et canonicos subesse scrutinio dioecesanae synodi; et posse episcopum procedere ad poenas canonicas contra praepositum et capitulum ob non accessum ad synodum, a. 1674., 5. Apr. 1732. et 29. Aug. 1732. ad dub. IV. et V.

18. Capitulum non exemptum subiectum est constitutionibus synodalibus sive aliis legibus etiam per edicta ab episcopis absque illius consensu et assensu factis. *Gerunden.* ad dub. IV. 19. Dec. 1739.

19. S. C. censuit, episcopum cogere posse ad interessendum congregationi casuum conscientiae parochos tam saeculares quam regulares curam animarum exercentes, in *Forosempron.* d. 3. Sept. 1650. Ex l. XIX. Decr. p. 76. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CIII.

—

20. An episcopus possit compellere canonicos, confessarios ceterosque presbyteros cathedralis sub poena pecuniaria, ut accedant ad congregationem casuum conscientiae? S. C. resp., posse compellere omnes sacerdotes saeculares confessarios, etiamsi sint canonici, ceteros vero non posse compellere, sed hortari, d. 15. Mart. 1692. Ex l. 42. Decr. p. 147. rel. a *Bened.* XIV. ib.

(cf. decl. extr. ad c. 15. Sess. XXIII.)

C. III. *Qua ratione visitatio per praelatos facienda.*

Patriarchae, primates, metropolitani et episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint [x]), per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. A metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur cathedrales ecclesiae, neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in

concilio provinciali. Archidiaconi autem, decani et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare; visitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum ius visitandi habet, prius ab episcopo approbentur; sed non ideo episcopus, vel eo impedito eius visitator, easdem ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur, cui ipsi archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere, et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur; non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus et privilegiis quibuscunque. Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus [2]), sanam orthodoxamque doctrinam expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate Christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint [3]), neve ipsi aut quisquam suorum quicquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus [4]), quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare; salvo item iure conventionum antiquarum cum monasteriis aliisve piis locis aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat. In iis vero locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quispiam, quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is, praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis iuxta constitutionem concilii generalis Lugdunensis, quae incipit: *Exigit* [5]), nec non et aliis poenis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniae mulctetur. Patroni vero in iis, quae ad sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere, neque visitationi ornamentorum ecclesiae, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat; sed episcopi ipsi haec faciant et fabricarum reditus in usus ecclesiae necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

[1]) cf. c. 11. C. X. qu. 1. (conc. Tol. IV.) — [2]) c. 1. §. 4. de cens. in VIto III. 20. (Innoc. IV.) [3]) cf. c. 1. C. X. qu. 1. (conc. Brac. II.), c. 7. ib. (Conc. Cabil. II.), c. 8. ib. (conc. Tol. VII.), c. 6. X. de cens. III. 39. (conc. Lat. III.) — [4]) cf. c. 1. de off. ord. in VIto I. 16. (Bonif. VIII.) — [5]) cf. c. 2. de cens. in VIto III. 20.: «Exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam poenam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papae IV. praedecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptione munerum visitantibus eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas praeterire, volentes inviolabiliter observari, eam decernimus poenae adiectione iuvandam; statuentes, ut universi et singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias constitutionem ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procu-

rationis occasione, violare praesumpserint, duplum eius, quod receperint, ecclesiae, a qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc patriarchae, archiepiscopi, episcopi, duplum ipsum ultra praedictum tempus restituere differentes, ingressum sibi ecclesiae sentiant interdictum. Inferiores vero ab officio et beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo huiusmodi gravatis ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura. »

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Proposito dubio: An episcopus, qui si commode fieri possit, dioecesim suam quotannis visitare tenetur, possit huiusmodi visitationem facere per mensem vel circiter ante quam labatur integer annus a die peractae ultimae visitationis, vel potius debeat exspectare, quod anni circulus integre compleatur ante quam denuo visitet, ita ut intra singuli cuiuslibet anni cursum una tantum visitatio fiat? S. C. resp. *affirmative*, sed non posse percipere procurationem neque victualia nisi semel in anno. 19. Sept. 1682. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. X. 10. Eodem modo resc. in *S. Marci* 16. Ian. 1723. ad dub. 1.

—

2. S.C. petente episcopo Laonen. Hibern. declaravit: metropolitano non esse permissum visitare dioecesim episcopi suffraganei nisi ad praescriptum c. 3. Sess. XXIV. d. 10. Maii 1631. Quod decretum Urbanus VIII. per litteras d. 6. Iunii eiusd. anni datas approbavit. (Bull. T. VI. p. 1. p. 277.)

3. Dubio proposito: « An ceteris omnibus episcopis suffraganeis in provinciali synodo consentientibus, quod eorum metropolitanus cunctas provinciae dioeceses visitet, et uno duntaxat suffraganeo dissentiente ex eo, quod nulla adsit necessitas huiusmodi visitationis faciendae, nihilominus possit metropolitanus visitare dioecesim suffraganei dissentientis? » S. C. rescripsit *negative Hiberniae* 29. Nov. 1687. (alleg. IX. 99.)

4. Cum ex consuetudine capitulo cuidam ius esset visitandi dioecesim per delegatos una cum episcopo, vel eo impedito cum visitatoribus ab eo deputatis, S. C. respondit, ius tale capituli constare, citra tamen actus iurisdictionales ad episcopum seu visitatores ab ipso delegatos privative spectantes; canonicos deinde a capitulo deputatos ad explendam visitationem primum esse approbandos ab episcopo ad formam cap. 3. Sess. XXIV. conc. Trid.; gratiam distributionum choralium canonicis episcopum visitantem sociantibus concessam in suo robore debere permanere, in *Pisana* 28. Mart. 1835.

(vide decl. ad Sess. VI. 4. VII. 8. XXV. 6.)

—

5. Modernus episcopus Castrensis comperit, praedecessores suos in visitatione ecclesiae cathedralis consuevisse exigere a capitulo ducatos sex ratione procurationis, innixos forte auctoritate Hostiensis et Abbatis in c. *Venerabili* de censibus (c. 24. X. de cens. III. 39.) et *Genuensis* in praxi curiae archiep. Neapol. c. 19. iuxta antiquam impressionem, eam reddentium rationem, quia procuratio non solum ob victus necessitatem, verum etiam ratione officii et in signum subiectionis episcopo debetur. Quia tamen contrarium affirmat *Piasec.* in praxi episcop. parte II. c. 3. n. 65. asserens, ita pluries respondisse hanc S. C., ideo anceps, cuinam opinioni sit adhaerendum, abstinuit ab exactione, interea supplicans decerni: An episcopo ecclesiam *cathedralem* et alia loca pia visitanti debita sit procuratio? S. C. resp. *negative*. Castren. 17. Nov. 1685. (XXXVI. 306.)

Eodem modo cum quaereretur ab episcopo Aliphano, an episcopo visitanti clerum civitatis Aliphanae procuratio debeatur? d. 18. Iul. 1705. resp. *negative*. Et ad dubia: I. An pro visitatione ecclesiarum et locorum piorum civitatis Valentiae solvenda sit archiepiscopo vel eius delegato procuratio, etiam sub nomine emolumenti in casu? et quatenus negative: II. An et in qua summa sit locus restitutioni pecuniarum exactarum in casu? resp.: ad I. *negative* et *amplius*, ad II. *affirmative* pro summa exacta tantum et *amplius*. *Valentina* 30. Ian. 1768.

6. Episcopo visitanti loci dioecesis ecclesiam aliquam, quae a Pontifice in cathedralem fuerat erecta, procurationem non deberi, respondit S. C. in *Aquinaten.* et *Pontiscurvi* 18. Iun. 1808.

7. Omnes, qui visitationi sunt subiecti, confraternitates et beneficiorum simplicium ac capellarum possessores, per contributum ad procurationem teneri, quamvis illa ab uno parocho tantum exigi solita esset, S. C. censuit in *Narnien.* 12. Sept. 1654. (alleg. XXXIV. 267.), *Iuvenacen.* 23. Ian. 1706. (alleg. XII. 103.) *Fanen.* 24. Aug. 1743.

8. Confraternitates laicales teneri ad contribuendam episcopo procurationem pro

rata temporis visitationis, resp. S. C. in *Spolet.* 14. Ian. 1710. (all. IX. 152. P. II.)

—

9. « S. Trid. Conc. Sess. 24. cap. 3. de ref. demandavit episcopis, ut vel per se, vel per suum vicarium generalem aut visitatorem quotannis visitarent totam dioecesim, et si id intra dictum tempus propter dioecesis latitudinem fieri non posset, visitatio modo praedicto, hoc est vel ipsos per episcopos vel per vicarios generales aut visitatores, intra biennium compleretur. Plura etiam idem concilium statuit quoad procurationem a visitandis exigendam et inter cetera decrevit, ut consuetudo vigens in locis seu provinciis nihil in visitatione accipiendi punctualiter observetur, per quam conciliarem dispositionem correcta est dispositio iuris communis in cap. *Venerabili* de censibus (c.24.XXIII. 39.), ad cuius tramites procuratio ratione visitationis debita non erat a subdito praescriptibilis, uti bene ponderat *Fagnan.* in dictum cap. num. 20. seqq.

Pluries ab hac Sac. Congr. editae sunt resolutiones pro regulanda materia procurationis.

Quoad *monasteria* etenim *monialium* sive earum ecclesias sic resolutum fuit in *Volaterrana* 13. Nov. 1638., l. XVI. Decr. pag. 116. a tergo, ibi: « Sacra etc. censuit, episcopo visitanti ecclesiam monialium, si in ea non adsit beneficium, non deberi procurationem seu expensas victualium. »

Quoad *possidentes beneficia simplicia* sic resolutum fuit die 12. Sept. 1654., l. XIX. decr. pag. 399,, ibi: « Quaeritur, partibus citatis et auditis, an obtinentes beneficia simplicia in terra *Garbii* teneantur cum parochis contribuere procurationi episcopo visitanti dioecesim praestandae? Sacra etc. censuit, huiusmodi beneficiatos teneri contribuere cum parochis procurationi episcopo visitanti dioecesim. « Et demum quoad eosdem beneficiatos et quoad *confraternitates*, disputatis in causa *Boianen.* 14. Nov. 1654. pluribus dubiis, uti habetur l. XIX. Decr. pag. 427. a tergo, quartum erat conceptum sequentibus verbis: « An obtinentes beneficia etiam simplicia seu capellanias in titulum teneantur contribuere dictis victualibus? « et huic dubio responsum fuit: « Obtinentes beneficia seu capellanias in titulum teneri pro rata contribuere: » et quintum erat conceptum his aliis verbis: « An eisdem victualibus teneantur contribuere confraternitates laicorum? » et huic dubio responsum fuit: « Confraternitates visitatas teneri ad eandem contributionem pro rata. »

In terra montis Philoptrani quatuor existunt ecclesiae parochiales, adsunt confraternitates et adest monasterium monialium S. Clarae, cui unitus est conventus S. Augustini suppressus; cumque occasione visitationis in dicta terra expletae ab Emin. dominis de Abdua, Spada, et Pipia, praepositus Gentilonus eos in domum suam receperit, et necessarias procurationis expensas solus subiverit, et contributum exigere praetenderit ab aliis visitatis iuxta demandata a supradictis Emin. de Abdua et Spada, et alii parochi contributo non refragentur, sed ad illud moniales et confraternitates dicant se non teneri, quaestio exorta est ad hanc Sac. Congr. delata, super qua requisitus Emin. Pipia pro informatione respondit, moniales et alia loca terrae nolle contribuere eo sub obtentu, quod sunt in pacifica possessione nihil contribuendi.

In simili controversia adest resolutio S. Congr. in *Signina* 2. Aug. 1670., L. XXVI. Decr. pag. 392., quae est concepta sequentibus verbis: « Nonnulli beneficiati simplices et confraternitates terrae vallis Montanae conqueruntur, quod, licet ab antiquo tempore procuratio episcopo visitanti solvi consueverit a capitulo et canonicis dictae terrae, absque eo quod oratores aliquid contribuere gravati fuerint, nihilominus dictum capitulum illos respective taxavit pro huiusmodi contributione. Ideo supplicatur per Sac. Congr. declarari, an dictis beneficiatis et confraternitatibus suffragetur asserta consuetudo, quominus ad dictam contributionem minime cogendi sint. Sacra etc. auditis partibus et iuribus hinc inde deductis censuit, beneficiatos et confraternitates terrae vallis Montanae teneri procurationem contribuere episcopo visitanti, nec illis suffragari assertam consuetudinem, quod huiusmodi procuratio solvi consueverit a capitulo et canonicis collegiatae dictae terrae.

Verum quidquid sit de consuetudine, scribens pro monasterio monialium S. Clarae et confraternitatibus laicalibus contendit, nec monasterium nec confraternitates teneri ad contribuendum propter paupertatem, qua laborant; eo etenim concurrente statim consurgit exemptio a solutione procurationis iuxta late firmata per modernum episcopum Anagninum in tract. de sodalit. qu. 13. num. 8. Addit, parochos esse divites et ex hoc motivo introductum fuisse, quod in hac terra et alii parochi in aliis locis dioecesis solvant integram procurationem. Pro monialibus S. Clarae ultra paupertatem facere potest, quod *episcopus visitans parvum conventum suae iurisdictioni*

suppositum nihil potest accipere titulo procurationis iuxta resolutionem Sac. Congr. super statu regul. impressa apud *Lantuscum* in verbo *Conventus* num. 16.

E contra scribens pro parochis dicit, allegatam paupertatem non esse probatam.

Ex iuribus itaque circumferendis dignabantur EE. VV. decernere: I. An procuratio sit praestanda per contributum ab omnibus parochis, beneficiatis, ecclesiis, monasteriis et confraternitatibus montis Philoptrani? Et quatenus affirmative: II. An parochi, qui sustinuerunt totum pondus procurationis in retroactis visitationibus sint proportionabiliter reintegrandi, et a quo fieri debeat repartitio et exactio in casu? »

Sac. Congr. respondit: Ad I. *affirmative.* Ad II. *affirmative* pro ultimis procurationibus, et *amplius*, in *Auximana* 8. Febr. et 15. Mart. 1727.

10. « Visitationem oppidi Gallesii obeunte episcopo, ut pro cibariis ei subministratis a capitulo primariae ecclesiae pecuniam etiam contribuerent alia loca pia ceterique beneficiati, approbatum ab ipso episcopo fuit folium, in quo, servata proportionis ratione, descripta fuerat huius sumptus partitio in singulos. At dolent ecclesiastici piorumque locorum administratores se huiusmodi oneri utpote inusitato subiici. Contendunt quippe totum hoc onus, quod procuratio appellatur, subire hactenus semper consuevisse capitulum, neque hanc veterem consuetudinem esse mutandam.

Capitulum vero innititur decreto Trid. synodi, quae in cap. 3. Sess. XXIV. de ref. contributionem indiscriminatim imperat iis, qui visitantur.

Profert etiam decretum ab hac S. Congr. editum in *Signina procur.* 2. August. 1670. his verbis: « Beneficiatos et confraternitates terrae Vallis Montanae teneri contribuere procurationem episcopo visitanti, nec illis suffragari assertam consuetudinem, quod huiusmodi procuratio solvi consueverit a capitulo et canonicis collegiatae dictae terrae, » ut in l. XXVI. Decr. p. 392.

Eadem quoque fuit huius S. Congr. sententia in *Nepesina procurationis* et *exactionum* 3. Dec. 1712. et 27. Maii 1713, ut in l. LXII. Decr. p. 444., et l. LXIII. p. 218., et recentius in *Auximana procur.* 15. Mart. 1727., ut in l. LXXVII. Decr. p. 149.

Determinandum itaque erit: I. An omnes beneficiati, confraternitates et loca pia Gallesii teneantur ad procurationem solvendam episcopo visitanti iuxta repartitionem ab eo approbatam? Et quatenus affirmative: II. An obstet consuetudo contraria in casu?

S. C. respondit: Ad I. *affirmative*, ad II. *negative et amplius*, in *Civitatis Castell.* 28. Nov. 1733. et 9. Ian. 1734.

11. Cum in aliqua dioecesi omnia hospitalia atque montes pietatis subiecti essent procurationi episcopo visitanti solvendae ex consuetudine generali, certum quoque hospitale et montem pietatis, qui libertatem contendebant, ei esse subiectos, resp. S. C. in *Ariminen.* 27. Maii 1837.

—

12. In facultate capituli et cleri consistere, utrum subministrare episcopo visitanti procurationem in victualibus an in pecunia in summa moderata ad formam Concilii velint, resp. S. C. in *Potentina* 10. Ian. 1705. ad I. et II. (alleg. IX. p. 122. P. II.)

13. *Peculiarem* alicuius ecclesiae contra procurationis solutionem *praescriptionem* etsi immemorabilem nihili duxit S. C. (quamvis admittat generalem consuetudinem) in *Pientina* 26. Nov. 1756., *Aquipendien.* 21. Apr. 1787., *Nursina* 8. Maii 1824.

—

14. Episcopus nequit exigere ab eccl. paroch. Ord. S. Hierosol. subsidium caritativum, cathedraticum, synodaticum, procurationem, cum eas visitet iure non ordinario, sed delegato. *Augustan.* 14. Dec. 1630. (V. 275.), *Guardien.* 14. Nov. 1733. Similiter PP. Camaldulenses solvere non teneri procurationem episcopo occasione visitationis, resp. in *Brictinorien.* 27. Aug. 1712. (alleg. IX. 173. P. II.), et quoad ecclesias et vicarias subiectas monasteriis Congregationis Cassinensium in *Florentina* 7. Ian. 1727.

—

15. Ante annum 1678., quo taxa Innocentii XI. apparuit, S. C., ubi consuetudo legitima vigebat, etiam universitates laicas episcopo sacramentum confirmationis ministranti procurationem s. victualia dare teneri responderat, uti in *Bisonen.* 14. Nov. 1654., *Nucerin.* 5. Iul. 1607., *Minerbien.* 4. Apr. 1655., *Senogallien.* 11. Apr. 1609. (citt. XCVII. 303.) *Sabinen.* 13. Nov. 1638. (all. LI. 47.)

Sed postea, vulgata ab Innocentio XI. taxa, consuetudinem eiusmodi non probavit. Ita in *Amalphitana* ad dubium: An occasione administrationis sacramenti confirmationis in visitatione archiepiscopus potuerit et possit in futurum procurationem ab universitatibus laicis exigere, et an exactas restituere teneatur? d. 18. Iul. 1699. resp. *negative* ad primam partem, et *affirmative* quoad secundam a die habiti recursus.

Similiter ad quaestionem: an liceat episcopo Ferentino occasione S. visitationis exigere procurationem a communitatibus suae dioecesis ex causa administrationis sacramenti confirmationis etiam vigore immemorabilis consuetudinis in casu? resp. *negative* ex causa administrationis sacramenti confirmationis. *Ferentina* 20. Apr. 1782.

16. Postquam communitas quaedam urgente archipresbytero in expensas procurationis episcopi trina vice contribuerat, de contribuendi obligatione quaestio movebatur. Episcopus auditus respondit, sese censuisse communitatem teneri non ad procurationem, sed ad expensas sui personalis accessus ad S. confirmationis sacramentum populo administrandum. Contra vero communitas asseruit, vetitum esse episcopis ne quicquam pro collatione confirmationis sive a singulis confirmatis sive a communitatibus exigant, idque locum habere etiam si iter faciat dioecesim visitando, atque accedat ad oppida et terras sive gratia visitationis sive expresse ut conferat confirmationis sacramentum. Cum itaque quaereretur, an et pro qua summa teneatur contribuere communitas, S. C. censuit: *Negative. Amerina* 22. Dec. 1755.

—

17. Episcopus quidam procurationes indebitas exegerat, atque a S. Congr. ad illas restituendas condemnatus fuit. Quas cum denuo exegisset, plures sacerdotes veterem illam de indebitis exactionibus quaestionem instaurarunt. Episcopus vero, huius rei certior factus, subscribi iussit ab illis « declarationem, quae testatum faceret grati animi obsequium, quo illi tenebantur erga sui amantissimum praesulem. » Cui mandato cum non obtemperassent, episcopus ad personalem visitationem eos evocavit ac tanquam sacrorum rituum ignaros ab officio suspendit, quamvis eorum aliquos ad audiendas confessiones atque concionandi munus pridem probasset, neque in generali visitatione eodem anno facta ullus eiusmodi inscientiae esset reus inventus. Delegatus itaque est archiepiscopus ut eos examinaret. Cuius vicarius generalis cum omnes idoneos reperisset, suspensionem non sustineri, episcopum vero teneri ad reformationem damnorum, quae sacerdotes illi ex causa suspensionis passi essent, inhiberi denique episcopo posse, ne inconsulta S. Congr. procedat ad actus irretractabiles contra eosdem sacerdotes pro tempore arbitrio S. Congregationis, responsum fuit in *Policastren.* 28. Sept. 1743.

—

18. « Inter cetera iura episcopalia cathedraticum recensetur, quod ad duos solidos ab unaquaque ecclesia et persona dicto onere affecta solvendos restringitur, iuxta concilium Bracarense et concilium Toletanum VII. de quibus in can. *Inter cetera* (c. 8. C. X. Qu. III.), et licet horum conciliorum utpote non generalium constitutiones vim legis in universa ecclesia obtinere minime valeant, quamvis insertae in decreto Gratiani, iuxta propositionem etiam in tribunalibus Urbis receptam, de qua *Rota* decis. 377. num. 36. et seqq. coram *Penia* in Veneta editione, memoratum nihilominus ius cathedratici et quidem in quantitate supra expressa suum fundamentum habet in iure communi, in sequelam videlicet decretalis Honorii III. in cap. *Conquerente* de officio iud. ordinarii (c. 16. X. I. 31.), absque eo quod iuri cathedratici derogatum dici valeat a Sac. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 3. de ref., cum concilium ibi alias quasdam prohibuerit exactiones, sed cathedraticum nullatenus excluserit, *Thomassini* de benef. P. III. L. II. cap. 34. n. 7., *Fagnan.* in cap. cit. num. 48. et seqq., et in cap. *Venerabili* num. 16. et seqq. (c. 24. x. III. 39.); adeoque S. Carolus Borromaeus fidelissimus Sacri Concilii Tridentini exsecutor in sua secunda synodo legem renovavit cathedratici: « *illud* sacris canonibus constitutum est, ut a singulis parochis in dioecesana synodo cathedratici nomine solidi duo exigantur, idque argumento honoris, qui cathedrali ecclesiae tanquam matri a ceteris parochialibus ecclesiis tribui debet, » et quod caput est, inter ceteras resolutiones ab hac S. Congr. editas anno 1587. L. V. Decr. pag. 50. a tergo haec habentur: « Congregatio Concilii censuit, Concilium Tridentinum nequaquam sustulisse cathedraticum, non illud tamen solvendum in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione. » Et concordat alia anni 1591., L. VII. Decr. p. 6., ibi: « Quod si episcopo cathedraticum legitime et vere debeatur, illud plane exigere posse, alio tamen tempore quam visitationis. »

Et in quadam causa *Albinganen.* anni 1644., in qua, tria dubia fuerunt disputata super cathedratico, responsum fuit: « Cathedraticum posse exigi ab episcopo, licet in praeteritum non fuerit exactum, dummodo fuerit exactum a suis praedecessoribus, et exigi tantum posse duos solidos iuxta iuris communis dispositionem, et in moneta antiqua iuxta illius aestimationem, non concurrente contraria consuetudine, et exactionem demum non esse faciendam a toto clero, sed tantum ab ecclesiis, capellis et

beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium apostolicum exemptionis vel immemorabilis. » Et denique in causa *Amalphitana cathedratici* 5. Sept. 1705. rescriptum fuit, cathedraticum esse solvendum archiepiscopo Amalphitano a parochis et beneficiatis terrae Tramontis, et die 26. Febr. 1707. resolutum fuit, illud esse dicto archiepiscopo debitum a die adeptae possessionis, et solvendum esse a parochis tam ratione parochiae quam ratione beneficiorum parochiis unitorum, uti habetur L. LV. Decr. pag. 326. et L. LVII. Decr. pag. 68.

Inter cetera quoque iura episcopalia recensetur *quarta decimarum* et *quarta funeralium*, uti habetur in cit. cap. *Conquerente*, cui pariter non fuit ullo modo derogatum a Concilio Tridentino cit. cap. 3. Sess. 24., uti habetur apud *Fagnan.* in cap. cit. *Venerabili* num. 17.

Ad horum iurium tramites episcopus Anglonen. petit a clero terrae Carbonis cathedraticum, quartam decimarum et quartam funeralium, cum ex resolutionibus huius Sac. Congr. habeatur, terram Carbonis esse in et de dioecesi Anglonen., nec idem episcopus sibi obesse posse putat contrariam consuetudinem, tum quia praedicta iura in dioecesi Anglonen. persolvuntur, tum quia ante declarationes huius S. Congr. super subiectione terrae Carbonis suae dioecesi, non est curandum, quid in ea gestum fuerit, et demum quia in ordine ad cathedraticum consuetudo etiam immemorabilis contraria non suffragatur, uti revocata formiter ad examen citata Albinganen. resolutum fuit in *Lavellen. cathedratici* 6. Iun. 1693., L. XLIII. Decr. p. 261., ibi: An cathedraticum episcopo debeatur, non obstante immemorabili in contrarium? Huic etenim dubio responsum fuit *affirmative* ad formam iuris ab ecclesiis et beneficiatis.

His stantibus quaeritur: I. An episcopo debeatur cathedraticum? II. An eidem debeatur quarta decimarum? III. An eidem debeatur quarta funeralium? » S. Congr. respondit: Ad primum, secundum, et tertium *affirmative*. » *Anglonensis* 30. Ian. 1723.

19. Cum quaesitum fuisset, an cathedraticum sit solvendum a parochis ratione parochiae tantum, quam possident in titulum, vel potius ratione etiam beneficiorum eisdem parochiis unitorum? S. C. 26. Febr. 1707. resp. *affirmative et amplius*.. (XLIII, 203.)

20. Cum de cathedratico de beneficiis praebendae theologali et poenitentiariae unitis solvendo ageretur, ad dubium: An et a quo tempore et in qua annua summa debeatur cathedraticum pro beneficiis unitis praebendae theologali et poenitentiariae cathedralis in casu? S. C. resp. *affirmative* a die adeptae per episcopum possessionis et in summa praefinita a conc. Romano (1725.) *Camerinen.* 18. Mart. 1775. Eodem modo rescripserat in *Tolentina.* 14. Mart. 1739.

21. Canonicos possidentes praebendas distinctas et non partecipantes de massa teneri ad solutionem cathedratici non in communi cum canonicis de massa, sed uti singulos pro suis praebendis, resp. S. C. in *Viterbien.* 7. Apr. 1742.

22. Cathedraticum ab ecclesia de iure patronatus laicali communitatis alicuius solvi debere S. C. censuit in *Ferentina* d. 19. Apr. 1760.

23. Cathedraticum solvere tenentur confraternitates erectae auctoritate ordinaria et habentes propriam ecclesiam. *Firmana* 24. Iul. 1734. ad II.

24. Cathedraticum posse exigere episcopum a confraternitatibus laicalibus propter uniones earum cum beneficiis seu ecclesiis, resp. S. C. in *Cathacen.* 21. Maii 1644. L. XVII. Decr. pag. 321., *Maceraten.* 8. Maii 1734. *Asculana* 22. Maii 1734. ad. dub. III. (in qua censuit: « deberi etiam ab ecclesiis confraternitatum laicalium non habentibus beneficia ecclesiastica. »)

25. Cathedraticum solvere non tenentur confraternitates non habentes propriam ecclesiam, sed simplicem tantum capellaniam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectae. *Firmana* 24. Iul. 1734. ad dub. III.

26. In solutione cathedratici detrahenda non esse a beneficiis onus missarum ceteraque onera, censuit S. C. in *Asculana* ad dub. I. 22. Maii 1734.

—

27. Ad dubia: I. An episcopi pingues reditus habentes, quia videlicet nedum congruam ipsis iuxta formam S. C. Tridentini assignatam, verum etiam duplicatam et longe maiorem habent, possint exigere subsidium caritativum a suis clericis dioecesanis? II. An episcopi, quibus pro exigendo subsidio caritativo non obstat sufficientia sive exuberantia redituum, possint illud exigere nulla urgente causa et inconsultis eorum capitulis? III. An possint illud exigere a clericis beneficiatis, qui licet aliquos reditus habeant non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum, immo tales reditus vix sunt sufficientes ad

praedictum eorum victum? IV. An supposito, quod consultis eorum capitulis dictum caritativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis clericis non habentibus alios reditus quam distributiones quotidianas? V. In casibus, in quibus est permissum exigere caritativum subsidium, quanta debeat esse illius quantitas? S. C. resp. ad I. II. et III. *negative*. Ad IV. Explicandam naturam harum distributionum. Ad V. Esse arbitrariam pro qualitate indigentiae, dummodo moderatam et non onerosam, in *Gerund.* 27. Febr. 1663. (alleg. in *Gerund.* 26. Ian. 1760.)

28. Cum ageretur de consuetudine, secundum quam episcopi ecclesiae Gerundensis in ipsorum ingressu solebant exigere a personis ecclesiasticis quoddam donativum, quam episcopus illius temporis ampliare tentabat etiam ad beneficiatos post eius ingressum provisos, S. C. resp., istam consuetudinem esse sublatam per Conc. Sess. XXIV. c. 14. *Gerund.* 15. Aug. 1588. (Relat. in *Gerund.* 26. Ian. 1760.)

C. IV. *Praedicationis munus a quibus et quando obeundum. Ecclesia parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda. Nullus contradicente episcopo praedicet.*

Praedicationis munus, quod episcoporum praecipuum est, cupiens sancta synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, canones alias super hoc editos [x]) sub fel. rec. Paulo III. aptius praesentium temporum usui accommodando, mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos, sive iis impeditis per alios ab episcopo impensis eorum, qui eas praestare vel tenentur vel solent, deputandos in civitate, aut in quacunque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum, Quadragesimae et Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas divinamque legem annuncient, et alias, quotiescunque id opportune fieri posse iudicaverint. Moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei [a]). Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, praedicare praesumat. Iidem etiam saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. In reliquis ea, quae de praedicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt [a]), suum robur obtineant.

[x]) cf. Sess. V. c. 2. de ref. cum decl. et resol.—[a]) cf. c. 62. D. I. de cons. (can. Ap.), c. 63. ib. (Statut. eccl. ant.)—[a]) cf. Sess. V. c. 2. de ref.

C. V. *Causae criminales contra episcopos maiores a solo summo Pontifice, minores a concilio provinciali cognoscantur.*

Causae criminales graviores [1]) contra episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. Quod si eiusmodi sit causa, quae necessario extra Romanam curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi metropolitanis aut episcopis a beatissimo Papa eligendis. Haec vero commissio et specialis sit, et manu ipsius sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cetera alias [2]) sub fel. rec. Iulio III. super his decreta, nec non et constitutio sub Innocentio III. [3]) in concilio ge-

nerali, quae incipit: *Qualiter et quando*, quam sancta synodus in praesenti innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales causae episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per concilium provinciale.

[1]) cf. Sess. XIII. de ref. c. 8. cum alleg. — [2]) cf. c. 6. 7. Sess. cit. — [3]) c. 24. X. de accus. V. 1.: « Qualiter et quando debeat praelatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus novi et veteris testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones, sicut olim aperte distinximus, et nunc sacri approbatione concilii confirmamus. Legitur enim in evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo *): *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae; iam enim non poteris villicare.* Et in Genesi Dominus ait **): *Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum praelatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed saepe (quod clamor innuit et diffamatio manifestat) debet coram ecclesiae senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam sit auctor et iudex, sed quasi deferente fama vel denunciante clamore officii sui debitum exsequatur. Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen observandum est in praelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam ***). Et quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, et insidias patiuntur: ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio praelatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat aedificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae, sed etiam malignae criminationi ianua praecludatur. Verum ita voluerunt providere praelatis, ne criminarentur iniuste, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter, contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam, videlicet ut criminalis accusatio, quae ad diminutionem capitis (id est degradationem) intenditur, nisi legitima praecedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus ita, ut iam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniendum eius excessus, non ex odii fomite, sed caritatis procedatur affectu, quatenus, si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino, quod est, secundum evangelicam sententiam, a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. Debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum. Et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid et a quo sit dictum appareat, publicanda; nec non exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus tanto diligentius debet praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas; contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem et inquisitionem eorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave dispendium veniatur, sicut accusationem legitime praecedere debet inscriptio, sic et denunciationem caritativa admonitio, et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire; illo semper adhibito moderamine, ut iuxta formam iudicii sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae, cum causa requirit, facilius et liberius a suis possunt administrationibus amoveri. »

*) Luc. XVI. 2. — **) Gen. XVIII. 21. — ***) Thren. III. 12.

C. VI. *Datur episcopis potestas circa irregularitatum et suspensionum dispensationes et criminum absolutiones.*

Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. S. Congr. inhaerens declarationibus alias factis rescripsit: Episcopos vigore cap. 6. Sess. XXIV. de ref. non posse absolvere nec dispensare in casu haeresis neque in aliis nova lege (Bulla « Coenae ») post Concilium sedi apostolicae reservatis. Verum in his casibus, in quibus episcopis talis facultas non est adempta, eam utique

transferri in vicarium capitularem sede episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per capitulum eidem vicario tributa fuerit, » in *Cremonen.* 4. Dec. 1632. (rel. LXV. 123.) « Ad formam resolutionis *Cremonen.* » resolutum fuit in. *S. Severinae* 18. Iun. 1796.

—

2. « Nuper.. ad Nos perlatum est, quod, licet semel atque iterum fraternitati tuae Congr. Vener. Fratr. Nostr. S. R. E. Card. Conc. Trid. Interpr. nomine per dil. fil. Presb. Card. Matthaeium significatum fuisset, in ea Congr. post maturam praehabitam disputationem resolutum fuisse, « quod, licet ex S. Trid. Conc. praecepto c. 7. Sess. XXIII. teneatur episcopus ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigare et examinare diligenter, eos tamen, qui originem a Iudaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt per paternam lineam nimirum ultra secundum et per maternam ultra primum gradum, ab ordinatione excludere minime debent, quin neque etiam eos, qui filii vel nepotes eorum essent, quos, licet haeretici fuerint, constat tamen emendatos esse et unitati corporique ecclesiae restitutos, quod nimirum susceperint pro admissa culpa ad mandatum ecclesiae poenitentiam, quam aut perfecerunt, aut ei perficiendae insistunt, vel certe, quod eam perficere sunt parati iuxta const. fel. rec. Bonifacii VIII. praedec. nostri, quae incipit *Statutum.* Id tamen intelligendum esset, ubi apostolico aliquo privilegio aut confirmatione contrarium cautum non sit et nisi aliud canonicum obsistat impedimentum », et in hanc sententiam eidem fraternitati tuae iniunctum exstitisset, ut secundum illam cum huiusmodi generis personis ageres, nec permitteres, ut, qui haereticae pravitatis inquisitoris officium exercueras, infensiore adversus illos animo, quam ius et aequitas postulat esse videreris: Tu nihilominus litteris et ordinationi Congr. huiusmodi non paruisti. Proinde Nos.. Frat. tuae per praesentes.. praecipimus et mandamus, ut iuxta dictae Congr. sententiam ac dicti Bonifacii praedec. constitutionem supradictas personas quascunque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum et per maternam ultra primum gradum vel a Iudaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum, quos emendatos et ecclesiae unitati restitutos esse constat, alioquin tamen idoneos, nec ubi aliud canonicum obsistat impedimentum, a sacris ordinibus in posterum minime excludas, sed illos sine aliqua personarum acceptione libenter ad huiusmodi ordines promoveas et promoveri cures. » Ex litteris Clem. VIII. ad episc. *Pacen.* d. 6. Oct. 1593. (Bull. T. V. P. 1. p. 464.)

3. Hominem ex Iudaica stirpe ortum a clericali tonsura repulerat episcopus Palmensis propterea, quod licet ab incunabulis Christianam fidem professus esset, infamia tamen facti laboraret. Homines enim eiusdem originis dioecesanis suis ita exosos esse affirmavit, ut quisque renuat consanguinitates et affinitates cum eis per matrimonia contrahere, et plures sint ordines religiosi, quibus vetitum sit, ne ad professiones eos admittant. S. C. vero impedimentum ab episcopo allegatum *non* constare censuit. *Maioricen.* 25. Ian. 1749. Similiter iudicavit in *Tuden.* 19. Sept. 1761.

—

4. Franciscus Bolowski a capitulo Pragensi ad beneficium cum cura animarum nominatus fuerat. Cum autem a parentibus Iudaeis originem duxisset et in aetate duorum annorum ad fidem catholicam pervenisset, petiit dispensationem ab irregularitate. Rescr. fuit, non indigere dispensatione. *Pragen.* 12. Maii 1759.

Contra vero, cum ageretur de oratore in Hebraismo orto et quinque abhinc annis baptizato, qui in seminario Adriensi per duos annos moratus erat, licet de moribus eius et pietate episcopus testaretur eumque dignum haberet qui clericali militiae adscriberetur et ad sacros etiam ordines promoveretur, ad dubia: I. An constet de irregularitate in casu? et quatenus affirmative II. An sit locus dispensationi in casu etc.? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. *affirmative*, nempe esse locum dispensationi arbitrio episcopi. *Adrien.* 31. Mai. 1783.

5. Sacerdotem, natum a parentibus Turcis, in aetate infantili baptizatum, absolutione non indigere cum rehabilitatione ad ordines, neque indigere nova provisione beneficiorum, censuit S. C. in *Melevitana* 13. Aug. 1718.

6. Vicarius generalis praesentato ad beneficium probo ceteroquin et ex legitimo matrimonio nato homini dimissorias propterea negaverat, quod filius et nepos esset obstetricum, quarum ministerium pro tam vili et abiecto haberi dixit, ut de opprobrio et aversione reliquorum clericorum timendum esset. S. C. tamen concedendas dimissorias esse in casu censuit. *Carthagin.* 10. Maii 1755.

7. Hominis alicuius, qui fratrem germanum occiderat, filios ante patratum delictum natos non indigere dispensatione pro recipiendis ordinibus accipiendoque bene-

ficio, S. Congr. censuit In *Sulmonen.* 30. Iul. 1735.

8. Clericus minorum ordinum cum ad sacros ascendere adspiraret, quaestio exorta est, anne propterea, quod pater eius et frater propter furta ad triremes essent damnati, irregularitate laboraret et opus itaque esset dispensatione. S. C. resp. *negative*. *Amerina* seu *Interamnen.* 11. Aug. 1759.

9. Eum, qui aere alieno gravatus bonis cesserit, ad sacros ordines maiores non esse promovendum, declaravit S. Congr. in *Atriensi* 23. Iun. 1725.

10. Irregularis est, qui fuit energumenus s. arreptitius vel a daemone obsessus; dispensationem itaque S. C. denegavit, quamvis orator per triennium nullam passus esset a daemone vexationem. *Mediolan.* 2. Dec. 1724., *Panormit.* 10. Apr. 1683. (rel. III. p. 38.)

11. Subdiaconum, qui amentia captus ter missam celebraverat militiamque secutus erat, cum decem per annos e morbo convaluisset, optimisque moribus esset praeditus, dispensandum esse ab irregularitate censuit S. C. in *Forolivien.* 27. Apr. 1816.

12. Dispensationem super corporis defectu facilius concedi sacerdoti iam promoto, difficilius autem clerico promovendo S. C. semper, e. gr. in *Comen.* 5. Maii 1775. 11. Iul. 1776., *Firmana* 24. Maii 1723. tenuit.

13. Ab ordinarii arbitrio pendere, an promoveri ad sacros ordines possit qui, ne ob staturae defectum irregularis sit, timet, S. C. censuit in *Mexicana* 12. Iul. 1721.

14. Sacerdotem, qui casu accidentali talem in brachio dextero passus erat laesionem, ut brachium quidem elevare, sed nec crucis signo se, nisi intercedente unius palmi a fronte, a pectore, ab utroque humero distantia signare, nec sacram hostiam et sanguinem nisi brachii et manus sinistrae ope sumere possit, licet ceteras missae ceremonias rite et recte adimpleret, irregularem, sed arbitrio episcopi relinquendum esse, an ei dispensationem missam celebrandi velit concedere, S. C. censuit in *Consentina* 13. Iul. 1725.

15. Sacerdoti coeco, ut diebus festivis celebrare missam cum assistentia alterius sacerdotis posset, cum in parochia nulla alia esset ecclesia et ipse paupertate laboraret, S. C. permisit in *Florentina* 23. Aug. 1727.

16. Sacerdos, apoplectico morbo sinistri brachii laesionem passus erat, de qua re episcopus referebat: « Nullam quidem conspici in eo deformitatem, quae scandalum movere possit, sed periculum aliquid imminere calicem invertendi, dum ipsum ambabus manibus elevat tam post consecrationem, quam cum dicit: *Omnis honor et gloria*, et in sacratissimae hostiae fractione eum ita se gerere, ut non eo modo, qui tanto mysterio convenit, illam frangere possit, praesertim hiberno tempore, sed vel in plures particulas vel satis indecenter discerpat. Petiit itaque dispensationem, ut calicem sola dextra manu levare, hostiam vero super patena frangere posset ac detrahere particulam, quae est in calicem mittenda.» S. C. denegandam esse dispensationem censuit. *Abellinen.* 28. Iul. 1770.

17. Sacerdos quidam, qui ex chirurgi incuria atque imperitia non digitos solum, sed integram volam amiserat, ab artifice manum ex cupro et argento sibi conficiendam curavit, quae quidem tanta arte confecta erat, ut moveri quoque digiti possent. Petiit itaque dispensationem ab irregularitate. Licet vero episcopus, facto coram caeremoniarum magistro experimento retulisset, sine ulla prorsus deformitate aut scandalo missae sacrificium posse celebrare, ut digitorum et manus defectus non advertatur ab adstantibus,, nisi ab iis, quibus illorum defectus aliunde cognitus esset, tamen S. C. ad quaestionem: An sit locus dispensationi in casu? resp. *negative*. *Augustana* 19. Dec. 1772.

18. Clericus quidam casuali ac repentina pulveris tormentarii accensione adeo graviter in dextera manu laesus fuit, ut eiusdem liberum in parte inferiori usum atque exercitium amiserit, unice salvis et incolumibus superstitibus digitis indice et pollice ac superiori eiusdem manus parte, quibus libere et prompte utitur. Cum itaque dispensationem ab irregularitate peteret, auditus est episcopus *Comensis*, qui facto coram magistro caeremoniarum experimento retulit, operationes in missa peragendas usu dexterae manus sive ante sive post consecrationem exacte ab ipso peragi, excepto quod post sacrae hostiae consecrationem sacram patenam tractare non valet, nisi contra sacrarum rubricarum praescriptum indicem pollicemque seiungat, vel ad eius patenae tractationem laeva manu utatur. Deinde dexteram manum laesam tam in profanis quam in ecclesiasticis operationibus ea cum arte tractare atque exhibere dixit, ut parte inferiori laesa ad pectus conversa superior tantum pars incolumis ad oculum exhibeatur, nullaque propterea nisi curiose investigantibus appareat deformitas, nec ullum scandalum moveatur.

S. C. tamen ad quaestionem: Ac sit locus dispensationi? resp. *negative*. 6. Maii 1775.

19. Ab aditu ad ordines eum, qui pede ligneo licet affabre ad motum composito utitur, S. C. prohibuit in *Malacitana* 6. Maii 1775.

20. Cum clericus ita claudicaret, « ut ad altare accedens admodum aegre posset genuflectere, ac non sine periculo proiiciendi patenam ac cetera, quae calici sunt superimposita, ferre, neque surgere posset, quin brachium dexterum ferret ad latus tanquam pro fulcro, neque utrumque genu simul flectere », et cum nulla adesset ecclesiae necessitas vel utilitas, S. C. resp., ab irregularitate eum non esse dispensandum, in *Albingan.* 20. Ian. 1798.

21. Dispensandum esse ad cautelam clericum, qui morbo erysipelatis affectus genu sinistrum flectere non poterat, cum id religioni, cui adscriptus erat, commodo atque utilitati esset maxime, deindeque eum s. ordinibus esse initiandum censuit S. C. in *Barchinonen.* 11. Iulii 1801.

22. Diaconum, qui auditus et vocis vitio ex lue venerea ita laborabat, ut ad missam cum cantu celebrandam confessionesque excipiendas omnino inhabilis esset, missas lectas vero celebrare posset, quamvis per annum poenitentiam egisset eiusque exemplum optimum esset, ab irregularitate non esse dispensandum, resp. S. C. in *Melphicten.* 25. Ian. 1806.

23. S. C. censuit, diaconum morbo epileptico laborantem, postquam duos annos sanus fuit, dispensandum esse ab irregularitate, in *Fulginaten.* 25. Ian. 1806.

24. Sacerdos quidam paralysi in manibus laborabat, ita ut timendum esset, ne calicem everteret aut aliam irreverentiam sacramento inferret. Cum postularet dispensationem, S. C. respondit: « *Affirmative*, dummodo celebret ianuis clausis vel in hora minus a populo frequentata et cum alio assistente sacerdote pro gratia, arbitrio et conscientia episcopi ad triennium cum solitis clausulis », in *Sutrina* 22. Aug. 1807.

25. Ab irregularitate contracta ex eo, quod ex morbo luminibus esset orbatus, quamvis nullum praeberetur populo scandalum et cum assistentia sacerdotis idoneus esset ad celebrandum, cum ageretur de promovendo, dispensandum non esse acolythum quendam, resp. S. C. in *Neapolitana* 17. Sept. 1814.

26. Ioannes Bouchez posteaquam ecclesiasticae militiae nomen dederat, anteriori parte pollicis laevae manus orbatus fuit per amputationem secundum artem peractam. Verumtamen cum facile posset residua parte pollicis hostiam tenere, frangere, sumere, dummodo truncatus pollex ad extremitatem fortiter sit alligatus, et aliquo tegumento sive serico, sive pelliceo sive metallico sit coopertus, hinc SS. exoravit, ut dispensationem ab hac irregularitate assequatur sicque ad sacros ordines promoveri possit, et missam cum digitali aureo vel argenteo valeat celebrare. Re ad Sacram Congr. remissa resp. « *affirmative* cum digitali aureo vel argenteo inaurato ita inhaerente, ut omne periculum arceatur, quod in sacro peragendo cadere possit, et praemisso experimento coram sacrarum caeremoniarum magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione utatur, ac reverenter in capsula custodiatur, per breve. « *Cameracen.* 17. Febr. 1821.

27. Episcopus Platiensis, podagrico morbo ita laborans, ut pedibus erectis stare non posset, cum petiisset, ut ei sedenti sacrum ad altare celebrare liceat, hoc a S.C. responsum tulit: « *affirmative* in privato sacello tantum et adhibita sella ad usum sacrificii affabre elaborata, per breve. » *Platien.* 28. Ian. 1832.

28. Clerico, cui quominus ad sacros ordines promoveretur obstabat linguae vitium, ex quo notabiliter balbutire coactus erat, cum nec ad sacramenta administranda, nec ad divina eloquia populo exponenda, nec ad iuventutem erudiendam, nec ad aliud ministerium ecclesiasticum praeter missae celebrationem satis idoneus esset inventus, denegata fuit a S. C. petita dispensatio in *Imolen.* 14. April. 1832.

29. Cum aliquis valde claudicaret, sed tamen non ita, ut inde scandalum eveniret, considerans S. C., quod ex episcopi iudicio ille ecclesiae maximo foret commodo, eum esse dispensandum per breve censuit in *Melphicten.* 25. Maii 1833.

30. Sacerdos quidam postulavit dispensationem ab irregularitate, quam contraxerat ex phosphoricae materiae inopinata accensione, unde facultate videndi in laevo oculo destitutus ac ut laevae manus amputationi se subiiceret coactus est. Testabantur tam chirurgus quam caeremoniarum magister, oratorem posse absque irreverentia et populi scandalo sacrum peragere adhibita manu fictitia cum chirotheca, atque ab episcopo orator vehementer commendabatur. S. C. resp. *dilata ad mentem.* Mens est, « ut scribatur episcopo, qui mandet oratori, ut ad Urbem accedat ibique experimento subiiciatur coram Emin. Cardinali Pro-Praefecto, et magistris sacrarum caeremoniarum ab eodem Emin. deputandis », in *Asculana* 18. Nov. 1837.

31. Canonicus quidam et vicarius generalis, tali enterocelis infirmitate detentus, ut urinam compescere non posset gravibusque inde vexaretur doloribus, qui languidum ita eum faciebant, ut diu pedibus consistere non posset, indultum petiit celebrandi missam in oratorio privato, ita ut actu consecrationis tantummodo stare deberet. S. C. resp. *negative* in *Agrigent.* 18. Dec. 1841.

—

32. Licet interdicta sit viri ordinatio, nisi uxor solemnia religionis vota emisisset, tamen dispensationem a lege ingrediendi monasterium S. C. mulieri aliquando concessit, cum sive ob valetudinem, sive ob deficientes vires, sive ob aetatem de incontinentia non timendum erat. Ita in *Parisien.* 6. Maii 1645. respondit: « Si SSimo placuerit, dispensationem petitam suscipiendi ordines sacros de consensu uxoris concedendam esse Ioanni de Monheron, in forma tamen commissoria, verificatis aetate ipsius LXII. annorum, et aetate uxoris LVIII. annorum, quodque ipsa emiserit votum solemne castitatis in manu archiepiscopi Parisiensis, et quod ex attestatione eiusdem in dicta uxore cesset omnis incontinentiae suspicio et ipse bene meritus sit sedis apostolicae ob servitium praestitum S. Congregationi de propaganda fide. »

—

Eodem modo, cum vir LI. annorum et mulier XLIV. annorum votum castitatis emisissent et vir ad minores ordines promotus esset, post continentiam per octo annos in hoc statu fideliter servatam, ad dubium: An et quomodo concedenda sit facultas ascendendi ad sacros ordines in casu? d. 20. Nov. 1830. respondit *affirmative*, « dummodo habitent in separatis domibus et renovato per mulierem consensu et voto castitatis antequam orator ad sacros ordines promoveatur, per breve facultativum. » (XC. 259.)

33. Homo quidam septuagesimum aetatis annum agens ad sacerdotium ascendere cupiebat; uxor vero sexaginta quatuor annos nata votum castitatis simplex emittere volebat extra claustra, ut indigentiis corporalibus mariti senis praesto esse posset sub eodem tecto. Quamvis vero iam per tres annos mutuo consensu a thoro se separavissent, nullum adesset incontinentiae periculum, et de utriusque honestate ac de viri ad sacerdotium propenso animo constaret, tamen S. C. censuit, *non expedire*. *Lucana* 18. Iul. 1795.

34. Sacerdos quidam indultum S. C. nactus, ut medicam artem per annum exercere posset, « si tamdiu penuria medicorum perduraverit, » praeterlapso hoc anno non destitit a medicina exercenda. Contendit se irregularem non factum, quia non constaret aliquem ob eius negligentiam vel imperitiam obiisse, S. C. vero censuit eum absolvendum esse ad cautelam. *Nullius Montis Cassini* 12. Dec. 1761.

—

35. Sacerdotem, qui clericum coniugatum, tonsuram vero non gestantem, et habitu non ita clericali incedentem humi stravit et pugnis affecit, pro cautela ab irregularitate dispensandum esse censuit S. C. in *Civitat. Castell.* 3. Dec. 1718.

36. Dispensandum esse ad cautelam sacerdotem, qui rixa exorta alicuius collum ita vulneravit, ut debilis restiterit, resp. S. C. in *Aquinaten.* 12. Ian. 1726.

37. Parochus quidam clericum minorem, quem secum detinebat, cum morem in quodam domestico famulatu gerere recusasset, manu in capite semel atque iterum percussit, pluribusque contumeliosis verbis magnam denotantibus iracundiam affecit. Sequenti die, cum clericus in disponendis ad missam necessariis opem ferre nollet, verbis valde iniuriosis maximam animi commotionem indicantibus prolatis primum pugno, deinde baculo eum verberavit, quo facto clericus aufugit, rediit tamen postea et in servitio perstitit. Cum itaque quaereretur, an parochus exinde ex can. *Si quis suadente* in excommunicationem inciderit, S. C. censuit: *affirmative*. *Callien.* 16. Maii 1733.

38. Sacerdoti de nefando scelere accusato et ad triremes damnato, cum nunquam remigasset, sed per totum septennium servitio hospitalis addictus fuisset, dispensatio pro facultate celebrandi missam fuit denegata in *Lavellana* s. *Romana* 6. Iul. 1726.

39. Subdiaconus quidam, cum evenisset, ut, dum sacris ministrabat, parvum missile igneum, quod gestabat sub clericali veste, exploso ictu, pedem eius vulneraret, e clero regio eiectus fuit. Exuit clericalem habitum et a patria post varios casus exul ab anno 1799 militiae nomen dedit in contubernioque habuit mulierem liberam, ex qua filium progenuit. Pace restituta in patriam redux SSimo supplicat, ut ordinis ab ipso suscepti collatio propter vim ac metum a patre illatum irrita declararetur, seu secus, ut saltem apost. auctoritate dispensaretur ita, ut in militaribus stipendiis merendis perseverare posset. S. C. respondit: « de nullitate ordinis non constare; consulendum non esse SSmo pro dispensatione quoad votum continentiae, et *ad mentem*.

Mens est, « ut praevia M... C... oratoris perpetua separatione a muliere, de qua agitur, et peractis ab ipso spiritualibus exercitiis in domo religiosa pro tempore Emin. archiepiscopi, dignetur Sanctitas Sua eundem Marcum habilitare ad retentionem cinguli militaris firmo remanente voto continentiae, et inhabilitatione ad exercendum ordinem cum dispensatione a quibusvis aliis oneribus eiusdem ordinis per Breve » in *Neapolit.* 21. Sept. 1816.

40. Ad titulum capellaniae dioec. Ovetensis tonsura, ordinibus minoribus et subdiaconatu initiatus fuerat N. N. (cum episcopi Ovet. dimissoriis, ex cuius dioecesi se oriundum esse simulaverat). Nomine huius furtivae ordinationis denunciatus propter eam et propter alterationem et mutationem quorundam foliorum instrumenti fundationis dictae cappellaniae declaratus fuit suspensus ab exercitio ordinum susceptorum et inhabilis ad reliquos assequendos, nonnullisque poenis mulctatus, quibus expletis absolutus fuit a vicario capitulari ad cautelam a quacunque censura, suspensione et *irregularitate*. Vigore huius absolutionis administravit in ordinibus susceptis, renuit tamen episcopus eum promovere ad reliquos ordines sine absolutione et dispensatione. Re igitur ad S. C. delata, ad quaestiones: I. An absolutio suspensionis ab exercitio ordinum per vicarium capitularem impertita sustineatur? et quatenus negative II. An concedenda sit absolutio seu dispensatio in casu? resp. ad I. *affirmative et amplius*, ad II. concedendam esse dispensationem ad cautelam. *Mindonien.* seu *Oveten.* 4. Iun. 1763.

14. Postquam homini alicui litteras testimoniales propter priorem eius vitam male gestam episcopus denegaverat, falsas ille archipresbyteri eiusdemque theologi dioecesis, unde ortus erat, attestationes confecit, in quarum posteriore ei nunciabatur, episcopum originis episcopo beneficii iam scripsisse, ut ipsum ordinaret. His exhibitis ab episcopo beneficii dimissorias receperat atque ad subdiaconatum fuerat quatuor diebus post ordinatus. S. Cong. censuit, oratorem non esse dispensandum, episcopum vero beneficii debere consulere suae conscientiae, in *Nullius Guastallae* 17. Dec. 1803.

42. Quidam homo tonsuratus dimissoriis per alium sibi comparatis, quamvis neque linguam latinam neque leges ecclesiasticas bene sciret, ordines omnes receperat, atque, priusquam nedum dispensationem, sed ne absolutionem quidem accepisset, missam identidem celebravit. Dispensandum eum non esse censuit S. C. in *Syracusana* 26. Nov. 1803.

43. Sacerdotem, qui, quamvis suspensus fuisset a divinis propter malam consuetudinem cum muliere quadam habitam, missam celebraverat, licet alimentis indigeret et pauperrimus esset, cum tamen de morum emendatione non constaret, non esse dispensandum, censuit S. C. in *Fanensis* 22. Iun. 1805. Postea vero, cum de constanti eius emendatione et peracta poenitentia constaret, esse consulendum SSimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis imposita aliqua poenitentia arbitrio et conscientia episcopi resp. 17. Maii 1806.

44. Clericus quidam minoribus ordinibus initiatus, per vim inter milites adscriptus in acie per triennium mansit, quin tamen quemdam occiderit aut mutilaverit. Militiae pertaesus falsas conscripsit dimissoriales Brigantiae datas 6. Mart. 1802. et episcopi Brigantini signum ex alia pagella desumptum his commentitiis dimissorialibus affixit. Quo facto ad vicarium generalem Bracharensem perrexit ab eoque facile impetravit, ut pro authenticis easdem recognosceret et signum illud episcopi Brig. esse testaretur. His itaque munitus ab alio episcopo subdiaconatus ordinem recepit. Cum vero ordinis functiones non explevisset, sed ab illis sponte abstinuisset, mores eius optimi essent, crimen plane occultum esset, neque aliam habuisset causam nisi ut se a militiae vinculis liberaret; suffragaretur regius quoque consensus, ut ordinationem inceptam prosequeretur; vocatio denique eius indubia esset: S. C. censuit eum esse dispensandum et rehabilitandum servata forma constitutionis Innocentii XII. » Speculatores » et peractis exercitiis spiritualibus pro tempore arbitrio nuncii apostol. praefiniendo, in *Brigantina* 16. Aug. 1806.

C. VII. *Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab episcopis et parochis explicetur. Inter missarum solemnia sacrae paginae explanentur.*

Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta maiori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta synodus episcopis omnibus, ut non solum, cum haec per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis

pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant, iuxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis praescribendam, quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a parochis omnibus populo exponi curabunt; nec non ut inter missarum solemnia [1]) aut divinorum celebrationem sacra eloquia et salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festivis vel solemnibus explanent, eadem in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

[1]) cf. Sess. XXII. de sacr. miss. c. 8.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In ecclesiis collegiatis iisdemque parochialibus praeposito eidemque parocho licere, conciones ad populum habere in diebus dominicis et festivis inter celebrationem missae conventualis, etiam sine consensu capituli, « dummodo fiant ex suggestu et non excedant medietatem horae, » eundemque denunciationes matrimoniorum et ordinandorum aliasque similes functiones ad mentem suam in celebratione missae parochialis aut conventualis facere posse, S. C. censuit in *Novarien* 8. Iulii 1724.

2. Consuetudinem, ut feminae sive mares in una parochia degentes alias parochiales ecclesias adeant, ibidem imbuendi rudimentis fidei ab alieno parocho, S. C. improbavit in litteris ad Prosp. Lambert. datis d. 9. Aug. 1732. *Bened.* XIV. (*Prosp. Lamb.*) Instit. IX.

3. S. C. censuit, episcopum aliquam deputare posse ecclesiam, in qua exercitium catechismi habeat locum, nec opus esse loco diverso, ubi puellae doctrinam christianam doceantur ab illo, quo pueri, nec obstare, sit ecclesia confraternitatis necne, iuxta Bullam S. Pii V. Bull. Tom. V. *Mantuana* 29. Aug. 1722.

—

C. VIII. *Publice peccantes publice poeniteant, nisi episcopo aliter videatur. Poenitentiarius in cathedralibus instituendus.*

Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos [1]). Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet, ut quo exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicaverit expedire. In omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico, et annorum quadraginta, seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui, dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.

[1]) 1 Tim. V. 20. cf. c. 19. §. 1. C. II. qu. 1. (August.), c. 1. X. de poenit. V. 38. (Gregor. I.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Canonicum poenitentiarium pro excipiendis loco episcopi confessionibus paratum semper esse debere horis, loco, sede arbitrio episcopi opportunis, rescr. S. C. in *Abulen.* 21. Apr. 1587. (rel. XXX. 295.)

2. Per episc. Castelblancum erectus fuit canonicatus in cathedrali cum onere certi numeri missarum. De hoc canonicatu provisus fuit per dictum episcopum Felix Rocchus, cui de anno 1659. per episcopum Mattheium annexum fuit onus poenitentiariae, et de consensu capituli liberatus fuit ab onere missarum in capitulum translatarum, seseque et successores obligavit ad dicta munera poenitentiariae obeunda. Nicolaus Laudisii provisus de dicto canoni-

catu post obitum Felicis Rocchi recusat onus poenitentiariae. Proponitur: An stantibus praedictis modernus canonicus teneatur obire omnia onera in erectione per episcopum Castelblancum adiecta, vel potius ad redacta per episcopum Mattheium? S. C. (quaestione de missis dilata) resp.: non teneri ad onus poenitentiariae, nec ideo posse gaudere emolumentis correspective ad dictum onus concessis. *Sarnen.* 1657. (alleg. XXXV. 247.)

3. Facultate *optandi* concessa dignitatibus et canonicis ecclesiae alicuius cathedralis, canonico quoque poenitentiario dandum esse ius optandi praebendam pinguiorem, quae in futurum semper conferatur canonico poenitentiario, resp. S. C. in *Pisaurien.* 23. Maii 1648. Concordant resol. in *Sebenicen.* 1662. *Melevitana* 23. Febr. 1726. et 10. Iul. 1728.

4. Canonicatus poenitentiarii in ecclesia quadam collegiata erectioni cathedralis ecclesiae canonicus poenitentiarius se opposuit; canonicatus poenit. enim erectionem in cathedralibus tantum, non in collegiatis locum habere, et ita a S. C. saepius responsum esse dixit. Cum vero non de erectione canonicatus poenit. cum unione praebendae proxime vacaturae sermo esset, quae ex S. C. Trid. in cathedralibus tantum locum habet, sed de erectione ex speciali quadam fundatione ageretur, eam sustinendam esse S. C. censuit in *Melevitana* 20. Dec. 1749.

5. S. C. censuit, poenitentiarium, quando non est impeditus in munere confessionis, interesse debere divinis officiis. *Fanen.* 24. Ian. 1642. ex l. XVI. Decr. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

6. Ad dubium: An canonicus poenitentiarius cathedralis ecclesiae Albanen. teneatur ad inserviendum pro diacono et subdiacono diebus solemnioribus in casu? S. C. resp. *affirmative*, nisi actu fidelium confessiones excipiat. *Alban.* 30. Iul. 1831.

—

7. Canonicus poenitentiarius non tenetur ad assumenda onera et officia capitularia et praesertim procurationem generalem, uti constat ex resol. S. C. in *Conversana* 19. Nov. 1729.

8. Proposito dubio: An pro negotiis seu controversiis capituli ablegari possint theologus, poenitentiarius aut canonicus curatus cathedralis? resc. fuit *negative* quoad theologum eo tempore, quo tenetur legere, quoad poenitentiarium et curatum *negative*. *Anagnina* 12. Dec. 1656. (rel. XXX. 291.)

9. Ad quaestionem: An canonicus poenitentiarius teneatur assumere administrationem seu oeconomiam bonorum et rerum capitularium ut ceteri canonici, an etiam officium punctatoris in choro? resp. S. C. *negative* 3. Oct. 1671. (alleg. XXX. 291.)

—

10. Prohibuerat episcopus Pisaurensis canonicis, quo minus canonicum poenitentiarium in camerarium capituli eligerent sive confirmarent, qui veluti confessionario semper addictus aliud officium exercere minime valeret, nisi reportata licentia S. Congregationis. Instante praeposito et observantiam demonstrante S. C. ad quaestionem: An canonicus poenitentiarius a capitulo eligi possit ad officium camerarii in casu? resp. *affirmative*. *Pisaur.* 21. Nov. 1761.

Eandem sententiam de eligendo in secretarium sive archivistam etc. poenitentiario et theologo tulisse refertur ib. in *Vicensi* d. 15. Apr. 1690.

C. IX. *A quo visitari debeant ecclesiae saeculares nullius dioecesis.*

Quae alias sub fel. rec. Paulo III. [1]) et nuper sub beatissimo domino nostro Pio IV. [2]) in hoc eodem concilio de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt, eadem etiam in iis ecclesiis saecularibus observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur, ut ab episcopo, cuius cathedralis ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in concilio provinciali a praelato loci illius electus fuerit, tanquam sedis apostolicae delegato visitentur; non obstantibus privilegiis et consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

[1]) Sess. VI. de ref. c. 4., Sess. VII. de ref. c. 8. cum declar. — [2]) Sess. XXII. de ref. c. 8. cum declar.

C. X. *Executio visitationis a subditis ne suspendatur.*

Episcopi, ut aptius quem regunt populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis, quae ad visitationem ac morum correctionem

subditorum suorum spectant, ius et potestatem habeant, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi iuxta canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac dioecesis suae utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur [1]), exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad sedem apostolicam interposita, executionem eorum, quae ab his mandata, decreta aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.

[1]) cf. Sess. XIII. de ref. c. I., Sess. XIV. de ref. c. 4., Sess. XXII. de ref. c. I. cum declar.

C. XI. *Honorarii tituli aut privilegia particularia episcoporum iuri nihil detrahant. Cap. Cum capella, Extra de privilegiis, innovatur.*

Quoniam privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in episcoporum iurisdictione excitare et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur, decernit sancta synodus, ut, si quando iustis, gravibus et fere necessariis suadentibus causis aliquos honorariis titulis protonotariatus, acolythatus, comitis palatini, capellani regii aut aliis huiusmodi in Romana curia vel extra insignibus decorandos esse placuerit, nec non alios, cuicunque monasterio oblatos vel quomodocunque addictos, aut sub nomine servientium militiis seu monasteriis, hospitalibus, collegiis, aut quocunque alio titulo assumi, nihil ex iis privilegiis detractum esse ordinariis intelligatur, quo minus ii, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis ordinariis tanquam apostolicae sedis delegatis plene in omnibus, et, quoad capellanos regios, iuxta constitutionem Innocentii III. [1]), quae incipit: *Cum capella*, subiecti existant; exceptis tamen iis, qui praedictis locis aut militiis actu serviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt, sive iis, qui legitime et secundum regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua ordinario constare debeat; non obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam religionis sancti Ioannis Ierosolymitani et aliarum militiarum. Quae vero privilegia residentibus in curia Romana vigore Eugenianae constitutionis [2]) aut familiaritatis cardinalium competere solent, ea in iis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione praedictorum beneficiorum minime intelligantur, sed ordinarii iurisdictioni subiecti permaneant, non obstantibus quibuscunque inhibitionibus.

[1]) c. 16. X. de priv. V. 33.: « Cum capella ducis Burgundiae gaudere dicatur huiusmodi privilegio, quod nullus archiepiscopus vel episcopus in personas canonicorum eiusdem capellae suspensionis vel excommunicationis aut interdicti sententias audeat promulgare, quidam capellae supradictae canonici, qui parochiales ecclesias a te tenent, occasione privilegii praelibati in his etiam, quarum iurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, ut, quantumcunque graviter interdum excedant, tuae correctioni recusent et sententiae subiacere. Quocirca mandamus, quatenus, in quantum exempti sunt, eiusdem ratione capellae apostolicis privilegiis deferas reverenter, sed in quantum ratione parochialium ecclesiarum vel alias iurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officii tui debitum in eosdem libere prosequaris. » — [2]) c. 3. h. t. in Extr. comm. V. 7. et supra ad c. 1. Sess. XXIII.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. In Congr. particulari a SS. D. nostro die 3. Aug. 1718. specialiter deputata, EE. DD. Iudicis, Vellemani, Paraciani Praefecti S. Congr. Episcoporum et Regularium, Corradini Praefecti S. Congr. Conc. Trid. Interpretis, Scotti Praef. Signaturae Iustitiae, nec non RR. PP. DD. Petrae praedictae S. Congr. Episc. et Reg. Secretarii, Lancettae S. Rotae Romanae Decani, Cerri eiusdem Rotae Auditoris, Ansidei Assessoris SS. Inquisitionis, et mei infrascripti Secretarii memoratae Congr. Conc. Trid. Interp. et huius quoque particularis Congr. Secretarii, ut in ea videlicet examinaretur,

an ad tramites sacrorum canonum sacrique praesertim Conc. Trid., possit inferior praelatus territorium separatum et iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem in clerum et populum cum ipsius episcopi exclusione in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam praescriptionem una cum titulo colorato, praedicti EE. Domini et RR. PP. particularem Cong. constituentes, insimul congregati in aedibus EE. Iudicis die 2. Ian. huius anni 1721. post maturum et diligentissimum materiae examen, unanimiter responderunt, non posse, sed pro acquisitione territorii separati praedictaeque iurisdictionis omnino requiri aut clarum et undequaque subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam apost. privilegium de iure praesumi valeat. An autem admisso vero apostolico privilegio de sui natura apto ad separationem territorii, et concessionem iurisdictionis ordinariae quasi episcopalis in clerum et populum cum exclusione episcopi in aliquo determinato loco, sed aliquam rationabilem dubietatem aut disputationem admittente, subsequens uniformis quadragenaria, aut per aliud legitimum tempus continuata observantia favens praelato inferiori in qualibet actuum specie ordinariae quasi episcopalis iurisdictionis deservire valeat pro dicti apostolici privilegii interpretatione: praedicti EE.DD. et RR. PP. dixerunt, id dependere a singulis casuum et factorum circumstantiis, et sic dandum esse responsum a suis iudicibus super hac re in casibus particularibus. Factaque per me praedictorum omnium SS. D. N. relatione, die 14. Ian. hoc a. 1721. Sanctitas Sua approbare dignata est et praesens decretum publicari mandavit. »

Prosper de Lambertinis Sacrae Congregationis Particularis Secret. (II. 366.)

2. Non constare de praepositi eiusque ecclesiae omnimoda exemptione quoad archiepiscopum tanquam apost. sedis legatum contra exemptos, quamvis eius ecclesiam, possessiones, villas et castra ad eandem pertinentia S. P. ab omni archiepiscopi et episcopi iure liberaverit et immediate Papae eiusque de latere legato subiecerit, omnibus ceteris et signanter his, qui praerogativa *legati nati* potirentur, exclusis, S. C. iudicavit in *Nullius* s. *Vesprimien.* 16. Aug. 1719.

3. Propositis dubiis:

I. An pro exemptione a iurisdictione ordinaria archiepiscopi sufficiat sola nominatio seu deputatio presbyteris saecularibus facta a Superiore Dom. Ioann. Hierosol. in ecclesiis dicti ordinis pro cura animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab archiepiscopo, sive potius requiratur admissio, approbatio et licentia archiepiscopi sive eius concistorii ad curam animarum et administrationem sacramentorum?

II. An praefati nominati seu deputati ad dicta beneficia curata teneantur examen subire et professionem fidei emittere coram archiepiscopo vel eius concistorio, antequam curam animarum exerceant?

III. An teneantur praestare iuramentum ad curam animarum debitam obeundam coram archiepiscopo sive eius concistorio et quomodo?

IV. An dictus archiepiscopus sive eius concistorium pro praedictis exigendis procedere possit iure ordinario sive potius delegato?

V. An dicti nominati seu deputati in dictis ecclesiis postquam reportaverint ab archiepiscopo licentiam pro exercenda cura animarum, teneantur se conformare constitutionibus synodalibus et ordinationibus concistorialibus quoad omnia in ordine ad sacramentorum administrationem et curam animarum?

VI. An dictis presbyteris saecularibus, ut supra nominatis seu deputatis in praefatis ecclesiis et ab archiepiscopo examinatis teneatur idem archiepiscopus concedere licentiam exercendi curam animarum? Et quatenus affirmative:

VII. An in huiusmodi licentiis archiepiscopus valeat sibi reservare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum, seu potius debeat eam concedere pure et simpliciter?

VIII. An archiepiscopus debeat exprimere, se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos presbyteros exercentes curam animarum, ita ut, hoc non expresso, non teneantur illi ei obedire, etiam in concernentibus curam animarum?

IX. An archiepiscopus praedictos presbyteros exercentes curam animarum in casu non paritionis eius praeceptis possit plectere poena revocationis licentiae exercendi curam animarum?

X. An praefati presbyteri pro servitio dictarum ecclesiarum valeant assumere capellanos pro celebratione missarum in eisdem ecclesiis?

S. C. rescr.; Ad I. *negative* quoad primam, *affirmative* quoad secundam partem. Ad II. *affirmative* quoad examen et quoad professionem fidei ad formam Concilii. Ad III. *affirmative*. Ad IV. *dilata*. Ad V. *affirmative*. Ad VI. *negative*. Ad VII. *negative* quoad primam et *affirmative* quoad secundam partem. Ad VIII. *affirmative*. Ad IX. recurrat in casibus particularibus. Ad X. *affirmative*. *Pragen.* 14. Ian. 1708. (rel. IX. 490.)

4. Parocho competere ius administrandi sacramenta et exercendi alia iura parochialia in domo et intra septa commendae ordinis teutonici quoad inquilinos, neque necessarium esse ut licentiam ingressus domus a commendatario ad munera illa explenda petat, S. C. iudicavit in *Viennens.* 13. Iul. 1725.

5. « Nonnulli sacerdotes cathedralis ecclesiae Uritanae obtinuerunt litteras patentales a vicario commendae SS. Mauritii et Lazzari; cumque inter cetera praetensionem excitassent exemptionis a iurisdictione ordinarii, habito a promotore fiscali recursu ad hanc S. Congregationem, demandatum fuit episcopo, ut processum conficeret et praefigeret vicario commendae et ceteris terminum competentem ad sua iura deducenda in hac Sac. Congr., in cuius rescripti sequelam dubium proponitur ad calcem restrictus referendum.

—

Porro praetendit promotor fiscalis, nullam competere exemptionem ab ordinarii iurisdictione, tum quia ita se habet consuetudo in dioecesi Uritana, cui ad rem, de qua agitur, non parum deferendum esse videtur, teste Card. *de Luca* de iurisd. discurs. 92. sub num. 8. et 16., tum quia S. Pius V., licet in sua constitutione XXVIII. §. 13. (Bullar. T. II.) aequaverit militiam S. Lazzari religioni S. Ioannis Hierosolymitani, iuxta nihilominus dispositionem S. Conc. Trid. Sess. 24. de ref. cap. 11. et bullam LXVII. Gregorii XIII. (Bullar. T. II.) inservientes religioni S. Ioannis Hierosolymitani, ut exemptione fruantur, debent habere qualitates sequentes: prima est, ut actu inserviant; secunda, ut resideant intra domos et septa; tertia, ut sub obedientia ordinis vivant; quarta, ut professionem emiserint; et ultima, ut praedictas omnes qualitates coram ordinario verificaverint.

—

His stantibus quaeritur: An officiales patentati commendae SS. Mauritii et Lazzari sint exempti a iurisdictione ordinarii in casu etc. S. Congr. respondit *negative*». *Uritana* 18. Maii et 7. Sept. 1726.

C. XII. *Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus cathedralium ecclesiarum, quidve promoti praestare teneantur.*

Cum dignitates in ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent pietate praecellerent, aliisque exemplo essent atque episcopos opera et officio iuvarent, merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque [1]), quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suae aetatis annum attigerit, et, in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria ac morum integritate commendetur, iuxta constitutionem Alexandri tertii in concilio Lateranensi promulgatam [2]), quae incipit: *Cum in cunctis*. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur episcopi [3]), sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in iure canonico. Ad ceteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et XXII. annis non minores adsciscantur. Provisi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali eius vicario seu officiali, hortodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent [4]). Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram episcopo seu eius officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur; alioquin praedicti omnes provisi ut supra fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam

deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit, aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat [5]). In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus; episcopus autem cum consilio capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur. Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel iure canonico. Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse [6]); salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur [7]). Distributiones vero [8]) qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII. decretum [9]), quod incipit: *Consuetudinem*, quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus. Omnes vero divina per se [10]) et non per substitutos compellantur obire officia, et episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et asservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Vestitu [11]) insuper decenti tam in ecclesia quam extra assidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito ecclesiae senatus dici possit. Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quae expedire videbuntur, poterit providere.

[2]) cf. Sess. XXII. de ref. c. 2.— [3]) cf. c. 7. X. de elect. I. 6. et supra ad c. 1. Sess. VII.— [5]) cf. c. 7. X. de off. archid. I. 23. (Innoc. III.)— [4]) cf. bull. Pii. IV. *Iniunctum nobis*, infra in Appendice relatam. — [5]) cf. Sess. VII. de ref. c. 12. cum alleg.— [6]) cf. Sess. XXVII. c. 1. de ref.— [7]) cf. tot. tit. X. de cler. non resid. III. 4.— [8]) cf. c. 32. X. de praeb. III. 5. (Honor. III.) — [9]) cap. un. de cler. non resid. in VIto III. 3. « Consuetudinem, quae in quibusdam partibus inolevit, qua canonici et alii beneficiati seu clerici cathedralium et aliarum collegiatarum ecclesiarum distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur, et tantum residentibus tribuuntur), qualitercunque in civitatibus seu aliis locis, in quibus ipsae consistunt ecclesiae, sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continuo in ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes, statuimus, ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscunque rebus consistant, canonicis ac aliis beneficiatis, et clericis ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur iuxta ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitatis excusaret), rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; immo ad omnium resti-

tutionem, quae contra huiusmodi constitutionem nostram receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum. » — [10]) cf. c. 3. X. de cler. non resid. III. 4. (Innoc. III.), c. 30. X. de praeb III. 5. (Innoc. III.), Sess. XXII. de ref. c. 4. — [11]) cf. tot. tit. X. de vita et hon. cler., et in VIto III. 1., in Clem. III. 1., et in Extrav. comm. III. 1., et tit. X. de cleric. venat. V. 24.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Erectionem ecclesiae parochialis in collegiatam, *factam auctoritate ordinarii*, sustinendam esse censuit S. C. eo, quod iuxta antiquiorem opinionem ordinarii poterant devenire ad erectionem ecclesiarum collegiatarum, et quod agitur de ecclesia erecta tempore, quo illa opinio vigebat, et lapsus XXX. annorum praesumptionem fundat pro apostolico beneplacito de iure communi, cui derogatum non est per const. Urbani VIII. edit. a. 1641. (Bull. T. VI. P. 3.) *Cremonen.* 7. Sept. 1720.

—

2. S. C. definivit, episcopum non posse ecclesiam parochialem in collegiatam erigere, in *Conversana* 27. Iun. 1626. Similiter in *Cathacensi*, cum quaereretur: An teneatur erectio collegiatae facta ab episcopo in actu visitationis? resp. *negative* 1. Sept. 1691. (rel. LII. 49.)

Cum itaque ageretur de collegiata erecta in ecclesia S. Nicolai terrae S. Aedisti absque sedis apost. auctoritate, et quaereretur, an presbyteri seu canonici eiusdem teneantur applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu etc.? S. C. resp. *negative* 4. Apr. 1772. Eodem modo S. C. resp. in *Collensi* 15. Mart. 1783.

—

3. S. C. proposito: I. An possit episcopus erigere praeposituram secundam dignitatem in ecclesia collegiata? II. An in eadem, in qua non est praefinitus numerus canonicorum, possit erigere canonicatum? resp. ad utrumque *affirmative de consensu capituli*, in *Aquinaten.* 20. Febr. 1677. (rel. XXXVII. 57.)

4. Ad quaestionem: An erectio archidiaconatus facta *sine consensu capituli* sustineatur? S. C. rescr. *negative*, et erectionem sine consensu capituli non sustineri. *Sabinen.* 14. Apr. 1696. (rel. XXXVII. 57.)

5. Constitutionem, qua sacri ordines distribuuntur, esse nullam, si capituli consensum episcopus non adhibuit. Item quatenus esset valida, si tamen ex consuetudine omnes canonici teneantur esse presbyteri, non potuisse episcopum tali consuetudini sua constitutione derogare. Quoad obligationem autem missam canendi, non esse recedendum a provincialis concilii praescripto, si a Congregatione recognitum et emendatum fuerit: alioquin canonicos non esse cogendos ad canendas alias missas solemnes, quam ex legitima consuetudine et veteribus illius ecclesiae statutis debent. Assistere vero canonicos alteri non teneri quam episcopo celebranti aut pontificalia exercenti, S. C. resp. 31. Aug. 1591. Verum posteriori aevo occasione relationis status illius ecclesiae decrevit: consuetudinem, ut omnes canonicatus ecclesiae cathedr. Auximanae sint presbyterales, esse servandam, huiusmodique canonicos teneri celebrare missas conventuales, nec non inservire in officio diaconi et subdiaconi aliis canonicis celebrantibus, non obstante praetensa allegata consuetudine. 19. Iun. 1649. (Ex act. rel. LXXX. 315.)

—

6. Numerum certum canonicorum vel presbyterorum participantium ab initio praefinitum sine capituli aut eorundem participantium consensu augeri nequaquam posse, tametsi reditus canonicatuum seu massae communis notabiliter excreverint, constat ex res. S. C. in *Cladien.* 5. Iul. 1608., *Mazanen.* 20. Sept. 1692., *Sabinen.* 14. Apr. 1690., *Aquinaten.* 20. Febr. 1677., rel. VIII. P. II. p. 156.

—

7. Canonicatu aliquo in ecclesia quadam collegiata vacante capitulum statuerat, ut illius possessor voce activa, passiva et iure turni careret, onus ferret sacri agendi diebus festis pro populo curae illius pridem commisso, curae incumberet, ob idque, cum choro interesse non posset, distributionibus quotidianis careret. Capitulum obventiones universas et decimas percipiebat. Canonicatus ille verus erat. S. C. censuit: I. statuta illa non sustineri; II. canonicum gaudere debere iure turni voce activa ac passiva, aliisque praerogativis cum ceteris canonicis; III. onus missae parochialis singulis diebus festis pro populo celebrandi spectare ad canonicum illum; IV. canonico occupato in exercitio curae animarum absenti deberi distributiones quotidianas. *Embricen.* 23. Sept. 1747. et 9. Febr. 1765.

8. Ad dubia: I. An archipresbyter, qui in bulla erectionis excluditur a participatione distributionum quotidianarum et

aliorum emolumentorum ad manus camerarii capitularis provenientium, debeat habere votum in capitulo, quando ad istorum interesse et massae capitularis tantummodo tractatur? II. An idem archipresbyter ut supra exclusus a participatione distributionum et emolumentorum possit participare de eleemosynis, quae dantur capitulo pro funeralibus et anniversariis occasione funeralium, quae inter praesentes participantes distribuuntur? S. C. resp. ad I. Archipresbyterum vocem debere habere etiam in capitulis supra expressis. Ad II. Archipresbyterum participare non debere de his quae perveniunt ad manus camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum canonicorum, secus vero in aliis. *Favent.* 12. Dec. 1654. (Ex actis rel. XXXIII. 169.)

9. Canonicum capituli, quod ius habebat alternativum cum episcopo conferendi praebendas, coniunctum consanguinitate cum altero ex competitoribus nepote ex sorore, reiiciendum non esse a ferendo suffragio, censuit S. C. in *Pisana.* 19. Sept. 1818.

10. Cum capitulum a iure nominandi capellanum eos exclusisset canonicos, qui concurrentium propinqui essent, S. C. censuit: « iure suffragii gaudere debere etiam canonicos intra tertium gradum propinquos concurrentium per secreta suffragia » in *Ferentina* 1. Mai. 1834. et 28. Mart. 1835.

11. Canonicus absens potest votum suum alteri de capitulo delegare, si abfuerit ob aliquam causam ex his, quae approbatione sunt in constitutione Bonifacii VIII. 16. Febr. 1623.

—

12. Ad obtinendam in cathedrali *vel collegiata* dignitatem non curatam requiri aetatem 22. annorum *completam*, S. C. censuit 4. Sept. 1591.

Eodem modo in *Brundusin.* resp.: decretum conc. Trid. c. 12. Sess. XXIV. §. *ad ceteras autem dignitates* comprehendere etiam dignitates in collegiatis 13. Ian. 1594. Item in *Nullius* 15. Mart. 1601. rescr.: ad obtinendam dignitatem scholasticae in ecclesia etiam collegiata requiri aetatem annorum 22. ex decr. Conc. c. 12. §. *ad ceteras* Sess. XXIV.

—

Interrogante fundatore dignitatis archipresbyteratus in collegiata quadam ecclesia declarari, an ipse ad praedictam archipresbyteratus dignitatem possit clericum nepotem suum, qui annum 14. attingit, praesentare? S. C. censuit, non posse, sed oratorem dignum esse, ut illi utpote fundatori per datariam ex apost. benignitate indulgeatur. 29. Nov. 1659. (rel. cum reliquis XXXV. 265.)

Eandem regulam secuta est in *Senogallien.* 9. Aug. 1766. ib.

13. Ad dubium: An canonicatus de iure patronatus laicorum in ecclesia collegiata ante S. C. Trid. absque aliqua expressione ordinis sacri erectus, si postea erigatur dicta collegiata in cathedralem cum reservatione canonicis iurium, quibus antea utebantur, possit idem canonicatus retineri absque susceptione alicuius ordinis sacri? S. C. resp., retineri non posse canonicatum absque susceptione ordinis sacri. 12. Febr. 1644. (alleg. XCII. 232.

—

14. Ex statuto alicuius ecclesiae collegiatae successio in locos vacantes ex antianitate fiebat, ita tamen, ut graduati praeferrentur aliis. Privilegium baccalaureatus acquisitum non in universitate publica, sed a collegio privato, cui Papa privilegium dederat conferendi gradus doctoris etc., non sufficere, resp. S. C. in *Brundusina* 2. Dec. 1741.

15. S. C. censuit: ad obtinendum archidiaconatum, qui vere careat omni cura et omni prorsus iurisdictione, non necessario requiri, quod quis sit magister in theologia seu doctor aut licentiatus in iure canonico. *Polinianen.* Dec. 1602 (XXXV. 265.) Eodem modo iudicavit in *Aquipendien.* 20. Iun. 1571. (ib.) et in *Senogallien.* 9. Aug. 1766,

—

16. Dioecesis Monasteriensis divisa erat in districtus, in quibus archidiaconi tanquam episcopi vicarii iurisdictionem exercebant; non solum saeculares, sed regulares quoque, cum archidiaconalis iurisdictio adnexa esset vel abbatiae, vel praepositurae vel alteri regulari dignitati. Inter archidiaconos regulares erat praepositus in Clarholz Ord. Praem., cui praepositurae unitus erat archidiaconatus locorum Beelen et Lette. Ad quam cum electus esset Franc. Philipp. de Meseren Ord. Praem., confirmationem et collationem officii archidiaconalis petere ab episcopo recusavit. Lite ad S. Rotam delata, victoriam per contradictas reportavit. Cum tamen res a Clemente XIII. ad S. C. esset remissa, instante promotore fiscali, qui tum ex iure tum ex consuetudine opus esse confirmatione contendebat, ad dubium: An praepositus in Clarholz confirmationem episcopalem reportare teneatur pro exercitio praetensae iurisdictionis archidiaconalis in paroeciis de Beelen et Lette in casu? resp.: *Affirmative. Monasterien.* d. 18. Nov. 1769.

17. Admissionem presbyteri a capitulo decretam ad participationem in ecclesia, ex cuius statuto ac consuetudine nemo admittebatur, quin novennium eidem inserviisset, quamvis ille illo tempore studiis et servitio episcopi extra dioecesim vacasset, non esse sustinendam, resp. S. C. in *Potentina* 2. Dec. 1741. et 5. Maii 1742.

—

18. Sacristam cathedralis ecclesiae saltem clericum esse debere, resp. S. C. in *Sancti Marci*. ad. dub. IV. 13. Apr. 1720.

—

19. « Quaerit episcopus Cathacensis, an fidei professio sit emittenda a canonicis tam cathedralis quam collegiatarum, an eadem fieri possit per procuratorem, quomodo eadem sit explenda, an coram canonicis capitulariter congregatis et deinde coram episcopo, quibus denique poenis subiaceant, qui eam vel non emittunt, vel debito modo non emittunt.

Sac. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 12. de ref. decrevit, ut provisi de canonicatibus et dignitatibus facere teneantur fidei professionem ad minus intra duos menses a die adeptae professionis, et forma fidei professionis ab his emittenda statuta fuit a S. Pont. Pio. IV. in sua bulla 99. Bullar. T. II. Quia vero Concilium loquitur de provisis in ecclesiis cathedralibus, Sacra haec Congregatio saepe respondit, non teneri ad emittendam fidei professionem provisos de canonicatibus et dignitatibus in collegiatis ecclesiis, uti resolutum fuit in *Avenionen.* a. 1576. L. IV. Decr. pag. 128. a tergo et pag. 183. a tergo et 186., ibi: « Quaeritur, an provisi in ecclesiis collegiatis de dignitatibus vel canonicatibus teneantur fidei professionem facere, neque enim. c. 12. Sess. 24. aut constitutione Pii Papae IV. viderentur adstricti? Sacra etc. respondit, provisos de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis collegiatis non teneri ex concilio Sess. 24. cap. 12., neque ex bulla Pii IV. emittere professionem fidei, quia Concilium loquitur de cathedralibus. »

Quoad punctum, *an eadem emitti possit per procuratorem*, nonnulli affirmative respondent, *Navar.* L. II. consil. 11. de iureiur. num. 2., *Sanchez* in praec. decal. T. I. L. II. c. 5. n. 7., *Barbosa* iur. eccles. univ. L. I. cap. 11. n. 56., *Anaclet.* ad tit. Decretal. de iureiur. n. 182., cum aliis, quos cumulat et sequitur modernus *Bokhn* in iurispr. univ. L. I. tit. I. part. 1. qu. 2.; alii negative respondent; et huic opinioni adhaesit S. haec Congregatio et etiam Rotae tribunal iuxta resolutiones et decisiones impressas apud *Garziam* de benef. P. III. c. 3. n. 51 et 75., et praeter resolutiones a *Garzia* allegatas, alia reperitur in regestis Sac. Congregationis in *Valentina* a. 1610. L. XI. Decr. pag. 91., « Congregatio Concilii etc., censuit, professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari; » et iuxta praxim illi, qui intra tempus statutum non possunt accedere ad residentiam, et habent indultum abessendi, supplicant huic S. Congregationi pro facultate emittendi professionem, si sunt in Urbe, in manibus Eminentissimi Vicarii Urbis, et S. Congregatio indulgere consuevit, cum clausula tamen, ut postquam ad residentiam accesserint, eam personaliter repetant ad tramites S. Conc. Tridentini.

Transeundo ad *modum emittendae professionis* disputatum fuit die 7. Aug. 1683. sequens dubium: An professio fidei per provisos de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus emittenda in capitulo ex dispositione S. Conc. Trid. cap. 12. Sess. 24. de ref. emitti debeat coram omnibus canonicis in capitulo congregatis, vel satis sit, ut emittatur coram prima dignitate aut decano vel uno ex canonicis antiquioribus tantum? et huic dubio responsum fuit: « eam esse emittendam coram canonicis capitulariter congregatis, » et iuxta litteram Concilii cit. Sess. 24. cap. 12. provisi tenentur emittere professionem non solum in capitulo, sed etiam coram episcopo sive eius vicario generali, et iuxta praxim, si fiat coram vicario etiam episcopo impedito aut in capitulo, in quo sit praesens episcopus vel vicarius, satisfactum dici debet obligationi fidei professionem emittendi, uti plene habetur apud *Monacell.* in form. pract. I. p. 54. n. 7. et concordat resolutio huius S. Congregationis in *Sarzanen. professionis fidei* 14. Ian. 1679. L. XXX. Decr. pag. 244. ad primum, ibi: « Primo, quoad emissionem professionis fidei modo ut supra secutam, scilicet in capitulo, in quo praesens erat vicarius, qui erat etiam canonicus et sedebat in stallo canonicali, non autem vicariali, satisfactum fuerit dispositioni Concilii cap. 12. Sess. 24. de ref.? » Sacra etc. ad primum respondit *affirmative*.

Demum in eo, quod attinet ad *poenas quoad eos, qui non emittunt, vel debito modo non emittunt* fidei professionem, cum Concilium loquatur de fructibus, ibi: *fructus non faciant suos*; sub hac censura non comprehenduntur distributiones, uti habetur L. I. Decr. pag. 65. a tergo, ubi proposito hoc dubio responsum fuit: « distributiones quotidianas non comprehendi in hoc casu

verbis Concilii dicto cap. 12. Sess. 24. de ref., « et concordat alia resolutio in *Nullius* 1595. L. VIII. Decr. pag. 124., ibi: « Congregatio Concilii censuit, illa verba Concilii, quae habentur in c. 12. §. *Provisi* Sess. 24. eiusdem Concilii, intelligenda esse quoad fructus faciendos suos: ideoque omissionem professionis fidei non privare canonicum supra narratis possessionis effectibus, sed ipsum et vocem in capitulo et ius praecedendi a die adeptae possessionis habere, nisi aliud obstet, quamvis professionem fidei non emiserit. »

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An professio fidei emittenda sit tam a canonicis cathedralis quam collegiatarum?

II. An eadem emitti possit per procuratorem?

III. An sit emittenda coram episcopo aut eius vicario generali et deinde coram canonicis capitulariter congregatis?

IV. Quibus poenis subiaceant non emittentes vel debito modo non emittentes professionem fidei?

S. Congr. respondit. « Ad I. esse emittendam a canonicis cathedralis et non collegiatarum. Ad II. *negative*. Ad III. emittendam esse coram episcopo aut eius vicario, et etiam coram canonicis capitulariter congregatis; sufficere tamen, si emittatur coram capitulo, cui episcopus vel vicarius generalis intersit. Ad IV. non facere fructus suos, sed distributiones lucrari pro horis, quibus intersunt. « *Cathacen.* 25. Ian. et 9. Febr. 1726.

20. Cum occasione causae Cathacen. animadversum fuerit, plures doctores in sententiam contrariam abiisse et disputationem dubii in abstracto ad hunc finem potuisse esse directam, privandi fructibus aliquem, qui bona fide professionem emiserat per procuratorem, prudenter insinuatum fuit, ut in casus contingentia fieret taliter professo fructuum remissio, facta aliqua eleemosyna. Cumque res contigisset eo modo, quo fuerit provisa die 16. Mart. 1726. facta fuit archidiacono cathedralis ecclesiae Cathacen., qui professionem fidei emiserat per procuratorem, condonatio fructuum, emissa per eum nova fidei professione et facta aliqua eleemosyna arbitrio episcopi, uti habetur LXXVI. Decr. pag. 133. (cit. in causa *Toletana* 17. Apr. 1728. IV. 288.)

21. Cum canonicus bona fide, pendente lite inter eum et capitulum eum recipere recusans, professionem emiserat per procuratorem S. C. resp.: « Fructus ei deberi nec ullo modo accrevisse mensae capitulari aut canonicis, *et amplius* » In *Toletana* 17. Apr. 1728.

22. Dignitates et canonici iusto detenti impedimento, quominus se ad residentiam intra duos menses conferre ibique coram episcopo et in capitulo fidei professionem emittere possint, nequeunt ad episcopum confugere pro licentia eam in alterius manibus emittendi, sed Congr. Conc. adire debent, quae eam concedit cum clausula: « dummodo, cessante impedimento, ad suam se conferat residentiam, ibique eandem fidei professionem coram ordinario et in capitulo iterum emittat, « iuxta decretum in *Nullius* 1595. Concordant *Regien.* 1622. *Bergomen.* 23. Nov. 1630. (rel. VIII. 192.)

23. Iidem, si professionem statuto tempore emittere negligant, aut non rite adimpleverint, coguntur itidem ad idem Supremum Tribunal recurrere pro facultate eam denuo emittendi aut renovandi iuxta decr. in *Valentina* 1599. (rel. VIII. 193.)

24. Propositis dubiis: I. An obtinentes beneficium cum cura animarum, dignitates et canonicatus in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus satisfaciant praecepto S. Concilii Sess. XXIV. c. 12. de ref., si professionem fidei emittant post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immittantur in casu? II. An qui fidei professionem facere tenentur, et ultra praefinitum bimestre tempus distulerint, priventur fructibus dicti primi bimestris, seu potius fructibus ex post decurrendis in casu? S. C. (ad II. regulam in *Alatrina* 12. Febr. 1661. statutam secuta) respond. ad I. *affirmative*, ad II. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, nempe a die elapsi primi bimestris. *Tirasonen.* 11. Maii 1782.

25. Ad dubia: I. An examinatores et iudices prosynodales, convisitatores eorumque secretarius teneantur ad fidei professionem emittendam in casu etc.? et quatenus affirmative: II. An teneantur eandem fidei professionem renovare quoties confirmantur in munere in casu etc.? S. C. resp. *negative*, nisi adsit contraria consuetudo vel lex synodalis. *Comaclen.* 24. Aug. 1822.

26. Propositis iussu regis Hispaniarum dubiis: I. An in qualibet nova provisione canonicatuum, dignitatum etc. in ecclesiis cathedralibus (etiam in eadem ecclesia) iteranda sit professio fidei ad formam decreti Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref.? II. An ea emitti debeat coram ordinario vel eius vicario generali, et tempore sedis vacantis coram vicario capitulari et capitulo,

vel potius stante consuetudine liceat eam emittere coram solo capitulo, praesertim iis in dioecesibus, in quibus ordinarii praeter vicarium generalem habent alterum vicarium de gremio capituli ad effectum convocandi capitulum et eidem interessendi in rebus respicientibus ordinarium et capitulum? Et quatenus negative ad secundam partem: III. An stante bona fide sit consulendum SSimo pro absolutione a restitutione fructuum pro tempore praeterito quoad eos, qui professionem fidei coram capitulo ut supra emiserunt? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam, ad III. *affirmative*. 1. Apr. 1786.

—

27. S. C. censet, curam animarum ad capitulum ecclesiae cathedralis spectantem actualem non residere penes *omnes et singulos* canonicos, quare respondit ad quaestionem eiusmodi: « Episcopus omnino procedat ad exsecutionem litterarum S.Congr. anni 1646. additis etiam coadiutoribus curae ex canonicis. » Hae litterae d. d. 5. Maii 1646. sunt: « Quoad curam animarum ecclesiae cathedralis non probarunt Emin. Patres, quod *vage* capitularibus immineat, sed mandarunt, alicui certae praebendae de consilio capituli iniungi, vel vicariam inibi erigi perpetuam, ut subiectus populus certum pastorem agnoscat. « Quam ob rem S. C. censet, canonico, qui ad excipiendas confessiones non sit approbatus, nec operam suam ponat in cura animarum, deberi portionem decimarum et emolumentorum, quae in communem massam referantur. *Sarnen.* 7. Iulii 1731.

28. Curam animarum actualem ad capitulum pertinentem non esse annexam praeposituraе, capitulum posse cogi ad eligendum capellanum seu vicarium pro exercitio curae etiam extra gremium capituli, mercedem ei esse solvendam ex massa capitulari, vicarium denique semper ab episcopo esse ad curam approbandum, S. C. censuit in *Cingulana* 19. Iulii 1732., cf. *Passav.* 28. Iulii 1751., *Nullius s. Montis Cassini* 25. Ian. 1726.

29. Cum ecclesia parochialis a Pontifice erecta esset in collegiatam, nulla curae animarum ad capitulum translatae facta mentione neque ei relicto nominandi iure eos, qui curae deberent praeesse, sed institutis beneficiis aliquot per concursum conferendis, quibus eam addixit certo modo exercendam, ius parochiale residere privative quoad capitulum tam actuale quam habituale et exercitium curae tam in ecclesia quam in districtu parochiae apud hebdomadarios institutos ad exercendam curam eosque esse curatos, censuit S. C. in *Oriolen.* 23. Ian. 1734.

30. Presbyteros capitulares teneri praestare assistentiam morientibus in casu necessitatis, etiamsi cura animarum penes solum sit archipresbyterum, censuit S. C. in *Sypontina* 23. Nov. 1737.

—

31. Proposito dubio: an dignitas seu canonicus cathedralis, cui est adnexa cura animarum, possit exercere munus vicarii generalis? S C. d. 3. Febr. 1685. resp. *negative*. (rel. XLII. 29.)

—

32. Cum canonici Mutinenses contendissent, satis esse si sacerdos ac duo de more canonici ac diaconus assistant episcopo pontificalia celebranti, nec omnino requiri, ut alius ex canonicis munere subdiaconi fungatur, S. C. resp.: teneri inservire etiam in munere subdiaconi. *Mutin.* 1573. Ex l. I. Decr. p. 14. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

33. Proposito dubio: An retinentes dignitates canonicatusque in cathedrali ecclesia episcopo pontificia obeunti omnes assistere teneantur, vel maior pars suppetat, et posito quod non, an recusantes assistere multari possint? S. C. censuit, omnes teneri salvis tamen singulorum legitimis vacationibus. *Tudertin.* 1573. ex l. I. Decr. p. 110. ap. *Bened.* XIV. l. c.

34. Propositis dubiis:

I. An decretum S. Conc. c. 12. Sess. XXIV. de ref. locum habeat, dum episcopus in sua ecclesia cathedrali assistit cum cappa missae et divinis officiis diebus dominicis et festivis etiam non solemnibus, et diebus ferialibus Quadragesimae?

II. An locum habeat, quando episcopus in aliis ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus pontificaliter celebret, vel paratus assistit cum pluviali et mitra aut cum cappa divinis officiis et missae solemni, vel alia pontificalia exercet tam occasione alicuius Sancti, qui in ipsis ecclesiis solemnizatur, quam alia occasione, si numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat?

III. An habeat locum, cum episcopus cum cappa in ecclesia cathedrali assistit concioni, quae solita est haberi post missam conventualem diebus Quadragesimae, et etiam aliis intra annum?

IV. An similiter habeat locum, quando episcopus intervenit cum cappa concioni, quae habetur in aliis ecclesiis

civitatis etiam exemptis diebus festivis vel ferialibus Quadragesimae et intra annum, aut si saltem duo ex illis compelli possint ad sibi assistendum hinc inde a sua sede, et si isti duo debeant esse digniores, dummodo non sint legitime impediti, seu illi, qui solent assistere in ecclesia cathedrali vel omnes per turnum alternis vicibus?

—

S. C. ad I. resp., decretum S. Conc. c. 12. vers. *Omnes vero* Sess. XXIV. habere locum, ad II. et III. itidem habere locum, ad IV. locum non habere. *Licien.* 17. Aug. 1641. Ex l. XVI. Decr. p. 582. rel. a Bened. XIV. ibid.

35. Canonicos, quamvis ex consuetudine episcopo in sacello privato missam celebranti assistentiam praestiterint, non teneri tempore divinorum officiorum assistentiam praestare episcopo missam privatam celebranti in ecclesia cathedrali, resp. S. C. in *Arianen.* ad dub. II. 19. Apr. et 17. Maii 1704. (rel. IX. p. 107. P. II)

36. Episcopum posse decernere, ut associetur a canonicis habitu canonicali indutis ab aula palatii ad ecclesiam, et ab ecclesia ad aulam, dummodo episcopus sit cappa indutus; rescr. S. C. in *Sancti Marci* ad dub. II. 13. Apr. 1720.

—

37. Propositis dubiis: I. An episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a iure temporibus in cathedrali ecclesia habenti canonici omnes adesse teneantur non obstante privilegio alternativae? et quatenus affirmative: II. An renuentes coërceri possint poena pecuniaria et spirituali? S. C. decrevit ad. I. *affirmative* et detur decretum in *Giennensi* celebrationis ordinum *et amplius*; ad II. *affirmative* pro poena pecuniaria tantum arbitrio episcopi. *Alatrin.* 20. Aug. 1785. Decretum in Giennen. 19. Iun. 1728. huius est tenoris: « S. C. decrevit, cogi posse iuris remediis integrum capitulum una cum omnibus de clero cathedralis, ut episcopo assistant solemniter cum cantu missam ordinationum ad altare maius celebranti et *ad mentem.* » Mens vero erat, « quod quando episcopus velit S. ordinationem celebrare cum solemni pontificali in cantu, debet esse ad altare maius et cum assistentia diaconi et subdiaconi et capituli et omnium de choro, ut in sabbato sancto disponit Caeremoniale episcoporum, missa tunc deserviente pro conventuali. Extra hunc casum totum capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam et praesentiam duorum saltem canonicorum. »

(cf. Decl. ad Sess. XXI. c. 8.)

38. Transactionem inter canonicos et beneficiatos ecclesiae, qua distributiones tenuissimae pro matutino, laudibus, et aliis parvulis horis, pingues autem pro magna missa et vesperis diei feriali assignatae fuerint, adversari decretis S. Concilii, et propterea non esse servandam, sed iniungendum episcopo, ut provideat ad formam eiusdem S. Conc., ut scil. distributiones quotidianae dividantur proportione singulorum dierum et horarum servata, maiore assignanda quantitate diebus festivis, praesertim solemnioribus, S. C. resp. in *Cavallicen.* 9. Sept. 1702. ad I. (rel. IX. (II.) p. 109.)

39. Consuetudinem capituli cuiusdam, ex qua fructus a peritis aestimabantur et portiones ex eis factae a canonicis, prout quisque maiore erat aetate, eligebantur, servandam non esse, sed divisionem esse faciendam iuxta constitutiones et extractionem per sortem, resp. S. C. in *Verulana* 25. Ian. 1745.

40. Reditus praebendarum suppressarum massae communi capitulari uniti habent naturam quotidianarum distributionum. *Neap.* 27. Iul. 1737.

—

41. S. C. censuit, puniendos esse eos, qui absunt a servitio ecclesiae, licet in civitate locove, in quibus est ecclesia, sint praesentes. 1573. Ex. l. I. Decr. p. 3. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

42. Ad dubium propositum: An tolerandum sit I. quod diebus festivis matutino praesentes habeantur, ac proinde punctis non mulctentur, qui non nisi absoluto primo nocturno, videlicet post psalmos tres totidemque lectiones recitatas choro intersint? II. diebus verò ferialibus, qui non nisi absolutis sex psalmis? III. quod sacris processionibus distributiones assignatae non sint, sed contra contumaces poena duntaxat trium librarum cerae constituta, quae nunquam exigi consuevit? IV. An praenarratus modus interveniendi possit etiam ratione consuetudinis immemorabilis tolerari? S. C. ad I. resp. non esse tolerandum. Idem ad II. respondit. Ad III. resp. exigendam esse poenam praescriptam. Ad IV. non suffragari contrariam consuetudinem. *Interamnen.* 24. Maii 1674. Ex l. XXIV. decr. p. 123. ap. *Bened.* XIV. l. c.

43. Dubio proposito: « An sit probanda consuetudo capituli ecclesiae cathedralis interessendi choro alternatim ad completorium tempore Quadragesimae, seu potius sit consulendum SSimo pro indulto ex integro? » respondit S. C. *negative* in omnibus in *Interamnen.* 17. Maii 1806.

44. Capitulum ut horis canonicis B. Mariae V. vel defunctorum officium, vel graduales aut poenitentiales psalmos diebus in rubrica praefinitis adderet, episcopus flagitavit, nixus quodam decreto Congr. Epp. et Regul. lato in *Alexandrina* 18. Mart. 1587. et relato in *Crispini* libro de visit. paroch. P. II. §. 20. Obstante vero et negante propter contrariam consuetudinem capitulo, et allegante, decretum illud male relatum esse quippe quo hortandos quidem, nec vero cogendos esse canonicos sit constitutum, S. C. censuit servandam esse consuetudinem. *Montis albi* 28. Sept. 1754. Similiter iudicavit in *Acerrarum* 23. Aug. 1727.

45. Canonicum, qui per XXV. annos pariter atque antecessor eius organistae in ecclesia munus exercuerat, non attenta praetensa consuetudine teneri, ut interesset in choro, et pecuniaria poena ad hanc obligationem explendam cogendum esse, S. C. censuit in *Ferentina* d. 7. Iun. 1760. Eodem modo iudicavit die 26. Nov. 1611. in *Brixiensi*.

46. Ad dubium: An canonicus sit punctandus ob eius a choro absentiam, vel potius interessentia in organis pro servitio ecclesiae sit reputanda ad effectum percipiendi distributiones? S. C. resp., gaudere si stipendium pro musica non recipiat. *S. Severini* 15. Nov. 1659.

Similiter in *Adiacensi* 11. Iul. 1671. proposito dubio: An canonicus qui solus in arte per totam dioecesim in cathedrali tempore solemnium officiorum organum pulsat et aliquando etiam psalmos cantat alternatim cum aliis canonicis existentibus in choro, punctaturis subiaceat, ac si non intersit? S. C. resp. *negative*, dummodo non habeat salarium. (rel. XXXVII. 142.)

47. Adversus beneficiatos musicos, qui tenentur ecclesiae inservire cum cantu Gregoriano in diebus ferialibus et cum figurato in festivis, quamvis adesset statutum capituli, ex quo locus erat privationi ipso iure adversus absentes, nisi absentiae causa fuisset a capitulo approbata, nihilominus tamen procedendum esse ad tramites Concilii Tridentini, resp. S. C. in *Vercellen.* 1. Oct. 1720. Eodem modo iudicavit in alia *Vercellensi* 15. Dec. 1696. (all. I. 319.)

48. In causa Tudertina expositus fuit hic casus: Est antiqua constitutio in dicta ecclesia, ut canonici qui infirmantur, durante eorum infirmitate percipiant fructus tam praebendae quam quotidianarum distributionum, sed consuetudo introducta est, ut ipsi infirmi fructus tantum praebendae consequantur, non autem quotidianas distributiones. Quaeritur in hoc casu, an constitutio vel potius consuetudo sit servanda? S. C. resp., consuetudinem, si legitime praescripta est, tollere constitutionem. (1573.) Ex l. I. Decr. p. 86. rel. XXXIX. 147.

49. Ad dubia: I. An et quomodo sustineatur resolutio capitularis ab archiepiscopo confirmata, in qua iubetur, ne in posterum attestationes recipiantur ad eos excusandos ab horis matutinis, qui soliti non sunt iisdem interesse? II. An et quomodo sustineatur eadem resolutio pariter confirmata, in qua cautum est, ne binae attestationes consecutivae favore unius eiusdemque personae recipiantur, nisi infirmitas talis sit, quae a missae celebratione detineat? III. An et quomodo sustineatur eadem resolutio pari modo confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur, quae habitualiter ac periodice exhibentur, nisi infirmitas sit probe cognita et declarata? IV. An et quomodo sustineatur eadem resolutio ut supra confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, nisi infirmitas talis sit, quae a missae celebratione detineat in casu etc.? S. C. resp. ad I. *affirmative* in omnibus, ad II. III. et IV. *negative et amplius*, et *ad mentem*, et mens est: « attestationes a medicis esse cum iuramento subscribendas, et recipiendas a capitulo, etiamsi periodice et habitualiter exhibeantur; in potestate tamen esse eiusdem capituli per aliquem canonicum infirmum visitare, et quatenus dubium extiterit, archiepiscopus utatur iure suo. » *Avenionen.* 20. Ian. 1787.

50. Ne canonici valetudinis detrimentum ob frigidam coeli intemperiem paterentur, aliisque iustis intercedentibus causis, S. C. facultatem arbitrio et prudentiae episcopi impertivit, ut absolutis horis vespertinis matutinum cum laudibus diei sequentis (quod post absolutum completorium cuique *extra chorum* pro suo lubitu recitare fas est) *in choro* persolvere possent, in *Abulen.* 23. Ian. 1790., *Pisauren.* 27. Apr. 1822., *Massanen.* 14. Dec. 1822., *Derthonen.* 12 Sept. 1829., *Maurianen.* 18. Iun. 1831.

51. S. C. canonicis propter situm ecclesiae cath. in cacumine montis permisit, ut recitarctur matutinum cum laudibus de sero post vesperas a die immediate sequenti post festum Epiphaniae usque ad diem Cinerum exclusive, in *Montis Politiani* 26. Nov. 1723.

52. Cum ecclesia aliqua cathedralis ita sita esset, ut canonicis non nisi « longa, deterrima, aestuosa et pulverulenta via ad eam pateret accessus, » indultum, mensibus aestivis recitandi mane vesperas cum

completorio, esse concedendum censuit S. C. in *Sarnen.* 25. Maii 1833.

53. S. C. censuit, canonicum, ut proponitur, punctari debere, et non licere canonicis eadem puncta seu distributiones quotidianas remittere aut condonare, cum eiusmodi collusiones aut remissiones prorsus sustulerit Conc. decretum. *Terracin.* 13. Ian. 1624. ex l. XII. Decr. p. 149. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII. Similiter cum quaereretur, an episcopus seu capitulum possit condonare distributiones quotidianas canonicis, quibus alias non debentur? S. C. censuit non posse. 14 Dec. 1624. ex l. XII. p. 235. ib.

54. Prop. dubio: An qui punctatoris munere fungi debet, teneatur et cogi possit ad praestandum iuramentum in manibus archiepiscopi et in capitulo, vel saltem alterutro modo, de fideliter exercendo dictum munus? S. C. resp., punctatorem teneri iurare coram deputante. 13. Iul. 1686. Rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioeces. IV. 4.

—

55. S. C. censuit, non inservientes ecclesiae nec divinis interessentes ultra amissionem distributionum quotidianarum posse ab archiepiscopo per mulctas pecuniarias atque alio iuris remedio compelli. *Iadren.* 17. Sept. 1650. ex l. XIX. Decr. p. 81. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

56. Episcopus quaerit, an saltem in Quadragesimae et Adventus tempore vel in aliis solemnibus festis possit antedictum beneficiatum et quemcunque alium, qui legitimo careat impedimento, remediis extraordinariis aliquarum poenarum praescriptarum cogere, cum alias non eurent quod quicquid residendo et inserveniendo est lucri aliis accrescat? S. C. resp., licere etiam per alias poenas. *Castellanaten.* 7. Iun. 1659. (alleg. LIV. 148.)

—

57. Cum de vi consuetudinis quaereretur, secundum quam canonici ecclesiarum Hünfeld et Rasdorf dioec. *Fuld.*, participantes tantum de massa grossa, a privata recitatione divini officii se exemptos putabant, si in ordine sacro non essent constituti, S. C. dictos canonicos officium divinum quotidie recitare teneri rescripsit d. 3. Aug. 1782.

58. S. C. censuit, trium mensium absentiam non concedi canonicis ex decreto Conc. Sess. XXIV. c. 12., si constitutionibus ecclesiae servitium totius anni absque ulla intermissione requiratur. 1573. Ex l. I. Decr. p. 168. rel. a *Bened.* XIV. ib.

59. Proposito dubio: An censendi forent absentes, qui non absunt ab ecclesia vel a civitate, sed ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium praescripta quantitas annuo spatio superetur? S. C. resp., istos haberi pro absentibus. 1573. Ex l. I. Decr. p. 178. ap. *Bened.* XIV. ib.

60. Exposuit Mutinensis episcopus: An censendi forent absentes, qui absunt ultra tres menses, sed intermissis diebus, ut tamen toto anni spatio simul collecti et in unum numerum redacti trimestre spatium superent, vel potius trium mensium continuam absentiam adesse oporteat, quo dato verendum, ne cuivis pateat aditus ad suam pro libito et impune, deserendam et fraudandam ecclesiam, nam singulo trimestri spatio si per duos vel tres dies quis inserviat, nunquam labi patietur tres menses continuos et levi negotio illudet ecclesiae, et a Concilii poenis se eximet? S. C. resp.: non oportere, sed satis esse, quod dies absentiae quamquam interpolati superent trimestre. 1573. Ex l. I. Decr. p. 178. ab *Bened.* XIV. l. c.

61. Quaeritur in eccl. Mutinen., quae requirit servitium totius anni et in qua nulla est consuetudo vel privilegium alicuius intermissionis, an subiaceant poenis a Concilio statutis, ut priventur dimidia parte fructuum, canonici? S. C. censuit, trium mensium absentiam non concedi canonicis ex decreto conc. Sess. XXIV., si constitutionibus ecclesiae servitium totius anni absque intermissione requiritur. *Mutin.* 1575. (ex actis rel. XXXIV. 272.) Itaque in ecclesiis, quae continuum servitium requirebant, nonnisi perspectis causis aliquam vacationem S. C. concessit, ut in *Farfensi* 13. Nov. 1655., in qua duorum mensium vacationem indulsit, ita tamen, ut omnes interessent diebus dominicis et festis totius anni, et diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Oct. Nativitatis, Resurr. Dom., Pentecostes et Corp. Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent. » Cf. exempla vacationis vel propter praebendarum tenuitatem vel propter alias causas concessae in rel. Secret. XXXIV. 272.

62. Proposito dubio: An dignitates, canonici, portionarii, cantores aut alii officiales possint abesse a servitio ecclesiae sine licentia episcopi? S. C. censuit, non requiri licentiam episcopi, quando dignitates, canonici aut portionarii abesse volunt tempore ipsis a Concilio permisso, non tamen simul abesse posse, ne ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul abesse possit, relinqui arbitrio episcopi. *Abulen.* 1581. Ex l. III. Decr. p. 79. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

63. In Sess. XXIV. c. 12. dicitur, quod obtinentibus dignitates aut canonicatus non liceat vigore alicuius statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse. Quaeritur: (I.) An liceat abesse canonicis, qui habere constitutiones sedis apost. auctoritate factas aut confirmatas ante concilium Trid., quae concederent illis vacationem duorum mensium, et quod interim haberentur pro interessentibus et lucrarentur distributiones? II. An huiusmodi constitutiones censeantur revocatae a concilio Tridentino? S. C. resp. ad I. abesse licere, sed non lucrari distributiones quotidianas; ad II. constitutiones a sede apost. confirmatas non censeri sublatas. 1586. Ex l. IV. Decr. p. 168. 212. ap. *Bened.* XIV. l. c.

64. S. C. censuit, ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quae ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint, sed ipsos dies residentiae et servitii, sive continui fuerint sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium. *Aquilan.* 17. Iun. 1594. Ex l. VIII. Decr. p. 92. rel. a *Bened.* XIV. ib.

65. S. C. censuit Emin. episcopum facere debere decretum, in collegiatis ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Conc. Trid. gaudent vacatione trium mensium, canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno eodemque tempore, et huiusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in amplioribus anni festivitatibus. *Auximan.* 12. Iul. 1631. l. XIV. Decr. p. 467. ap. *eundem.*

66. Episcopus potest statuere, ne canonici, dignitates ceterique beneficiati quibus residendi onus incumbit, obtinentes, residentiam deserant, nisi facultate in scriptis ab ipso habitis iuxta resp. in *Terracin.* 19. Febr. 1628., *Larin.* 30. Aug. 1732. ad III. IV. V.

67. Episcopus potest edicere, ne simplices clerici cathedralis vel alterius ecclesiae servitio adscripti, eo inconsulto, extra dioecesim vagentur, sec. res. in *Anconitana* 14. Febr. 1609., *Terdon.* a. 1621., *Terracin.* 19. Febr. 1628., *Constantinop.* 1. Apr. 1628., *Melevit.* 14. Iun. 1707. (rel. VIII. 53.)

68. « S. C., tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt *extra dioecesim*, ac proinde hoc casu episcopi licentiam esse obtinendam; ceterum episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare. » *Iadren.* 9. Maii 1626., *Acerrarum* 23. Aug. 1727. ad I., *Castrimaris* 4. Maii 1737. ad II.

69. Episcopum posse edicere, ut canonici et dignitates etc., volentes uti vacationum indulto a Concilio concesso, nequeant nisi de ipsius licentia dioecesim relinquere, eique edicto mulctam pecuniariam et in subsidium suspensionis quoque poenam adiicere, res. S. C. in *Larin.* 30. Aug. 1732. *Acerrarum* cit. ad II., *Castrimar.* cit. ad I. («pro discessu pernoctandi extra dioec.»)

70. Quaeritur de forma procedendi contra canonicos, qui abfuerunt ab ecclesia ultra tres menses, prout c. 12. Sess. XXIV. Conc. Trid., videlicet, an huiusmodi contumaces et absentes sint prius monendi ad residendum, antequam puniantur, sicut moneri mandat idem Concilium omnes curatos non residentes iuxta c. 11. vers. *Quodsi per edictum* Sess. XXIII.? S. C. censuit, non esse citandos aut monendos ad residendum, sed si ultra tres menses abfuerint, tunc citandos ad allegandum, quare non debeant privari secundum decr. Conc. Sess. XXIV. c. 12. *Vercellen.* 1573. ex l. I. Decr. p. 190. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

71. Adversus canonicum non residentem procedi non posse ad privationem iuxta S. canonum constitutiones post lapsum trium mensium et ultra tertii anni, sed esse expectandum triennium completum; triennium vero currere a die absentiae, non a die primae monitionis, resp. S. C. in *Cathacen.* 14. Nov. 1671. ad dub. IV. et 21. Maii 1672. (rel. IX. 138. P. II.)

72. A privatione, servatis servandis facta ab ordinario de canonicatu ob non residentiam, non dari appellationem suspensivam, resp. S. C. in eadem *Cathacen.* ad dub. V.

73. Ut consulatur ecclesiis, quarum servitium detrimentum patitur propter absentiam canonicorum vel beneficiatorum, qui propter redituum tenuitatem residentiae leges contemnunt, quaeritur: I. An durante triennio praescripto a sacro Conc. c. 12. Sess. XXIV. de ref. possit adversus obtinentes dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, eosque non residentes, procedi ad suspensionem iuxta dispositionem cap. *Et tuae* de cler. non resid.? et quatenus affirmative: II. An id possit etiam post inchoatam viam procedendi a Conc.

praescriptam? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. pariter *affirmative* exclusa privatione. *Parentina* 18. Nov. 1673. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

74. Mansionarius per triennium cum abfuisset a residentia, trina monitio canonica fuit emissa. Cum idem ad titulum illius mansionariae sacris ordinibus fuisset initiatus, quaerebatur, an esset locus privationi. S. C. rescr., » quatenus servati fuerint termini ad praescriptum S. Conc., esse locum privationi. » *Nullius Guastallae* 28. Aug. 1660. (rel. IX. 137. P. II.)

75. I. An in participantibus habeant locum poenae non residentium tam a iure communi quam a S. C. inflictae? II. An eisdem participantibus possit episcopus permittere longiorem absentiam a residentia, quam in canonicatibus et in aliis collativis beneficiis eam requirentibus ex causa indulgere potest? Resp. fuit ad I. habere locum; ad II. non posse. *Ascul.* 18. Nov. 1662. (all. XXXI. 24.) Eandem regulam quoad primum S. C. secuta est in *Nullius terrae Fasani* 16. Ian. 1762.

—

76. S. C. postquam asseruit concedi posse ab episcopo facultatem ut canonicus choro addictus alium ex collegiis suis tunc immunem ac liberum sufficiat ac distributiones assequatur, haec deinde superaddidit: « Ita tamen, ut huiusmodi facultate substituendi non abutantur et canonicus substituens sit praesens in civitate. » *Aquilana* 12. Dec. 1643. 2. Dec. 1644. Ex l. XVII. Decr. p. 265. 290. rel. a *Bened.* XIV. Inst. CVII.

77. « Inter ceteras constitutiones, quae factae dicuntur pro ecclesia Fulginatensi a quodam legato de latere a. 1485. haec habetur: « che li canonici di detta chiesa possano servire in coro all' ore canoniche uno per l' altro nel giorno che non sono obligati a servire per se, e così è stato sempre osservato. »

Anno 1587. excitata fuit controversia, an statutum praedictum licet antiqua observantia vallatum adversaretur S. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12. de ref. et Sac. haec. Congr. censuit, « permittendum esse canonicis, ut se invicem substituere possent, dummodo qui substituitur eo die non teneatur ad servitium. »

Contendit in praesenti promotor fiscalis, quod haec facultas canonicorum sese invicem substituendi non habet locum, quando substituentes absunt a civitate et eius suburbiis, et e contra canonici contendunt, in sequelam praesertim immemorabilis, facultatem sese invicem substituendi procedere etiam in hypothesi, in qua substituentes absunt ab urbe et eius suburbiis.

Pluries in S. Congr. actum fuit de facultate canonicorum sese invicem substituendi, in *Alatrina* videlicet die 24. Maii 1612. lib. XII. Decr. pag. 112. ibi.: « Sac. Congr. respondit ad I., eos tantum, qui in civitate, ubi est cathedralis, vel in eius suburbiis sunt praesentes, non autem alios posse substituere. Ad II., causam non requiri ad substituendum. Quod vero monuit Congregatio, ut episcopi cordi sit, ne canonici ea substituendi facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones huiusmodi sint nimium frequentes, quod episcopi erit arbitrio. Ad IV., absentes in castro dioecesis non posse substituere. »

Rursus Sacra haec Congr. in *Callien.* 29. Iulii 1628. lib. XIII. Decr. pag. 490. et in *Leirien.* 7. Sept. 1630. lib. XIV. Decr. pag. 336. declaravit, posse canonicos ad invicem se substituere, dummodo non substituantur ii, qui eodem prorsus tempore addicti sunt servitio ecclesiae, et episcopum curare debere, ne canonici hac facultate substituendi abutantur.

—

Die quoque 21. Febr. 1682. canonici Tiburtini supposita consuetudine sese invicem substituendi, quando substituentes a civitate vel a suburbiis non sunt absentes, et quando illi, qui substituuntur, non sunt addicti servitio ecclesiae, supplicarunt pro facultate substituendi etiam in casu, quo ad S. Domum Lauretanam vel ad Urbem, nec non cetera loca per viginti miliaria circum circa se conferrent, et responsum fuit *negative*.

Tandem in causa *Ferentina iuris substituendi* 17. Nov. 1685., cum episcopus reprobasset in actu visitationis modum inserviendi per substitutum, et capitulum reclamasset, allegando antiquum decretum capitulare editum die 1. Ian. 1621., S. Congr. respondit, praedictam resolutionem capitularem nec non decretum ab episcopo editum reduci debere ad formam resolutionum a S. Congr. editarum in *Alatrina*, *Callien.* et *Leirien.* supra allegatis, ut videre est lib. XXXV. Decr. pag. 454.

His stantibus quaeritur: An canonici et capitulares ecclesiae cathedralis Fulginaten. absentes a civitate eiusque suburbiis possint sese invicem substituere in servitio chori in casu etc.? Sac. Congr. respondit *negative*. *Fulginaten.* 31. Maii 1721.

78. Canonicos honorarios in ecclesia cathedrali substitui non posse in servitio chori ab aliis canonicis praebendatis, censuit S. C. in *Montis Politiani* 4. Febr. 1804.

79. Etiamsi canonicis ecclesiae cathedralis competat facultas sese invicem substituendi in servitio chori diebus, quibus substituti ecclesiae servitio non sunt addicti, canonicorum tamen *coadiutores* uti non posse privilegio alium substituendi, resp. S. C. in *Casertana* 2. Febr. 1650. 27. Iun. 1704. (rel. IX. 118. P. II.)

80. Petitum fuit: An canonicus senio confectus, cui datus est coadiutor cum clausula, quod coadiuto impotente aut inservire nolente teneatur coadiutor inservire, si huiusmodi coadiutor postea gravi infirmitate oppressus, adeo ut de illius salute nulla fere spes adsit, et sic inservire non valeat, teneatur coadiutus per se ipsum inservire ad effectum percipiendi distributiones quotidianas? S. C. resp., coadiutum non teneri inservire. 2. Maii 1643. Ex l. XVII. Decr. p. 177. ap. *Bened.* XIV. Inst. CVII.

81. S. C. censuit, canonicum coadiutum non teneri inservire in locum coadiutoris infirmi; sed quia coadiutor est infirmus extra civitatem, supplicatur declarari, an etiam in hoc casu resolutio praefata locum habeat? S. C. resp. *affirmative*. 29. Maii 1677. l. XIX. Decr. p. 434. ap. *Bened.* XIV. ib.

82. Canonicus coadiutus tempore, quo coadiutor abest sive impeditus sive ex culpa, potest per se ipsum ecclesiae chorique servitio inservire, non obstante consuetudine capituli contraria, resp. S. C. in *Oveten.* 6. Iun. 1739. et 30. Ian. 1740.

83. Canonicus coadiutus, si absente coadiutore per se ipsum inserviat, gaudere debet diebus vacationis seu recreationis. *Oveten.* ad dub. II. 30. Ian. 1740.

84. Canonicus coadiutus potest per se ipsum explere functiones nuncupatas de hebdomada et turno. Eo impedito vel nolente has functiones potest peragere coadiutor, neque vero ius ea explendi devolvitur ad canonicum in turno succedentem. *Florentina* 9. Apr. 1718.

85. Canonicum in ordine canonicorum succedentem celebrare debere missam *solemnem*, quae *iuxta turnum* a coadiuto esset celebranda, non autem eam celebrandam esse a coadiutore impedito vel nolente coadiuto, S. C. censuit in *Aesina* 1. Apr. et 16. Dec. 1719. (celebres S. Congr. Rit. decisiones in *Patavin.* 14. Febr. 1615. et 3. Dec. 1616. et in *Neritonen.* 12. Oct. 1619. secuta.)

86. Canonicum coadiutum teneri ad assumendam electionem ad officium fabricerii, non autem teneri ad illud exercendum per se ipsum, sed per suum coadiutorem, S. C. resp. in *Asten.* 2. Oct. 1721.

87. Canonicum coadiutum infirmum, quamdiu coadiutor ex eadem causa et ipse abfuerit, percipere debere fructus sui canonicatus et praebendae una cum distributionibus quotidianis tam diurnis quam nocturnis, perinde ac si divinis officiis per se vel coadiutorem interesset rescripsit S. C. in *Vicen.* 10. Maii 1625. (all. IX., p. 2. P. II.)

88. Canonicus coadiutus, si coadiutore vel ex impedimento non legitimo vel ex culpa absente aegrotaverit, habendus non est pro praesente neque lucratur distributiones quotidianas, salvo iure contra coadiutorem pro relevatione. *Asculana* ad dub. VIII. 5. Iun. 1706. (all. IX. p. 65.), *Dubia Punctatur.* 21. Iul. 1694. (all. IX. p. 3. P. II.), *Oveten.* ad dub. III. 30. Ian. 1740.

89. Canonicum coadiutorem alium substituere non posse in chorale servitium, censuit S. C. in *Spoletana* ad dub. II. 28. Febr. 1795.

90. Canonicos coadiutores gaudere posse indulto vacationis, quod recreationis causa canonicis tributum est, si coadiuti eo non utantur, censuit S. C. in *Civitaten.* 20. Mart. 1745.

91. Coadiutori canonico indultum abessendi studiorum causa et lucrandi distributiones, etiam canonico coadiuto se offerente ad servitium, esse denegandum, sed illum eo casu abesse posse ad eum finem sine indulto, rescr. S. C. in *Patren.* 2. Mart. 1697., *Tarent.* 28. Mart. 1733.

92. «Licet in iure canonico cautum non reperiatur, quod canonicus sive beneficiatus, qui ecclesiae inservivit spatio XL. annorum, frui debeat exemptione a servitio et hoc minime obstante sit admittendus ad participationem fructuum et distributionum, uti bene ponderat *Navar.* cons. 12. L. III. de cleric. non resident., ex quo fortasse infirmitas canonicorum et beneficiatorum aut gravis eorundem aetas remedium habent coadiutoriae aut indulti vacandi a choro durante infirmitate, quemadmodum prosequitur Card. *de Luca* discurs. 15. num. 6. et seqq.: in cathedralibus nihilominus et collegiatis ecclesiis, in quibus adsunt statuta vacationis a choro, quae *iubilatio* dicitur, concedentia canonicis et beneficiatis post servitium annorum XL., iam resolutum est, eadem non esse improbanda, sed toleranda, et S. Congr. resolutio a S. Pont. Gregorio XIII. confirmationem obtinuit iuxta plene relata apud *Garziam* de beneficiis P. III. cap. 2. §. 1. num. 344.

Et quod notabilius est, etiamsi non adsint statuta, praxis inolevit, ut ab hac S. Congr. indulta iubilationis concedantur

canonicis et beneficiatis, qui spatio XL. annorum suis ecclesiis inservierunt, ne coelestis militiae milites deterioris sint conditionis, quam militiae saecularis, quibus a iure civili vacatio a muneribus, dummodo veterani essent, liberaliter concessa est, iuxta textum in l. *A muneribus ff.* de vacat. et excusat. munerum (l. 7. D. L. 5.) et in lege 1. Cod. de veteranis (l. 1. Cod. XII. 46.), et praxis memorata non absolute et simpliciter sibi vindicat locum, sed in hypothesi, in qua plene doceatur de servitio praestito spatio annorum XL., et quidem cum qualitate *continui et laudabilis*, uti non solum colligitur ex rescriptis huius S. Congregationis, in quibus vel denegata fuit iubilatio, non obstante servitio annorum XL., ex quo ipsum non fuerat continuum et laudabile, quemadmodum contigit in *Romana iubilationis* 6. Augusti 1712., l. LXII. Decr., vel iubilatio, quamvis concessa, fuit revocata, quia ostensum fuit servitium annorum XL. non fuisse continuum et laudabile, uti pariter contigit in *Maceraten. iubilat.* proposita die 22. Febr. 1698. et resoluta die 8. Mart. ei. a. l. XLVIII. Decr. Ea, quae hucusque deducta sunt, nullam admittere posse videntur controversiam. Ad alia ergo capita difficultas reducitur, pro qua dissolvenda S. Congr. exposcitur oraculum, ut tuta videlicet sit via, per quam incedendum est in concessione iubilationum; primumque difficultatis caput respicit tempus pro iubilatione necessarium, secundum pertinet ad qualitatem servitii ad eundem effectum requisiti, tertium spectat ad ecclesiae qualitatem, in qua canonicus vel beneficiatus inservivit, et quartum tandem refertur ad exemptionem indultam.

A primo capite initium desumendo instant nonnulli pro iubilatione et de quadragenario docent servitio, sed in computatione temporis quadragenarii contendunt habendam esse rationem temporis, quo abfuerunt a servitio ecclesiae, obtentis absentiae indultis vel ex causa infirmitatis vel ex causa studiorum, vel ut ecclesiae suae negotiis vacarent, vel ratione munerum, uti saepe accidit in basilicis Urbis, in quibus nonnulli canonici et beneficiati propter munera ipsis a summo Pontifice collata aut indultum habent vacandi a servitio chori pro diebus et horis, pro quibus fuerint in aliis commissis muneribus occupati, vel indultum habent absolute et simpliciter vacandi a choro, quoadusque munus duraverit, quod potissimum accidit in his, qui praefecturas et officia obtinent extra Urbem.

In terminis *absentiae ex causa infirmitatis* haec S. Congr. alias censuit, absentiam praedictam non praeiudicare iubilationi, dummodo infirmitas fuisset ab ordinario approbata, et eiusdem S. Congr. accessisset indultum, uti videri potest in *Bergomen. iubilationis* proposita 4. Iul. et resoluta die 8. Aug. 1716., in qua agebatur de absentia a servitio chori horis matutini et primae continuata spatio decem annorum et habitis a S. Congr. necessariis indultis. In terminis *absentiae causa studii* et quidem praevia licentia S. Congregationis, disputatum fuit et resolutum, non esse dicti temporis habendam rationem in computo iubilationis, uti videri potest in *Nepesina iubilationis* 28. Nov. 1711., l. LXI. Decr. Et in terminis demum indultuarii, qui propter officium scriptoris bibliothecae vaticanae indultum habuerat vacandi a servitio chori pro diebus et horis, articulo examinato dictum fuit, non esse a iubilatione excludendum propter absentiam, quae horis et diebus praedictis contigisse dicebatur, uti videri potest in *Romana iubilationis* proposita 28. Nov. et resoluta die 12. Dec. 1699., lib. XLIX. Decr. Absens etenim causa infirmitatis habetur pro praesente et interessente, etiam ad effectum consequendi distributiones, quod ipsum verificatur in indultuario pro diebus et horis; at secus se habet res in absente causa studii, cui de iure distributiones non competunt, et si fructus in distributionibus consistant, non aliter concedi consuevit indultum quam dimissa tertia parte.

Transeundo ad qualitatem servitii pro iubilatione necessarii, nonnulli instant pro iubilatione et pariter docent de quadragenario servitio, sed illud non est uniforme, sed difforme, vel quia in una ecclesia tanquam canonici spatio XX. annorum, et in alia per alios XX. annos pariter tanquam canonici choro interfuerunt, aut in una tanquam beneficiati, in alia tanquam canonici inservierunt, vel quia in una et eadem ecclesia inservierunt per totum temporis spatium, sed partim tanquam clerici beneficiati, partim tanquam beneficiati, et aliquando partim tanquam beneficiati, partim tanquam canonici, vel tandem quia per decem aut duodecim annos inservierunt tanquam coadiutores et per reliquum tempus tanquam titulares.

In terminis eius, qui inservierat partim tanquam clericus beneficiatus, partim tanquam beneficiatus ecclesiae Lateranensis resolutum fuit, id non obstare iubilationi, et tempora praedicta esse coniungenda, uti colligitur ex alleg. *Romana* 12. Dec. 1699. Fuit e contra denegata iubilatio cuidam,

qui in ecclesia S. Mariae Maioris civitatis Baruli prius inservierat in qualitate clerici, deinde subdiaconi et postremo presbyteri, uti habetur in *Tranen. iubilat.* proposita 16. Dec. 1712. et resoluta die 13. Ian. 1713. lib. LIII. Decr. In terminis autem eius, qui inservierat partim tanquam coadiutor, partim tanquam principalis, constans videtur fuisse opinio S. Congregationis, faciendam esse temporum coniunctionem, cum agitur de iubilatione, uti videre est in *Brixien.* 27. Mart. 1683., in *Novarien.* 4. Aug. 1691., in *Bergomen.* 11. Febr. 1696., et in alia *Bergomen iubilat.* proposita 4. Iul. et resoluta 8. Aug. 1716. lib. LXVI. Decr.

Succedit ecclesiae qualitas, cui canonicus vel beneficiatus inservivit, et de hac loquendo aliquando disputari contingit, an parvus canonicorum vel beneficiatorum numerus, qui remanet pro servitio ecclesiae, impedire valeat indultum iubilationis canonico vel beneficiato, qui laudabiliter spatio annorum XL. servivit. In antepenultima Congr. concessa fuit iubilatio praeposito cathedralis ecclesiae Brictinorien. non attenta oppositione capituli reclamantis, quod tresdecim erant canonici et quatuor mansionarii addicti servitio ecclesiae, et quod tres ex canonicis erant cura animarum praeoccupati, duo mala valetudine praepediti, et alter iubilationis iam fruens indulto; et quod fortius est, licet novem essent canonici, comprehenso praeposito et dempto uno, qui ad organum, altero, qui ad confessionarium adstare debebat, demptisque aliis tribus, qui altari celebrando assistere tenebantur, et sic dicerentur tres tantummodo in choro esse mansuros, S. Congr. censuit, esse praeposito concedendum iubilationis indultum, uti videre est in *Ripana iubilationis* 29. Nov. 1710. lib. LX. Decr.

Superest, ut sermo fiat de exemptione, quae competit iubilato post concessam iubilationem. In formula iubilationis indulgetur, ut iubilatus abesse possit a servitio chori, et interim fruitur fructibus et distributionibus. Si ecclesiae servitium et cultus divinus detrimentum patiatur, disputatum fuit et resolutum in hac S. Congr. die 27. Sept. 1659., quod episcopus cogere poterat iubilatos ad inserviendum, uti videri potest in *Aquilana* 27. Sept. 1659. ad III. dub. lib. XXI. Decr., et in *Sabinen.* 2. Oct. 1717. lib. LXVII. Decr., et facit textus in cap. *Cum ad hoc* de cleric. non resident. (c. 16. X. III. 4.), in quo Gregorius IX. statuit, quod privilegiati super absentia redire cogantur, si ecclesia patitur ministrorum defectum. Quoad residentiam iubilatorum non video, quod unquam de ea fuerit actum in Congregatione, licet ab eadem resolutum fuerit, quod parochus, non obstante coadiutore sibi dato ab episcopo, ad terminos cap. 16. Sess. XXI. de ref. residere teneatur, alioquin parochus litteratus deterioris esset conditionis illitterato, cui datus est coadiutor, uti referendo resolutiones S. Congr. docent *Garzias* de benef. P. IV. cap 5. num. 8., *Gallemart.* ad cap. 6. Sess. XXI., *Gonzal.* super regulam 8. Cancellariae Glos. 5. §. 9. num. 30., et non obstante, quod iuxta praxim canonici coadiuti residere nolentes ex aliqua iusta causa indultum quaerant et obtineant a Sacra Congregatione.

His stantibus onus erit EE. VV. decernere :

I. An indulgenda sit iubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio annorum XL. ecclesiae inservierunt, licet dicto tempore et spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suae ecclesiae servitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta abessendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute abessendi ab ecclesia durante officio ipsis commisso?

II. An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum XL., sed partim in una ecclesia, partim in alia, aut tanquam canonici in ambabus, aut tanquam beneficiati in una et canonici in alia, nec non illis, qui in una et eadem ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tanquam clerici beneficiati, partim tanquam beneficiati, et aliquando partim tanquam beneficiati, partim tanquam canonici, vel partim tanquam coadiutores, et partim tanquam principales et titulares?

III. An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum XL. non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti ecclesiae servitio, et quis sit parvus numerus inservientium in casu et ad effectum, de quo agitur?

IV. An, non obstante iubilationis indulto, iubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur?

V. An, obstante iubilationis indulto, iubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum? »

(Adduntur in secunda Congr. inter alia haec): « Quoad punctum, an iubilati teneantur ad residendum, licet non teneantur

tur ad interessendum, adinventae fuerunt binae resolutiones huius Sacrae Congr., altera in *Sancti Angeli in Vado*. 15. Apr. 1690. l. IV. Decr. p. 256., in qua dictum fuit, canonico iubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri; altera in *Patavina iubilat.* 9. Iun. 1714. l. LXIV. Decr. pag. 217., in qua similiter dictum fuit, deberi canonico iubilato distributiones, et eum non esse obligatum ad residendum.

S. C. respondit: Ad I. *affirmative* quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, ubi pro suae ecclesiae servitio vel cum indultis abessendi pro diebus et horis, *negative* autem quoad absentes ex causa studiorum et quoad habentes indulta abessendi absolute, durante officio. Ad II. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad III. dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad IV. *affirmative*. Ad V. *negative* iuxta decreta. *Dubia iubilationum* 24. Sept. et 17. Dec. 1718.

93. Statuta ecclesiae Cauriensis praescribunt, ut iuramentum praestent canonici, quo se abstinere promittunt a petendis dispensationibus a suo munere. Cum archidiaconus aliquis, servitio continuo ultra quadragenarium laudabiliter praestito peteret indultum iubilationis, capitulum vero obstaret, dubia fuerunt proposita: I. An obstent statuta ecclesiae cathedralis Cauriensis et respective illorum iuramentum ad effectum obtinendi iubilationem, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam? II. An sit concedendum indultum iubilationis? S. C. respondit: Ad I. *negative* et non indigere. Ad II. *affirmative*. *Caurien.* 30. Mart. 1805.

94. Dubio proposito: An canonico ad obtinendam iubilationem obstet, quod iam habet coadiutorem cum futura successione? S. C. respondit *affirmative et amplius*, in *Calaguritana* ad dub. I. 2. Maii 1733.

95. Canonico, quamvis ob vocis dissonantiam per viginti octo annos a missa per turnum canenda abstinuisset idque munus per substitutos adimplevisset, tamen iubilationis indultum fuit concessum, cum qui per alium faciat per se ipsum fecisse videretur, neque ex causa culposa se abstinuisset. *Camerinen.* 1. Dec. 1725.

96. Indultum iubilationis concedendum esse canonico, quadraginta annorum servitio functo et infirmitate laboranti, quamvis in ecclesia cathedrali servitium expleretur per quatuor hebdomadas, itaque singulus non nisi quartam anni partem serviret, et nunquam antea in ea illo indulto gavisus esset canonicus, resp. S. C. in *Acernen.* 11. Apr. 1739. ad II.

97. Indultum iubilationis concedere omnino recusavit S. C. canonico septuaginta annos nato et per triginta septem annos ecclesiae servitio addicto, quamvis loco inserviendi choro obtulisset, in posterum se esse celebraturum missas quinquaginta, in *Lauretana* 10. Iun. 1741.

98. Canonicus quidam quadraginta per annos, excepto quadriennio, quo studiorum causa absens fuerat, servitio functus, cum petiisset iubilationis indultum, rescriptum tulit a S. C. C.: « ex computato tempore, quo orator abfuit causa studiorum, recurrat. » Elapso quinquennio reintegravit preces, quibus favebat capitulum ac vicarius capitularis. Quamvis vero hoc quinquennio obligationem quoad missas sibi impositam explevisset, cum chorale servitium praestare non potuisset propter physicam impotentiam, quippe qui iugiter hernia laboraret, S. C. censuit « indultum iubilationis non esse concedendum, esse vero concedendum indultum causa infirmitatis ad quatuor annos si tamdiu, » in *Lauretana* 20. Dec. 1806.

99. Canonico, in cuius collationis bulla vicarius erat deputatus pro tempore eius absentiae studiorum causa, nullo expresse ei tributo a Pontifice vel a S. Congr. indulto, cum ad eum finem abfuisset per sex annos, quamvis in totum per quadraginta et duos annos ecclesiae inserviisset, dandum non esse iubilationis indultum censuit S. C. in *Nullius Sublacen.* 18. Mart. 1815.

100. Resolutionem capitularem ecclesiae Segobricensis, ut indultum iubilationis daretur dignitatibus et canonicis, qui ad annos triginta quinque, et beneficiatis et capellanis, qui ad annos quadraginta sex inservierint, approbandam non esse S. C. censuit in *Segobricen.* 15. Iun. 1816.

101. S. C. censuit, concedendum esse indultum iubilationis canonico (senio atque valetudine adversa confecto), servitio quadragenario in ecclesia perfuncto, quamvis per quinquennium, quo capitulum a regimine gallico fuerat suppressum, plerumque a choro abfuisset, in *Urbanien.* 16. Iul. 1836. Similem rationem secuta est in *Eugubina* 29. Apr. 1837.

102. Canonico, qui servitium ultra quadragenarium in diversis quidem ecclesiis, in collegiata ac cathedrali, eiusdem tamen civitatis praestiterat, quamvis tam episcopus quam capitulum laudabile eius esse negarent servitium propter crassam cantus Gregoriani inscitiam ac negligentiam in sacris canonicali praebendae adnexis exercitandis, cum totus fuisset intentus, ut episcopus dicebat, ad eleemosynas missarum

quaerendas neque eum omnes applicare potuisse constaret propter ingentem numerum missarum, quas per annum legere deberet, tamen S. C. concessit indultum iubilationis, in *Verulana* 17. Sept. 1842.

103. Cum episcopus indultum iubilationis archipresbytero concessum exequi nollet propter exiguum canonicorum chorali servitio vacantium numerum, iubilato instante S. C. respondit: « exequendum esse indultum salvo episcopi iure revocandi oratorem ad servitium chorale in casibus urgentis necessitatis, » in *Civitates Castell.* 17. Sept. 1842.

—

104. Dubio proposito: An canonicus iubilatus teneretur vel per se vel per alium ad celebrationem missae conventualis per turnum? responsum fuit *negative* in *Aquipendii* 23. Mart. 1697. ad dub. 1. Ex l. XLVII. Decr. pag. 85. n. 111. (rel. II.278.

105. Ad quaestiones: I. An canonicus iubilatus teneatur celebrare per se ipsum vel per alium missam conventualem per turnum, eamque applicare pro benefactoribus in casu etc.? II. An canonicus iubilatus teneatur contribuere eleemosynae missarum conventualium in casu? S. C. respondit: *Negative* ad utrumque, in *Senen.* d. 12. Maii 1759. (XXVIII. 56.) Cum vero postea quaereretur: I. An onera capitularia infixa massae communi distributionum deducenda sint, antequam fieret earum repartitio inter participes etiam quoad iubilatos in casu? et II. An onus eleemosynae missae conventualis sit infixum massae communi distributionum in casu? III. An idem onus eleemosynae sit deducendum ab eadem massa communi distributionum, antequam fieret earum repartitio etiam quoad canonicos iubilatos in casu? ita iudicatum est: Ad I. et II. providebitur in tertio. Ad III. *Negative* d. 9. Febr. 1760. Similiter iud. S.C. in *Terracinen.* 15. Sept. 1827.

106. Iubilationis indultum concedendum esse « dempto onere missae conventualis, » quod apposuit capitulum, adiuncta clausula « *et amplius*, » S. C. censuit in *Nullius S. Foropompilii* 18. Iunii 1796.

107. Dubiis propositis: I. An canonicus iubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem missae conventualis in casu etc.? et quatenus negative: II. An eidem restituendae sint eleemosynae pro missis conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu etc.? licet consuetudinem allegassent canonici et id onus iubilatus ultro in se suscepisset, S. C. resp. ad I. *negative*, ad II. *affirmative* a die obtentae iubilationis. *Nepesina* 11. Apr. 1818.

108. Ex consuetudine CC. annorum in capitulo quodam fiebat, ut canonici quoque *iubilati* missam conventualem per turnum canerent sive per se sive per alium. Constabat vero, eos id fecisse voluntarie, non ex obligatione. Desiderante capitulo, ut talis consuetudo tanquam *obligatoria* confirmaretur, S. C. censuit: eam consuetudinem confirmandam non esse, ut obligatoria fieret, et episcopum in casu necessitatis uti debere remediis a iure concessis, ne quid detrimenti cultus divinus pateretur, in *Signina* 25. Maii 1833.

109. I. Canonicos iubilatos non teneri canere et applicare missas conventuales et feriales de turno, quamvis id in ecclesia quadam collegiata moris fuerit; II. non teneri tot alias missas lectas ad massam communem non pertinentes applicare iuxta morem, qui in cathedrali eiusdem loci ecclesia vigebat; III. exemptos esse censendos a celebratione missae ad auroram et ultimae circa meridiem in diebus festis quae celebrandae erant ex constitutione capituli, non autem annexae erant praebendis; IV. canonicos iubilatos posse choro pro aliis non iubilatis inservire, adeo ut isti non sint obnoxii, exceptis diebus, quibus iubilatus teneretur per se, resp. S. C. in *Praenest.* 21. Nov. 1835.

110. « Post continuum et laudabile servitium annorum XL. in ecclesia metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum iubilationis indultum obtinuit, et iam septem anni elapsi sunt, ex quo fruitur praedicto indulto, eumque idem modo obtinuerit dignitatem decanatus in eadem ecclesia et supplicaverit huic S. Congr. pro continuatione praedicti indulti iubilationis, scriptum fuit archiepiscopo pro informatione et voto.

Archiepiscopus fuit in sensu, quod erat annuendum petitis, et eo fortius, quia oratoris merita et praestitum antecedenter continuum et laudabile servitium plene suadent, ipsum, quamdiu poterit, non defuturum officio suo in solemnioribus, in quibus decani praesentia maxime desideratur.

Super hoc articulo adest resolutio huius S. Congr. 22. Nov. 1691. in quadam causa *Fulginaten.* lib. XLI. Decr. p. 381. a tergo, ibi: « Ioannes Baptista de Iustis attento servitio XL. annorum et ultra uti canonicus et decanus ecclesiae cathedrali praestito iubilationem obtinuit; nuper autem collato sibi a Sanctissimo prioratu eiusdem cathedralis supplicat, vel sibi novam iubilationem concedi, vel potius declarari, eandem sibi prodesse iubilationem respectu prioratus. Die etc. Sacra etc. audita relatione

episcopi Fulginaten. et attento quadragenario servitio et ultra laudabiliter et continuo praestito in eadem cathedrali censuit, oratorem nova iubilatione non indigere, sed iam obtentam sub die 18. Dec. 1688. eidem suffragari etiam respectu prioratus de quo fuit nuper a SSimo provisus, in omnibus et per omnia servata forma eiusdem indulti; » quam resolutionem laudat et sequitur modernus *Scarfanton.* in animadvers. ad *Cecopier.* T. I. l. II. tit. VI. n. 20. His positis dignabuntur EE. VV. decernere : An indultum iubilationis concessum Fabio Ballato olim canonico ecclesiae metropolitanae Senen. eidem suffragetur post obtentam in eadem ecclesia dignitatem decanatus in casu? S. C. respondit « *Affirmative*, dummodo in solemnioribus inserviat, » in *Senen.* 16. Mart. 1726.

111. « In *Novarien. iubilat.* 2. Oct. 1677., cum ad dubium istud : An duo canonici iubilati collegiatae S. Gaudentii frui debeant emolumentis anniversariorum, quae fiunt intra annum, licet non assistant? responsum fuisset *affirmative*, causa tamen iterum proposita die 29. Nov. 1681. rescriptum fuit: « *In decisis quoad anniversaria fixa, et in quibus non cautum a testatoribus, ut interessentes tantum participare debeant*, » ut in l. XXXII. Decr. pag. 44. Huiusmodi autem explicatio facta fuit ideo, quod post priorem illius causae propositionem aliter fuerat decretum in *Bituntina anniversariorum*, in qua discussis die 1. Iulii 1679. his dubiis: I. An capitularibus iubilatis, quamvis non intersint, vigore indulti emolumenta anniversariorum debeantur? et quatenus negative : II. An indultum praedictum veniat ampliandum etiam ad emolumenta anniversariorum? responsum fuit *negative* ad utrumque, ut in l. XXX. Decr. pag. 359. In *Lunen. Sarzanen. iubilat.* discussa fuerunt die 30. Sept. 1684. haec dubia: I. An vigore indulti iubilationis debeatur canonico, licet non inservienti, portio emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis? II. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus et anniversariis incertis et extraordinariis? III. An etiam in casu, quo a testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari debere eos, qui non sint praesentes? et rescriptum fuit: Ad I. *affirmative*. Ad II. et III. *negative*, ut in l. XXXIV. Decr. pag. 346. Sic in *Patavina iubil.* 9. Iun. 1714. examinato hoc dubio: An ultra distributiones quotidianas admittendus sit canonicus iubilatus ad participationem anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter praesentes tantum, responsum fuit affirmative, ut in LXIV. Decr. pag. 217. relatae omnes VI. 347. et 348. In *Aquipendii* proposito IIdo. dubio : An canonicus vigore indulti iubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum, si functionibus non intersit? S. C. die 1. Apr. 1719. rescripsit: « *affirmative* quoad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis. Quod vero ad secundam partem *negative*. » Concordat cum resolutione in causa *Aquipendii* et *Patavina* etc. etiam *Mantuana* 16. Mart. 1737. Modificantur sive explicantur his resolutionibus sequentes: Indultum iubilationis suffragari pro participatione omnium fructuum et distributionum, etiam extraordinariarum: *Burgi S. Donnini* 19. Apr. 1704. (rel. IX. 116. P. II.) et: Canonico iubilationis indultum habenti illud non solum suffragari ad lucrandas distributiones ordinarias, sed etiam ad percipienda quaecunque alia emolumenta : *Aquipendii* 27. Sept. 1659. ad dub. II. *Perusina* 17. Iul. 1668., *Romana* 29. Ian. et 5. Mart. 1678. (rel. VIII. 20.)

112. Canonicum iubilatum vigore iubilationis, si choro non intersit, participare debere de punctaturis seu fallentiis, resolvit Sac. Congr. in *Aquipendii* 1. Apr. 1719. ad dub. I. Concordant: *Reatina* 19. Apr. 1692. (all. I. 174.) (« dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae ») *Aquipendii* ad dub. III. 2. Mart. 1697. (all. I. 174)

113. Ubi nihil obstet ex statuto vel ex consuetudine, percipere canonicum iubilatum, etsi choro non intersit, de fallentiis quoque, quas alii canonici in poenam negligentiae solvant, quamvis in iubilationis indulto nihil de ea re expresse sit cautum, constat ex resol. S. C. in *Spoletana et Reatina* 3. Apr. 1841.

114. Clausula indultis iubilationis apponi consueta haec est: « ut, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset. » (rel. II. 271.)

115. Dubio proposito: An canonicus (iubilatus) teneretur facere depositum tertiae partis fructuum praebendae pro distributionibus quotidianis, sicuti faciunt alii canonici? responsum fuit *affirmative* in *Aquipendii* 23. Mart. 1697. ad dub. II. (rel. II. 278.)

116. Canonicatus vacationem esse inductam ob contractum matrimonium praetensum nullum, non tamen ex defectu consensus, censuit S. C. in *Brixinen.* 18. Sept. 1790.

C. XIII. *Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis et parochiis consulendum. Parochiae certis finibus distinguendae.*

Quoniam pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenuis reditus sunt et angustae, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet concilium provinciale, vocatis iis quorum interest, et diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque vicinis unire [1]) vel novis proventibus augere expediat; confectaque de praemissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat, quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire iudicaverit, aut tenues invicem uniat aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim vero, donec praedicta effectum sortiantur, huiusmodi episcopis, qui fructuum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus et praebendae, nec monasteria, in quibus viget regularis observantia vel quae capitulis generalibus et certis visitatoribus subduntur, a summo Romano Pontifice provideri. In parochialibus etiam ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiae necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve non uniantur, et quae unitae sunt revideantur ab ordinariis iuxta alias decretum in eadem synodo sub fel. rec. Paulo III. [2]), quod etiam in unitis ab eo tempore citra aeque observetur; non obstantibus in iis quibuscunque verborum formis, quae hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad haec in posterum omnes hae cathedrales ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute; ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent [3]), qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

[1]) cf. Sess. VII. de ref. c. 6. et 7., Sess. XIV. de ref. c. 9., Sess. XXIV. de ref. c. 15.—[2]) Sess. VII. de ref. c. 6. —[3]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 9.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Ad augendas parochorum congruas posse etiam uniri, suspendi, dismembrari, aut annua pensione gravari capellanias vel beneficia quaecunque, regularibus tantummodo exceptis, censuit S. C. in *Nullius Foripompilii* 23. Aug. 1834., *Ascul.* 25. Iun. 1836.

2. Guilelmus olim Iuliae ac Montium dux

consensit, ut ecclesia parochialis patronata loci de Honeff dioec. Colon. administranda traderetur una cum eccl. filiali in monte S. Aegidii et aliis omnibus et singulis beneficiis seu vicariis patribus Soc. Iesu commorantibus in urbe Dusseldorpiensi eiusdem dioecesis. Novum praestitit praesens Palatinus Elector consensum, dummodo archiepiscopi Coloniensis et Sedis apost. consensus non deesset. Probavit unionem archiepiscopus. S. C. vero, cum res ad eam deferretur, scribendum esse censuit iuxta instructionem et audiendum procuratorem generalem. Quo facto cum relatum esset ex parte procuratoris generalis: nullam adesse parte suae religionis difficultatem in acceptanda praefata unione, et se credere, quod ea profutura esset tum fidei catholicae, tum moribus parochianorum, in medio haereticorum viventium, ex parte vero archiepiscopi: parochiam ab oppido Dusseldorp. distare spatium unius diei, et ideo necessarium fore, ut unus ex patribus ibi resideat, spem vero aperiendi collegii in loco parochiae non esse, S. C. resp. *pro gratia iuxta modum. Colonien.* 20. Sept. 1727.

3. Unionem ecclesiae parochialis cum collegio Societatis Iesu esse concedendam eo, quod collegium, ad quod *ius patronatus laicale iure haereditario delatum fuit*, inopia laboret atque exstructum sit ad incrementum et defensionem fidei, ita tamen, ut deputetur vicarius perpetuus saecularis resp. S. C. in *Cracovien.* 30. Ian. 1740. Eodem modo quoad conventum PP. Dominicanorum iudicavit in *Compostellana* 20. Sept. 1692. (all. IX. P. 1. p. 147.)

4. Conventio in hunc modum inita, ut fructus parochiae et aliorum beneficiorum, a procuratore inter beneficiatos et reliquos sacerdotes eiusdem terrae dividerentur, ecclesiis vero a sacerdotibus per turnum de sacramentis aliisque necessariis provideretur, pro irrita declarata est in *Miletensi* 2. Oct. 1721.

5. Ius administrandi sacramenta canonicis et beneficiatis ecclesiae cathedralis infirmis et habitantibus in alienis parochiis, spectare ad parochum domicilii seu habitationis, non vero ad parochum cathedralis, resolvit S. C. in *Mantuana* 15. Mart. 1680. ad IV., *Tyburtina* 12. Maii 1685. ad I., *Tolentina* 11. Sept. 1694. ad I., *Novarien.* 17. Sept. 1694. ad I., *Narnien.* 26. Sept. 1699. ad. I. *Eugubina* 12. Mart. et 2. Apr. 1729.

6. In ecclesia commendata, cui plures parochiales a Pont. fuerant unitae, vicarius perpetuus et coadiutor perpetuus curam animarum gerebant. Uterque aequaliter fruebatur de emolumentis incertis, suam quisque habebat congruam. Vicarii approbatione in concursu, coadiutoris ab examinatoribus deputatis absque concursu facta utrumque munus per Commendatarium libere conferebatur. S. C. censuit: I. Curam actualem residere promiscue et cumulative penes utrumque; II. posse igitur coadiutorem facere quoscunque actus ad curae exercitium spectantes independenter a vicario; III.-V. exercitium vero in futurum esse dividendum, ita ut alternatim per hebdomadas alter exerceat intra, alter extra urbem, eandemque alternativam locum habere debere in missae applicatione; VI.-VII., utrumque tantum nomine vicarii resp. coadiutoris uti debere. *Rom.* 29. Aug. 1744.

7. I. In oratorio publico parocho, intra cuius parochiae limites est situm, licet exercere omnia et quaecumque iura parochialia privative quoad cappellanum. II. Cappellano eius licet tantum absque licentia parochi celebrare et canere missam solemnem die festo Sancti patroni oratorii, non vero ibi sacram poenitentiam administrare ipsi vel per alios indulgentiasve publicare fas est. III. Quarta funeralis spectat duntaxat ad parochum; reliqua emolumenta funeris spectant ad tumulantem quoad eos defunctos, qui vel ibi elegerunt sepulturam vel tumulandi sunt in maiorum sepulcro. IV. Eleemosynae et oblationes in illo colligi solitae debentur capellano eius, ita tamen ut ratio reddatur episcopo et convertantur in usum et cultum ipsius cum episcopi approbatione. *Ascul.* 29. Aug. 1733.

8. Propositis dubiis: I. An in ecclesiis confraternitatum laicalium terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales et signanter celebrationis missarum cum assistentia diaconi et subdiaconi independenter a parochis in solemnioribus earundem ecclesiarum festivitatibus? II. An in dictis ecclesiis possint parochi peragere functiones tam parochiales quam non parochiales, irrequisitis officialibus et capellanis dictarum ecclesiarum? III. An capellani dictarum ecclesiarum recitare possint officium defunctorum et canere missam ad praescriptum ritualis antequam sepeliantur cadavera in dictis ecclesiis, seu potius privative id spectet ad parochos? IV. An occasione tumulationis defunctorum in dictis ecclesiis debeantur parochis omnia intorticia et cerae, seu potius debeatur sola quarta funeralis in casu? S. C. resp. ad I. *affirmative*, ad II. *negative*, ad III. *affirmative* quoad primam partem, *negative* quoad secundam, ad IV. servetur solitum ad formam Const. Bened. XIII. *Hortana* 5. Iul. 1738.

C. XIV. *Ne quis admittatur ad possessionem beneficii aut distributionem cum fructuum distributione in usus non pios convertenda.*

In pluribus ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis et parochialibus, ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesiae, vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Haec cum sancta synodus detestetur, mandat episcopis, ut, quaecunque huiusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant, et illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas reiiciant et aboleant. Eos vero, qui adversus haec in praesenti decreto comprehensa quavis ratione commiserint, poenis contra simoniacos editis sacris canonibus [1]) et variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit; non obstantibus quibuscunque statutis, constitutionibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis, de quarum surreptione, obreptione et intentionis defectu episcopus tanquam apostolicae sedis delegatus cognoscere possit.

[1]) cf. C. I. qu. 1. fere per tot. et tot. tit. X. de sim. (III. 3.) et in Extr. comm. V. 1.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Consuetudinem etiam immemorabilem, iuxta quam aliquid persolvitur occasione collationis canonicatus et praebendae seu alterius cuiusque beneficii non attendendam esse, si id quod persolvitur cedit in utilitatem et privatum commodum canonicorum seu sacerdotum, secus si erogetur in pios usus, resp. S. C. in *Polignan.* a. 1584., *Avenonien.* a. 1586., *Segobien.* 11. Iulii 1590., *Leodien.* 8. Oct. 1592., *Aquilana* 27. Apr. 1630., *Caesaraugust.* 19. Nov. 1653. *Tudertina* 19. Febr. 1633., *Cassanen.* 3. Dec. 1718., « dummodo fuit depositum in capsa sacristiae et erogetur in usum ciusd. sacr. tantum. »

2. S. C. censuit, decretum c. 14. Sess. XXIV. de ref. et bullam Pii V. super eadem re editam non comprehendere consuetudinem ecclesiarum deserviendi per annum vel aliquod tempus, et nihil percipiendi interim de massa grossa, nisi peracto integro dicto servitio. *Meliten.* Mart. 1587. (rel. XLVII. 22.)

Eodem modo, cum de statuto simili ageretur, ad dubium: An sacerdotes ecclesiae parochialis terrae Scorrani post expletum servitium in minoribus ordinibus nec non in subdiaconatu et diaconatu teneantur non tantum choro per annum gratis inservire, sed etiam missas celebrare, antequam ad massae participationem admittantur? S. C. resp. *affirmative. Hydruntina* 28. Nov. 1705. (ib.)

3. Consuetudinem vigentem in cathedrali ecclesia (Tricaricensi) admittendi sacerdotes in numerum participantium sub lege praestandi primo anno gratuitum ecclesiae servitium, et satisfaciendi missarum oneribus absque stipendio, approbandam non esse S. C. censuit in *Tricaricen.* 12. Sept. 1801. Eandem regulam secuta erat in *Senogallien.* 11. Iun. 1590., *Adrien.* 15. Dec. 1700., *Hydruntin.* 28. Nov. 1705., *Tudertin.* 8. Aug. 1744.

4. Consuetudinem non admittendi ad massae participationem, nisi qui ecclesiae quatuordecim annorum spatio gratis inservierit et duobus ultimis annis tres aut quatuor missas qualibet hebdomada legerit, relicto earum stipendio ipsis canonicis et sacerdotibus participantibus, adeo ut absentes etiam propter infirmitatem poenam punctaturae solvere cogantur, servandam esse praeterquam quoad servitium praestandum ab absentibus causa infirmitatis et quoad onus celebrandi missas gratis in

ultimo biennio. Tempus vero, quod aliquis studiorum causa abfuerit, esse computandum, resp. S. C. in *Matheranen.* 14. Dec. 1737.

5. Episcopo approbante permitti posse consuetudinem et constitutiones ecclesiae, ut unusquisque canonicus pro reparatione ecclesiae aliquid solvat, si huiusmodi solutio non cedat in usum singulorum, rescr. S.C. in *Aquilana* 27.Apr.1630. (cit.V.44.)

6. Resolutiones capituli factas ante electionem, ut duo canonici eligendi certam solverent fabricae ecclesiae pecuniae summam, quae fructus praebendarum ultra semestre absorberet, loco prandii, quod antiquitus tradebatur, non esse sustinendam S.C.censuit in *Leodien.* 30.Sept.1730.

7. S. C. censuit, consuetudinem cathedralis, secundum quam canonici in ordine subdiaconatus constituti tertiam, constituti in ordine diaconatus dimidiam, et presbyteri integram portionem percipiunt, validam esse nec sublatam decreto Conc. c. 14. Sess. XXIV., proindeque episcopus eam, si in ecclesia legitime hactenus observata sit, etiam in posterum observari curet. *Marsicana* April. 1591. (ib.)

8. Consuetudinem, quae dat fructus capitulo donec novus beneficiatus fiat presbyter, valere, quia intentio concilii dicto cap. 14. fuit, ne ratione collationis aliquid perciperetur, censuit S. C. in *Asten.* 6.Maii 1617. (all. LXVII. 237.)

9. Consuetudinem seu statutum iniungens prandium praestandum a noviter admissis, indistincte S. C. reprobavit in *Polignanen.* Dec. 1584. (cit.V.p.44.) *Brugen.* 3. Sept. 1729. *Leodien.* 1. Sept. 1731. In duobus casibus posterioribus postea rescr. fuit: « permittendum esse, si velint, sed non cogendos. » (cf. VI. 122. et 123.)

10. Posse etiam post Tridentinum et constitut. 104. S. Pii V. (Bullar. Tom. 2.) et Innocentii XII. constit. 51. consuetudine immemorabili ad capitulum pertinere ius percipiendi fructus ecclesiarum parochialium de tempore vacationis, et quidem per integrum annum (sc. vacationis) a die vacationis, respondit S. C. in *Ilerdensi* 25. Ian. 1727.

11. Cum sacerdos quidam se dotem canonicatus iuris patronatus monasterii alicuius aucturum fore mediante assignatione cuiusdam vineae spopondisset, ea tamen lege adiecta, ut ad eundem canonicatum a patronis praesentari debeat, timens, id aliquam simoniae labem involvere, dubium S. C. proposuit: an dicta conventio sit simoniaca. S. C. resp. *affirmative* 1686. Ex ipsis actis relata a *Bened.* XIV.Instit.XCV.

C. XV. *Ratio augendi tenues praebendas ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium.*

In ecclesiis cathedralibus [1]) et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat episcopis cum consensu capituli [2]) vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere [3]); non obstantibus quibuscunque constitutionibus et privilegiis, aut quacunque reservatione generali vel speciali aut affectione. Neque praedictae uniones aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

[1]) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 13.—[2]) cf. Sess. V. de ref. c. 1. — [3]) cf. c. 2. X. de instit. III. 7. (Eug. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Canonicatus suppressionem ad sustinendum ceterorum canonicatuum decentem gradum sine possessoris praeiudicio factam, paupertatis capituli ratione habita concessit S.C.in *Caesenaten.* 25.Sept.1728.

2. Cum capitulum insignis collegiatae Taurent. propter redituum tenuitatem petiisset, ut altera ex duabus parochialibus loci de Villar in favorem mensae capitularis supprimeretur, S. C. rescr.: consulen-

dum esse SSimo pro suppressione unius ex duobus beneficiis curatis primo vacaturi cum applicatione in favorem capituli omnium redituum, exceptis tamen emolumentis stolae, applicandis alteri parocho cum unione dictae curae. *Zamoren.* 19. April. 1738.

3. Patronis beneficii cuiusdam petentibus, ut nominatio suspenderetur et pecunia pro missarum onere ferendo necessaria ad augendam parochi congruam applicaretur, quod vero superesset sibi ipsis utpote indigentibus daretur, S. C. non esse annuendum precibus, sed nominandum capellanum, reservata annua praestatione in favorem patronorum, censuit in *Lauretan.* 28. Iul. 1838.

—

C. XVI. *Quid muneris incumbat capitulo sede vacante.*

Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur [x]). Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta oeconomum et vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eandem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum spectant, ab eisdem oeconomo, vicario et aliis quibuscunque officialibus et administratoribus, qui sede vacante fuerunt a capitulo vel ab aliis in eius locum constituti, etiam si fuerint ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis aut cuiuscunque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiam si praedicti officiales redditis rationibus a capitulo vel a deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque episcopo teneatur capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quae ad capitulum pervenerunt, rationem reddere.

[x]) cf. c. ult. de suppl. negl. prael. in VIto I. 8. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Proposito dubio: An casu, quo episcopus ab haereticis captus detineatur, non ita tamen arcte custoditus, ut ipsi eiusque dioecesanis facile non sit saltem per litteras inter se agere, eiusdem episcopi iurisdictio intelligatur suspensa et ad capitulum ecclesiae cathedralis devoluta: S.C. resp.: Iurisdictionem non esse suspensam. *Hiberniae* 7. Aug. 1683. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 16.

2. « Secuto obitu bonae memoriae Gasparis Fuster archiepiscopi Turritani die 28. Aug. 1721., capitulum ecclesiae metropolitanae devenire curavit intra terminum a S. Conc. Trid. praefixum ad electionem vicarii capitularis.

In prima sessione, in qua processum fuit per secreta suffragia, nullus canonicorum fuit electus a maiori parte, et sic electio haberi non potuit. Simili modo res se habuit in secunda sessione, licet in ea processum fuerit per publica suffragia, sed in tertia tandem sessione decanus habuit pro se medietatem canonicorum publice suffragantium et ipsemet adhaerendo aliorum suffragiis in sui favorem latis praetendere coepit, se habuisse pluralitatem suffragiorum, et se rite et recte fuisse electum in vicarium capitularem; novem enim, computato proprio suffragio, quo aliis se eligentibus adhaesit, ut dictum est, habuit suffragia, et canonicus Villa septem pro se habuit.

Exorta controversia super validitate huius electionis, eademque delata ad episcopum Bosanen. tanquam suffraganeum antiquiorem et tunc unicum et viciniorem episcopum provinciae Turritanae, fuit ab

ipso prolata sententia super nullitate dictae electionis, tum quia facta fuerat per publica suffragia contra decreta huius S. Congregationis, tum quia decanus ab archiepiscopo defuncto uti reus criminum fuerat ex informata conscientia suspensus a divinis et causa in hac S. Congr. pendebat, et tandem quia iunior erat et illiteratus, idemque episcopus Bosanensis, utendo iure sibi dato a Conc. Trid., deputavit in vicarium capitularem Ioannem Baptistam Sequi metropolitanae ecclesiae canonicum, virum sexagenarium, iuris utriusque doctorem et S. theologiae magistrum.

—

Ab hac episcopi Bosanensis sententia decanus illique adhaerentes appellationem interposuerunt ad iudicem apostolicum delegatum in regno Sardiniae, et licet canonicus Sequi protestatus fuerit de incompetentia, ex quo non poterat ad eum interponi appellatio a sententia, quae lata fuerat ab episcopo Bosanensi tanquam apostolico delegato, et ulterius dixerit non subsistere rationem a decano et aliis ei adhaerentibus allatam et in eo consistentem, quod devolutio ad suffraganeum antiquiorem non poterat sibi locum vindicare, ex quo capitulum Turritanum intra terminum elegerat; inquit enim, idem esse non eligere ac nulliter eligere: iudex nihilominus delegatus apostolicus regni Sardiniae revocavit sententiam saepe memorati episcopi Bosanensis et capitulo Turritano concessit, ut intra spatium octo dierum procederet ad electionem vicarii capitularis per secreta suffragia, factaque per secreta suffragia nova electione, electoque iterum in vicarium capitularem decano, quaeritur:

I. An electio rev. D. Gavini de Liperis decani ecclesiae metropolitanae Turritanae in vicarium capitularem eiusdem ecclesiae facta die 3. Sept. 1720. sustineatur? Et quatenus negative:

II. An episcopus Bosanensis antiquior ex suffraganeis legitime deputaverit rev. D. canonicum Ioannem Baptistam Sequi in vicarium capitularem praedictae ecclesiae? Et quatenus negative:

III. An secunda electio eiusdem decani facta ad praedictum officium vicariatus vigore sententiae iudicis appellationum regni Sardiniae fuerit valida vel potius nulla et attentata in casu?

Sac. Congr. respondit: « Ad I. *negative*. Ad II. *affirmative*. Ad. III. *affirmative* et *amplius*. » *Turritana* 21. Nov. 1722.

3. Monasterium seu abbatiam S. Andreae in Flumine Ordinis S. Benedicti olim monasterio S. Pauli eiusdem ordinis apostolica auctoritate unitam, nec non castra Pontiani et S. Aedisti aliaque bona ad idem monasterium S. Pauli spectantia s. m. Paulus III. sub anno 1546. ad petitionem cl. mem. Cardd. Alexandri Farnesii et Rainutii Neapolitani nuncupati alteri monasterio SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias, cuius administratio uni ex laudatis Cardinalibus, Rainutio nempe, commendata, fructus vero Card. Farnesio fuerant reservati, ex causa permutationis adiunxit. Subinde Card. Farnesius memorati monasterii SS. Vincentii et Anastasii abbas commendatarius in parochiali ecclesia S. Nicolai oppidi Pontiani sibi subiecta unum archipresbyteratum, qui ibi principalis dignitas foret, simulque duos canonicatus anno 1577. erexit, constituta eis dote annui redditus scut. 60. quorum triginta assignavit archipresbytero, reliqua vero iussit ex aequo inter duos canonicos repartiri, ita tamen, ut archipresbyter veluti ecclesiae parochialis rector totius populi curam deberet gerere et exercere, duo autem canonici, praeter onus celebrandi missas et cetera divina officia tenerentur ad nutum archipresbyteri eidem animarum curae tam in dicta parochiali ecclesia oppidi Pontiani, quam in ecclesia S. Andreae in Flumine extra oppidum sita vacare. Horum vero presbyteratus et canonicatuum collationem ad abbatem pro tempore sive commendatarium pertinere voluit salvo ac reservato in omnibus, quatenus opus esset, apostolicae sedis beneplacito.

Veteribus hisce canonicatibus binos alios alterum cum dote annui reditus scut. 88, alterum vero scut. 62. iuxta piam quorumdam testatorum dispositionem addidit nuper cl. mem. Card. Laurentius de Alteriis ultimus praedicti monasterii abbas commendatarius, quo novissime defunctô autumantes praefati canonici, sibi ius esse eligendi vicarium capitularem, sub die 11. pr. mens. Augusti convocato capitulo post aliquot scrutinia inutiliter habita, tandem maiori ex parte convenientes ad id muneris obeundum elegerunt canonicum Benedictum Mancini.

Petrus Angelus Romanelli alter ex dictis canonicis, qui pridem a cl. mem. Card. de Alteriis constitutus fuerat vicarius abbatialis, vehementer dolens, frustratum se inde fuisse concepta spe, quam (ut asserere non veretur) ipsi fecerant alii canonici, assequendi optatum vicarii capitularis officium, secutae electionis nullitatem ostendens, facta contra illam iudiciaria protestatione ad hunc S. consessum appellavit.

Quia vero paucos post dies S. Congr. Episcoporum et Regularium negotiis praeposita per epistolam ad vicarium abbatialem Pontiani directam facultatem illi dedit, eodem, quo antea potiebatur, iure utendi, hinc canonicus Romanelli citatis archipresbytero et aliis canonicis coram R. P. D. auditore SSimi petiit, controversiam nullitatis memoratae electionis eidem S. Congregationi Episcoporum delegari. Huic tamen instantiae cum minime annuerit laudatus auditor SSimi, et praeterea per modum provisionis et sine praeiudicio iurium partium deputaverit in vicarium usque ad exitum causae in hoc S. tribunali definiendae archipresbyterum eiusdem ecclesiae S. Nicolai cum facultatibus vicarii abbatialis; hinc primaevae suae postulationi insistens modo canonicus Romanelli ex triplici potissimum capite irritam esse contendit electionem canonici Benedicti Mancini in vicarium capitularem.

Primo, quia potestas eligendi vicarium capitularem non aliis conveniat quam capitulis cathedralium ecclesiarum; secundo, quia, tametsi in parochiali ecclesia Pontiani archipresbyter et canonici hoc honorifico donentur nomine, eademque parochialis ecclesiae vel collegiata vel etiam insignis collegiata sive a canonicis et a populo sive ab EE. abbatibus aliquando appellari consueverit, nihilo secius tamen ea omni collegii iure destituta appareat; idque ex pluribus conatur evincere, scilicet ex denominatione facta simplicis parochialis ecclesiae in enunciata veteri erectione archipresbyteratus et duorum canonicatuum, ex defectu beneplaciti apostolici, quod in erigendis collegiatis ecclesiis omnino requiri tradit cum aliis Emin. *Petra* T. III. ad const. VII. Innoc. IV. sect. 2. num. 12. et seqq. et resolvit S. Congr. in *Catanien. erectionis collegiatae* 1. Sept. 1691., nec non rescripsit episcopo Tridentino sub diem 27. Febr. 1727. lib. XX. lit. Visit. SS. Lim. pag. 201.; ex collatione archipresbyteratus per Em. abbatem semper expleta, quod tamen, si de principali dignitate in collegiatis ecclesiis instituta ageretur, ea per reg. 4. Cancellariae reservata foret sedi apost.; ac demum ex defectu arcae et sigilli communis et aliorum quorumcunque insignium canonicalium, nec non continui servitii chori, prout ad ultima haec duo probanda testimonium exhibet plurium incolarum eiusdem oppidi Pontiani aientium, nunquam vidisse archipresbyterum atque canonicos ulla gestare insignia, quibus a clericis aliis distinguantur, nec alia divina officia in choro peragi praeter missarum solemnia ac vesperas festis tantum diebus et completorium quadragesimae tempore. Et tertio tandem, quia parochialis ecclesia Pontiani subiecta sit alteri ecclesiae S. Andreae in Flumine, quae vere abbatialis est, atque haec itidem utpote unita monasterio SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias eidem monasterio subdatur.

Porro ad huius quaestionis resolutionem quod attinet, illud in iure notandum occurrit, quod, etsi mortuo praelato eius iurisdictionem ad solum cathedralis ecclesiae capitulum transire per sacros canones expressum inveniatur per text. scil. in cap. *Cum olim* de maior. et obed. (c. 14. X. I. 33.), communius tamen ab iuris auctoribus traditum est, eandem iurisdictionem mortuo abbate vel alio praelato, cui iurisdictio quasi episcopalis competat cum territorio separato, ad capitulum ecclesiae collegiatae, cuius erat ille praelatus, devolvi, quasi nulla discriminis ratio inter capitula eiusmodi et alia cathedralium ecclesiarum queat in hac re allegari, adeoque vicarium capitularem ab hisce collegiatis ecclesiis eligi posse probant *Fagnan.* in cap. *His quae* 11. de maior. et obed. num. 39. ad 48. usque ad finem, Card. *de Luca* de iurisd. disc. 54. num. 3., *Peregrin.* in praxi vicar. P. I. sect. 4. et 5. num. 3., et dixit *Rotae* auditorium in decis. 349. num. 3 par. 1 rec. Ceterum huic sententiae non omnino adhaesisse videtur Sac. Congr. iuxta declarationem, quam refert Card. Bellarminus in Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 16. de ref. in haec verba: « Item hoc caput (quo praescribitur, ut a capitulo sede vacante vicarius infra octo dies post mortem episcopi constituatur, vel existens confirmetur) *non loquitur de collegiata, defuncto praelato, qui habet ius episcopale.* »

Ast ubi praefata opinio, quod ius eligendi vicarium capitularem pertineat ad capitulum collegiatae ecclesiae, cuius praelato competit iurisdictio quasi episcopalis cum territorio separato, magis arrideat, adhuc dispiciendum est in hypotesi, num locum sibi vindicat in iis collegiatis ecclesiis, quae ab altera ecclesia matrice et abbatiali dependeant, qualis esse videatur ecclesia collegiata Pontiani (si tamen ea vere collegialitatis iure potiri dicenda sit).

Archipresbyter aliique canonici nihil hactenus, quo iura sua tueri intendant, attulere. Vestrum itaque erit EE. PP. deliberare:

I. An vacante sede abbatiali ecclesiae S. Andreae in Flumine liceat archipresbytero et canonicis ecclesiae S. Nicolai terrae Pontiani eligere vica-

rium capitularem? Et quatenus affirmative:

II. An electio ab eisdem archipresbytero et canonicis facta in personam canonici Benedicti Mancini sustineatur? Et quatenus negative:

III. An et quomodo providendum sit in casu?

S. Congr. respondit: Ad I. et II. *negative*. Ad III. ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro deputatione vicarii apostolici. » *Nullius terrae Pontiani* 16. Dec. 1741. et 17. Febr. 1742.

4. « S. C. in *Mazariensi* 19. Dec. 1569. respondit: « Archiepiscopus constituere debet capitulo octo dierum spatium ad eligendum vicarium doctorem, casu quo elegisset non doctorem, et eo non electo, omnis electionis potestas ad archiepiscopum transfertur. « Et in *Triventina* 15. Dec. 1586.: « Eligendos in vicarium doctores aut licentiatos, si qui sint in capitulo, sin minus, sufficere ut quantum fieri poterit idoneus eligatur. » Atque id ipsum constanter edixit.

Quod servandum quoque mandavit in casu, quo unicus duntaxat de gremio capituli adsit ad doctoris dignitatem promotus, ut in *Neritonen.* 24. Iul. 1643. et saep., immo nullis extantibus doctoribus e gremio capituli edixit, eligendum esse doctorem, si quis sit extra gremium, in *Tricaricen.* 1592.

Constanter itaque improbavit reiecitque deputationem non doctoris omissis doctoribus vel licentiatis, ut in *Tarraconen.* Ian. 1590. et saep.

Quinimmo cum Concilium expresse eligi iubeat doctorem vel licentiatum in iure canonico, improbavit etiam electionem doctoris in iure civili aut sacra theologia, si posthabiti fuerint doctores in iure canonico, ut in *Asten.* 11. Iul. 1626. et saep.

Praeterea ne fraus fieret Concilii menti, quae iubendo electionem doctoris voluit, ut muneri praeficeretur persona vere docta, atque prudens, declaravit ulterius, solum doctoratum in publica universitate obtentum spectandum esse. Nam in una *Montis Regalis* 19. Ian. 1664. proposito dubio: An huiusmodi doctor debeat esse doctor in publica universitate studiorum, an vero satis sit, ut fuerit promotus ex gratia ab aliquo comite Palatino vel ab alio habente auctoritatem a sede apost. vel ab imperatore, adeo ut electio sit valida existentibus aliis, qui eiusmodi gradum in publica universitate susceperunt? S. C. resp. debere esse promotum in publica universitate. *Montis Regalis* 19. Ian. 1664.

Verum constito de certa non idoneitate doctoris, et de maiori scientia, prudentia ac probitate non doctoris, aliquoties licet rarissime non abhorruit a confirmando electionem non doctoris spretis doctorum querelis. Nam in una *Carinolen.* 22. Sept. 1714., cum electus fuisset primicerius Sassi non doctor, et metropolitanus alterum elegisset, illo excluso ob defectum doctoratus, quem idem primicerius post 13. dies susceperat, proposito: I. An electio vicarii capitularis facta a capitulo sustineatur? et quatenus negative: II. An deputatio facta a curia metropolitana sustineatur, resp. fuit ad I. *affirmative*, ad II. *negative*. (Ita secretarius XXXVII. 315.)

5. Cum alias S. C. censuerit in vicarium capitularem eligi posse etiam aliquem extra capitulum, si tamen quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum ceteris paribus esse praeferendum, ideo canonici Neritonenses suppl. declarari, quomodo intelligenda sint verba illa « ceteris paribus », ita ut si in capitulo adesset habilis, eligi posset, etiamsi alius extra capitulum esset magis habilis? S. C. resp., esse ita intelligenda, ut sufficiat capitularem habere qualitates a S. Conc. requisitas, quod sit doctor vel licentiatus in iure canonico vel alias idoneus. *Neriton.* 24. Iul. 1643. (rel. ex act. XXXIII. 73.)

6. Ex octodecim canonicis decem elegerant vicarium generalem episcopi defuncti non doctorem, octo vero canonicum doctoratus laurea decoratum. Quaestione inde exorta: An et quae electio sustineatur in casu? S. C. resp., neutram sustineri. *Acernen.* 16. Dec. 1708. (rel. ex act. XXXIII. 73.)

7. Cum in vicarii cap. electione ex 26. capitularibus 15. suffragia dedissent favore primicerii nec doctoris nec licentiati, et alii 11. favore archidiaconi iuris utriusque doctoris, dubio proposito: An et quae electio sustineatur? S. C. resp., neutram sustineri et facultatem eligendi devolutam esse ad viciniorem. *Nazarena* 11. Sept. 1717. (rel. XXXVII. 318.)

—

8. Cum ex 22. canonicis decem Oliverium sacerdotem extraneum, episcopi vicarium generalem, sex Iosephum canonicum aliquem, reliqui alios elegissent, controversia orta est, erant enim qui contenderent, canonicum idoneum ceteris paribus praeferendum esse, eamque regulam valere etiamsi extraneus dignior esset. Re ad S. C. delata et duodecim canonicis pro Oliverio stantibus, ad quaest.: An electio vicarii capitularis in personam Oliverii su-

stineatur? S. C. resp. *affirmative et amplius. Tiburt.* 14. Apr. 1764.

9. Cum vacante sede Recinetensi procedendum esset ad vicarii electionem a quatuor dignitatibus et tredecim canonicis, in archidiaconum doctoris laurea insignitum, quem praepositus proposuerat, minor tantum cecidit pars suffragiorum. Electione altera per renunciationem electi vacua facta, capitulum disertis verbis dissolventes ab aula capitulari recesserunt dignitates cum aliis quatuor canonicis; alii vero ab electione non sibi abstinendum esse rati, octo suffragiis elegerunt archipresbyterum non doctorem. Re ad S. C. delata cum quaereretur: I. An sustineatur deputatio archipresbyteri in casu? II. An constet de legitima deputatione archidiaconi in casu? resp. *negative* ad utrumque. *Recineten.* 26. Nov. 1768.

10. Rescriptum fuit a S. C. huiusmodi: « S. C. censuit scribendum ad vicarium capitularem sede vacante deputatum, *iurisdictionem episcopi* ipsi nunc competere nedum spiritualem sed universam « in *Derthonen.* 21. Dec. 1691. (cit. XCV. 217.)

11. Cum institutus fuisset concursus ad quandam ecclesiam parochialem et lis excitata fuerit inter capitulum et vicarium capitularem, cuinam ius competeret renunciandi magis idoneum, S. C. censuit: spectare ad capitulum, quia in deputatione vicarii capitularis id iuris sibi reservaverat, 18. Nov. 1651. (cit. XCV. 215. 244.)

—

Postea vero sententia opposita praevaluit. Vacante enim ecclesia cathedrali indictus fuit concursus ad parochialem, qui habitus fuit de more coram capitulo. Exorta lite inter ipsum et vicarium capitularem super iure eligendi digniorem ex approbatis, quod capitulum sibi tribuebat ea ratione, quod illud sibi reservasset, S. C. vicario capitulari illud asseruit, cuius iurisdictionem censuit non posse a capitulo limitari. *Elven.* 1. Dec. 1736.

12. Episcopo defuncto, canonici ecclesiae cathedralis in conciliis capitularibus ante vicarii electionem sibi sartam reservarunt facultatem excipiendi confessiones fidelium eosque absolvendi ab omnibus reservatis. A vicario capitulari S. C. C. rogata: I. Utrum reservatio a capitulo facta in vicarii capitularis electione sit valida? II. Utrum vicarius capitularis possit facultatem a capitulo sibi reservatam revocare aut restringere? respondit: ad I. *negative* in omnibus, ad II. provisum in primo, in *Adrien.* 30. Maii 1835.

13. S. C. interrogata, an capitulum Tarraconense possit sede archiep. vacante indicere ac celebrare concilium provinciale, an vero haec facultas spectet ad antiquiorem episcopum eiusdem provinciae? resp., ad antiquiorem provinciae episcopum pertinere. 10. Febr. 1624. Ex l. XII. Decr. p. 160. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. II. 9.

14. S. Congr. resp.: I. Vicarium capitularem visitare dioecesim posse post lapsum anni; II. Procurationes spectare ad vicarium capitularem pro medietate; III. Ultra procurationes vicarium capitularem in visitatione recipere non posse cibaria, equitatus, alia donaria; IV. Aliter recepta esse iis restituenda, quibus de iure debeantur, in *Ostunen.* ad dub. IV. V. VI. VII. 28. Iul. 1708. (alleg. IX. 152. P. II.)

15. Proposito dubio: « An vicarius capituli facere possit visitationem civitatis et dioecesis? II. An facere possit visitationem personalem capitularium? rescriptum fuit: Ad I. et II. *affirmative*; dummodo elapsus sit annus a die ultimae visitationis peractae ab ordinario. » 13. Sept. 1721.

16. Ecclesia collegiata S. Mariae della Rotonda oppidi Lucronii indultum insignitatis a. 1727. acceperat: « quod eadem ecclesia, illiusque decanus, dignitates, canonici, beneficiati et capellani visitari deberent iuxta dispositionem Conc. Trid. Sess. VI. cap. 4. de ref., visitatione nempe particulari per pro tempore existentem episc. Calaguritanum prout episcopi per se ipsos ecclesias cathedrales et collegiatas visitare tenentur et debent ad formam praedicti Conc. Trid. « Contendebant capitulum et canonici, se non posse sede vacante visitari per capitulum Calaguritanum aut eius vicarium. S. C. vero censuit: « Capitulo cathed. ecclesiae Calaguritanae, sede vacante, eiusque vicario capitulari competere ius visitandi illam ecclesiam eiusque dignitates, canonicos et presbyteros. « *Calaguritana* 30. Sept. 1730.

17. Ad quaestionem: An vicarius capitularis sede episcopali vacante facultatem habeat concedendi indulgentias, quas ceterum concedere posset episcopus vivens? S. C. resp.: vicarius capitularis se abstineat. 13. Nov. 1688 (alleg. a *Bened.* XIV. De syn. dioeces. II. 9.)

18. Provisores et vicarios generales a capitulis sede vacante deputatos posse concedere dispensationem super defectu natalium ad ordines tantum minores suscipiendos, respondit S. C. in *Mexicana* 28. Ian. 1708. (rel. IX. 136.)

19. S. C. alias censuit, emolumenta sede episcopali vacante obvenientia ex iuris-

dictione et sigillo aut alias undequaque, neque ad capitulum neque ad eius vicarium spectare, sed debere futuro successori reservari, si ad episcopum ecclesia non vacante pertinuisset. Ex his tamen emolumentis deducendum esse salarium rationabile vicario constituendum et persolvendum. *Nullius* 11. Iul. 1626. l. XIII. Decr. p. 55., *Agrigent.* 17. Apr. 1627. l. XIII. p. 232. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. X. 10.

20. Proposito dubio, an canonici eccl. cathedr. possint sede vacante propria auctoritate in usus proprios convertere poenas, mulctas et compositiones delinquentium? S. C. resp., canonicos non posse. 6. Dec. 1642. Ex l. XVII. Decr. p. 119. rel. a. *Bened.* XIV. ib.

21. Vicarium capitularem non posse poenas et mulctas in usus proprios convertere, sed integras locis piis debere applicare, S. C. rescr. 28. Mart. 1648. Ex l. XVIII. Decr. p. 464. rel. *Bened.* XIV. ib.

22. I. Sede vacante decanus ecclesiae cathedralis, ad quem spectat convocare capitulum, non tenetur petere licentiam a vicario capitulari pro convocandis capitularibus. II. Eo renuente vel absente, aut alias quomodolibet impedito, facultatem convocandi capitulum devolvi ad successivas dignitates et canonicos gradatim; quoad coadiutores vero rationem habendam esse in casibus particularibus, visis litteris coadiutoriarum. III. Vicarium capitularem contra decanum etc. capitulum sine licentia convocantem ad censuras procedere non posse. IV. Decanum etc. capitulum convocantem, cursore et cancellario recusantibus, uti quacunque persona pro intimandis capitularibus, necnon quocunque notario posse. V. Decanum non teneri reddere certiorem vicarium capitularem de resolutionibus capitularibus, S. C. rescr. in *Melevit.* 18. Sept. 1723.

23. Vicario capituli licere procedere in canonicorum ecclesiae metropolitanae causis tam in communi quam in particulari, non obstante ipsius recusatione per eosdem canonicos sive capitulum facta; capitulo vero facultatem esse recipiendi recusationes vicarii capitularis per dioecesanos propositas, et deputandi arbitros pro admittendis seu reiiciendis recusationum causis, resolv. S. C. *Turritana* 16. Dec. 1724. et 13. Ian. 1725.

24. « Quando ecclesia suffraganea caret capitulo, electio vicarii capitularis pertinet ad metropolitanum iuxta resolutionem huius S. Congr. super *dubiis administrat. ecclesiarum* 28. Aug. 1683. lib. XXXIII. Decr. pag. 271., ibi: « Quaeritur I.: An, vacante ecclesia suffraganea capitulo carente, illius administratio et vicarii sede vacante deputatio spectet ad metropolitanum? et quatenus metropolitana ecclesia pastore careat: II. An spectet ad capitulum ecclesiae metropolitanae vel potius ad antiquiorem suffraganeum episcopum? Sacra etc. ad primum respondit *affirmative*, ad secundum spectare ad capitulum metropolitanae. » Excitataque ab episcopo Ologhorensi controversia super iustitia dicti responsi sub obtentu potissimum, quod concurrente inveterata consuetudine nec non concilii provincialis constitutione, ad se tanquam ad antiquiorem suffraganeum pertinebat ius deputandi vicarium capitularem vacante ecclesia, quae capitulo carebat, S. Congr. stetit in decisis, uti colligitur ex rescr. ed. d. 14. Apr. 1685. lib. XXXV. Decr. p. 190.

Ad tramites eorum, quae hucusque dicta sunt, cum tempore Iulii Papae II. facta fuerit unio duarum dioecesum Ampuriensis et Civitatensis et destructa subinde urbe Civitatensi ita ut solum in oppido de Tempio remanserit capitulum eiusdem ecclesiae collegiatae, resolutum fuit, quod in casu vacationis ius deputandi vicarium capitularem spectaret ad metropolitanum Turritanum, et de facto, cum anno 1717. ex hac vita migrasset episcopus praedictarum dioecesum Ampurien. et Civitaten., deputatus est a metropolitano Turritano in vicarium capitularem dioecesis Civitaten. quidam sacerdos Petrus Gabriel doctor in utroque iure et decanus et prima dignitas ecclesiae oppidi de Tempio.

Sacerdos in vicarium capitularem electus munus sibi commissum per spatium fere trium annorum pacifice exercuit, sed cum metropolitanus, qui eum elegerat, subinde mortuus fuerit, et in vicarium capitularem metropolitanae electus fuerit decanus Gavinus Delyperi, hic devenit ad remotionem sacerdotis a metropolitani electi ab officio vicarii capitularis Civitaten., et vicariatum contulit Gavino Pes Valentino simplici presbytero, qua stante nova deputatione exorta est inter Gabrielem et Gavinum Valentinum controversia, pro cuius definitione subscriptum fuit dubium ad calcem restrictus referendum.

Quae sint iura Valentini ignoro, cum ad me delata non fuerint, licet saepius eius procurator fuerit citatus, sed in eo, quod attinet ad sacerdotem Gabrielem, plura ab ipso deducuntur in scriptura per manus circumferenda, et signanter, quod ipse sine ulla causa fuit remotus a vicariatu, uti colligitur ex epistola ipsius vicarii remo-

ventis, ibi: « essendo in mio arbitrio e volontà di rimuovere V. S. da vicario e deputare un'altro trovandomi electto benchè indegno nella carica di vicario, sede vacante di questa diocesi Turritana, senzache in ciò abbia preteso offenderlo in cosa alcuna, mi è parso conveniente alla mia libera volontà rimuoverlo e deputare per vicario, sede vacante Civitaten. il molto rev. nobile Don Gavino Pes Valentino, » quando vicarius capitularis amoveri non potest sine iusta causa iuxta decreta Sacrar. Congregationum apud *Monacell.* in formul. legal. par. 1 tit. 1. form. 12. num. 14.

—

Absque eo quod quidquam relevet responsio, quod haec procedunt in vicario electo a capitulo et non in vicario electo a metropolitano, tum quia distinctio haec innititur cuidam decreto huius Sac. Congr., quod ab auctoribus allegatur, sed in regestis non reperitur, tum quia una eademque urget ratio, dedecoris videlicet sine causa non inferendi vicario, sive hic sit electus a capitulo sive a metropolitano. Dignabuntur itaque EE. VV. decernere: An remotio rev. D. decani Petri Gabriel a vicariatu Civitaten. et deputatio respective R. D. Gavini Pes Valentini facta per R. D. decanum Delyperi sustineatur, sive potius D. de Gabriel sit reintegrandus in casu etc.? Sac. Congr. respondit: « Ad primam dubii partem *negative*, ad secundam *affirmative*. » *Civitaten.* 9. Iun. 1725.

—

25. Adiunctis uti non teneri episcopum procedentem ad exigendam rationem administrationis gestae ab officialibus deputatis a capitulo sede vacante, resp. S. C. in *Gnesnen.* 14. Apr. 1725.

C. XVII. *Beneficiorum collationi et plurium retentioni modus statuitur.*

Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit [1]), neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quae bene constituta sunt, variis artibus eludere et plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiam si cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam saecularia quam regularia quaecunque, etiam commendata, pertineant, cuiuscunque tituli ac qualitatis existant. Illi vero, qui in praesenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem et aliam parochialem obtinent, cogantur omnino [2]), quibuscunque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere. Alioquin tam parochiales quam beneficia omnia, quae obtinent, ipso iure vacare censeantur [3]), ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, provideatur.

[1]) cf. Sess. VII. de ref. c. 2. cum alleg.—[2]) Sess. cit. c. 4. —[3]) cf. c. 4. de praeb. in Extr. comm. III. 2. (Ioann. XXII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Dubio proposito: « An parochialis ecclesia, obtenta ab eo, qui ad episcopatum in partibus infidelium existentem promotus, ac eodem tempore alicui episcopo in suffraganeum deputatus fuerit, vacare intelligatur, uno ore P. P. dixerunt, huiusmodi

parochialem non vacare ob eam praecipue causam, quod episcopatus promotio non inducit priorum beneficiorum vacationem, nisi a die adeptae possessionis, non autem suffraganeatus, cum non sit titulus perpetuus. » 14. Dec. 1601. (all. XCIV. 182.)

2. In capitulo metropolitano praebendas canonicatusque, qui mensibus episcopalibus vacabant, conferendi ius spectabat insimul ad archiepiscopum et capitulum. Possessor unius praebendae per litteras apost. in forma brevis episcopus in partibus infidelium renunciatus fuit, verbis hisce a Pontifice adiectis: « nos hodie per solas provisionem et praefectionem de tui persona factas, huiusmodi (canonicatum et praebendam) vacare eo ipso decernimus, suspenso tamen effectu vacationis praedictae usque ad tui obitum. » Inde quaeritur: An ob episcopalem illius dignitatem reservatum sit Sedi Apost., an potius archiepiscopo et capitulo liberum ius perstiterit illius conferendi? S. C. C. censuit: ius collationis spectare ad sedem apostolicam. *Neapolit.* 7. Iun. 1834.

3. Obtinens beneficium ecclesiasticum sufficiens ad honeste sustentandum fuit institutus ab episcopo ad aliud beneficium iuris patronatus ad praesentationem patroni laici, et utrumque beneficium retinuit eorumque fructus percepit per duos annos absque dispensatione apostolica. Quaeritur: quodnam ex dictis beneficiis vacaverit? S. C. respondit: Utrumque ipso iure vacasse. *Aquilana* 14. Aug. 1632. (Ex l. XIV. Decr. p. 653. alleg. V. 395.)

4. Incompatibilem esse praeposituram (cui in fundatione onus iniunctum est, ut beneficiatus celebret per se ipsum,) cum episcopatu, quamvis episcopo per decretum concistoriale retentio beneficiorum compatibilium indulta sit, quippe cum tali oneri in fundatione imposito ne per consuetudinem quidem immemorabilem derogari possit, resp. S. C. in *Romana* 1. Apr. 1719.

5. Sacerdos quidam obtinuit beneficium ecclesiasticum, cui onus annexum erat coadiuvandi parochum in cura animarum. Alterum deinde in rurali eiusdem oppidi recepit, capellaniam scilicet cum onere legendi certum missarum numerum. Per utrumque (nec vero per alterutrum) congrua provisus, patrimonium sacrum resignavit. Utrumque erat residentiale, sed non sub eodem tecto, in eodem vero loco. S. C. censuit, eum *non indigere* dispensatione ad duo sacerdotalia, in *Sabinen.* 26. Nov. 1719.

6. Capellaniam incompatibilem esse cum episcopatu, S. C. censuit in *Romana* 27. Ian. 1727.

7. Vice-curam cum canonicatu coniungi non posse, si canonicus, altero officio fungens, alterius functionem negligere debeat, S. C. censuit in *Comens.* 8. Iul. 1724.

8. Dubitatum fuit: An habens duo beneficia simplicia, tertium de iure patronatus ad praesentationem patronorum auctoritate ordinaria assequi et retinere possit absque dispensatione apostolica? S. Congr. censuit, tertium beneficium simplex, etiamsi de iure patronatus, non posse retineri cum duobus aliis absque sedis apost. dispensatione, in *Bovinen.* 13. Nov. 1629. Idem iudicavit in *Aquilana* 14. Aug. 1632. (rel. V. 193.)

9. Episcopus supplicat pro resolutione dubii: An ab episcopo absque dispensatione apost. possit permitti retentio trium beneficiorum simplicium de iure patronatus laicorum sub eodem tecto non existentium, et quorum reditus non sufficiunt ad congruam sustentationem? S. Congr. resp.: Episcopum permittere non posse. *Curzolen.* 13. Maii 1651. (alleg. V. p. 199.)

10. Quaerente sacerdote, ab ordinario de tribus beneficiis iuris patronatus tenuis reditus ad necessariam sustentationem insufficientibus proviso, an absque dispensatione apostolica illa possit retinere? S. C. resp., non posse absque dispensatione ap. retinere. *Alexana* d. 14. Nov. 1654. Ex l. XIX. Decr. p. 425. rel. a *Bened.* XIV. Inst. XCI.

11. 1. Obtinens primum beneficium sive liberae collationis sive de iure patronatus laicorum ad sui sustentationem sufficiens non potest absque dispensatione apostolica retinere secundum beneficium iuris patronatus laicalis.

2. Obtinens duo beneficia sive liberae collationis sive iuris patronatus laicorum ad congruam sustentationem non sufficientia non potest retinere tertium et quartum beneficium iuris patr. laic. absque apostolica dispensatione.

3. Id quod procedit in retentione beneficiorum, non procedit in legatis piis et capellaniis iuris patron. laicorum. *Bitecten.* 6. Dec. 1721.

12. Sacerdoti eam ob causam, quod parentes ingravescentis aetatis, sorores vero floridae aetatis essent, neque fortunam paternam haberet, extraordinariaeque ei pro reficienda ecclesia impensae faciendae essent, concedendam esse dispensationem super retentione tertii beneficii simplicis, quamvis reditus beneficii parochialis coniuncti cum altero simplice congruam superarent, S. C. censuit in *Fesulana* 8. Mart. 1806.

C. XVIII. *Ecclesia parochiali vacante deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho. Nominati ad parochiales qua forma et a quibus examinari debent.*

Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta synodus, ut, cum parochialis ecclesiae vacatio, etiamsi cura ecclesiae vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat [1]), per obitum vel resignationem, etiam in curia seu aliter quomodocunque contigerit, etiam si ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, seu abbatum vel capitulorum; debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro episcopus, et qui ius patronatus habet, intra decem dies vel aliud tempus ab episcopo praescribendum idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cuiuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo [2]), sive eo impedito ab eius vicario generali atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in dioecesana synodo ab episcopo vel eius vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cuiuslibet ecclesiae tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad sancta Dei evangelia, se quacunque humana affectione postposita fideliter munus executuros. Caveantque, ne quicquam prorsus occasione huius examinis nec ante nec post accipiant [3]); alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eius arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuncientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisque episcopus eum eligat [4]), quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi, et non alteri, collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab exa-

minatoribus iudicabit, episcopo praesentare teneatur [5]), ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si iuris patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus fuerit ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit admitti. In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex praedictis examinatis et ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam, de ecclesia provideatur, nec praedictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad sedem apostolicam sive eiusdem sedis legatos aut vicelegatos aut nuncios, seu episcopos aut metropolitanos, primates vel patriarchas interposita impediat aut suspendat; alioquin vicarius, quem ecclesiae vacanti antea episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab eius ecclesiae custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus et electus fuerit, ut supra, sit provisum. Alias provisiones omnes seu institutiones, praeter supradictam formam factae, surreptitiae esse censeantur, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque universitatibus [6]), etiam ad certam summam, et aliis impedimentis quibuscunque. Si tamen adeo exigui reditus dictae parochiales fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit qui se examini quaerat subiicere, aut ob apertas factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae ac tumultus possint excitari: poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa privatum aliud examen, ceteris tamen ut supra servatis, adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

[5]) cf. Sess. VII. de ref. c. 13. — [2]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — [3]) cf. c. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.) — [4]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — [5]) cf. Sess. VII. de ref. c. 13. — [6]) cf. Sess. XXV. c. 9.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Parochiales ecclesias capitulo, collegio vel monasterio alicui quoad temporalia tantum unitas veluti de iure patronatus ecclesias ici debere per concursum conferri, S. Congr. censuit in *Portugallien.* 30. Mart. 1737.

2. In collatione ecclesiarum, quae sunt iuris patronatus mixti, non esse opus concursu, S. C. censuit 5. Febr. 1628. *Bened.* XIV. De syn. dioec. IV. 8.

—

3. « S. C. censuit, examen et edicta proponere, et alias provisiones facere iuxta c. 18. Sess. 24. spectare ad episcopum tantum, et non ad alium inferiorem, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili, etsi inferior ex immemorabili haberet ius cumulative cum episc. in loco suae iurisdictionis, dummodo in ipsius dioecesi parochialis posita sit. Quodsi parochialis non sit intra fines dioecesis alicuius episcopi, et inferior episcopo *omnimodam* habeat iurisdictionem episcopalem, nec alicui subdatur, sed est immediate subiectus sedi apost., nullius dioecesis proprium territorium habens, *si habeat ius congregandi synodum*, et legitime constet, et illam congregasse et congregare, et elegisse ac eligere examinatores, poterit concursum instituere, examinare, et approbare, oeconomos vicarios deputare, et alia facere, quae praescribuntur c. 18. Sess. XXIV. Episcopus vero debet manuteneri, donec dicta requisita abbas probaverit. » *Cassinen.* Febr. 1588., *Theatina* 26. Sept. 1615. (alleg. VIII. 103.)

—

4. Cum in dioecesi Bracarensi plures parochiales iis collatae fuissent, qui approbati fuerant ab examinatoribus *extra*

synodum deputatis ab archiepiscopo cum consensu capituli, porrectaeque essent pro collationum convalidatione S. P. preces, S. C., ad quam illae remissae fuerunt, non solum bonae fidei provisorum, verum scandalorum quoque, quae de indicto novo concursu timenda essent, ratione habita collationes convalidandas esse censuit. *Bracaren.* 26. Ian. 1715. (rel. IX. 219.)

—

5. Cum in synodo dioecesana Policastrensi inter examinatores synodales deputatus fuisset etiam vicarius generalis episcopi sub solo appellativo nomine dignitatis vicariatus, atque hic cum aliis duobus examinatoribus synodalibus interfuisset concursui habito ad quandam parochialem, S. C. d. 19. Sept. 1745. concursum convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum duxit episcopo, vicarium generalem non posse deinceps synodalis examinatoris munus exercere, nisi proprio nomine expresse ad illud iterum deputaretur. (cf. *Bened.* XIV. de syn. dioec. IV. 7.)

6. « Amplitudini Tuae super examinatoribus in synodo approbandis sic resp. Congr. S. Conc. Interpr., nempe examinatores, qui ab Ampl. Tua propositi fuerint synodo, tam per vota secreta quam aperta posse probari. Itaque Ampl. Tua eum modum in probatione servari faciat, quem magis expedire iudicaverit. » Litterae S. Congr. ad Patr. Ven. dat. 11. Iul. 1592. rel. a *Bened.* XIV. de syn. dioec. IV. 7.

7. Capitulum non posse reticere causas, unde examinatores reprobaverit, nedum sub specie caritatis; et quando sedes apost. has causas sciscitetur, non tantum capitulum sed nec episcopum posse renuere, quin eas exponat, constat ex resol. S. C. in *Alerien.* 24. Nov. 1667. (all. LXIX. 177.)

8. Episcopus Montis Alti, licentia ei data a S. Congr., examinatores prosynodales elegit, quorum aliquot capitulum approbare recusabat. Interrogatum ab episcopo et postea ab ipsa S. Congr., recusandi causas non allegavit, sed « ex informata conscientia » se eos reiecisse respondit. S. C. censuit, constare de irrationabili capituli iudicio, ita ut electi examinatores sint approbandi. *Montis Alti* 23. Iul. 1803.

9. Prorogationem edicti pro habendo concursu ad ecclesiam parochialem factam ab episcopo esse sustinendam, cum facta fuerit propterea, quod ex paucis examinatoribus in synodo electis superstitibus aliquot iuste suspecti redditi essent ab examinandis, electis vero ab episcopo cum facultate Congregationis capitulum consensum praebere distulisset, neque eam prorogationem laedere const. Pii V. « *In conferendis* » resp. S. C. in *Capuana* 21. Nov. 1739.

10. Generaliter esse sustinendam prorogationem ultra 20 dies, si adsit iusta causa vel aliquod interiectum sit impedimentum, constat ex res. S. C. in *Portugallen.* 30. Mart. 1737.

11. Si aliquot ex sacerdotibus in actis concursus descriptis, nondum elapso termino viginti dierum, in aegritudinem inciderint, episcopum ad eorum instantiam aeque prorogare posse terminum, resp. in *Cremonen.* a. 1582. ad dub. I., II., III., *Lucerina* 26. Nov. 1661. (alleg. IX. 136.)

12. Examinandos cogi non posse se sistere coram examinatoribus, quos iuste in suspicionem allegaverint, constat ex res. in *Lucerina* 26. Nov. 1661. ad II. (alleg. IX. 135.)

13. Quaerit a S. C. ep. Cremonensis, an constit. Pii V. (d. d. 1. Apr. 1568., quae prohibet ne beneficia per resignationem per episcopum vel alium collatorem etiam ex iusta causa admissam vacantia conferantur consanguineis vel familiaribus episcopi vel resignantis,) habeat locum in ecclesiis parochialibus et beneficiis curam animarum habentibus et quae per concursum magis idoneis conferri debent ex decr. Conc. Trid. c. 18. Sess. XXIV., ita ut familiaris aliquis episcopi vel consanguineus resignantis apparuerit, et in concursu ad huiusmodi beneficium curatum ut supra vacans cum aliis se examinari petierit, admitti non possit, et si admissus ad examen et ut idoneus ab examinatoribus relatus fuerit, ei beneficium conferri non possit? SS. D. N. *Gregorius* XIII. etiam ex sententia S. Congr. Conc. declaravit, locum habere et ideo monendum episcopum, ne huiusmodi familiares aut consanguineos admittat ad concursum. Ex l. I. Decr. p. 145. rel. a *Bened.* XIV. Instit. XCII.

Eadem S. C. declaratio cum postea ad parochiales vacantes per obitum esset extensa, res relata est ad S. S., decrevitque S. S.: declarationem S. C. approbatam a fel. mem. Gregorio XIII. retinendam esse iuxta terminos const. piae mem. Pii V. in parochialibus vacantibus per resignationem admissam per episcopum et inferiores collatores; occurrente autem vacatione parochialium per obitum, non esse arcendos a concursu familiares aut consanguineos ipsorum ordinariorum, sed iisdem conditionibus et legibus censendos esse cum aliis concurrentibus ex forma conc. Trid. et constitutionibus eiusdem Pii V. de provisionibus parochialium. Quod decretum in Congreg. habita die 15. Iun. 1589. relatum

fuit ab Illustr. Dom. commendatum et iuxta illud in posterum respondendum erit in casibus occurrentibus etc. Rel. ex libr. Memorial. CVII. p. 248. ab *eodem*. De syn. dioec. XIII. 24.

14. Ad concursum non esse admittendum sacerdotem, qui propter commissum homicidii crimen praesertim in loco parochiae vacantis infamia sit notatus, quamvis crimen probatum non fuerit et ipse ab instantia absolutus, censuit S. C. in *Vigilien.* 23. Sept. 1673. *Capuana* 21. Nov. 1739. ad II.

15. De nullitate concursus, a quo sacerdos aliquis reiectus fuit ab episcopo eam ob causam, quod per inquisitionem episcopalis curiae de criminibus aliquot notatus fuerit, non constare, resp. C. in *Triventina* 30. Mart. 1743.

16. Sacerdos quidam de concubinatu cum quadam muliere diffamatus fuit; negavit tamen se cum illa rem ullam habere atque diffamationem subsistere. Cum a concursu pro ecclesia aliqua parochiali faciendo ob eam causam esset repulsus, re integra et antequam fieret concursus appellavit. S. Congr. vero censuit concursum fuisse validum. *Tarentina* 7. Dec. 1720.

17. Orta dubitatione: An sicut episcopo et examinatoribus simul iunctis conc. Trid. c. 18. Sess. XXIV. committit examen scientiae, sic etiam committat eisdem simul examen morum et prudentiae, ita ut, si examen aetatis, morum et prudentiae factum fuerit a solo episcopo, concursus sit nullus? S. C. d. 2. Aug. 1607. censuit, si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates, prout Conc. requirit, nullum esse concursum. Rel. a *Bened.* XIV. de syn. dioec. IV. 8.

18. Examinatores teneri non solum ad explorandam examinandorum scientiam, sed inquirere etiam de aetate, moribus, aliisque animi dotibus et iuxta probatum eiusmodi praerogativarum concursum quemlibet dignum et idoneum renunciare, S. C. censuit in *Urbinaten.* a. 1601. et al. 23. Iun. 1605., *Hydruntina* 19. Iun. 1638. (alleg. X. 66.)

19. Cum in concursu ad ecclesiam parochialem instituto examinatores in altero tantum examinando respondissent, eum «esse dignum scientia, aetate, gradibus, filiatione,» etc. in altero autem, eum esse «dignum scientia,» nulla aliarum eius qualitatum facta mentione, deveniendum esse ad novum concursum, resp. S. C. in *Caputaquen.* 10. Iun. 1741.

20. Cum examinatores Patavini contenderent, ad se spectare etiam *eligere* magis idoneum ex illis, qui fuerint approbati in examine concursus ad parochiales collativas vacantes, et non ad episcopum, aegre id ferente episcopo S. C. censuit: id ad eos non spectare. 1573. Ex l. I. Decr. p. 110. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IV. 8.

21. S. C. censuit, si parochia sit iuris patronatus ecclesiastici et institutio ad episcopum pertineat, facultatem iudicandi digniorem inter idoneos probatos ab examinatoribus spectare ad patronum ecclesiasticum et episcopum teneri instituere eum, quem dictus patronus iudicaverit digniorem et ipsi episcopo praesentavit. 1573. Ex l. I. Decr. p. 167. rel. a *Bened.* XIV. in lit. ad archiep. Florent. (1747.) Bull. Tom. II. p. 24.

22. Non pertinere ad examinatores iudicare quis magis idoneus sit, et, si parochia sit iuris patronatus ecclesiastici et institutio ad episcopum pertineat, facultatem iudicandi digniorem inter idoneos approbatos ab examinatoribus, spectare ad patronum ecclesiasticum, et episcopum teneri instituere eum, quem dictus patronus digniorem iudicaverit, et episcopo praesentaverit. *Barchinon.* 1573. Ex l. I. Decr. p. 167. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IV. 8.

23. Examinatores debent renunciare, quot idonei reperti fuerint, non autem, quis eorum dignior sit. Quod si aliquem digniorem esse iudicaverint, episcopum non teneri huic conferre ecclesiam, sed suo iudicio eum eligere posse, qui ipsi videretur dignior. resp. S. C. in *Null. Sublacen.* 22. Iul. 1741.

24. Nihil referre, an suffragia secreto vel palam ferantur, cum nihil de hac re fuerit a Tridentino sancitum, S. C. rescripsit ad Gabrielem Palaeotum archiep. Bonon., congruentius tamen sibi videri, ut examinatores secum invicem suffragia communicent, et deinde iubeant notario, ut in acta referat, Titium e. gr. esse approbatum, Seium reprobatum. *Bened.* XIV. l. c. IV. 8.

25. Cum quaesitum fuisset, utrum episcopus vel vicarius haberent votum decisivum in approbando examinatos ab examinatoribus in synodo deputatis? S. C. censuit: habere, si examinatores fuerint pares aut singulares in suis votis. Ex l. 1. Decr. p. 158. Apud *Bened.* XIV. l. c.

26. Proposito dubio: An provisus de parochiali ecclesia per concursum sit approbatus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in qua ipsam parochialem obtinet, tum eorum, qui habent privilegia eligendi idoneum confessorem, tum etiam illorum, qui non habent huiusmodi privilegium, sed parochorum consensum? S. C. resp., censeri duntaxat in ea civitate vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem

passim per totam dioecesim. Conf. a Clem. VIII. 26. Oct. 1596. (Bull. Rom. T. V. P. II. p. 136.)

27. In episcopatu Abulensi et tota provincia Compostellana ex decreto concilii provincialis Compostellani post conc. Trid. facti datur stipendium examinatoribus synodalibus ex fructibus parochialium, ad quas fit examen. Dubitatur, an hoc possit dari stante decreto S. Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18.? S. C. resp.: non posse. (Rel. a *Bened.* XIV. l. c. IV. 7.)

28. In pluribus Hispaniae dioecesibus, secundum consuetudinem a conciliis quoque provincialibus approbatam in omnibus beneficiis, curam animarum adnexam habentibus, quilibet provisus solvere tenebatur certam pecuniae quantitatem tam examinatoribus synodalibus quam curiae episcopalis officialibus sive stipendii sive largitatis nomine. Cum itaque clerico quodam dioecesis Iacensis solutionem negante res ad S. C. deferretur, ad quaestionem: An et quae emolumenta debeantur occasione examinis in concursu et collationis ecclesiarum parochialium? resp. quoad praesides et examinatores *negative. Iacensis* 16. Ian. 1758.

29. Iussus a S. Congr. in causis *Nucerina* et *Cassanen.* d. d. 11. Maii 1720. secretarius (*Prosper de Lambertinis*) de appellationum in concursibus usu sequentem exaravit discursum, ad quem tam dubia concursuum, infra relata, quam causas modo allegatas S. C. diiudicavit. Eodem quoque nititur bulla Benedicti XIV. « *Cum illud* » die 14. Sept. 1742. (quae in Appendice prostat).

« §. 1. Ut recto ordine procedatur, operae pretium est in primis exponere, quid in hac appellationum materia de iure statutum sit, deinde necesse est disserere de praxi tam apud hanc Sac. Congr. quam apud tribunal Rotae recepta, ulterius de inconvenientibus et praeiudiciis, quae ex dicta praxi derivare dicantur, ultimo tandem de remediis, quae parari posse videntur adversus allegata inconvenientia et praeiudicia.

§. 2. Porro initio ducto a dispositione iuris notum est, quod S. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 18. de ref. novam formam induxit in collatione parochialium; voluit enim, quod fieret concursus, quod concurrentes examinarentur ab episcopo vel ab eius vicario generali et ab examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, quod episcopus eum eligeret, quem ceteris magis idoneum iudicaret, habita ratione aetatis, morum, doctrinae, prudentiae et aliarum qualitatum, quae sunt opportunae ad gubernandam ecclesiam parochialem, et quod examinatorum relationem nulla devolutio aut appellatio etiam ad sedem apostolicam impedire valeret in suspensivo; praeterea notum est etiam, quod S. Pius V. in sua const. 33. Bull. T. II., et non solum dignis sed magis idoneis parochiales ecclesiae conferrentur, decrevit, quod si episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possent ii, qui fuissent reiecti, a mala huiusmodi electione ad metropolitanum vel ad sedem apostolicam appellare et praeelectum ad novum examen coram ipso iudice appellationis et eius examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio eoque revocato, quod parochialis conferatur magis idoneo, et quod denique appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim, debitae mandetur exsecutioni. Totum hoc legitur in §. 7. et 8. dictae bullae. Quocirca post bullam memoratam cessat controversia, quae olim aderat, an scilicet appellari tantum posset a reprobatione examinatorum vel etiam ab electione et iudicio episcopi; appellatio siquidem ab electione et iudicio episcopi expresse admittitur in mem. Piana const., uti bene ponderat *Fagnan.* in cap. *Eam te* a n. 24. usque ad 29. de aetate et qual.

§. 3. Transeundo ad praxin eadem exponitur sequentibus assertionibus.

§. 4. Prima est, quod appellans a mala electione examinatorum vel irrationabili iudicio episcopi, potest electum provocare ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferat documentum ullamve probationem. Ita fuit resolutum ab hac S. Congr. in quadam causa *Pistorien.* 12. Iun. 1603., et resolutio est impressa apud *Fagnan.* l. c. n. 31., ubi, postquam S. Congr. ponderavit, Pianam constitutionem permittere appellanti, ut provocet ad novum examen, et postquam decrevit, quod constito de episcopi eligentis irrationabili iudicio, parochialis magis idoneo conferatur, subdit, loquendo de dicta constitutione: « satis manifeste requirit novum examen ad huiusmodi irrationabile iudicium cognoscendum, ita ut non sit necesse de illo constare: antequam decernatur examen, sed absque eo quod de tali iudicio irrationabili constet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis iudicii. » Concordat alia resolutio in causa *Montis Regalis* 2. Aug. 1607. L. XI. Decr. pag. 11., ubi respondendo ad quartum propositum quaesitum inquit: « ad quartum, postpositum posse provocare praeelectum ad novum examen coram iudice appellatio-

nis et antequam per alia documenta doceat de irrationabili iudicio episcopi, atque ita Congregatio intellexit constitutionem san. mem. Pii. V. »

§. 5. Quodque notabilius est, licet tempore antecedenti Rota fuisset in sensu, quod docendum erat de gravamine ante admissionem ad novum examen, visa tamen allegata resolutione in causa *Pistorien.*, cui interfuerant tres Cardinales Blanchettus, Mantica et Piattus, qui olim fuerant dicti tribunalis auditores, mutavit opinionem et se conformavit sententiae S. Congr. nullam exquirentis probationem gravaminis ad novum examen, sed illud absolute et simpliciter indulgentis statim ac quis appellat in provisione parochialis, uti late videri potest in decis. 5. cor. Card. *Celso*, in dec. 476. par. 18. T. II. rec., decis. 64. n. 14. et 15. cor. *Ansaldo* etc.; quod extenditur etiam ad casum, in quo intra legitima tempora non fuisset appellatio interposita ab irrationabili episcopi iudicio, vel a mala relatione examinatorum, teste Card. *de Luca* de paroch. disc. 6. num. 8.

§. 6. Secunda est, licere et permissum esse appellanti, electum provocare ad novum examen, etiamsi appellans fuerit quoad scientiam approbatus in aequali gradu cum illo, cui parochialis fuit collata; ex ea potissimum ratione, quod appellans potest contendere, vel se debuisse qualificari tanquam magis doctum, vel alium non debuisse qualificari tanquam idoneum, uti habetur in *Comen. paroch.* 10. Ian. 1707. §. *Nec urgere* etc.

§. 7. Ita ut nullus alius adsit modus, quod electus effugere possit novum examen, quam ostendendo, quod appellans et provocans ad novum examen est de aliquo crimine diffamatus, in quibus terminis procedunt resolutiones huius S. Congr. in *Mediolanen.* seu *Alexandrina concursus* 28. Nov. 1693. l. XLIII. Decr. p. 386. et 13. Febr. 1694. l. XLIV. Decr. p. 60. a tergo, et in *Cassanen. archipresbyteratus* 3. Oct. 1716. l. LXVI. Decr. p. 439. a tergo, et bene adnotarunt Card. *de Luca* de paroch. disc. 8. n. 5. et 6. etc., et firmavit *Rota* dec. 311. cor. *Priolo* etc.; idque ex ea ratione inductum dicitur, quod, sicuti de crimine diffamatus ecclesiam parochialem nunquam consequi potest, sic imperceptibile esse videtur, ut pro libito suae voluntatis valeat ipse electum provocare ad novum examen.

§. 8. Tertia est, quod licet de iure sit, quod examen, ad quod electus provocatur, fieri debeat intra breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadat doctior, uti bene habetur apud *Ventrigl.* in praxi rer. eccl. par. 2. annot. 5. §. 2. n. 55. et 58., ut plurimum tamen id in praxi non verificatur; passim etenim admittitur intervallum unius anni, et etiam aliquando viginti mensium a primo ad secundum examen, si provocans sit extra statum ecclesiasticum, vel si tempus intermedium de necessitate insumatur in tricis iudiciariis, et signanter in disputatione, quae statim excitatur inter appellantem et appellatum, an videlicet sit locus novo examini, uti ponderat *Loter.* de re benef. l. II. qu. 31. sub n. 155. et prosequitur *Rota* in cit. dec. 32. n. 9. et seqq. et in decis. 64. sub n. 25. coram bon. mem. *Ansaldo*.

§. 9. Quarta est, quod ad tramites bullae Pianae novum examen fieri debet coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus, et sic, si appellatur ad sedem apostolicam, novum examen fit in Urbe et coram examinatoribus Em. Cardinalis Vicarii, ita ut nec aetas provocati ingravescens nec loci distantia ab Urbe, utpote ipse extra montes degeret, eum excusare valeant ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subiiciat, quemadmodum adnotavit R. P. D. *Ansaldus* in addit. ad decis. 32. n. 69. et firmavit *Rota* dec. 5. n. 14. coram Card. *Celso* etc., poteruntque EE. VV. benigne recordari, quod in quadam causa *Isclana parochialis*, quae fuit proposita 23. Iulii 1718., et in qua disputatum fuit, an esset locus provocationis ad novum examen faciendum in curia, responsum est *affirmative*, et *ad mentem*; et mens fuit, quod exquireretur, an concursus in terminis fuisset unquam in partibus delegatus: agebatur enim de provocato paupere et sene; pervolutisque regestis, cum unica tantum resolutio fuerit reperta in quadam causa *Melfien. concursus* 21. Ian. 1642. l. XLII. Decr. pag. 381., in qua commissum fuit examen episcopo viciniori, sed propter timorem pestis tunc grassantis in civitate Melfiensi, deprehensum fuit resolutionem esse inapplicabilem, et reproposita causa die 24. Sept. 1718. rescriptum fuit, quod examen fieret in Urbe, et sola examinis subdelegatio in partibus admittitur in parochialibus de iure patronatus laicorum aliisque beneficiis, quae examen exposcunt et non concursum, uti late habetur in decis. 348. n. 9. par. 10. rec., decis. 308. per totam, et signanter n. 6. et 7. cor. *Celso*, et in dec. 10. n. 13. seqq. et praesertim n. 16. post *Monacell.* in formul. legal. T. IV.

§. 10. Quinta est, non sufficere unum tantum novum examen, sed iuxta praxim secundum et tertium examen non denegari, quoad usque per tria uniformia experimenta ad instar rei iudicatae de litteratura vel

illiteratura constare possit, uti plene habetur in dec. 10. num. 10. post *Monacell.* in formul. T. IV., et ad maiorem praxis explicationem operae pretium est adnotare, quod, si praeelectus ab episcopo in concursu et ad novum examen provocatus per duas vices reprobetur, admittit novum examen ex eo, quod deficientia in successivis examinibus adscribi valet accidentali aegritudini corporis vel animi, et ad effectum excludendi iuridicum vel iudicialem possessorem tria requiruntur uniformia iudicata in iudicio ordinario et devolutivo. At si aliquis praeelectus ab episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset et deinde in tertio vicisset tunc de iure non est locus quarto examini; sed ex quadam aequitate introductum est, ut quartum etiam concedatur examen iuxta late firmata in *Placentina parochialis* 16. Mart. 1708. n. 7. et seqq. cor. b. m. *Ansaldo* impressa post *Monacell.* in formul. T. IV.

§. 11. Ultima demum assertio est, quod, absoluto examinis iudicio, absolutum dici non potest iudicium super collatione parochialis; cum etenim doctior non sit dignior, et aliquis possit esse minus doctus sed magis idoneus pro ecclesia parochiali, hinc est, quod expletis examinibus instituenda est quaestio circa collationem parochialis, adeoque circa uniuscuiusque requisita et tunc formiter et per concludentes probationes poni debet in claris, quod ordinarius praeelegerit minus dignum in comparatione dignioris, et in his terminis procedere dicuntur verba bullae Pianae: « *Constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo conferatur* », et late ad rem prosequuntur. *Ventrigl.* l. c., *Garzias* de benef. P. IX. cap. 2. n. 252., *Monacell.* in formul. T. II. tit. 15. n. 20. et 21., *Rota* in *Lunen. Sarzanen. paroch.* 2. Iul. 1760. §. *Neque constare* coram bon. mem. *Omanna*, et dec. 10. n. 4. et 5. post *Monacell.* l. c. T. IV.

§. 12. Exposita praxi iuxta methodum insinuatam necesse est loqui de inconvenientibus et praeiudiciis, quae ex dicta praxi derivare dicuntur. Porro nonnulla respiciunt iuris dispositionem et ordinem, nonnulla decorem episcopalem, et nonnulla damnum ipsarum ecclesiarum parochialium nec non parochianorum.

§. 13. Quoad dispositionem et ordinem iuris durum et durissimum dicitur esse, quod, si praesumptio iuris est pro episcopi iudicio quoad usque contrarium doceatur, provocatio ad novum examen deinde admittatur nedum absque ulla probatione, sed etiam absque ullo fumo irrationabilitatis episcopalis iudicii, et multo magis cum ex novo examine non desumatur nisi maior vel minor litteratura, quando certum est, maiorem litteraturam non sufficere pro obtinenda parochiali, ita ut possibilis sit casus, quod rite et recte episcopus praetulerit minus doctum maius docto, ex quo minus doctus ceteris aliis necessariis polleret qualitatibus pro regimine animarum, ut in puncto, perpensa praxi, de qua nunc agitur, ponderat Card. *de Luca* de parochis disc. 6. n. 3 et seqq.

§. 14. Quocirca dicunt doctores, quod haec provocatio ad novum examen etiam subsecuto favorabili effectu, quod appellans scilicet remaneat approbatus et etiam qualificatus tanquam magis doctus, nullatenus ei sufficiat pro obtinenda parochiali, sed tantum ad avertendam notam et infamiam reprobationis aut approbationis in secundo gradu reportatae in primo examine episcopali, uti ponderat *Ventrigl.* l. c. P. II. annot. 5. §. 2. n. 48. et sequitur *Rota* dec. 10. sub n. 9. post *Monacell.* T. IV.

§ 15. Quoad decorem episcopalem animadvertitur, quod provocans ad novum examen et obtinens approbationem in secundo et ulterioribus examinibus ut plurimum parochialem consequitur et a tribunalibus Urbis respondetur, quod *constat de irrationabili iudicio episcopi*, ita ut parochia sit provocanti conferenda. Responsio autem, quod constat de irrationabili iudicio episcopi, praeiudicium affert decori episcopali, et quidem, ut aliqui dicunt, sine fundamento et ratione; deberet etenim de irrationabilitate constare ex actis concursus habiti coram episcopo et non ex novo examine, quia, sicuti possibile est, ut aliquis male responderit in concursu habito coram episcopo et bene respondeat in concursu, qui fit coram iudice appellationis, sic possibile est, quod rationabile fuerit episcopi iudicium, non obstante approbatione a provocante reportata in secundo examine, in quo rerum themate nemo non videt sine fundamento et sine ratione et cum dedecore episcopalis dignitatis saepius responderi, quod *constat de irrationabili episcopi iudicio;* eoque fortius, quod sive ex industria sive ex accidenti magnum ut plurimum intercedit tempus inter examen episcopi et examen coram iudice appellationis, quo tempore intermedio reprobatus discere potest, et experientia teste habetur, quod reprobati discunt, edocti videlicet et praesertim in Urbe ab aliquo viro peritiam habente theologiae moralis et casuum, uti dicunt, conscientiae.

§. 16. Quoad damnum denique et praeiudicium ecclesiarum parochialium et parochianorum, de illo dicitur non esse dubitandum, quia, postquam electus in concursu possessionem obtinuit ecclesiae parochialis, si provocetur ad novum examen, debet a parochia discedere, debet accedere ad iudicem appellationis et ut plurimum ad Urbem, debet de necessitate non recedere ab Urbe nec a loco iudicii quoad usque fuerit completum iudicium novi examinis, quod ex supradictis tres et quatuor instantias admittit, qua in re an contineatur nec ne damnum ecclesiarum parochialium et parochianorum, unusquisque facile colligere poterit tum ex lege residentiae impositae parochis pro beneficio suarum ecclesiarum et parochianorum, tum ex sacris canonibus, qui diutinae ecclesiarum adversantur vacationi propter damnum, quod in illas et earum parochianos derivat ex intermedia residentia oeconomorum et vicecuratorum.

§. 17. Post expositam iuris dispositionem in materia harum appellationum, nec non praxim tam huius S. Congregationis quam tribunalis Rotae, nec non inconvenientium et praeiudiciorum, quae ex dicta praxi derivare dicuntur, nihil aliud superest, quam proponere remedia, quae parari posse videntur adversus allegata inconvenientia et praeiudicia.

§. 18. Ad rem itaque descendendo praemittere opus est, quod plures in Urbe fiunt concursus; non solum etenim fiunt pro ecclesiis parochialibus Urbis, sed etiam pro parochialibus, quae vacant in patria obedientia, nec non pro omnibus aliis ecclesiis parochialibus, in quibus admittitur provocatio ad novum examen.

§. 19. Ante tempus s. m. Innocentii XI. proponebantur examinatoribus oretenus nonnulli casus theologiae moralis, et concurrentes respondebant oretenus et non in scriptis, et non iidem casus omnibus concurrentibus proponebantur, sed aliqui casus uni, alii alteri. Cumque frequentes reclamationes audirentur, unus enim ex concurrentibus asserebat, sibi propositos fuisse casus difficiliores et alterum fuisse de facilioribus interrogatum, quodque notabilius est, cum in magna concurrentium multitudine et quidem respondentium non in scriptis sed in voce, difficile admodum esset, quod examinatores tutum de uniuscuiusque litteratura possent efformare iudicium, de ordine s. m. Innocentii XI. introducta fuit praxis in tribunali Emin. Vicarii Urbis, quod eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponerentur, quod omnes concurrentes intra tempus ipsis assignatum responderent, non voce, sed scriptis parvam exararent concionem super textu evangelii ipsis assignato, exclusa temporibus recentioribus consuetudine explicandi Concilium Trid., cum ex responsionibus, quae lingua latina a concurrentibus dantur respondendo in scriptis ad quaesita proposita, bene dignoscatur, an calleant linguam latinam, et sic, an habeant capacitatem intelligendi et explicandi Concilium Tridentinum. Et methodus haec, quod eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponantur et quod ipsi in scriptis respondeant, exigitur a Dataria apostolica, quando vacat aliqua dignitas maior in collegiata aut cathedrali ecclesia, cui sit annexa cura animarum, de qua olim disputabatur, an esset nec ne conferenda per concursum iuxta late deducta per *Fagnan.* in c. *Cum sit ars* n. 10., de aetate et qualit Sanctissimus etenim Dominus noster voluit atque decrevit, quod occurrente vacatione alicuius maioris dignitatis in cathedrali aut collegiata ecclesia, cui sit annexa cura animarum, epistola scribatur ab Emin. Prodatario ad ordinarium loci, ut concursum indicat, et quod deinde transmittat acta concursus, et methodus denique proponendi eadem quaesita omnibus, et exigendi responsionem in scriptis in pluribus viget dioecesibus, sed non in omnibus; Bononiae etenim et Perusiae examen adhuc fit oretenus et concurrentes non respondent in scriptis.

§. 20. Praemittendum est etiam, quod in tantum fuit admissa provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum, cum concurrentes non responderent in scriptis, non poterat ex actis primi concursus gravamen desumi, et sic nullus alius supererat modus inquirendi, an ille, qui fuerat in primo examine reprobatus, rite et recte fuisset reprobatus, quam novum examen decernendo, in quo rerum themate probatio gravaminis ante examen non videbatur quod exigi posset, iuxta censuram textus in cap. *Si forte* de electione in VIto (c. 11. de elect. I. 6. in VIto), et in terminis, quod provocatio ad novum examen admittatur absque ulla probatione gravaminis, ex quo gravamen ex actis primae instantiae desumi non potest, firmat *Pax Iordan.* lucubr. l. X. tit. 8. n. 227., *Lotter.* de re benef. l. II. qu. 31. n. 155., *Garzias* l. c. P. IX. c. 2. sub n. 250., *Gonzal.* ad regul. 8. Cancell. gloss. 4. n. 144., et quod in tantum admittatur provocatio ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum ex actis primi concursus non habeantur

interrogationes et responsiones, firmat *Rota* cor. *Lodovis.* dec. 538. n. 3. ibi: « Ad docendum autem de gravamine est locus novo examini, qui est modus attendendi iniquitatem et iniustitiam examinatorum, quod tanto magis procedit in casu isto, in quo non fuerunt descriptae interrogationes et responsiones aut saltem non fuerunt transmissae et productae, ita ut, cum ex ipsis apparere non possit de gravamine, si aliunde doceri non posset, inanis esset facultas appellandi, « et sequitur *Rota* dec. 5. n. 11. cor. *Celso* ibi: » et in hanc partem eo magis inclinarunt Domini, quia in actis dicti concursus ad curam transportatis non appareret registratum integrum examen ad effectum, ut dignosci possit, quis sit iudicandus magis idoneus, » et conferunt ea, quae referuntur apud auctores, et habentur in momentis, in quibus aliquid de hisce concursibus statuitur aut respective refertur, cum apud *Fagnan.* in c. *Eam te* sub n. 48. de aetat. et qualit. habeatur, quod in dioecesi Pistoriensi non aderat consuetudo scribendi interrogationes examinatorum et responsiones concurrentium, cum in actis etiam ecclesiae Mediolanensis pluries sermo fiat de examinibus faciendis ad tramites Concilii Trident. pro conferendis parochialibus ecclesiis, scilicet par. 1. pag. 14. p. 120. p. 215. §. *Tum periculum fiat*, nec ullibi mentio fiat de conscribendis interrogationibus et responsionibus, cum ulterius in archiepiscopali Bononiensi edito a d. mem. Card. *Gabriele Paleotto* P. IV. tit. de ratione examinandi, expresse supponatur, quod interrogationes fiant oretenus et responsiones edantur consimili modo: « illud tamen nostra synodus observandum esse ducit, ut cum plures se obtulerint examinandos, illi, qui prius nomina dederunt, primi ad examen admittantur, aut, si ita expediat, omnes simul, coram examinatoribus convocentur, ut de unoquoque coram omnibus periculum fiat, ac si ex re magis videatur, licet singulis examinatoribus aliquid interrogare, ea semper ratione servata, ut inter examinandos quanta fieri poterit aequalitas observetur, et super eadem re et per easdem interrogationes singuli examinentur, ut omnis collusio sive praecedens instructio amoveatur sub periurii periculo; » cumque tandem ex actis concursuum, qui conservantur in archivio S. Congregationis, et loquendo praesertim de actis antiquioribus desumatur interrogationes et responsiones oretenus factas fuisse, hoc solo intercedente discrimine, quod in nonnullis actis solum legitur Titium e. g. fuisse ab examinatoribus approbatum et Caium fuisse reprobatum, et in aliis interrogationes habentur per extensum et responsiones, sed scriptae a cancellario, qui eas excepit ex ore interrogantium et respondentium, quique per consequens conscribendo modo praedicto interrogationes et responsiones uni ex concurrentibus auxilium et alteri praeiudicium afferre potest, vel ex industria, quod non est concedendum, vel ex accidenti.

§. 21. Supposito, quod concursus, qui fiunt in Urbe, quique ad Datariam apostolicam transmittuntur, sint taliter confecti, ut eaedem interrogationes fiant omnibus concurrentibus, et quod responsiones scriptae sint proprio uniuscuiusque concurrentis charactere, videtur, quod praecipiendo, quod omnes concursus fiant praedicto modo, quod statuendo tempus, intra quod ille, qui fuit in concursu reiectus, debeat appellare; decernendo ulterius, quod provocans ad novum examen gravamen ostendat ex actis primi concursus, antequam novum examen decernatur; gravamen etenim, si vere adest, potest ictu oculi ostendi ab appellante ex dictis actis primi concursus, in quibus, uti supponitur, tam suae quam aliorum responsiones continentur et quidem uniuscuiusque charactere conscriptae; et demum iubendo, ut appellans non ex gravamine in litteratura, sed ex aliarum suarum qualitatum praeponderantia ostendat, si potest, gravamen aut ex actis concursus aut aliunde et per documenta etiam extraiudicialia, antequam appellatio admittatur; videtur, inquam, quod omnia praeiudicia cessent et inconvenientia, nihil quoque fiat adversus Concilium Tridentinum aut bullam Pianam nec adversus sensum S. Congregationis aut Rotae.

§. 22. Quod autem omnia praedicta demandando cessent praeiudicia et inconvenientia, patet; quia si praesumptio est pro episcopi iudicio quoad usque contrarium doceatur, id totum verificatur in hypotesi, de qua nunc agitur, cum nec provocatio ad novum examen, nec appellatio admittantur nisi docto de gravamine. Rursus, si inconveniens reputatur, quod sine fundamento et ratione respondeatur, *quod constat de irrationabili iudicio episcopi*, ex quo episcopus potuit rationabiliter existimare, quod aliquis in examine coram se peracto esset reprobandus, qui deinde in successivis examinibus approbationem meretur, absurdum hoc nullum sibi potest locum vindicare in eo rerum statu, de quo nunc agitur, cum in ipso irrationabilitas praelationis in eo, quod attinet ad litteraturam, magna ex parte desumatur ab examine

peracto coram eodem ordinario. Denique si parochorum absentia magnum tum ecclesiis tum parochianis affert detrimentum: non erit absentia ita frequens, non solum quia frequentia cessabit ex temporis praefinitione ad interponendam appellationem, sed quod magis est, quia imposita lege de probando gravamine ex actis primi concursus, antequam admittatur provocatio ad novum examen, non erunt provocationes adeo frequentes et sic adeo frequens non erit absentia, quae ortum habet a provocatione ad novum examen.

—

§. 23. Quod item praedicta omnia demandando nihil committatur adversus Concil. Trident. aut bullam Pianam, dignoscitur, quia appellatio a mala relatione examinatorum nec non ab irrationabili iudicio episcopi, de quibus in Concilio Tridentino et respective in bulla Piana, praeservatur, et ad eam tantum regulandam nonnullae adduntur conditiones, ut appellatio rite et recte admittatur.

—

§. 24. Ultimo, quod nihil per methodum insinuatam inducatur contra sensum huius S. Congregationis et tribunalis Rotae, ponitur in claris, cum in tantum in praeteritis fuerit dictum, esse locum provocationi ad novum examen absque ulla probatione gravaminis, in quantum gravamen ex actis primi concursus desumi non poterat, nec alius aderat modus ostendendi gravamen quam per novum examen, quae ratio nullum amplius sibi vindicat locum, quando taliter acta primi concursus conficiuntur, ut ex illis gravamen valeat desumi. Ad quod assumptum comprobandum mirifice confert, quod Sac. haec Congregatio, licet in resolutionibus et decretis indictis et aliis, quae possent indicari, videatur, quod fuerit in sensu admittendi appellationem et provocationem ad novum examen absque ulla praevia probatione gravaminis, de fumo tamen gravaminis seu irrationabilitatis iudicii episcopalis voluit aliquando gustare ante appellationis admissionem teste *Fagnan.* in cap. *Eam te* 39. de aet. et qualit. ibi: « ceterum, etsi ad obtinendum novum examen in iudicio appellationis non sit necesse, ut prius constet de irrationabili iudicio, ut ex praedictis liquet, nihilominus Sac. Congregatio consuevit novum examen decernere dato aliquo fumo irrationabilitatis et malae praeelectionis episcopi » etc., et rursus post expositum casum appellationis interpositae ex praeponderantia qualitatum et ex nimia erga approbatum examinatorum familiaritate et benevolentia, subdit: « Sac. Congregatio censuit concursum novum in Urbe esse instituendum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, id est postquam per attestationes extraiudiciales vel alia informia documenta de huiusmodi suspicione et gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis et sufficiens causa eum excuset a calumnia. »

—

Atque haec dicta sunt sub censura, salvo semper etc. »

29. Ut in causis, quae in Congregatione pendebant, facilius responsio posset dari, dubia sequentia in abstracto poni iussit S. C.:

I. An in concursibus, qui in posterum fient occasione vacationis ecclesiarum parochialium, praecipiendum sit, ut eadem omnino quaesita omnibus concurrentibus proponantur, et quod unusquisque ex concurrentibus intra congruum tempus assignandum debeat in scriptis satisfacere quaesitis propositis, et an ulterius praecipiendum sit, ut unusquisque ex concurrentibus sermonem scribat super textu evangelii omnibus concurrentibus assignando?

II. An et quantum tempus praefigendum sit illis, qui intendunt appellationem interponere vel a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio episcopi?

—

III. An ante concessionem novi examinis appellans a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio episcopi in eo quod attinet ad litteraturam, debeat in posterum docere de gravamine ex actis primi concursus, in quo tam suae quam concurrentium responsiones proprio charactere una cum concionibus conscriptae inveniantur?

IV. An ante appellationis admissionem appellans ab irrationabili iudicio episcopi non ex capite litteraturae sed aliarum qualitatum tencatur docere de gravamine ex actis primi concursus aut ex aliis documentis saltem extraiudicialibus ab ipso exhibendis?

—

Sac. Congr. respondit: « Ad I. *affirmative* per modum instructionis. Ad II. esse praefigendum tempus decem dierum ad appellandum. Ad III. *affirmative* et doceatur de gravamine vel ex actibus originalibus concursus vel ex copia authentica collationis ad formam iuris. Ad IV. *affirmative* ». *Dubia concursuum* 16. Nov. 1720.

C. XIX. *Mandata de providendo ; exspectativae et alia id genus antiquantur.*

Decernit sancta synodus, mandata de providendo et gratias, quae exspectativae dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatoribus et aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere [x]). Sed nec reservationes mentales, nec aliae quaecunque gratiae ad vacatura, nec indulta ad alienas ecclesias vel monasteria alicui, etiam ex sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, concedantur, et hactenus concessa abrogata esse censeantur.

[x]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9.— tot. tit. X. de conc. praeb. non vac. III. 8., in VIto (III. 8.), in Clem. (III. 3.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Innocentius XIII. P. M., ut ecclesiae cathedr. Veliternae aere alieno gravatae auxilium ferret, suspensionem ei collationis canonicatus primo vacaturi concessit. Cum vero cultus divini propter canonicorum paucitatem inde diminutio facta esset, facultas conferendi canonicatum sine participatione fructuum et distributionum, ut dictum est, applicatorum, *cum conditione tamen, quod taliter provisus obtinere debeat canonicatum primo vacaturum*, petebatur. Verum S. C. his precibus non esse annuendum censuit, sed concedendum esse ordinario facultatem conferendi praedictum canonicatum *sine enunciata conditione*, emissa tamen valida obligatione de residendo et inserviendo ecclesiae ad formam suae obligationis. *Velitern.* 23. Aug. 1727.

—

2. Dubio prop.: « An iis, quibus episcopus antecessor contulit canonicatus praebenda (propter redituum diminutionem) carentes in ecclesiis collegiatis, teneatur hodiernus episcopus conferre praebendas vacaturas, vel potius libere eas possit conferre aliis? « resp. fuit: *negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam. *Eystetten.* 1. Dec. 1731.

C. XX. *Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes praescribitur.*

Causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motae litis terminentur; alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant et quam primum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avocentur, neque appellationes ab eisdem interpositae per superiores quoscunque recipiantur, eorumve commissio aut inhibitio fiat, nisi a definitiva vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causae, quae iuxta canonicas sanctiones apud sedem apostolicam sunt tractandae [y]), vel quas ex urgenti rationabilique causa iudicaverit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturae sanctitatis suae manu propria subscribendum committere aut avocare. Ad haec causae matrimoniales et criminales non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur (etiam si in praesenti inter episcopum et decanum seu archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat), coram quo, si pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra provinciam nec in secunda nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera et alimenta et expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, nuncii, gubernatores ecclesiastici aut alii, quarumcunque facultatum vigore non solum episcopos in prae-

dictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis praeripere aut turbare non praesumant, sed nec etiam contra clericos aliasve personas ecclesiasticas, nisi episcopo prius requisito, eoque negligente, procedant. Alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. Praeterea, si quis in casibus a iure [2]) permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quae translata sunt, expensas pro portione sua, si illis uti voluerit, subire, nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius congrua mercede accepta appellanti quanto citius et ad minus intra mensem exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio ordinarii suspendatur, et ad dupli poenam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem et pauperes loci distribuendam compellatur. Iudex vero, si et ipse impedimenti huius conscius particepsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur, ad eandem dupli poenam, prout supra, teneatur; non obstantibus quoad omnia suprascripta privilegiis, indultis, concordiis, quae suos tantum teneant auctores, et aliis quibuscunque consuetudinibus.

[1]) cf. e gr. c. 4. conc. Sard. (c. 7. C. VI. qu. 4.) — Sess. XXV. de ref. c. 10. — [2]) cf. tot. tit X. de appell. II. 28., in VIto II. 15., in Clem. II. 12.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Cum quaesitum esset, an de consensu episcopi posset causa (civilis contra clericum) in prima instantia in Curia introduci, nisi partes ambae consentiant, non obstante c. 20. Sess. XXIV. de ref.? S. C. censuit, causam de episcopi consensu non posse in prima instantia in Curia introduci, nisi partes etiam consenserint, d. 4. Aug. 1691. Ex l. XII p. 22. Decr. rel. a *Bened.* XIV. Instit. XL.

2. Interrogante episcopo Civitatis Castelli, an servanda sit consuetudo, qua adversus cognitissimam civilis et pontificii iuris regulam « Actor sequitur forum rei », laici conventi a clericis actoribus ad ecclesiasticum tribunal traherentur? S. C. resp.d.26. Ian. 1625.: « eiusmodi supposita laudabili consuetudine laicos utique posse ac debere ad forum ecclesiasticum trahi. » Relat. in *Civit. Castelli iurisdictionis* 2. Aug. 1749.

—

3. « Cum a Sacra hac Congr. declaratum fuerit, episcopum Atrebatensem posse ecclesiam suam cathedralem eiusque personas ac capitulum visitare et extra visitationem causas criminales capitularium una cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere ac definire, non obstantibus asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, sententiis et praescriptionibus vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, quaeritur ad quem spectet cognitio causarum ceterorum clericorum civitatis et dioecesis Atrebatensis? Die 26. Mai. 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit, eiusmodi cognitionem ad solum episcopum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, pertinere. Quodsi id ius ex immemorabili consuetudine capitulo competat, eam consuetudinem non quidem a Concilio esse sublatam decreto c. 20. Sess. XXIV.; verum donec capitulum illam legitime probaverit, per tres sententias conformes, vel unicam, quae in rem iudicatam transierit, eiusmodi causas ab episcopo tantum esse cognoscendas. *R. Cardinalis Ubaldinus.* » Conf. ab Urbano VIII. 30. Ian. 1624. (Bull. Rom. T. V. P. 5. p. 188.)

Eodem die sequentes declarationes, ad decidendas de iurisdictione episcopi Atreb.

quaestiones a S. Congr. emissae a S. P. Urbano VIII. sunt confirmatae :

a. Supplicatur ab hac S. Congr. declarari, an episcopo, num vero capitulo competat ius et facultas approbandi confessarios ad confessiones audiendas atque licentiam concedendi regularibus, qui in ecclesiis non suorum ordinum sacras conciones sunt habituri, nec non benedictionem iis, qui in suorum ordinum ecclesiis praedicare voluerint? Die 27. Mai. 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit, eiusmodi facultatem soli episcopo competere ».

b. Quaeritur, an capitulum vel decanus Atrebaten. possit sibi casus reservare et a casibus episcopo reservatis absolvere, nec non litteras dimissorias concedere? Die 27. Maii 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit, non posse. *R. Cardinalis Ubaldinus.*

c. An indulgentiae tam in cathedrali ecclesia quam extra eam in dioecesi Atrebaten. sint publicandae ab episcopo, an vero a capitulo? Die 27. Maii 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit, indulgentias ab episcopo adhibitis duobus de capitulo esse publicandas. *R. Cardinalis Ubaldinus.*

d. Supplicatur ab hac S. Congr. declarari, an decanus vel capitulum Atrebaten. possit synodum celebrare et concursus parochialium ecclesiarum, etiamsi de iure patronatus capituli fuerint, instituere? Die 27. Maii 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit, non posse, sed utrumque munus ad episcopum pertinere. *R. Cardinalis Ubaldinus.*

—

4. Propositis dubiis :

I. An Rever. nuncius apost. apud Helvetios possit concedere facultatem audiendi confessiones personarum saecularium vel etiam regularium, immo et monialium in dioec. Comensi sine licentia et approbatione ordinarii loci?

II. An idem Rever. nuncius sacerdotibus non approbatis ab ordinario ad audiendas confessiones concedere possit facultatem absolvendi in foro interno ab haeresi, censuris etc.?

III. An possit concedere facultatem generalem absolvendi a casibus ordinario reservatis? et quatenus affirmative :

IV. An expediat adhiberi aliquod moderamen in huiusmodi facultatum communicatione tam circa numerum, quam circa qualitates personales eorum, quibus conferuntur?

V. An possit concedere suis commissariis subditis dioec. Comen. facultatem eligendi sibi confessarium etiam non approbatum ab ordinario?

VI. An possit concedere licentiam retinendi et legendi libros haereticorum seu alios quomodolibet prohibitos?

VII. An commissarii nunciaturae accedere possint ad monasteria monialium easque alioquin etiam citra necessitatem officii absque licentia ordinarii?

VIII. An iidem commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi moniales absque licentia ordinarii?

IX. An dicti commissarii obligati ad residentiam ratione canonicatus vel alterius beneficii possint ab illa abesse pro negotiis commissariatus et nihilominus lucrari distributiones aliaque omnia emolumenta, tanquam si essent praesentes?

X. An idem Rever. nuncius concedere possit dictis commissariis licentiam retinendi famulas quamvis non annosas cum derogatione quarumlibet ordinationum per ordinarios locorum quomodolibet factarum?

XI. An concedere possit facultatem exorcizandi independenter ab ordinario?

XII. An iidem commissarii concedere possint licentiam laborandi in diebus festis?

XIII. An iidem commissarii punire possint etiam in prima instantia festorum violatores, blasphematores aliosque contra Dei et S. matris ecclesiae praecepta temere agentes?

S. C. resp.: Ad I. *negative*. Ad II. *negative*. Ad III. *negative*. Ad IV. Satis provisum in superiori. Ad V. *negative*. Ad VI. ad S. Congr. Officii. Ad VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. *negative* ut in l. LVII. Decr. p. 69. *Comen.* 26. Febr. 1707.

C. XXI. *Declaratur, ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in generalibus conciliis.*

Cupiens sancta synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa, posita in decreto publicato

sessione prima sub beatissimo domino nostro Pio IV. [1]), videlicet: *Quae proponentibus legatis ac praesidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, ecclesiae veram et Christianam pacem conciliandam, apta et idonea ipsi sanctae synodo videbuntur*, explicando declarat, mentis suae non fuisse, ut ex praedictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quicquam, praeter id, quod a sacris canonibus vel generalium synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur.

[1]) cf. Sess. XVII. in princ.

Indictio futurae sessionis.

Insuper eadem sacrosancta synodus proximam futuram sessionem feria quinta post conceptionem beatae Mariae Virginis, quae erit dies nona mensis Decembris proxime venturi, habendam esse statuit et decernit, cum potestate etiam abbreviandi. In qua sessione tractabitur de sexto nunc in eam dilato capite, et de reliquis reformationis capitibus iam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, et tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in congregationibus proponentur.

Abbreviata est dies sessionis.

SESSIO XXV.

QUAE EST NONA ET ULTIMA

SUB PIO IV. PONT. MAX.

COEPTA DIE III.,

ABSOLUTA DIE IV. DECEMBRIS MDLXIII.

DECRETUM DE PURGATORIO.

Cum catholica ecclesia, Spiritu sancto edocta ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis et novissime in hac oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse [1]), animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris conciliis traditam [2]) a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt [3]), et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi [4]), ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta pie et devote fiant,

et quae pro aliis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus, et ecclesiae ministris, et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

[1]) cf. Sess. VI. can. 30., Sess. XXII. de sacrif. miss. c. 2. et can. 3. — [2]) cf. Greg. Dial. IV. 39. (c. 4. D. XXV.), lib. de poen. qui dic. Augustini c. 18. (c. 5. ib.), conc. Florentin. circa fin. — [3]) 1. Tim. I. 4. — [4]) cf. Sess. XXV. de ref. c. 4.

DE INVOCATIONE, VENERATIONE ET RELIQUIIS SANCTORUM, ET SACRIS IMAGINIBUS.

Mandat sancta synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae ecclesiae usum a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum [1]) Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui negant, sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi [2]), vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti [3]), ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse [4]), per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat ecclesia. Imagines porro Christi, deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant [5]): sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae synodi [6]) decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque

suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit: anathema sit. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta synodus vehementer cupit, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes sacrae scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione [7]), reliquiarum veneratione et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur, et sanctorum celebratione ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur [8]), quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo tanta circa haec diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo [9]). Haec ut fidelius observentur, statuit sancta synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula [10]), nec novas reliquias recipiendas [11]), nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui, simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris ea faciat, quae veritati et pietati consentanea iudicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat, episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice novum aut in ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

[5]) cf. Sess. XXII. de sacr. miss. c. 3. — [6]) 1. Tim. II. 5. — [8]) 1. Cor. III. 16. VI. 19., 2. Cor. VI. 16. — [4]) cf. conc. Nic. II. c. 7. — [5]) Psalm. CXXXIV. 18. — [6]) act. 3. 4. 6. — [7]) cf. c. ult. X. de reliq. et ven. sanct. III. 45. (Innoc. III.) — [8]) cf. c. 2. D. III. de cons. (conc. Tol. III.) — [9]) Psalm. XCII. 5. — [10]) cf. c. 1. h. t. (Alex. III.) — [11]) cf. cit. c. 2. X. de reliqu.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

Ad dubium: (XVI.) An liceat regularibus eucharistiam in propriis ecclesiis exponere sine licentia ordinarii, liceatque pariter regularibus et praesertim Benedictinis et Cisterciensibus in propriis ecclesiis *insolitam imaginem aut sacram reliquiam* ab ordinario approbatam exponere, et tandem in iisdem ecclesiis praedicare non petita ab ordinario benedictione aut in aliis ecclesiis sine ordinarii licentia? S. C. rescr. *negative* in *Olomucen.* 7. Iun. 1755., quod decretum cum reliquis in ecclesias quoque *Colonien.*, *Monasterien.*, *Hildesheimen.*, *Paderbornen.* et *Osnabrugensem* a Clemente XI. die 11. Dec. 1758. extensum est. (Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.)

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

Eadem sacrosancta synodus, reformationem prosequens, ea, quae sequuntur, statuenda esse censuit.

C. I. *Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant; id ut fiat superiores sedulo curent.*

Quoniam non ignorat sancta synodus, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant, atque in primis quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae [1]), paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus et provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est.

[1]) cf. c. 1. de V. S. in Clem. V. 11. (Clem. V.)

C. II. *Proprietas regularibus omnino prohibetur.*

Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria [1]) aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amovibiles pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur.

[1]) cf. 11. (Aug.) c. 13. (Iul. Pom.) C. XII. qu. 1., c. 2. X. de statu monach. III. 35. (conc. Lat. III.), c. 6. ib. (Innoc. III.)

C. III. *Omnia monasteria, quae hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia. Numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus. Nulla sine licentia episcopi erigenda.*

Concedit sancta synodus omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci [1]), Capucinorum et eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex praedictis, quibus auctoritate apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In praedictis autem monasteriis et domibus tam virorum quam mulie-

rum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur [2]) ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari; nec de cetero similia loca erigantur sine episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

[1]) cf. Clem. cit. ad c. 1. n. 1. — [2]) cf. c. 1. X. de vit. et hon. cler. III. 1. (Gregor. VIII.), c. 1. X. de instit. III. 7. (conc. Arel. VI.), c. un. de stat. regul. in VIto III. 16. (Bonif. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(Ad c. 2. et 3.)

1. S. C. resp.: regularibus sive viris, sive mulieribus non licere quidpiam proprium possidere, sed quicquid acquisiverint, et ex donatione, eleemosyna, a parentibus vel aliunde obtinuerint, recta ad manum superioris esse deferendum, qui prius prospicere debebit necessitatibus illius, cuius opera vel contemplatione partum fuerit, et reliqua in totius monasterii usum convertere. *Vallisolet.* 1601. l. X. Decr. p. 11. Eodem modo censuerat ann. 1586. l. IV. Decr. p. 114. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII 12.

2. « Anno 1627. Podamia Marinangeli reliquit patribus S. Francisci Minor. Observ. Murri Vallium suam domum cum onere trium officiorum singulis annis, et anno 1634. domus vendita fuit a syndico apostolico pretio scutorum 50., quae fuerunt erogata in emptionem tunicarum et aliarum rerum usualium, et oneris obligatio fuit adnotata in libris conventus, ne eius memoria periret.

Anno quoque 1627. Franc. Bullus reliquit iisdem fratribus quatuor annuos florenos solvendos a Bernardina sua herede, cum onere quatuor officiorum pro anima sua; cumque Bernardina unica vice tradiderit fratribus vinum valoris scut. 25., universalem et plenariam quietantiam reportavit et saepe mem. fratres se et suos successores in perpetuum obligarunt ad celebrationem dd. quatuor officiorum.

Anno 1614. Bradamantes Tancredi huic eidem conventui reliquit scuta 90. cum onere duorum officiorum quolibet anno, demandata syndico apostolico administratione nedum sortis sed etiam fructuum, et anno 1618. capitale hoc fuit erogatum in emptionem cuiusdam petii terrae, quod est in clausuram redactum.

Anno 1677. Ludovico Moretti legavit syndico pro tempore huius conventus scuta 50., quae erant in censu investita, ut cum fructibus annuatim reparari possit laquearе ecclesiae, onere fratribus iniuncto celebrandi tot missas ad ratam fructuum ad rationem unius iulii pro qualibet.

Ab hisce quatuor legatis oritur praesentis disputationis occasio, an scilicet religiosi S. Franc. Min. Observ. teneantur vel non teneantur adimplere onera missarum relicta a P. et F. et rursus, an retinere valeant petium terrae emptum cum pecuniis B., et ad quae onera teneantur, et an pariter retinere valeant legatum relictum a L., uti colligitur ex tenore dubiorum infra referendo.

Quoad legata annua hisce fratribus relicta adiecto onere celebrationis missarum, certum videtur esse, eos non esse similium legatorum capaces iuxta resolutiones editas in particulari congregatione tempore Urbani VIII. relatas ap. *Fagnan.* in cap. *Nimis prava* et signanter n. 40. et 53. de excessib. praelat.

Et multo magis quando, prout hic, legatum fratribus fuit relictum cum onere missarum, ad differentiam casus, in quo gravati fuissent heredes ad faciendum celebrare a dictis fratribus missas, in quibus terminis procedunt resolutiones huius Sac. Congr. in *Aprutina legati* 29. Febr. 1677., in *Isernien. legati* 10. Iun. 1684. et in *Brundusina adimplementi* 26. Aug. 1719.

Et cum his theoricis procedendo videtur, fratres S. Francisci esse absolvendos ab onere missarum relictarum tam a Pod. quam a Franc., et eo fortius, cum ultra incapacitatem in ordine ad praedicta legata adsit circumstantia, quod legatorum capitalia iam fuerunt distracta et in usus quotidianos fratrum conversa.

Transeundo ad legatum Brad. idem videtur de eo ferendum esse iudicium ac de aliis mox memoratis, cum hoc etiam legatum sit annexum cum onere celebrationis missarum, cuius, uti dictum est, fratres sunt incapaces. At cum huius legati capitale fuerit impensum in emptionem cuiusdam petii terrae silvatae, quae modo est redacta in clausuram, quae silva intra clausuram non adversatur, sed consona est ipsorum constitutionibus iuxta text. in Clement. *Exivi* de verb. signif., fratrum intentio in hoc consistit, non ut se eximant in totum

ab onere huius legati, cuius commodum pedibus calcant, sed ut reductionem consequantur arbitrio EE. VV., ex quo petium terrae incultum penitus remanet, ita ut in eo existant nonnullae tantum arbores infructiferae.

Tandem loquendo de legato relicto a Lud. Mor. videtur, quod fratres possint esse eiusdem capaces, cum valeat legatum annui reditus factum fabricae, sacristiae vel ecclesiae horum fratrum, dummodo non adsit excessus in quantitate et dummodo ea non a fratribus, sed a syndico duntaxat apost. exigantur, iuxta resolut. Congr. tempore Urbani VIII. apud. *Fagnan.* in cap. cit. n. 48. et 52., et solus qui superest in hoc legato scrupulus in hoc consistit, quod illud non est simplex, sed cum onere celebrationis missarum, et fratres iuxta dicta sunt incapaces annuorum legatorum, quae fiunt cum onere praedicto.

Instantia haec fuit proposita die 3. Sept. 1718. inter summaria precum, et dictum fuit, quod describeretur in folio. Tunc autem nonnulli ex EE. PP. dixerunt sibi durum videri, quod fratres suas contemnant constitutiones, quando agitur de recipiendis legatis et de illis in commoditatem propriam convertendis, et quod easdem constitutiones laudare velint et magnificare, quando agitur de se eximendo ab oneribus, quae fuerunt a testatoribus imposita et ab ipsis acceptata. Alii vero dixerunt, non potuisse a fratribus prima potissimum duo legata acceptari, nec fratres potuisse eorum proprietatem vendere et in suos usus convertere, sed haec non fuisse a fratribus, qui modo instant, peracta sed a suis praedecessoribus, quorum factum non debet successoribus praeiudicare.

His stantibus quaeritur:

I. An religiosi S. Franc. Min. Observ. Murri Vallium sint absolvendi ab onere missarum pro legatis relictis a qq. Pod. Mar. et Franc. Bull.?

II. An liceat dictis religiosis retinere petium terrae emptum cum pecuniis legatis a quondam Brad. T. et ad quae onera ipsi teneantur?

III. An eisdem liceat retinere legatum a quondam Lud. Moretti?

S. Congr. respondit: « Ad I. *affirmative.* et certiorentur ministri fabricae et ad D. Secretarium, qui insinuet patribus, ut faciant commemorationem aliquando in anno pro animabus defunctorum. Ad II. *affirmative* iniuncto onere duarum missarum cantatarum quolibet anno, facto tamen verbo cum Sanctissimo. Ad III. iterum proponatur. *Firmana* 11. Ian. et 31. Maii 1721.

In hac igitur Congr. fuerunt resoluta prima duo huiusce causae dubia, quae pertinebant ad legata relicta a Pod. Mar., a Franc. B. et a Brad. T.; cumque nulla capta fuerit resolutio quoad legatum relictum a L. M., remanet, ut de hoc in Congr. rursus pertractetur.

Quocirca praemisso, quod dictus L. M. die 18. Iun. 1677. seq. verbis disposuit, «item per salute dell'anima sua lascia e comanda, che subito seguita la sua morte senza alcuna contradizione degli eredi possa il sindico pro tempore del convento di S. Francesco di Morro di Valle ed abbia ad entrare in possesso delli scudi cinquanta, che tengono a censo Francesco del Cucale e suo fratello, acciò li frutti di esso abbino a servire perpetuis futuris temporibus per la fabbrica della chiesa e principalmente per il cappellone e cupola dell'altare maggiore, che possa il detto Sig. Sindico farlo rivedere ogni anno e provederlo di bisognevole, ed i religiosi del detto convento siano tenuti ogni anno celebrare nel giorno della sua morte e ne' giorni seguenti un officio per l'anima sua nell'altare privilegiato della SS. croce con tutti i religiosi del convento, e ne' giorni seguenti, fino che si compisca il numero delle messe, che entrano ne' frutti di essi cinquanta scudi;» praemissoque ulterius, quod sicuti adhuc semper fructus fuerunt in dictam causam applicati, sic usque adhuc a fratribus continuata fuit missarum celebratio, aliqua sunt, quae urgent contra retentionem huiusmodi legati, quae praetenditur a religiosis conventus S. Franc. Murri Vallium, qui sunt de Min. Observ., et alia sunt, quae favent retentioni praedicti legati.

Initio itaque ducto ab his, quae urgent contra retentionem legati, fuit primo, quod in praed. legato continetur onus perpetuum missarum, et fratres sunt huiusmodi legati incapaces iuxta decret. Congr. a san. mem. Urbano VIII. horum fratrum negotiis praepositae, quod est impressum apud *Fagnan.* praed. Congr. Secretarium in cap. cit. n. 49. 53., in articulo etenim dictae Congreg. proposito habentur haec verba: « an fratres Min. tam de familia quam Reformati sint capaces legatorum annuorum, quae fiunt adiecto onere celebrationis missarum? » et huic articulo sic responsum fuit: « Fratres Min. tam de familia quam ex Reformatione nullatenus esse capaces legatorum annuorum, quae fiunt adiecto onere celebrationis missarum. »

Facit secundo quod in terminis legati census relicti altari sito in ecclesia patrum reformatorum cum conditione, ut syndicus

pro tempore conventus medietatem fructuum erogaret pro manutentione capellae et aliam medietatem pro celebratione missarum a fratribus facienda, nec non in terminis donationis bonorum factae syndico conventus cum pacto, quod venderentur et ex eo constitueretur capitale certam annuam summam reddens, convertendum partim in ornatum capellae, partim in emptionem lanae pro indumentis fratrum et partim in celebrationem missarum a fratribus explendam, et tandem in terminis legati ducatorum 300. cum onere reparationis ecclesiae et nonnullarum missarum, fuit ab hac S. Congr. iam resolutum, fratres S. Franc. Min. Observ. non esse horum legatorum capaces, uti videri potest in *Marianen. piarum dispos.* 6. Iul. 1709. l. LIX. Decr. p. 225., quae resolutio fuit confirmata die 15. Nov. 1710. l. LX. Decr. p. 40.; concordat resol. in *Caputaquen. legat.* 28. Nov. 1711. l. LXX. Decr. p. 550.

Facit tertio, quod, quatenus haec omnia cessarent, ex alio tamen capite semper aliquid est in legato, de quo nunc agitur, quod eius retentioni adversatur. Posito quippe, quod fructus census relicti debeant erogari in fabricae reparationem et quod usque adhuc in dictam causam fuerint erogati, missarum onus non habet fundum fructiferum, qui in oneribus perpetuis missarum adeo est necessarius, ut in decretis generalibus Urbani VIII. de celebr. miss. decernatur, quod, si ecclesiis, capitulis collegiis, hospitalibus pecunia aut mobilia relinquantur cum onere perpetuo missarum celebrandarum, pecunia relicta debeat deponi penes aedem sacram et mobilia relicta vendi debeant, et consimile fieri depositum investiendum subinde in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua mentione oneris, quod illis reperitur annexum, quemadmodum legitur in cit. decret. §. *Praeterea.*

Haec sunt quae urgent contra retentionem legati. Nunc autem transitum faciendo ad ea, quae favent retentioni, facit primo, quod versamur in legato modicae quantitatis relicto pro fabrica et per syndicum administrando, uti colligitur ex verbis supra recensitis, in quo rerum themate de fratrum capacitate non videtur esse dubitandum iuxta resol. Congr. tempore Urbani VIII., de qua apud *Fagnan.* l. c. Cum enim articulus eidem Congr. propositus esset hic: « I. an valeat legatum annui reditus factum fabricae, sacristiae vel ecclesiae fratrum Min. tam de familia quam ex reformatione? et II. an liceat fratribus huiusmodi legata in iudicio exigere per eorum procuratores vel syndicos apost.? » sic a Congr. responsum est: « Ad. I. valere legatum annui reditus factum sacristiae vel fabricae ecclesiae vel conventus fratrum Min. tam de familia quam de reformatione, nisi adsit excessus in quantitate; ad II. nec per se ipsos, nec per alios licere fratribus in iudicio exigere huius modi legata, sed syndico apost. duntaxat. »

Facit secundo, quod in tantum fratres Min. tam de familia quam reformati non sunt capaces oneris perpetui missarum, in quantum non sunt capaces annuorum legatorum, et in tantum annuorum legatorum non sunt capaces, in quantum victum et vestitum debet illis incerta mendicitas praebere ad terminos text. in c. *Religiosum* de relig. dom. in VIto. Quocirca si iuxta cit. Congr. declarationem fratres sunt capaces legati annui reditus pro fabrica ecclesiae, dummodo illud ab ipsis non exigatur sed a syndico apost., et ulterius si non obstante annuo legato pro fabrica ecclesiae fratres ab incerto pendent quoad victum et vestitum et ipsorum arctissima paupertas in suo robore permanet, hinc fit, quod sicuti fratres sunt omnino capaces legatorum, quae concernunt decorem suarum ecclesiarum et certum usum cultus divini, uti late probant *Barbosa* iur. eccl. unic. l. III. c. 27. n. 80. *Add. Burat.* dec. 756. n. 22., *Rota* cor. *Merlino* dec. 406. n. 72., et coram *Emerix* iun. dec. 1219. n. 1., dec. 1236. n. 1. sic et capaces censendi erunt eorundem legatorum, non obstante quod illis annexum sit perpetuum onus missarum; et cohaerenter ad haec die 2. Nov. 1641. fuit a Congr. fabricae S. Petri resolutum, fratres hos esse capaces legati situs pro viridario, quod eis fuit relictum cum onere unius missae qualibet hebdomada, iuxta epistolam dictae Congr. impressam apud *Piton.* discept. eccl. P. I. disc. 2. n. 142., et ap. *Matthaeucc.* in offic. curiae c. 30. n. 15., et in Schola paupertatis Tit. III. cons. 1. §. 10. n. 82., concordatque huius S. Congr. resp. in hac eadem causa in proxime praeterita sessione ad II. dubium; non nisi quia fratres sunt capaces legati situs pro viridario annexo clausurae iuxta Clem. *Exivi* de V. S., et in fortioribus, in terminis videl. legati relicti cum onere, ut certa portio panis et vini emeretur pro servitio infirmorum de Ara Coeli, et cum onere fratribus imposito celebrandi missas 200. quolibet anno, quod fratres consimilis legati sint capaces, fuit ab hac S. Congr. resolutum in *Romani legati* 2. Dec. 1673. l. XXVIII. Decr. pag. 299., procedentibus contrariis, vel quando ageretur de conspicuo et magnae quantitatis

legato, cuius etiam pars erat eroganda pro fratrum indumentis, ut in *Marianen.* supra cit., vel quando ageretur de legato dictis fratribus relicto et ab illis administrando, nulla facta syndici mentione, qui videntur esse termini allegatae in contrarium resolutionis in *Caputaquen. legat.* anni 1711.

Facit ultimo, quod onus perpetuum missarum in casu praesenti non videtur esse sine fundo fructifero; agitur enim de pecunia in censibus investita, quae quolibet anno suos reddit fructus; parum urgente quod fructus erogantur in fabricam, cum fratres eleemosynas quaerere deberent pro dicta facienda reparatione, novumqne non sit, ut religiosi se obligent ad celebrationem missarum pro annua quantitate, quae in eorum victu non erogatur, sed erogatur in aliqua re, cuius refectio et manutentio ad ipsorum pertinet conventum.

Haec sunt, quae pro utraque parte afferri possunt.

In Congr. igitur hab. hac die 21. Iun. 1721. actum fuit, an religiosi praedicti conventus S. Franc. Murri Vallium, qui sunt ex Minor. Observ., essent capaces dicti legati, et licet fuerint hinc inde deducta iura tum pro capacitate videlicet, tum pro incapacitate dictorum fratrum, nulla tamen fuit capta resolutio, sed dictum est, quod audirentur patres religionis.

In huius rescripti executionem fuit a me transmissa particula legati ad fratrem August. Matthaeuccium ordinis Minor. Observ., qui anno 1716. opus edidit super hac materia, cuius titulus est Schola Paupertatis, et ille post particulam expensam et examinatam censuit fratres esse dicti legati incapaces, tum quia ad tramites legati, si aliquid superesset post ecclesiae restaurationem, et quod plus est, si aliquibus annis non adesset ulla necessitas erogandi fructus pro fabrica ecclesiae, fratres conventus Murri Vallium essent in illis circumstantiis tuti de missarum celebrandarum eleemosyna, quod aversatur regulae, quae exposcit, ut pendeant ab incerto, ut eleemosynam tantum manualem missarum recipiant, et ut sint incapaces annuorum legatorum, quae fiunt adiecto onere celebrationis missarum, iuxta resolutionem Congregat. specialiter ab Urbano VIII. deputatae apud *Fagnan.* l. c.; — tum quia ad tramites pariter praedicti legati dominium et possessio census debent esse penes syndicum, idque obstare dicitur puritati regulae, cum in mox alleg. resolutionibus sub Urbano VIII. habeantur haec verba: « inhibemus autem, ne syndicus in sua persona huiusmodi annuos reditus percipiat distribuendos ipsis fratribus, » et S. Congr. R. Fabricae in *Aesina legati* 26. Nov. 1692. censuerit, Franciscanos Observantes, qui retinere praetendebant stabilia nomine syndici, esse dictae retentionis incapaces, quae resolutio licet loquatur de stabilibus, extendenda nihilominus est etiam ad census et annuos reditus, cum et hi veniant appellatione stabilium et immobilium iuxta text. in Clem. *Exivi* § Cumque annui redituś de V. S. quae omnia a dicto fratre Aug. Matth. nedum dicta sunt in suffragio ad me transmisso, sed etiam ab ipso edita fuerunt in cit. Schola Paupertatis Tit. III. Cons. 3. n. 4. et seqq.

Fuit etiam a me transmissa particula legati ad patrem de Monte Frontino ex familia Min. Observ. Reformat., et hic pariter censuit, fratres conventus Murri Vallium esse legati incapaces, ex quo dominium census fuit ad syndicum translatum, concludique, fratres Minores profitentes regulam S. Franc. iuxta declarationes Nicolai III. et Clementis V. esse incapaces legatorum, in quibus iidem aut ipsorum syndicus vocantur ad ius legati acquirendum non vero quoties heredi aut alteri demandatur, ut fratribus persolvat aliquam eleemosynam, modo immoderata non sit; eius quippe elargiendi potestas semper manet apud heredem, quem dare nolentem fratres in iudicio cogere non possunt.

His stantibus quaeritur.

An religiosis S. Francisci Minoris Observantiae Murri Vallium liceat retinere legatum relictum a quondam Ludovico Moretti in casu etc.?

S. Congr. respondit: « *Negative*, et syndicum teneri censum dimittere sed patres posse recipere fructus ab haeredibus per modum eleemosynae. » *Firmana.* 2. Oct. 1721.

3. « Quod fratres Minores S. Francisci sint omnino incapaces huiusmodi (sc. perpetuorum cum certo onere) in dubium revocari minime potest iuxta vulgatam dispositionem text. in cap. *Exiit qui seminat* de verbor. signif. (c. 3. V. 12. in VIto) et in Clement. *Exivit de paradiso* (c. 1. V. 11.). Verum in quibusdam casibus similes dispositiones executioni demandatae fuerunt, cum modificationibus et declarationibus, de quibus late apud *Fagnan.* in cap. *Nimis prava* de excess. praelat. num. 21. et seqq. et *Emerix* iun. decis. 1326., in qua similis quaestio suffragantibus omnibus Sacrae Rotae auditoribus fuit decisa. Haec Sac. Congr. in *Firmana legatorum* 31. Maii 1721. l. LXXXVII. Decr. pag. 159. censuit, Fratres Minores retinere posse petium terrae emptum ex pecuniis legatis, iniuncto onere

celebrandi duas missas cantatas singulis annis, facto verbo cum SSimo., et die 2. Oct. ej. a. in eadem *Firmana* decretum fuit, dictos Fratres teneri dimittere censum relictum eorum syndico cum onere erogandi fructus in celebrationem missarum, sed posse recipere eosdem fructus ab heredibus per modum eleemosynae l. LXXVII. pag. 453. Ex rel. Secretarii in causa *Valven. seu Aquilana* 2. Dec. 1730. Quare S. Congr., cum testatrix quaedam bona reliquisset altari ecclesiae S. Bernardini Fratrum Minorum de Observantia, respondit pro erectione capellaniae pro saecularibus in ecclesia S. Bernardini arbitrio episcopi Aquilani, et ad mentem. » *Valven. seu Aquilana* 5. Maii 1731.

4. Patres Minores capaces esse legati eo modo relicti, ut ex eius fructibus heredes tenerentur iis solvendam eleemosynam manualem tanquam sponte offerentes, respondit S. C. in *Aprutina* 29. Febr. 1677. *Isernien.* 10. Iun. 1684. (alleg. I. 357. et 358.)

5. Patres strictioris Observantiae S. Francisci incapaces esse legati, quod relictum erat cum onere adiecto celebrandarum missarum; heredes vero posse census creare et assignare cum auctoritate episcopi pro onere missarum, ita ut novus censuarius se obliget solvere patribus eleemosynam ad formam testamenti, censuit S. Congr. in *Brundusina* 26. Aug. 1719.

6. Fratres minores ad stipulationem instrumenti publici, quo se obligaverant ad celebrandas in perpetuum certas missas pro certa summa, non teneri, respondit S.C. in *Iustinopolitana* 18. Nov. 1719.

7. Quaedam femina in casum, quo filii, quos credes instituerat, sine liberis decessissent, syndicum conventus alicuius Fratrum Minorum de Observantia Montis Barocci eis substituit. Filius vero ultimus, cum alii iam sine liberis decessissent, hereditatis donationem fecit favore patrum S. Marci ordinis Congregationis B. Petri de Pisis. Dubio proposito: An hereditas Luciae Tofani sit adiudicanda syndico apostolico patrum Minorum Observantium Montis Barocci, vel potius fratribus S. Marci eiusdem loci? S. C. respondit: Ad primam dubii partem *negative*, ad secundam *affirmative et amplius* in *Pisaurien.* 11. et 25. Ian. 1727.

8. Quaeritur, an N. regularis professus incapax bonorum ad episcopatum assumptus recuperet ius succedendi quoad hereditates post assumptum episcopatum sibi delatas? Secundo, an eidem obstet cessio et renunciatio eiusmodi hereditatum facta ad favorem fratris ad praescriptum S. Conc. Trid. c. 16. Sess. XXV. de reg.? S. C. resp. recuperare ius succedendi ad hereditates post adeptum episcopatum ad utilitatem suae ecclesiae sibi delatas quoad proprietatem et ad proprium commodum quoad usumfructum. II. Eidem non obstare supradictam cessionem et renunciationem quoad hereditates, quae non sint alteri ante adeptum episcopatum acquisitae. *Neapol.* 7. Dec. 1639. ex l. XVI. Decr. p. 306. rel. in *Firmana* 17. Iul. 1723.

9. Laurentius Gucci anno 1652. ingredi volens ordinem Iesuatorum, heredem instituit conventum Bononiae eiusdem ordinis. Emissa professione ordo praedictus suppressus fuit, quare Gucci testamentum resolutum fuisse existimavit dubiaque proposuit: I. An in casu, de quo agitur, testamentum censeatur resolutum? et quatenus negative: II. An oratori revocandi facultas et aliud de novo condendi sit concedenda? Decisum fuit *negative* ad utrumque d. 25. Febr. 1679., quod decretum confirmatum postea est 23. Aug. 1692. (alleg. LIII. 156.)

—

10. Contractus et instrumenta a monialibus, quae iurisdictioni ordinariae episcopi subiacent, conficienda stipulari debere cum consensu et interventu privativo episcopi sive eius delegati, superiorem autem regularem intervenire et consensum praestare non valere, constat ex resol. S.C. in *Fulginaten.* 20 Aug. 1803.

11. Syndicos Ordinis S. Francisci ad venditionem, ut necessitati succurratur, faciendam mobilium pretiosorum monasteriis incorporatorum indigere beneplacito apostolico; quo vero ad omnes alias res in posterum eos non posse procedere ad venditionem, nisi praevia edictorum affixione, et venditionem esse faciendam maiori oblatori, resp. S. C. in *Ordinis Francisci* 18. Mart. 1719.

12. « Monasterium monialium consolationis civitatis Cavensis possidens in civitate Neapolitana quaedam membra domorum, quae erant locata pro summa ducatorum LXXIII., reservato apost. beneplacito, eadem concessit in emphyteusim Caietano de Leto pro consimili annuo canone ducat. LXXIII., conventa renovatione emphyteusis de 29. in 29. annos cum solutione laudemii et conventa exbursatione ducat. CCCCXXV. pro unica vice favore eiusdem monasterii, habitoque pro approbatione recursu ad hanc Sac. Congr., censuit haec, praevia informatione Em. archiepiscopi Neapolit., contractum esse utilem et sic locum esse expeditioni beneplaciti apost., expeditisque consuetis litteris apost. *si in evi-*

dentem, fuerunt eaedem executioni mandatae a vicario generali Neapolit. et novus emphyteuta possessionem bonorum ingressus est.

Non solum antequam fuissent expeditae litterae apost. et bonorum possessio capta fuisset, sed etiam ante editionem rescripti huius Sac. Congr., Ioannes Iac. Cantisanus aliam quandam monasterio monialium fecerat oblationem, recipiendi videlicet ad emphyteusim eadem memorata bona solvendo pro annuo canone summam ducat. LXXIII., et unica vice aliam summam ducat. DC., quam subinde auxit ad ducat. M.; cumque pro huius contractus approbatione atque praelatione ad alium initum a Caietano de Leto Cantisanus recursum habuisset ad Sac. Congr. Episc. et Regul., et quosdam actus fecisset tum coram episcopo Cavensi, tum coram tribunalibus archiepiscopi Neapolit. et nuncii eiusdem civitatis, exorta ex his est controversia, quae ab auditore SSimi fuit ad hanc Sac. Congr. remissa cum facultate etiam purgandi attentata, et quia pro recta causae resolutione maximopere videtur conducere posse, si omnia hinc inde gesta iuxta seriem temporis exponantur, res idcirco ab una et altera parte gestae una cum temporis adnotatione in praesenti exponuntur.

Die itaque 23. Maii 1722. praevia licentia episcopi Cavensis una cum reservatione apost. beneplaciti deventum fuit a monasterio ad stipulationem instrumenti cum Caietano de Leto.

Paulo post Cantisanus suam fecit monasterio oblationem, quae praevio decreto episcopi Cavensis monialibus notificata fuit die 30. eiusd. mens. Maii. interpositaque ab hoc decreto per Caietanum de Leto appellatione ad nunciaturam Neapolit., haec die 1. Iunii ei. a. 1722. decrevit, ut acta a curia Cavensi ad se transmitterentur, et die 9. ei. mens. Iun. appositum est a Cantisano *nihil transeat* in actis curiae archiepiscopalis Neapolit. et aliud simile *nihil transeat* die 10. Iun. in actis nunciaturae dictae civitatis.

Quo tempore praeciso Caietanus de Leto huic S. Congr. supplicaverit pro approbatione contractus, ignoratur, idque, quod tutum afferri potest, est, quod Em. archiepiscopus Neap. requisitus pro informatione et voto suam dedit ad hanc Sac. Cangr. epistolam die 4. Aug. 1722.

Quo tempore pariter praeciso Cantisanus recursum habuerit ad Sac. Cong. Episc. et Reg. ignoratur, sed hoc unum tutum est, quod datis ab eadem Congr. litteris pro informatione ad episcopum Cavensem, episcopi informatio scripta fuit die 11. Aug. 1722., qua censuit, praeferendam Cantisani oblationem alteri oblationi iam factae et in contractum deductae inter monasterium et Caietanum, eademque episcoporum Congr. die 21. ei. mens. decrevit, quod utrique parti terminus praefigeretur ad sua iura coram se deducenda, et die 10. Sept. Cavensis episcopus mandavit, ut fieret termini praefixio, et cursor ordinarius die 24. retulit, se termini praefixionem collitigantibus more consueto fecisse.

Et post haec, prosequendo enarrationem ceterorum gestorum, Sac. haec Congr. die 19. Sept. 1722. perpensa Caietani instantia rescripsit *pro gratia*, et expeditio litterarum apost. cum clausula *si in evidentem* facta est nonis Octobris 1722., eaedemque fuerunt executioni mandatae a vicario Neap., ad quem fuerant directae die 11. Dec. 1722., factaque a procuratore Cantisani hic in Urbe consueta citatione coram auditore SSimi die 18. Dec. 1722. pro impedienda suo competitori possessione bonorum, eodem hoc minime obstante capta supponitur die 4. mens. Ian. curr. a. 1723.

Ab exposita facti serie, Cantisanus infert, concessionem in emphyteusim factam favore Caietani et expeditionem apost. beneplaciti non sustineri, cum haec omnia secuta sint absque eo, quod huic Sac. Congr. et S. Pontifici sua maior oblatio fuerit exposita, licet haec esset bene nota Caietano; item executionem beneplaciti non sustineri, cum in beneplacito adesset clausula *vocatis ad id, qui fuerant vocandi*, et ipse vocatus non fuerit, qui, si vocatus fuisset, sua iura deduxisset, suamque maiorem oblationem ab episcopo Cavensi approbatam allegasset, una cum pendentia litis in Sac. Congr. Episc. et Reg.; nullam denique superesse difficultatem quoad suae oblationis acceptationem, attenta evidentissima eiusdem utilitate, et quoad purgationem attentatorum, cum possessio capta fuerit post praesentatam personaliter citationem auditoris SSimi.

Excepit e contra Caietanus, de his omnibus nullam esse habendam rationem, cum sua oblatio iusta sit et utilis monasterio, nec ecclesia, utpote cultrix et mater iustitiae, deferre debeat alteri licet maiori oblationi utpote factae ad aemulationem, quae specialiter desumitur tum ex augmento a summa scutorum DC. ad summam scut. M., tum ex iudicio a se introducto in principio anno 1722. in consilio Neap. super redditione rationis cuiusdam societatis explenda a dicto Cantisano.

Iura hinc inde circumferuntur, solumque mihi superest adnotandum, quod cum

inter acta gesta nomine Cantisani saepius dicatur, hanc S. Congr. non habere in facultatibus concedere posse apost. beneplacita in hisce alienationibus et concessionibus in emphyteusim,.... id nullo modo subsistit; cum enim post Extrav. *Ambitiosae*, in qua prohibita fuit alienatio bonorum ecclesiae sine licentia apost., praetenderent regulares, se in vim eorum privilegiorum posse alienationes et concessiones facere in emphyteusim, Sac. haec Congr. vetuit, id ab eis fieri posse absque ipsius Congr. Conc. expressa licentia, et decretum fuit a S. Pont. Urbano VIII. confirmatum die 7. Sept. 1624., et relative ad hoc decretum, quod dicitur de reb. regul. non alien., editum fuit die 9. Nov. 1647. in hac Sac. Congr. aliud decretum, uti habetur l. XVIII. Decr. pag. 416. a tergo, quod est conceptum sequentibus verbis: «Sacra etc. iniunxit Eminent. Card. Ginnetto, praefecto Congr. Episc. et Reg. praesenti, ne in dicta Congr. in futurum expediantur facultates alienationum, hypothecarum, locationum et aliorum contentorum in decreto de reb. regularium non alien., cum haec facultas privative spectet ad hanc Sac. Congr. »; cumque secretarii Congr. Episc. et Reg. nec non huius Sac. Congr. consuevissent hasce instantias remittere vel ad secretarium brevium vel ad Datariam, re a regularibus ad S. Pontificem delata, SSimus die 1. Dec. 1691. mandavit, « ut gratis et per Sac. Congr. Conc. regularium in eodem decreto Urbani scilicet VIII. contentorum contractus expediantur, « uti habetur l. XLI. Decr. pag. 349.

His stantibus quaeritur:

I. An concessio in emphyteusim facta favore Caietani et beneplacitum apostolicum, eiusque executio sustineatur, seu potius recipienda sit oblatio Ioannis Iacobi in casu etc.?

II. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu etc.?

Sac. Congr. respondit: Ad I. quoad primam partem *negative*, quoad secundam affigantur edicta. Ad II. *affirmative* et circumscribantur omnia gesta post intimationem citationis auditoris Sanctissimi. «*Neapolit. seu Cavens.* 18. Dec. 1723. et 15. Ian. 1724.

13. Proposito dubio: An non obstante praetenso non usu archiepiscopo Neapolitano ad formam constitutionis Gregorii XV. (Bullar. Rom. T. IV. c. 12.) exigere rationes administrationis bonorum monialium regularibus subiectarum? S. C. resp. *affirmative*. *Neapolitana* 11. Mart. 1673. Ex l. XXVIII. Decr. p. 40. (alleg. XXXIX. 117.)

14. Ad dubium, an possit episcopus administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere non vocatis superioribus monasterii, eosque administratores removere, quatenus iidem superiores interpellati id renuant facere? S. C. resp. quoad primam partem *negative*, quo vero ad secundam *affirmative Hieracen.* 26. Ian. 1692. (alleg. XXXIX. 118.) Similiter iudicavit in *Pharaonen.* 14. Nov. 1733. ad dub. I.

15. Proposito dubio (X.): An competat episcopo rationes exigere ab administratoribus bonorum temporalium dictorum monasteriorum exemptorum monialium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur sine indulto pontificio et episcopi licentia? S. C. resp. *affirmative*. *Olomucen.* 7. Iun. 1755. Quod decretum cum reliquis in eadem causa emissis pro eccl. *Colon.*, *Monaster.*, *Hildeshemen.*, *Paderborn.* et *Osnabrugen.* Clemens XIII. d. 11. Dec. 1758. confirmavit. (Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.)

16. Ad dubia: VIII. An episcopus possit exigere rationem administrationis bonorum praedictorum monialium (S. Sebastiani civit. Arim. canonicis regularibus subiectarum) ad formam bullae s. m. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili* non obstante praetenso eius non usu, et an pro huiusmodi effectu debeant asportari libri administrationis aliaeque scripturae pro rationum revisione necessariae ad eius palatium episcopale, vel potius computa revideri debeant ad crates monasterii in casu? Et quatenus affirmative: IX. An in eadem redditione rationis intervenire debeant abbas dicti monasterii aliique regulares eiusdem ordinis in casu etc.? S. C. resp. *affirmative* ad primam et secundam partem, *negative* ad tertiam; ad IX. *affirmative*, et quatenus abbas opportune monitus non comparuerit sive per se sive per alium regularem, revisionem fieri posse a solo episcopo, *et amplius Arimin.* 27. Ian. 1748.

C. IV. *Regularis sine superioris licentia nec se obsequio alterius loci aut personae subiiciat, nec a conventu recedat. Absens studiorum causa in conventibus commoretur.*

Prohibet sancta synodus, ne quis regularis sine sui superioris licentia praedicationis, vel lectionis aut cuiusvis pii operis praetextu subiiciat se obsequio

alicuius praelati, principis, vel universitatis vel communitatis, aut alterius cuiuscunque personae seu loci [1]), neque ei aliquando privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur. Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

[1]) cf. c. 35. C. XVI. qu. 1. (conc. Tarrac.), c. 7. X. de off. iud. ord. I. 31. (Innoc. III.), c. 3. 4. X. ne cler. vel mon. III. 50. (Alex. III.), c. 1. §. 5. de statu mon. in Clem. III. 10. (Clem. V.)

C. V. *Clausurae monialium, praesertim quae extra urbes agunt, providetur.*

Bonifacii octavi constitutionem [1]), quae incipit: *Periculoso*, renovans sancta synodus universis episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas quacunque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos principes hortatur sancta synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio [2]), etiam ad breve tempus, quocunque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda, indultis quibuscunque et privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat [3]), cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti hactenus concessi vel in posterum concedendi. Et quia monasteria sanctimonialium extra moenia urbis vel oppidi constituta malorum hominum praedae et aliis facinoribus sine ulla saepe custodia sunt exposita, curent episcopi et alii superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova vel antiqua monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii saecularis. Impedientes vero vel non obedientes per censuras ecclesiasticas parere compellant.

[1]) c. un. de statu regul. in VIto III. 16.: « Periculoso et detestabili quarundam monialium statui, (quae honestatis laxatis habenis, et monachali modestia sexusque verecundia impudenter abiectis, extra sua monasteria nonnunquam per habitacula saecularium personarum discurrunt, et frequenter intra eadem monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum), providere salubriter cupientes, praesenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas et singulas moniales praesentes atque futuras, cuiuscunque religionis sint vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura, ita, quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa, (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestae personae, nec etiam honestae, (nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia,) ingressus vel accessus pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia dili-

gentius custodire. Sane ut hoc salutare statutum commodius valeat observari, districtius inhibemus, ne in monasteriis ordinum non mendicantium aliquae recipiantur de cetero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari; si secus actum fuerit, irritum decernentes.

Verum quando abbatissa vel priorissa cuiusvis monasterii pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo principe seu domino temporali, sibi debebit homagium vel fidelitatis sacramentum praestare, (nisi quod per procuratorem illud praestet, possit efficere apud eum), de monasterio cum honesta et decenti societate exire poterit eo casu licenter; homagio facto, quamprimum commode poterit, seu fidelitatis praestito sacramento, ad ipsum monasterium e vestigio reversura sic, quod in fraudem residentiae sive morae claustralis nihil fiat omnino.

Porro ne moniales causam seu occasionem habeant evagandi, principes saeculares ac alios dominos temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Iesu Christi, eisdem in remissionem peccaminum nihilominus suadentes, quod abbatissas ipsas et priorissas, ac moniales quascunque, monasteriorum suorum curam, administrationem negotiave gerentes, quibuscunque nominibus censeantur, per procuratores in suis tribunalibus seu curiis litigare permittant, ne pro constituendis procuratoribus, (qui adornati in aliquibus partibus nuncupantur), seu aliis eiusmodi easdem oporteat evagari. Si qui vero contra praesumpserint, exhortationi huiusmodi rationabili atque sanctae obtemperare nolentes, cum sit iuri contrarium, quod mulieres (praesertim religiosae) per se ipsas litigare cogantur, et a via deviet honestatis, et periculum animarum inducat, ad hoc per suos ordinarios ecclesiasticos censura ecclesiastica compellantur. Episcopis autem et aliis praelatis superioribus et inferioribus quibuscunque iniungimus, quod et ipsi causas seu negotia, quae praefatae moniales habebunt agere, coram ipsis, aut in curiis eorundem, sive sint homagia, fidelitatis sacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipsa per procuratores earum fieri faciunt et tractari.

Et quoniam parum esset condere iura, nisi essent qui ea executioni debite demandarent, patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis universis districte in virtute sanctae obedientiae sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in civitate ac dioecesi propria in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis sua, in iis vero, quae ad Romanam immediate spectant ecclesiam, sedis apostolicae auctoritate; abbates vero et alii tam exempti quam non exempti praelati ecclesiarum, monasteriorum et ordinum quorumcunque, in monasteriis huiusmodi sibi subiectis de clausura convenienti, ubi non est, ipsorum monasteriorum expensis et fidelium eleemosynis, quas ad hoc procurent diligentius faciendas, et de ipsis monialibus includendis, quam primum commode poterunt providere procurent, si divinae ac nostrae indignationis voluerint acrimoniam evitare; contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis. Per hoc autem in monasteriis exemptis ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam. » — [2]) cf. cit. cap. un. in Vito. — [3]) cf. c. 8. de vit. et hon. cler. III. 1. (conc. Lat. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Ep. Hieracensis.. supplicat.. pro resolutione infra scriptorum dubiorum: Stante Conc. Trid. c. 5. Sess. XXV. de reg. et mon., ubi cavetur nemini sanctimonialium licere post professionem exire a monasterio etiam ad breve tempus quocunque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda; ac Extrav. fel. rec. Pii V. incip. *Decori* etc., qua dictae exeundi causae ad tres duntaxat, videlicet magni incendii, leprae et epidemiae restringuntur; et quod in civitate Hieracen. monasteria monialium non habeant ecclesias interiores; et quod ex libro Pontificali consecratio monialium et benedictio abbatissae intermissarum solemnia fieri debeant; et quod in dicta civitate fuerit et sit consuetudo, quod actus consecrationis monialium et benedictionis abbatissae semper fuerit factus in ecclesia exteriori: an dicta consecratio et benedictio fieri possit in dicta ecclesia exteriori, et ad hunc effectum censeatur legitima causa exeundi?

S. Congr. Conc. censuit, in exteriori ecclesia posse fieri, iis duntaxat monialibus adhibitis, quae ad consecrationem erunt necessariae. *Hieracen.* 1587. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LXXXV.

2. S. C. censuit, facultatem concedendi licentiam accedendi ad colloquium cum monialibus regularibus subiectis spectare ad ipsos superiores regulares, nisi in loco esset consuetudo legitime praescripta, ut huiusmodi licentia etiam quoad monasteria, quae regularibus subsunt, ab episcopo tantum, vel ab episcopo et superiore regulari coniunctim, obtineretur; hanc enim consuetudinem esse observandam. *Nullius* 17. Iul. 1597. l. IX. Decr. p. 24. ap. *eundem* De syn. dioec. XIII. 12.

—

3. S. C. ad ep. *Bellun.* d. 17. Iun. 1630. rescr.: « Tametsi alias S.C. declaraverit, litteras ingrediendi septa monasteriorum monialium exemptarum et regularibus subiectarum, ex vera tantum necessitate, quae moniales respiciat, concedendi, seu accedendi ad loquendum cum monialibus pertinere ad ipsos superiores regulares, nihilominus sub die 13. Nov. 1620., quo magis clausurae observationi consuleretur, facultate sibi a SS. D. N. tributa statuit et de-

crevit, ut deinceps intrare huiusmodi septa nemini liceat, nisi licentiae in casibus necessariis concedendae, nedum a superioribus regularibus dictorum monasteriorum, sed etiam a locorum ordinariis obtentae fuerint, non obstantibus contrariis quibuscunque legibus, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus. « Postremo autem ad revocandam omnem dubietatem, quae ex huiusmodi decreto forsan oriri posset, negotio iterum in S. C. proposito atque SS. D. Nostro relato, die 31. Maii 1630. S. S. declaravit, huiusmodi licentias a superioribus regularibus non esse petendas in illis locis, in quibus adesset consuetudo, ut istae ab episcopis tantum concedantur; hoc enim casu statuit et decrevit, talem consuetudinem esse observandam et ipsorum episcoporum tantummodo licentias sufficere etiam privative quoad ipsos regulares. L. XIV. Decr. p. 300. rel. ab *eodem* ib., qui saepius ita rescriptum esse refert.

4. Emin. Sabin. ep. supplicat per S. Congr. declarari:

I. An violantes clausuram monialium ad malum finem, non tamen praetextu licentiarum, incidant in excommunicationem soli S. Pont. reservatam?

II. An admittentes huiusmodi violantes in clausuram sint excommunicationi obnoxii?

III. An decretis conciliaribus et constitutionibus apost. clausuram praecipientibus obstet contraria consuetudo etiam post Concilium introducta?

IV. An in consecratione monialium possint moniales egredi aut episcopus ingredi clausuram in ipso actu consecrationis?

V. An occasione huiusmodi consecrationis possit magister caeremoniarum, consanguineae seu consanguinei ipsarum consecrandarum saltem ex permissione episcopi clausuram impune ingredi?

S. C. d. 9. Iul. 1632. resp. ad I. esse reservatum Summo Pont.; ad II. superiores admittentes huiusmodi violatores in clausuram esse excommunicationi obnoxios; ad III. decretis concil. et constit. apost. clausuram praecipientibus nullam consuetudinem obstare; ad IV. in consecratione monialium servandum esse Pontificale Rom.; ad V. ingressum in monasterii clausuram neque magistro caeremoniarum neque consanguineis ipsarum monialium esse permissum. Rel. a *Bened.* XIV. Inst. LXXXV.

5. Approbante S. P. Clemente IX. S.C. declaravit, regulares quoscunque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcunque modicum temporis spatium cum monialibus aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activae et passivae, aliisque contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis poenis posse ab ordinario tanquam A. S. delegato coërceri. d. 11. Maii 1669.

Die 26. Nov. 1672. resp., nullam quantumvis honestam et rationabilem causam eximere a gravi culpa regulares accedentes ad moniales sine episcopi licentia.

Iisdem poenis affici dixit regulares, qui post habitam ad moniales concionem de quibuscunque rebus cum eisdem loquuntur, nisi specialem quoad hoc facultatem ab episcopo antea impetraverint. *Bened.* XIV. De syn. dioec. IX. 15.

6. Quaesitum erat ab archiepiscopo Florentino: An in visitatione et ingressu clausurae teneantur vicarii generales secum ducere priorem et confessarium dictarum monialium? S. C. resp. *negative* d. 29. Iul. 1684. Rel. ex libro XXXIV. Decr. p. 233. ibid.

7. Ad quaestionem procuratoris generalis Minorum Observantium, an episcopus visitaturus clausuram monasteriorum monialium teneatur ante accessum monialibus praefinire diem et horam visitationis? S.C. die 16. Ian. 1686. resp. *negative*. Rel. ex lib. XXXVI. p. 15. Decr. ab *eodem* Instit. XXIX.

8. Superiorem regularem monasterii monialium ingredi non posse clausuram monasterii post electionem abbatissae ad peragendam exhortationem et publicandam abbatissae electionem resp. S. C. in *Salisburgen.* 29. Nov. 1710. (all. IX. 164. P. II.)

9. « Dubia ad calcem referenda respiciunt visitationem ab episcopo Aquilano faciendam in monasteriis monialium ordinis Coelestinorum, et quae sunt subiecta superioribus eiusdem ordinum. Cumque iura partium hinc inde circumferantur, mei muneris esse censeo innuere tantum decreta, quae in regestis huius Sacrae Congregationis invenire potui, quaeque conducere possunt ad dictorum dubiorum resolutionem.

Sacrum Concilium Sess. XXV. de reg. c. 5. in monasteriis monialium etiam exemptis et quae regularibus subiecta sunt, commisit episcopis tanquam sedis apost. delegatis, ut procurarent, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuisset, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari; et Gregorius XV. in sua const. 18. Bull. T. IV. §. 2. addidit, ut episcopi adversus inobedientes et contradictores procederent per censuras ecclesiasticas et alias poenas, et

§. 4., quod regulares delinquentes circa clausuram monialium licet sibi subiectarum puniri possent et corrigi ab episcopis tanquam sedis apost. delegatis; et Alexander VII. in sua const. 153. Bull. T. VI. superioribus regularibus, quibus incumbit cura et regimen monasteriorum sanctimonialium, prohibuit ingressum in ea nisi ex causa visitationis localis, et hoc semel in anno, et casu quo necessitas urgeat pluries eodem anno ingrediendi statuit, quod non ingrederentur nisi cum praesentia episcopi dioecesani vel alterius personae ecclesiasticae ab eodem deputatae.

—

Acquisito per episcopos iure delegato visitandi quoad clausuram monasteria monialium regularibus subiectarum, exorta est controversia, an liceret episcopis visitare altaria, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, aut sanctissimum eucharistiae sacramentum seu tabernaculum, in quo idem conservatur, et loca in quibus excipiuntur confessiones personarum saecularium; et responsum fuit *negative*, ut habetur ex resolutione huius S. Congregationis impressa ad calcem constit. Gregorianae in responsione ad I. dubium.

Actum subinde fuit de modo et occasione explendi dictam visitationem et interroganti de praedictis episcopo Conimbricensi S. haec Congregatio die 26. Maii 1640. lib. XVI. Decr. pag. 384. a tergo sic respondit: « Sacra etc. censuit, episcopum Conimbricensem uti sedis apost. delegatum potuisse quoad clausuram monasterium monialium conventus de Cellis ordinis Cisterciensis regularibus eiusdem ordinis subiectum visitare etiam assumpto secum vicario generali et confessario eiusdem monasterii, monialesque ipsas in iis, quae ad eandem clausuram pertinent, examini subiicere, remotis etiam suspicione violatae clausurae ac quacunque superiorum regularium negligentia ipsisque inconsultis et irrequisitis. »

Anno 1684. die 29. Febr. episcopus Aquilanus monito procuratore generali congregationis Coelestinorum supplicavit declarari, an episcopus in visitatione monasteriorum monialium subditarum abbati collis Madii congregationis Coelestinorum teneatur vocare abbatem, sed cum instantia propter angustiam temporis non fuerit in dicta congregatione proposita, non invenio in regestis, quod in posterum de ea unquam actum sit.

Die 29. Iul. 1684., uti habetur l. XXXIV. Decr. fol. 235., instante archiepiscopo Florentino, fuerunt in S. Congregatione proposita et resoluta dubia, quae sequuntur:

I. An archiepiscopus seu de eius mandato vicarius generalis possit visitare SS. sacramentum, olea sacra, confessionalia et sepulturas in ecclesiis monialium regularibus subiectarum?

II. An valeat easdem moniales communicare?

III. An possit ingredi earundem monialium clausuram cum pluviali et stola?

IV. An omnes moniales praefatae teneantur processionaliter cum cruce et cum cantico *Benedictus Dominus* obviam ire vicario ingredienti et visitare volenti clausuram?

V. An in visitatione et ingressu clausurae teneantur vicarii generales secum ducere priorem et confessarium dictarum monialium?

Ad haec autem dubia sic responsum fuit: Ad I. videlicet *negative*, nisi in his, quae concernunt observantiam clausurae, et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium. Ad II. *affirmative*, dummodo moniales velint. Ad III. IV. et V. *negative*.

Anno denique 1686. die 19. Ian., uti habetur l. XXXV. Decr. pag. 15., instante procuratore generali ordinis Minor. de Observantia fuerunt proposita et disputata sequentia dubia:

I. An episcopus visitaturus clausuram monasteriorum monialium regularibus subiectarum teneatur ante accessum eisdem monialibus praefinire diem et horam visitationis? et huic dubio responsum fuit *negative*.

II. An in ecclesiis monialium non curatis visitare possit SS. eucharistiae sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, sepulturas et reliquias inibi existentes? et huic dubio responsum fuit, quod daretur supra insertum decretum in Florentina.

III. An in casu resistentiae monialium possit fores ecclesiae frangere, tabernaculum violenter aperire, ecclesiam interdicere et SS. eucharistiae sacramentum ad aliam ecclesiam transferre? et huic dubio responsum fuit *negative* nisi in casibus spectantibus ad clausuram.

IV. An episcopo monasteriorum clausuram visitare volenti, dictae moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori vel interiori sedem cum baldachino vel solummodo sufficiat stratum praeparare in utraque ecclesia? et huic dubio responsum fuit, sufficere praeparationem strati.

V. An episcopus dictam clausuram visitaturus praeter convisitatores possit pro suo libitu secum deducere intus monasterium alias personas sive ecclesiasticas sive saeculares indeterminate, vel in certo et praefixo numero? et huic dubio responsum fuit, servandas esse constitutiones apostolicas hoc est bullam 25. Gregorii XIII. Bull. T. II.

VI. An episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitaturum teneantur moniales omnes excipere processionaliter cum cruce et cantico *Benedictus?* et huic dubio responsum fuit *negative*.

VII. An dictae moniales teneantur in ipso clausurae ingressu adornare stratum ibique genuflectenti episcopo monialis aliqua porrigere debeat crucem deosculandam? et huic dubio responsum fuit *negative*.

VIII. An episcopus clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dictas moniales omnes in choro interiori aut in alio loco et ad eas sermonem habere? et huic dubio responsum fuit *posse*.

IX. An absolute et indifferenter visitare possit cellas dictarum monialium etiam quoad non pertinentia ad clausuram? et huic dubio responsum fuit *negative*.

Haec sunt praecipua, quae in regestis ad materiam facientia potui invenire, iisdemque praesuppositis onus erit in praesenti EE. VV. decernere:

I. An episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subiectarum debeantur in ingressu ecclesiae solitae honorificentiae et praeeminentiae omnesque actus reverentiales, ac associari tam in ingressu quam in egressu ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales praedictae teneantur tradere episcopo visitanti librum regularum et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram praedictarum monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum?

IV. An episcopus possit visitare nedum crates et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?

V. An possit episcopus occasione S. visitationis habere sermonen spiritualem praedictis monialibus tam intra quam extra septa monasterii?

VI. An possit episcopus nedum visitare altaria et capellas ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia aliaque onera missarum insint, verum etiam tabernaculum cum altari maiori?

S. Congr. respondit: Ad I. *affirmative* quoad ministros officiales monasterii et quoad confessarium eiusdem tantum. Ad II. *negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam. Ad III. IV. et V. *affirmative*. Ad VI. *negative*. *Aquilana* 31. Iul. 1723.

10. Collata fuit episcopo Mazariensi consueta facultas dandi infirmis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, et facultas concepta est sequentibus verbis, erutis ex epistola Eminentissimi Brevium Secretarii ad eum scripta:

Desiderium Dominationis Vestrae Illustrissimae, quo benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus istarum civitatis et dioecesis Mazarien. concedendi tenetur, exposui Sanctissimo Domino Nostro, qui benigne annuit, ut Dominatio Vestra Illustrissima ad triennium proximum benedictionem et indulgentiam huiusmodi agonizantibus civitatis et dioecesis praefatarum per se ipsam immediate et auctoritate apostolica concedat; ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat eidem permittit, ut alicui sacerdoti per Dominationem Vestram Illustrissimam qualibet vice eligendo, quoad moniales autem illarum confessario ordinario facultatem similem communicare valeat, id iussu Sanctitatis Suae, quae Dominationem Vestram Illustrissimam facultate supradicta vigore praesentium litterarum uti posse vult, eidem significo.

Hoc praemisso, quaerit praedictus episcopus, an teneatur facultatem benedicendi moniales in articulo mortis constitutas committere earum confessario ordinario, vel potius ipse possit ingredi claustra, et quatenus velit aliquando benedicere per se ipsum, et an in hypothesi, in qua ingredi possit, an et quibus sociis comitatus ingredi teneatur, et demum, an in casu, quo aliqua monialis sit infirma, et pro sua devotione velit confessionem suorum peccatorum explere, possit confessarius ordinarius aut extraordinarius, vel etiam ipse episcopus ingredi clausuram.

Praescindendo a prohibitione ingressus in monasteria monialium in ordine ad eos, qui aliorum indigent licentia, ut ingrediun-

tur, Gregorius XIII. in declaratione ad calcem suae const. 28. Bullar. sanxit quoad eos, qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate officii, monasteria monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis, et cum comitatu paucorum et quidem seniorum et religiosorum: « Praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta, ita demum uti posse, si id faciunt in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati. » Quocirca transgrederetur Gregorianam constitutionem, et illius poenis esset subiectus praelatus ille, qui secum duceret laicum, excepto casu, quo eius opera tanquam periti indigeret, uti allegatis resolutionibus SS. Congregationum late prosequitur *Monacell.* in formul. T. III. pag. 109. n. 112. et seq.

Quoad ingressum confessarii pro excipiendis monialium confessionibus, exstat const. 153. Alexandri VII. Bullar. T. VI., quae in terminis confessariorum regularium ita statuit §. 5.: «Ad haec, confessor sanctimonialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso videri semper possit;» et quoad alios confessarios extant decreta S. Congreg. episcoporum et regularium impressa apud *Nicolium* in Flosculis in verbo *Clausura* n. 32., ubi dicitur, eum ingredi posse ad ministranda sacramenta principalibus anni solemnitatibus confessionis et communionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se, neque cum aliorum auxilio possint ad confessionem et fenestellam accedere, item quod solus ingredi debet excipiendus a duabus monialibus senioribus, quae illum recta euntem ad valetudinariam, et simili modo exeuntem comitentur, et cum cautela, quod, dum audit confessionem, cella ita sit aperta, ut duae comitatrices, quae super eiusdem cellae ianua remanere debebunt, confessarium et infirmam commode cernere, non autem audire possint.

Idem episcopus exponit, passim a regularibus in sua dioecesi dari ordinis habitum mulieribus saecularibus, quae Bizzocchae appellantur, absque sua licentia, et quaerit, quomodo se gerere debeat.

Quoad facultatem regularium in re, de qua nunc agitur, extant nonnullae constitutiones sanctissimi Domini Nostri, in quarum altera decrevit ad generalem ministrum Ordinis Minorum privative quoad alios pertinere per se vel per suos ministros secundarios recipere tertiarios utriusque sexus, quod ipsum a Sanctitate Sua fuit extensum ad ministrum gen. Capuccinorum, fratrum Minorum conventualium, nec non ad patrem generalem Ordinis servorum, ita ut hi omnes per se vel per suos secundarios ministros possint habitum suae religionis dare tertiariis utriusque sexus.

Verum admissa, tam quoad praedictos, quam quoad alios regulares privilegia habentes, facultate concedendi habitum feminis non collegialiter viventibus, de quibus hic tantum est sermo, extant decreta generalia impressa apud *Lantuscam* in verbo *Tertiaria* num. 1., apud *Nicolium* l. c. eod. v., apud *Matthaeucc.* in Officiali curiae ecclesiast. cap. 52., quae ita se habent: «Superioribus autem regularibus sufficiente facultate ad id a sancta sede apostolica suffultis, Capuccinis exceptis, qui deinde simili facultate donati sunt, licere mulieres ad huiusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum admittendas et recipiendas esse, nisi probatae vitae ac bonis moribus praeditas, ac in aetate saltem quadraginta annorum constitutas, quae de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de praedictis praevio examine diligenti sibi constiterit. »

His positis quaeritur:

I. An episcopus habens facultatem dandi benedictionem apostolicam constitutis in articulo mortis, teneatur quoad moniales eam committere earum confessario ordinario, vel potius sit in eius facultate aliquando ingredi monasterium, ut eis det benedictionem? et quatenus affirmative quoad secundam partem:

II. An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat?

III. An episcopus et confessarii, sive ordinarius sive extraordinarius, ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?

IV. Quaenam sint conditiones requisitae, ut regulares habentes facultatem dandi habitum suae religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, et an examen dictarum facultatum pertineat ad episcopum?

Sacra Congr. respondit:

« *Ad* I. *negative quoad primam partem, et ad secundam affirmative, et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium.*

Ad II. *debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confessario monialium, et uno probo sacerdote per eum eligendo.*

Ad III, *uniantur Decreta.*

Ad IV., *examen facultatum concedendi habitum pertinere ad sedem apostolicam; examen conditionum quoad mulieres vestiendas, et licentiam vestiendi pertinere ad ordinarium; et conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis, et haec decreta esse omnino servanda.*

Mazariens. 10. Maii 1727.

Ad dubium III. deinde 5. Iul. 1727. respondit Sacra Congr. « *affirmative*, servatis servandis. »

11. Propositis dubiis:

I. An episcopus Ariminensis visitaturus clausuram RR. monialium monasterii S. Sebastiani civit. Arim. canonicis regularibus subiecti, posset ipsas cogere ad subeundum onus visitationis personalis ad crates collocutorii circa ea, quae pertinent ad clausuram in casu etc.?

II. An episcopus in concernentibus clausurae custodiam possit visitare nedum crates et moenia exteriora monasterii praedictarum monialium, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas omnes interiores et superiores, aliaque loca in casu etc.?

III. An et quando puniendae sint moniales vel alii resistentes dictae visitationi aut eam impedientes in casu etc.?

IV. An episcopus eiusdem monasterii clausuram visitaturus possit ingredi stola indutus?

V. An teneantur episcopo ut supra visitanti stratum cum pulvinari parare in ecclesia interiori et exteriori in casu etc.?

VI. An et a quibus episcopo accedenti pro eadem visitatione debeantur ingressu et egressu ab ecclesia honorificentiae et praeeminentiae, actus reverentiales et associatio in casu etc.?

VII. An episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram dictarum monialium absque interventu P. abbatis et confessarii earundem sive aliorum regularium eiusdem ordinis in casu etc.?

—

S. C. resp. ad I. II. *affirmative et amplius;* ad III. *affirmative* congruis iuris remediis; ad IV. V. *affirmative;* ad VI. *affirmative* quoad confessarium, officiales aliosque ministros monasterii; ad VII. *affirmative. Ariminen.* 27. Ian. 1748.

12. Ad dubia: VII. An ad episcopum spectet cura clausurae monasteriorum monialium regularibus et praesertim Cisterciensibus et Benedectinis subiectarum, eandem clausuram demandare servandam ad praescriptum S. Conc. Trid.? Et quatenus negative: VIII. An competat episcopo praelatis regularibus, praesertim Cisterciensibus et Benedictinis iniungere, ne pluries in anno occasione visitationis ingrediantur septa monasterii monialium sibi subiecti sine praesentia eiusdem episcopi sive alterius personae ab eo deputandae? S. C. resp. *affirmative. Olomucen* 7. Iun. 1755. Quod decretum in eccl. quoque *Coloniens., Monasterien., Hildeshemen., Paderbornen.* et *Osnabrugen.* a Clemente XIII. die 11. Dec. 1758. extensum est. Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.

C. VI. *Ratio eligendi superiores.*

In electione superiorum quorumcunque, abbatum temporalium, et aliorum officialium ac generalium, et abbatissarum atque aliarum praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, in primis sancta synodus districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat provinciales, aut abbates, priores aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, et is, qui ad hunc effectum se in provincialem, abbatem aut priorem creari permiserit,

deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessae eo ipso abrogatae censeantur, et, si in posterum aliae concedantur, tanquam subreptitiae habeantur.

C. VII. *Quae et quomodo abbatissae et quocunque nomine praefectae eligendae. Duobus monasteriis nulla praeficiatur.*

Abbatissa et priorissa, et quocunque alio nomine praefecta vel praeposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta [1]), et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praeest, videatur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint [2]), et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel alio superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla praeficiatur. Et si qua duo vel plura quocunque modo obtinet, cogatur uno excepto intra sex menses cetera resignare. Post id vero tempus, nisi resignaverit, omnia ipso iure vacent. Is vero, qui electioni praeest, episcopus sive alius superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones.

[1]) cf. c. 12. C. XX. qu. 1. (Gregor. I.) — [2]) cf. c. 43. de elect. in VIto I. 6. (Bonifac. VIII.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(Ad c. 6. et 7.)

1. Episcopum praesidere debere ad praescriptum constitutionis Gregorii XV. electioni abbatissae vel priorissae monasteriorum monialium etiam exemptarum a iurisdictione ipsius, S. C. resp. in *Conimbricen.* 16. Iul. 1636. et saep. in decl. alleg. XXXIX. 118.

2. Abbatissarum vel priorissarum monasteriorum monialium regularibus O. Cisterc. subiectarum electioni episcopum tam per se quam per alium interesse posse, S. C. censuit in *Pharaonen.* 14. Nov. 1733. ad dub. I.

3. I. In monasterio monialium Carmel. Putignani electionem sine praesidentia episcopi vel eius delegati fieri non posse; II. Aliter factam electionem, dum episcopus iuxta bullam *Inscrutabili* se interesse velle declaravit, nullam, itaque ad novam electionem procedendum, esse; III. munus priorissae iuxta aetatis ordinem etiam absque ullo meritorum defectu conferri non debere, moniales vero suffragia in alias etiam non seniores iuxta qualitates et merita suffragia ferre posse, S. C. resolv. in *Conversana* 8. Maii 1751.

4. S. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 6. de reg. praescripsit, ut in electionibus abbatissarum per vota secreta procedatur, et c. 7. quod episcopus sive alius superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singulorum audiat vel accipiat; ita ut electio, quae fieret sine praedicta qualitate votorum secretorum, nulla esset iuxta litteram Conc. cit. c. 6. et resolutionem huius S. Congr. apud *Sperell.* decis. 161. per tot. et signanter n. 34., cum advertentia tamen, quod secretae electioni non officit, si eadem expleatur per vota singularia monialium oretenus expressa coram superiore iuxta resol. S. Congr. impr. apud *Zerolam* in praxi P. I. verb. *Abbatissa* ad 6. et etiam coram duabus aut tribus aliis personis adhibitis non tanquam simplicibus testibus, sed tanquam scrutatoribus obstrictis lege secreti, uti late allegatis resolutionibus huius S. Congr. prosequuntur *Gallemart* ad c. 6. supra cit., *Garzias* de benef. P. 5. c. 4. n. 190. al., et cum additione in ordine ad ingressum sive ad prohibitionem ingressus intra claustra monasterii, ut eadem sibi locum non vindicet, quando magna concurreret necessitas, evitandi scil. subornationem vocalium, aut alia adesset consimilis circumstantia, uti .. late prosequitur *Petra* ad const. apost. T. IV. p. 478.

—

Procedendo ad tramites S. Conc. Trid. episcopus praeesse deberet electioni abbatissae, quae fit a monialibus ei subiectis, et praelatus regularis praeesse deberet ele-

ctioni, quae fit a monialibus sibi subiectis et exemptis a iurisdictione episcopi. Sed aliter res se habet post const. 18. Gregorii XV., in qua cautum est, ut in monasteriis exemptis episcopus una cum superioribus regularibus per se vel per alium interesse valeat et praesidere electionibus abbatissarum, citra tamen ullam monasteriorum impensam...

—

Pleraque inter episcopos et praelatos regulares exorta sunt dissidia occasione harum electionum, quibus tamen Sacrae Congr. occurrere non destiterunt. Resolutum etenim fuit primo, quod regulares tenerentur episcopo significare diem electionis, et eum usque ad praefinitum tempus expectare, si declaraverit, se velle uti facultate interessendi vel praesidendi per se vel per alium, eundemque episcopum post dictam declarationem animadvertere posse in regulares, qui ante tempus significatum aut die electionis ei non praenunciato procedunt ad electionem, uti habetur ex resol. impressa ad calcem dictae const., adduntque doctores, declarationem fieri ab episcopo debere in synodo, et quatenus facta non sit in synodo, alio modo legitimo esse deducendam ad notitiam regularium, et electionem aliter factam esse validam, sed volente episcopo nullam esse, uti habetur apud *Monacell.* Formul. leg. T. III. p. 187.

—

Secundo resolutum fuit non posse episcopum in electione abbatissae monialium exemptarum exquirere voluntates eligentium iuxta resolutionem impressam ap. *Lantuscam* in Theatro reg. in verb. *Abbatissa.*

Tertio, non posse ipsum exquirere seu recipere vota monialium, sed illa esse exquirenda et recipienda a superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem episcopo iuxta resol. ed. in causa *Urbanien.* 10. Sept. 1639. l. XVI. Decr. p. 258.

—

Quarto non posse episcopum adnotare suffragia, cum id non pertineat ad ipsum, nec ad eius vicarium generalem, neque ad eius cancellarium iuxta resol. S. Congr. Epp. et Reg. 19. Iun. 1671. ap. *Matthaeuccium* in Offic. c. 1. n. 10., ita ut haec receptio seu adnotatio reservata videatur praelato regulari, uti prosequitur *Pellizar.* in manual. regul. T. II. tr. 10. c. 10. n. 96.

Quinto non posse episcopum aut praelatum regularem suffragium dare in hisce electionibus, et electionem in vim huiusmodi voti celebratam vires non obtinere, iuxta resol. huius S. Congr. ed. a. 1621. et impr. ap. *Castellin.* de electione c. 17. n. 28. et *Tamburin.* de iure abbatiss. disp. 28. qu. 6. n. 6.

Ultimo confirmationem electionis non pertinere ad episcopum, iuxta resol. huius S. Congr. impr. post. const. Gregorianam in resp. ad c. 5., et sic pertinere ad superiorem regularem tanquam ad praelatum immediatum, uti prosequitur *Matthaeuccius* l. c. n. 11.

Sola superest difficultas de notario, et haec sublata fuit per hanc S. Congr. d. 4. Maii. 1675 in *Neapolitana electionis abbatissae* l. XXIX. Decr. p. 65. ibi: ... Emin. archiep... instat declarari: I. An in electionibus abbatissarum una cum vicario generali interesse possit etiam notarius archiepiscopalis? II. An dicta electio facta absque interessentia vicarii et notarii sit contra const. praedictam (Gregorii XV.) ac praeterea nulla? S. C. Conc. ad utrumque resp. *negative.*

—

Hisce minime obstantibus cum episc. Tiburtinus in sequelam antiquae consuetudinis praetendat, electionibus abbatissarum praeficiendarum monasteriis subiectis Ord. Min. Obs. suum cancellarium assistere debere, non quidem ut adnotet vota vel ea audiat, sed longe a loco scrutinii et prope ianuam ecclesiae, eo modo, quo alii adstant fratres ultra provincialem vel superiorem regularem et disquisitores, et huic praetensioni se opponat P. Provincialis Prov. Rom., ex iuribus circumferendis quaeritur:

—

I. An in electionibus abbatissarum in monasteriis sub disciplina regularium Min. de Obs. possit episcopus secum conducere cancellarium? et quatenus affirmative:

II. An liceat eidem cancellario interesse ac assistere scrutiniis ac electionibus abbatissarum quae fiunt in monasteriis monialium Ord. Min. de Obs. Tiburis? et quatenus negative;

III. An saltem dictus cancellarius durante scrutinio permanere possit intra ecclesiam in casu etc.?

S. C. resp.: ad I. *affirmative*; ad II. *negative*; ad III. nec cancellarium nec fratres exceptis superiore et scrutatoribus permanere posse intra ecclesiam. *Tiburtina* 26. Apr. 1727.

5. Ius *confirmandi* abbatissas electas ad ordinarium non spectare, S. C. censuit in *Wormatien.* 9. Iul. et 17. Sept. 1746. ad dub. V. (cf. decl. const. *Inscrutabili* annexas in App.)

C. VIII. *Regimen monasteriorum non habentium ordinarios regulares visitatores quomodo instituendum.*

Monasteria omnia, quae generalibus capitulis aut episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata sedis apostolicae protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum a fine praesentis concilii, et deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere iuxta formam constitutionis Innocentii III. [1]) in concilio generali, quae incipit: *In singulis*, ibique certas regulares personas deputare, quae de modo et ordine, de praedictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent et statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat metropolitano, in cuius provincia praedicta monasteria sunt, tanquam sedis apostolicae delegato, eos pro praedictis causis convocare. Quod si infra limites unius provinciae non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congregationem, possint duarum vel trium provinciarum monasteria unam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia capitula et ab illis electi praesides vel visitatores eandem habeant auctoritatem in suae congregationis monasteria ac regulares in eis commorantes, quam alii praesides ac visitatores in ceteris habent ordinibus, teneanturque suae congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere, et ea observare, quae in sacris canonibus [2]) et in hoc sacro concilio sunt decreta. Quod si etiam metropolitano instante praedicta exequi non curaverint, episcopis, in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt, tanquam sedis apostolicae delegatis subdantur.

[1]) c. 7. X. de statu mon. III. 35.: « In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo iure dioecesanorum pontificum, commune capitulum abbatum atque priorum abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale capitulum celebrare, ad quod universi conveniant praeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evictiones et octo personas adducat. Advocent autem caritative in huius novitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis abbates vicinos ad praestandum sibi consilium et auxilium opportunum cum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor praesint capitulo universo ita, quod ex hoc nullus eorum auctoritatem praelationis assumat, unde, cum expedierit, provida possint deliberatione mutari. Huiusmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis et observantia regulari; et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione et contradictione ac appellatione remotis, proviso nihilominus, ubi sequenti termino debeat capitulum celebrari. Et qui convenerint vitam ducant communem, et faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas ita, quod, si non omnes potuerint in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosae ac circumspectae personae, quae singulas abbatias ciusdem regni sive provinciae non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi praelixam vice nostra studeant visitare, corrigentes et reformantes quae correctionis et reformationis officio viderint indigere, ita, quod, si rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient episcopo proprio, ut illum amovere procuret; quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicae sedis examen. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus et praecipimus observare. Si vero in hac novitate quicquam difficultatis emerserit, quod per praedictas personas nequeat expediri, ad apostolicae sedis iudicium absque scandalo referatur, ceteris irrefragabiliter observatis, quae concordi fuerint deliberatione provisa.

Porro dioecesani episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, ut, cum ad ea praedicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum; attentissime praecaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur, quia sic volumus superiorum iura servari, ut inferiorum nolimus iniurias sustinere. Ad hoc districte praecipimus tam dioecesanis episcopis quam personis, quae praeerunt capitulis celebrandis, ut per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compescant advocatos, patronos, vicedominos, rectores et consules, magnates et milites, seu quoslibet alios, ne monasteria praesumant offendere in personis ac rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, ut liberius et quietius omnipotenti Deo valeant famulari. » — [2]) cf. tot. tit. X. de statu mon. III. 35., de statu reg. in VIto III. 16., de statu mon. in Clem. III. 10.

C. IX. *Monasteria monialium immediate subiecta sedi apostolicae ab episcopo regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus, vel aliis regularibus.*

Monasteria sanctimonialium sanctae sedi apostolicae immediate subiecta, etiam sub nomine capitulorum S. Petri, vel S. Ioannis vel alias quomodocunque

nuncupentur, ab episcopis tanquam dictae sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Quae vero a deputatis in capitulis generalibus vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura et custodia relinquantur.

C. X. *Moniales unoquoque mense confiteantur et communicent. De confessario extraordinario iis ab episcopo provideatur. Apud illas extra publicam ecclesiam eucharistia non conservetur.*

Attendant diligenter episcopi et ceteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant [1]) et sacrosanctam eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas. Praeter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii, et non in publica ecclesia conservetur, prohibet sancta synodus, non obstante quocunque indulto aut privilegio.

[1]) cf. c. 1. l. c. in Clem.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Monialis per aliquod tempus noluit confiteri confessariis regularibus. Dubitatum fuit an episcopus Regiensis posset dare dictae moniali confessorem alterius ordinis regularem vel saecularem, cui illa semel vel pluries confiteatur peccata sua et a quo absolvi possit? SS. DD. N. ex sententia Congr. Conc. declaravit, dictum c. 10. ita esse intelligendum, ut etiam possit episcopus concedere confessarium alterius ordinis vel saecularem. 1573. ex l. I. Decr. p. 66. rel. et confirmata a *Bened.* XIV. a. 1748. Bullar. T. II. p. 475.

2. S. C. censuit, extraordinarium confessorem offerendum non alicui moniali singulariter, sed omnibus monialibus universe, ut omnium confessiones audire debeat; in arbitrio tamen cuiusque monialis esse, ut confessario extraordinario velit confiteri. 1575. Ex l. IV. Decr. p. 90. rel. et confirmata ib.

3. S. C. respondit, superiores regulares teneri offerre confessarium extraordinarium eiusdem ordinis; alterius vero ordinis posse quidem, sed non teneri, 26. Sept. 1595. Ex l. III. Decr. p. 149. rel. et confirmata ib.

4. Episcopus Vercellensis supplicat sibi responderi, an deputatio confessarii extraordinarii monialium regularibus subiectarum spectet ad ordinarium loci? S. C. censuit ad episcopum non pertinere nisi in casu negligentiae eorundem regularium. 23. Aug. 1631. Ex l. XIV. Decr. p. 493. rel. et confirmata ibid. p. 474.

5. Cum peteretur, an episcopus possit denegare monialibus confessarium extraordinarium bis aut ter in anno? S. C. decrevit, non posse, immo teneri offerre. *Saluzen.* 20. Sept. 1642. Ex. l. XVII. Decr. pag. 103. rel. a *Bened.* XIV. Inst. LXVII.

6. Confessarios etiam extraordinarios monialium, etiam regularibus subiectarum post constitutionem *(Inscrutabili)* Gregorii XV. hac de re editam nullatenus posse earum confessiones audire, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur et approbentur, non obstante quacunque contraria consuetudine, S. C. decrevit in *Cadurcen.* 12. Iul. 1658. ad dub. II. (alleg. XXXIX. 115.) *Vratislavien.* 30. Ian. 1723.

7. Episcopum, quo minus sine praevia ipsius approbatione regulares accipiant confessiones monialium, non obstante consuetudine, prohibere posse, resolv. S. C. etiam in *Pharaonen.* 14. Nov. 1733. ad dub. III.

8. Moniales, quae S. eucharistiam recipere velint ultra dies statutos a constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales communicent, eam recipere debere de licentia confessarii ordinarii, non directorum, praevia participatione praelati ordinarii, S. C. decl. in *Ianuensi* 14. Apr. 1725.

9. Propositis dubiis: X. An canonicis regularibus in illorum comitiis aut capitulis liceat ultra confessarium ordinarium alium

deputare viceconfessarium ad annum vel ad certum tempus pro administrando poenitentiae sacramento eisdem monialibus (S. Sebastiani civ. Arim.), quoties ob absentiam vel infirmitatem confessarii vel aliam iustam causam ita expedire videatur in casu etc.? XI. An huiusmodi viceconfessarius debeat pro qualibet vice intra tempus suae deputationis occurrente approbari ab episcopo, vel potius sufficiat eum semel ab initio approbari in casu etc.? XII. An idem viceconfessarius possit ab abbate aut ab eorundem canonicorum regularium capitulis deputari in confessarium extraordinarium praedictarum monialium ad formam S. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 10. de regul.? XIII. An pro exercendo munere confessarii extraordinarii sufficiat pariter quempiam idoneum a superioribus regularibus deputari, et ab episcopo approbari semel per annum, vel potius requiratur approbatio episcopi pro qualibet vice intra annum occurrente in casu etc.? S. C. resp. ad X. XI. *affirmative* cum approbatione episcopi, ac certioratu episcopi in casu impedimenti et cum eiusdem licentia; ad XII. *negative;* ad XIII. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, *et amplius. Ariminen.* 27. Ian. 1748.

10. Propositis dubiis: XI. An confessarii ab episcopo approbati ad audiendas confessiones fidelium utriusque sexus possint sine speciali approbatione episcopi in confessarios monialium exemptarum a superioribus regularibus destinari? Et quatenus negative: XII. An saltem dicti confessarii regulares, pro audiendis confessionibus unius monasterii monialium exemptarum vel pro una vice approbati, censeri debeant approbati semper et pro omnibus monasteriis monialium? S. C. resp. *negative. Olomucen.* 7. Iun. 1755. Quod decretum cum reliquis pro ecclesiis quoque *Colonien., Monasterien., Hildeshemen., Paderbornen.* et *Osnabrugen.* a Clemente XIII. d. 11. Dec. 1758. confirmatum est. (Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.

C. XI. *In monasteriis, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum familia, visitet episcopus, et eidem curae praeficiendas examinet, certis exceptis.*

In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu [1]), ac praevio examine per eum aut eius vicarium faciendo; excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales [*]) aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent.

[1]) cf. c. 11. C. XVIII. qu. 2. (Statut. eccl. ant.)

[*]) deletum est comma, quod inter verba: *abbates generales* inseri etiamnum solet, secundum const. Benedicti XIV. *Firmandis* dat. 8. Nov. 1744. in App. relatam.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Controversiis exortis inter episcopum Passavien. et abbates monasteriorum in ea dioecesi existentium circa exercitium curae animarum in parochialibus ecclesiis, quae erant annexae vel incorporatae ipsis monasteriis exemptis vel de eorum iure patronatus, dubia tunc prolata fuerunt resoluta a. 1661. Conquestus tamen fuit episcopus, quod abbas, qui nunc praeest monasterio S. Mariae Alderspachii Ord. Cisterciensis contra morem plura facere praesumeret, quare dubia sequentia sunt proposita:

I. An abbas monasterii Alderspachii teneatur praesentare episcopo vicarios et parochos sive regulares sive saeculares in ecclesiis, quibus imminet cura animarum, eidem monasterio unitis seu ab eo dependentibus, vel in quibus habet ius patronatus; et ii ab eodem episcopo obtinere debeant ap-

probationem ad curam animarum iuxta decreta S. Congregationis edita anno 1661.? Et quatenus affirmative:

II. An idem servandum sit quod regulares, qui in ecclesiis praedictis exponuntur ad curam animarum titulo provicarii seu cooperatoris? Et quatenus affirmative:

III. An idem abbas possit dictos religiosos vicarios vel cooperatores ad libitum amovere et alios subrogare in exercitio curae animarum, episcopo inscio? Et quatenus negative:

IV. An et quas poenas incurrant dicti abbas et religiosi exercentes curam animarum in praedictis ecclesiis sine episcopi approbatione?

Sac. Congr. resp.: Ad I. *affirmative*. Ad II. *affirmative*. Ad III. *affirmative* quoad primam partem, certiorato episcopo; et quoad secundam partem *negative*. Ad IV. episcopum posse procedere iuris remediis, *et amplius*. *Passavien.* 28. Iul. 1731. Eandem resol. quoad II. dub. cepit. S. C. in *Assisien.* 16. Nov. 1709. ad II. l. LIX Decr. pag. 365. *Nullius s. Montis Cassini* 26. Ian. 1726. ad IV.

2. Propositis ab episcopo Olomucensi quaestionibus:

I. An parochi regulares cuiuscunque ordinis illi sint, et praesertim Praemonstratenses, Cistercienses et Benedictini exercentes curam animarum personarum saecularium et non commensalium in parochiis in dioecesi Olomucensi, licet illae monasteriis exemptis sint unitae et annexae, sive sint de iure patronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in abbatibus, visitationem episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum, sive episcopus visitet per se sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum? Et quatenus affirmative:

II. An dicti parochi procurationem solvere teneantur? vocati ad synodum accedere sint cogendi? festa dioecesis populo annunciare et celebrare, pariter chrisma et olea sancta ab episcopo dioecesano accipere teneantur?

III. An parochi regulares, etiamsi sint abbates, possint a superioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere sine approbatione episcopi?

IV. An regulares dari in coadiutores dictorum parochorum possint a superioribus regularibus sine expressa licentia episcopi, sive potius sit in potestate episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorundem facultates non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas et loca, in quibus debent confessiones audire?

V. An liceat sive abbatibus sive parochis regularibus, praesertim Cisterciensibus pro libitu et sine licentia episcopi pro parochiis modo unam, modo alteram ecclesiam sive capellam, in qua sacramenta a parochis administrentur fidelibus dioec. Olom. constituere?

VI. An praelati regulares, ubi habent purum ius patronatus parochiarum acquisitum vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur episcopo praesentare sacerdotes saeculares, ut antea laici tenebantur, an vero possint substituere monachos, eosque pro libito non salutato episcopo removere?

S. C. resp. ad I. et II. *affirmative* (ad II. eandem regulam secuta quam statuerat in alia *Olomuc.* 1665. XXXIX. 122.), ad III. *negative*, ad IV. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, ad V. *negative*, ad VI. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. *Olomuc.* 7. Iun. 1755. Quod decretum cum reliquis a Clemente XIII. d. 11. Dec. 1758. pro ecclesiis quoque *Colonien.*, *Monasterien.*, *Osnabrugen.*, *Paderbornen.* et *Hildeshemen.* confirmatum est. (Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.)

3. Habito ab archiepiscopo Manilensi super infrascripto dubio ad S. R. E. Card. S. Conc. Trid. Interpr. recursu: An iurisdictio, visitatio et correctio in c. 11. de reg. Sess. XXV. episcopis tributa super parochis regularibus intelligatur eadem, quam super parochis saecularibus habent, et ideo, si dictos parochos regulares episcopus poterit compellere, ne excedant taxam ab ipso factam super emolumentis baptismatum, matrimoniorum, funeralium et aliorum, etiamsi ad hoc licentiam ab eorum superioribus regularibus vel capitulis provincialibus habeant? iidem cardinales responderunt, in regulares curam animarum personarum saecularium exercentes in his, quae dictam curam et sacramentorum administrationem concernunt, episcopum eadem auctoritate uti posse, qua in parochos saeculares proindeque regulares ipsos in emolumentis, ut proponitur, legitime percipiendis prohibere posse, ne excedant taxam ab episcopo praescriptam. Quod decretum Urbanus VIII. d. 9. Mai 1626. confirmavit. (Bull. Rom. T. V. p. 5. p. 415.)

(Vide Const. *Benedicti* XIV. *Firmandis* dat. 8. Id. Nov. 1744. in App.)

C. XII. *Conformentur regulares saecularibus in observatione censurarum episcopalium et festorum dioecesis.*

Censurae et interdicta [1]), nedum a sede apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo a regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem episcopus praeceperit [2]), ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur.

[1]) cf. Clem. 1. de sent. exc. V. 10. — [2]) cf. c. 13. D. XII. (conc. Tolet. XI.)

C. XIII. *Controversias de praecedentia e vestigio componat episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur.*

Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares cum in processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella et aliis similibus, episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscunque componat. Exempti autem omnes, tam clerici saeculares quam regulares quicunque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « S. C. saepius declaravit, publicas processiones, ad quas exempti ab episcopo vocati accedere tenentur ex decreto c. 13. Sess. XXV. de reg., eâs esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico vel publico honore, » et rursus: « S. C. censuit, publicas processiones, de quibus Conc. Sess. XXV. c. 13. de reg. loquitur, intelligi solitas et consuetas nec non eas, quae indictae fuerunt pro bono publico, publicove honore, » in *Ferrarien.* 23. Sept. 1609. l. XI. Decr. pag. 67. et 28. Nov. 1609. eod. lib. pag. 69. a tergo. (rel. III. 141.)

2. Processionibus generalibus teneri intervenire clericos tam saeculares quam regulares, nisi doceant de privilegio post Concilium Trident. impetrato, quo tribuatur peculiaris exemptio circa processiones publicas, constat ex resol. S. C. in *Mediolanen.* 3. Aug. 1658. l. XXI. Decr. pag. 353., *Neapolitana* 3. Aug. 1709., l. LIX. Decr. pag. 259. (all. VI. 276.)

Non vero ad talem exemptionem suffragari indulta ac privilegia etiam in fundatione impetrata, apparet ex resoluti. S. C. in *Reatina* 26. Apr. 1602., l. X. Decr. pag. 10. (VI. 227.), *Neapolitana* 24. Mart. 1725.

3. « Sacra etc. auditis partibus, respondit, monachos S. Hieronymi, ut proponitur, ab ordinario vocatos teneri, ac potuisse compelli etiam poenis et censuris ecclesiasticis ad rogationem Divi Marci aliasque publicas processiones accedere, » in *Albanen.* 23. Sept. 1617. l. XI. Decr. pag. 201. a tergo (all. III. 141.)

4. « Sacr. etc. respondit, episcopum procedere posse ad executionem decreti eiusdem Sacri Concilii cap. 13. Sess. XXV. *de regular.*, et declarationis huius Sacrae Congregationis, inhibitionibus A. C. non obstantibus, » in *Spoletana* 23. Iun. 1629. l. XIV. Decr. pag. 111. a tergo. (rel. ibid.)

5. « Sacr. etc. censuit in illis casibus, in quibus episcopis commissa est executio dispositionis regulares comprehendentis, posse eosdem regulares, si inobedientes extiterint, etiam per censuras ad illius observationem compellere, » in *Limana* 16. Apr. 1633. l. XIV. Decr. pag. 629. (rel. ibid.)

6. Episcopum, concurrente legitima consuetudine, compellere posse regulares etiam ultra medium milliare a civitate distantes, ut processionibus intersint, censuit S. C. in *Strongolen.* 17. Iun. 1645. l. XVII. Decr. pag. 483. (all. VI. 562.)

7. Clericos extra civitatem degentes cum propria plebe et parochos rurales non teneri intervenire ad processiones publicas (scilicet hoc casu SSimi Corporis et Patroni) in urbe faciendas, resolv. S. C. in *Spoletana* ad I. dub. 20. Nov. 1734.

8. Iurisdictionem in decernendis poenis contra renuentes accedere ad publicas processiones privative spectare ad episcopum, constat ex resolutionibus S. Congr. in *Papien.* 8. Maii 1627. l. XIII. Decr. pag. 256., et *Bobien.* 16. Mart. 1630. l. XIV. Decr. pag. 260. (rel. VI. 563.)

9. Cum novus episcopus Albiganensis visitandi causa accederet, a processione, propter primum ingressum episcopi fieri solita, abfuerunt exemptionis privilegio freti Patres Dominicani et Capucini, ob quam rem ecclesiae eorum ab episcopo sunt interdictae. Hanc quidem censuram non sustineri, Patres vero *praevia intimatione episcopi nomine facienda* ad processionem intervenire debere censuit S. C. in *Albingan.* 11. Iul. 1750.

—

10. « S. Congr. censuit regularibus et confraternitatibus in regularium ecclesiis erectis permissum esse processiones facere intra eorum ecclesias et claustra tantum et non extra. Si vero ecclesiae claustro careant, eisdem regularibus et confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae, sive exeundo a ianua ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eandem, et semper prope muros ecclesiae et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu, et cum cruce parochi, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis tantum apost. Sac. Concilio Trid. posterioribus in suo robore permanentibus, quibus per hoc decretum minime censeatur derogatum. « *Nepesina* 24. Iun. 1632. l. XIV. Decr. p. 650., quod decretum ad favorem archiepiscoporum et episcoporum Poloniae ab *Innocentio* X. d. 20. Apr. 1645. confirmatum est. (Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 39.) Postea in *Nepesina* 3. Aug. 1686. S. C. stetit in decisis, et novo dubio proposito: An solius episcopi accedente licentia possint regulares processiones facere, quamvis parochus contradicat et consentire recuset? S. C. resp. sufficere licentiam episcopi. Idem iudicavit in *Cremonen.* 5. Iun. 1723., 12. Ian. 1726., 13. Apr. 1726., *Volaterran.* 16. Mart. 1726. ad dub. 10.

—

11. « S. Congr. Emin. Card. Conc. Trid. Interpretum saepius censuit, processione tantum sanctissimi corporis Christi solemnem debere episcopum permittere, ut regulares extra claustrum per viam ecclesiae monasterii seu conventus contiguum possint habere. » Confirm. ad favorem archiepiscoporum et episcoporum Poloniae ab *Innoc.* X. d. 20. Apr. 1645. (Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 39.

C. XIV. *Regulari publice delinquenti poena a quo irroganda.*

Regularis non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante a suo superiore intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat. Sin minus, a suo superiore officio privetur [1]), et delinquens ab episcopo puniri possit.

[1]) cf. c. ult. X. de statu monach. III. 35. (Honor. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

Cum inter controversias, quae inter Ioannem Palafox ep. Angelopolitanum et clericos regulares soc. Iesu agebantur, haec quoque quaestio mota esset: An si contingat, ut aliquis praedictorum regularium insurgat contra episcopum in propria dioecesi maledictis cum scripto vel dicto populum scandalizando, possit ab episcopo puniri et qua animadversione, et quid, si huiusmodi delinquens transiverit ad aliam dioecesim, hoc casu servandum sit, et qua poena puniendus sit regularis, qui commorans in una dioecesi spargat famosos libellos contra ordinarium alterius dioecesis? S. Congr. ad id deputata resp.: Si regularis intra claustra degens extra ea in casibus in dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante teneri superiorem regularem intra tempus ab episcopo instante praefigendum severe illum punire, ac de punitione episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab episcopo puniri posse ad praescriptum Conc. Trid. c. 14. Sess. XXV. de reg.; quod si delinquens ad aliam dioecesim migraverit, servandum esse quod praecipitur in const. s. m. Clementis VIII. incip.: *Suscepti muneris ratio.* Confirm. ab Innocentio X. 14. Maii 1653. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 247.)

C. XV. *Professio non fiat nisi anno probationis exacto, et decimo sexto aetatis completo.*

In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore quam per an-

num [1]) post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla [2]), nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.

[1]) cf. c. 1. C. XVII. qu. 2. (Alex. II.), c. 16. X. de regular. III. 31. (Innoc. III.), c. 2. h. t. in VIto III. 14. (Alex. III.) — [2]) cf. c. 8. X. h. t. (Alex. III.), c. 12. ib. (Clem. III.), c. 1. h. t. in VIto (Innoc. IV.)

C. XVI. *Renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla. Finita probatione novitii aut profiteantur, aut eiiciantur. In pio clericorum societatis Iesu instituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem.*

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscunque causae piae, valeat, nisi cum licentia episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renunciatione etiam iurata, sit irrita et nullius effectus. Finito tempore novitiatus superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant. Per haec tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum societatis Iesu iuxta pium eorum institutum a sancta sede apostolica approbatum Domino et eius ecclesiae inservire possit; sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocunque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius praecipit sancta synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant. Quod ut recte fiat, episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

(Ad c. 15. et 16.)

1. S. C. censuit, tacitam professionem a decreto Conc. Sess. XXV. c. 15. et seq. de regul. non esse exclusam, servato tamen tempore ibi praefixo et aliis concurrentibus ad tacitam professionem ex iure requisitis. *Cremonen.* 1578.

In eadem causa rescripsit, tacitam professionem induci in ea aetate, qua potest emitti expressa. (Alleg. LVI. 5.)

2. Tacitam non posse ex quibusvis actibus induci professionem, si integer non processerit annus probationis, S. C. iudicavit in *Lucen.* 6. Aug. 1593., *Assisien.* 1612.

3. De legitima professione mulieris non constare, quamvis per triginta annos habitum relig. detulisset, cum neque novitiatus annum explevisset neque unquam sacrum velum solemniter recepisset et officia monialium praestitisset, resp. S. Congr. in *Pragen.* 4. Iul. 1739.

4. Puella quaedam cum transactis 22. mensibus religiosae probationis in monasterio (virginum Ursulinarum) in gravem morbum incidisset, in abbatissae manibus, monialibus ceteris adstantibus, ultro ac sponte solemnia nuncupavit vota, impetrata prius ad id speciali episcopi facultate, triduoque post e vita excessit. Cum ordinis constitutiones a Paulo V. confirmatae postulent novitiatum duorum annorum, de validitate huius professionis etiam ad effectum lucrandi dotem non constare; resp. S. C. in *Rom. seu Narnien.* 25. Ian. 1744.

5. Cum in Belgio fuerit dubitatum, an simoniacum sit recipere dotem solvendam pro victu, amictu, supellectili et aliis

necessariis ad sustentationem puellae volentis ingredi monasterium, supplicantur EE. PP. pro huiusmodi dubii resolutione et S. C. resp., non esse simoniacum. *Belgii* 18. Sept. 1683. ex l. XXXIII. Decr. fol. 310. a tergo, rel. in *Bononien.* 14. Apr. 1725.

—

6. Novitia decedente intra annum novitiatus restituendam esse dotem resp. S. C. in *Eugubina* 26. Nov. 1650.

7. « Maria Teresia Lopez Malo monialis professa in monasterio Commendatricium Calatravae Ordinis S. Benedicti, civitatis Matriti, SSimo D. N. supplicavit pro facultate mutandi dispositionem a se factam, dum erat in novitiatu, et a Sanctitate Sua fuit supplex oratricis libellus ad hanc S. Congr. remissus.

Ut autem adaequatum de instantia ferri valeat iudicium, videtur esse necessarium primo loco exponere tenorem dispositionis a moniali factae, dum erat in novitiatu, secundo loco referre dispositionem, quam ipsa facere meditatur, et tertio loco circumstantias enarrare, quae in consimili dispensatione concedenda vel neganda ab hac S. Congr. ponderari consueverunt; nulla etenim quoad potestatem pontificiam esse valet difficultas, tum quia prohibitio disponendi tam inter vivos quam in ultima voluntate quoad monachos et moniales descendit a iure positivo, hoc est a textu in Auth. *Ingressi* C. de SS. EE. et a cap. *Quia ingredientibus* de testamentis, quam sua auctoritate Summus Pontifex tollere potest; tum quia, si ecclesiasticas historias transcribere liceret, facile esset exempla afferre monachorum etiam Sanctorum, qui ante iuris positivi prohibitionem de bonis suis in ultima voluntate disposuerunt.

—

Ducto itaque initio a tenore dispositionis factae ante professionem a sorore Maria Teresia, tres ipsa instituit capellanias, et ius ad eas nominandi sibi reservavit, et post suum obitum ius illud detulit ad nonnullos suos consanguineos, illisque deficientibus ad patrem rectorem collegii Societatis Iesu, absque eo, quod tamen ecclesiam expresserit, in qua capellani deberent missas celebrare, uti non solum ex oratricis precibus desumitur, sed etiam habetur ex relatione archiepiscopi Toletani.

—

Transeundo ad huius dispositionis mutationem, soror Maria Teresia vellet, ut a Summo Pontifice sibi indulgeretur facultas disponendi, primo, quod capellani nominandi deberent esse ex suis consanguineis intra quartum gradum, et in eorum defectu ex paupertioribus et magis egenis sacerdotibus suo monasterio inservientibus, secundo, quod missae semper in ecclesia sui monasterii celebrarentur, et tertio, quod ius nominandi capellanos deferretur ad eiusdem monasterii abbatissam, subdendo haec omnia esse admodum rationabilia, tum quia ecclesia sui monasterii non habet sufficientem numerum missarum, et propter eius paupertatem sacerdotes illi inservientes accedunt ad celebrandum in aliis ecclesiis, ut eleemosynam missarum obtineant; tum quia consanguinei in prima dispositione vocati ad ius activum nominandi iam mortui sunt; et tandem quia pater rector collegii Societatis Iesu se promptissimum et paratissimum exhibuit et exhibet ad renunciandum pro se suisque successoribus iuri nominandi sibimet vel successoribus suis deferendo post obitum sororis Teresiae, quae omnia referuntur etiam et confirmantur in allegata informatione archiepiscopi Toletani.

Post haec nihil aliud superest, quam circumstantias enarrare, in quibus Sacra haec Congr. consimiles petitiones aliquando reiiciendas, et aliquando censuit admittendas.

—

In quadam causa *Toletana*, die 8. Iulii 1668. S. Congr. *negative* respondit petitioni monialis S. Clarae, quae post demandatam in suo testamento, quod in saeculo condiderat, capellaniae fundationem, post suum obitum erigendam, et ad quam suos vocaverat consanguineos, postulabat facultatem de iisdem bonis disponendi favore sui monasterii, sed in ea causa oratrix ad mutationem dispositionis procedebat non tam ex amore erga suum monasterium, quam ex odio concepto adversus consanguineos. Item in quadam causa *Bononien.* S. haec Congr. noluit concedere licentiam revocandi testamentum cuidam regulari, qui ante professionem illud condiderat, heredem relinquendo suum monasterium, licet ageretur de professo inter Iesuatos, et licet ordo Iesuatorum tempore petitionis fuisset iam suppressus a Summo Pont. Clemente IX., uti colligitur ex resolutionibus in dicta causa editis die 25. Februarii 1679. et die 23. Augusti 1692. Sed in ea causa nedum aderat praeiudicium monasterii, heredis instituti in primo testamento, cuius bona et iura ad sedem apostolicam erant devoluta, sed ulterius Papa religionem supprimendo professis permiserat transitum ad aliam religionem, et quatenus in saeculo permansissent in habitu clericali, praestationem ex reditibus monasterii assignaverat.

—

E contra S. haec eadem Congr. in quadam causa *Florentina* die 13. Iulii 1686. indulsit fratri Camillo Lando O. S. Augustini, ut accedente consensu fratrum sui conventus renunciare posset iuribus sibi competentibus super quadam domo favore sui fratris germani, et in alia causa *Limana* 27. Iunii 1699. concessit cuidam moniali, ut de certa quantitate disponeret, cuius dispositionem sibi reservaverat in testamento, quod fecerat ante professionem.

Uno verbo, admissa novae dispositionis rationabilitate tota quaestio reduci videtur ad praeiudicium eorum, qui ex prima dispositione ius acquisiverant, cumque in facti specie, nulla quaestio esse videatur quoad novae dispositionis rationabilitatem, nec praeiudicium in iure activo nominandi ullum adsit, ex quo consanguinei vocati iam decesserunt, et pater rector collegii suum praestiterit et praestet assensum, et in eo, quod attinet ad ius passivum, quodcunque esset praeiudicium certarum personarum, cum certae personae non essent in prima dispositione ad illud vocatae, et in eadem prima dispositione non fuerit expressa ecclesia, in qua missae essent celebrandae, quasi quod deduci hinc valeat consequentia, licitum esse professo, seclusa etiam quacunque dispensatione declarare testamentum a se conditum ante emissam professionem, dummodo declaratio non importet novam dispositionem, putat soror Maria Teresia Lopez suis precibus annui posse. Quocirca ponderatis relatis circumstantiis, et examinato puncto, an in re, de qua agitur, sufficiat consensus patris rectoris, et an pro eodem praestando requiratur beneplacitum apostolicum; (nonnulli etenim volunt illud esse necessarium, etiamsi agatur de quaerendis, *Donat.* in prax. rer. regular. tom. I. tract. 14. quaest. 59., et alii censent esse necessarium in quaesitis, non in quaerendis, *Tamburin.* de iure abbat. tom. 3. disp. 13. quaest. 9. n. 5.): quaeritur: An oratricis precibus sit annuendum in casu etc. S. Congr. respondit: *Affirmative* praevia renunciatione facienda per P. praepositum generalem.» *Toletana* 7. Maii 1718.

8. « Inter ceteros a iure antiquo inductos modos tacite profitendi in aliqua religione, ille est, quando novitius aliquis constitutus in aetate discretionis novitiorum habitum in religione per annum portaverit, nisi tamen habitus in colore, scissura vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu professorum, uti cavetur in Clementina *Eos qui* de regularibus. Et quidquid sit de aliis modis, ex quibus tacita de iure antiquiori inducebatur professio, ille, qui modo expositus est, adhuc perseverare dicitur post Conc. Trid., licet enim illud Sess. 25. de regul. cap. 15. statuerit, non posse fieri professionem in quacunque religione tam virorum, quam mulierum ante completum decimum sextum annum, et nisi sit elapsus annus novitiatus, hinc tamen non infertur sublatam fuisse a Tridentino supra memoratam tacitam professionem, sed eam sic esse modificatam, ut non valeat nisi completo anno decimo sexto quoad aetatem, et completo anno uno quoad novitiatum, uti bene ponderant *Azor.* Instit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 4. quaest. 6., *Pellizar.* in Manual. regul. tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 6., *Donat.* in Praxi regul. tom. 2. tract. 10. quaest. 23. Et sola, quae remanet quoad hoc punctum difficultas, est, quod nonnulli Doctores ultra annum novitiatus, ultra aetatem ad minus annorum sexdecim, pro tacita professione exposcunt annalem ulteriorem gestationem habitus, nullam admittentes distinctionem inter novitios et professos, quando alii hanc ulteriorem annalem habitus gestationem excludunt, tacitamque contendunt inductam professionem, statim ac elapsus est annus novitiatus, et completa est aetas annorum sexdecim, uti plene videri potest apud *Passerin.* de stat. hominum tom. 3. quaest. 189. art. 10. inspect. 6. num. 279.

At quidquid sit de hac controversia, eadem omnino cessare videtur in Ordine Fratrum Praedicatorum; in hoc etenim praeclarissimo Ordine cum indistinctus sit habitus novitiorum ab habitu professorum, non solum sibi vindicat locum ea tacita professio, de qua supra habitus est sermo, uti late probat *Festus* in Summ. constitutionum, declarationum et ord. cap. 35., sed etiam inducta censetur tacita professio in ipso temporis momento, in quo, absoluto novitiatus anno, novitius annum complet aetatis suae decimum sextum, uti legitur in Gloss. ad cap. 15. constitutionum dist. prima pag. 104. iuxta Romanam impressionem anni 1609., quae Glossa habet vim legis in Ordine et est in praxi recepta teste *Passerino* l. c. num. 290. Nec mirum, quia in iisdem constitutionibus cap. 14. de novitiis dist. 1. num. 10. pag. 99. praescribitur, ut, decurrente anno probationis constitutoque novitio in aetate ad minus annorum decem et quinque, praelatos eidem terminum praefigat ad deliberandum, an profiteri velit, cum protestatione, quod statim elapso termino sibi taxato, nisi vel ab ipso vel a Religione contradictum fuerit, factus est casus tacitae professionis obli-

gantis ad tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae, etiamsi expressa et solemnis professio non emittatur.

Ad tramites constitutionum, quas praeter allegatos auctores graviores Ordinis Praedicatorum Patres a me interrogati, dixerunt esse in viridi observantia, cum Margarita Victoria Pararelli ingressa esset monasterium monialium Ord. Praed. S. Catharinae a Senis Civitatis Camerini, et inter novitias esset admissa, antequam exspiraret ultimus bimestris novitiatus, frater Thomas Guidottus confessarius et vicarius monasterii eam coram priorissa et monialibus discretis interrogavit, an staret in proposito ducendi vitam sanctimonialium in monasterio, monuitque, quod, elapso ultimo dicto bimestri, nisi contrariam suam explicasset voluntatem, adstricta remanebat ad tria vota regularia in sequelam tacitae professionis, et acceptata a Margarita Victoria protestatione tacitae professionis, post nonnullos alios dies idem pater confessarius et vicarius eidem notificavit, quod antequam haberetur pro tacite professa, poterat devenire ad actum renunciationis omnium suorum bonorum et iurium favore coniunctorum, cum reservatione annui livelli pro suis indigentiis religiosis.

—

Actum fuit, decurrente bimestri, inter Urbanum Pararellum patrem et Margaritam Victoriam filiam de reservatione livelli; cumque inter se concordare non potuerint, et sic nulla emissa fuerit a Margarita renunciatio, post dictos duos menses elapsos, Urbanus instetit pro renunciatione; cumque eidem fuisset responsum, non esse amplius locum renunciationi, quia factus erat iam casus tacitae professionis, fuerunt ab eo exhibitae preces huic S. Congregationi, ut eius auctoritate petitam consequi posset renunciationem, cumque iuxta morem scriptum fuisset episcopo pro informatione, exposuit ille, transmissisque documentis recensitam facti seriem confirmavit, et in praesenti quaeritur, an petitis sit annuendum.

Margarita coram episcopo protestata est, se esse vere professam, sed se summopere exoptare renunciationem facere posse, ne perpetuum habeat cum patre et consanguineis dissidium. Urbanus pater ait, se semper credidisse, quod expressa professio esset a filia emittenda, et sic, praeter suam intentionem et sub bona fide elapsum fuisse terminum duorum mensium. Addit tacitam professionem sibi posse vindicare locum in fratribus S. Dominici, sed non in sororibus, cum in constitutionibus Sororum cap. 16. sola fiat mentio expressae professionis, quod ipsum habetur in Rubrica speciali de modo et ordine recipiendi fratres et sorores de poenitentia S. Dominici ad habitum, uti habetur pag. 15. et pag. 52. post constitutiones fratrum Ordinis Praedicatorum Romae impressas anno 1690., et multo magis cum in professione mulierum, ad differentiam professionis virorum, ius exposcat scripturam a profitente subscriptam aut saltem signatam, uti habetur in can. *Vidua* 20. quaest. 1. et in can. *Omnes feminae* 27. quaest. 1. et docent *Gratian.* discept. 640. num. 4. et 5., *Sanchez* in decal. lib. 5. cap. 3. num. 5. tom. 2., *Tondut.* Resol. benef. lib. 1. c. 24. num. 11. Cumque in monasteriis monialium Tertii Ordinis, et signanter in illo Camerini, de quo nunc agitur, novitiae deferant velum album, et professae velum nigrum, ut ex attestationibus transmissis desumitur, infert Urbanus non esse unum et eundem habitum novitiarum et professarum, et sic in monialibus non posse dari tacitam professionem, quae non est applicabilis, nisi quando unus et idem est apparenter habitus novitiarum et professarum. Interrogati Patres graviores Ordinis hic in Urbe testantur de consuetudine tacitae professionis tam quoad fratres, quam quoad moniales etiam Tertii Ordinis, non obstante differentia veli albi a velo nigro, in vim praesertim protestationis et monitionis, quae ante terminum novitiatus fit iisdem monialibus, et ulterius subdunt, quod possent aperiri monasteria monialium sui Ordinis, si tacitae professiones dicto modo factae declararentur nullae.

His praemissis quaeritur: An Margarita Victoria sit admittenda ad renunciationem in casu etc.? S. Congr. respondit *affirmative.* » *Camerin.* 2. Aug. 1721.

C. XVII. *Puella maior duodecim annis si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab ordinario, iterumque ante professionem.*

Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus statuit atque decernit, ut, si puella quae habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit [1]), non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel

alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta [2]), an seducta sit, an sciat quid agat, et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterii illius et ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cuius professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si praefecta certiorem episcopum non fecerit, quamdiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

[1]) cf. cit. c. 12. X. h. t. — [2]) cf. c. 10. C. XX. qu. 1. (cap. incert.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Habito ab archiep. Manilen. super infrascripto dubio recursu: Cum conc. Trid. c. 17. de reg. Sess. XXV. decernat, ut episcopus bis examinet quae moniales fieri volunt, primo scilicet, quando habitum suscipiunt, secundo vero tempore professionis: an hoc etiam intelligatur in monasteriis superioribus regularibus subiectis? et si episcopus eorundem rectores compellere possit, ne habitum novitiae dent, nisi prius episcopum certiorem faciant, ut puellae voluntatem explorare faciat? S.C.resp., *ita esse intelligendum*. Confirm. ab Urbano VIII. d. 9. Mai. 1626. (Bull. Rom. T. V. P. 5. p. 415.)

2. S. C. resp., ad episcopum pertinere voluntatem virginum ad regularem habitum aut ad professionem etiam in monasteriis exemptis admittendarum explorare, in *Suessonen.* 16. Sept. 1662. et al. (alleg. XXIX. 118.)

3. Proposito dubio: IX. An possit episcopus inhibere regularibus et praesertim Cisterciensibus et Benedictinis, ut sine examine ordinarii puellas ad habitum et professionem admittant, et praecise ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata ordinario die electionis, cui episcopus sive per se, sive per alium interesse et praesidere possit? S. C. resp. *affirmative* in *Olomucen.* 7. Iun. 1755. quod decretum cum reliquis a Clemente XIII. pro ecclesiis quoque *Coloniensi, Monasteriensi, Paderbornensi, Hildeshemensi* et *Osnabrugensi* die 11. Dec. 1758. confirmatum est. (Bull. Rom. Cont. T. I. p. 72.)

4. « Nobilis quaedam persona recepta fuit tanquam novitia in monasterio monialium, in quo novitiatum incepit, et magno cum devotionis fervore prosecuta est, ita ut imminente termino anni sit in statu emittendi professionem regularem. Praedicta persona, quando monasterium ingressa est, non advertit se esse hermaphroditam, simplicitate etenim et pudore quodam virginali dicitur insignita. Cum autem ex post suum statum adverterit, et suo iuramento firmaverit *sexum femineum notabiliter pollere et praevalere, et sexum virilem vix apparere*, cupiatque summopere professionem emittere regularem, quaerit ab hac S. Congr., an ad eam admitti possit, et quatenus admitti non possit, exorat pro dispensatione.

Plura habentur apud auctores de hac materia hermaphroditorum, sed relictis illis, quae non faciunt ad rem, tres videntur aptabiles propositiones. Altera est, quod hermaphroditus iudicandus est vir vel femina iuxta sexum in ipso praevalentem, et quoad hanc propositionem est textus in leg. *Quaeritur* 10. D. de statu hominum, ibi—: « Quaeritur hermaphroditum cui comparemus? Et magis puto eius sexus existimandum, qui in eo praevalet. » Altera est, quod, etiamsi praevaleat sexus virilis, non potest licite hermaphroditus ordinibus initiari, aut professionem emittere in monasterio virorum, et quod pariter hermaphroditus, in quo praevalet sexus femineus, professionem licite emittere non potest in monasterio feminarum, in primo casu propter irregularitatem, et in aliis casibus propter pericula, quae accidere possunt, ut in terminis receptionis sacrorum ordinum late probant *Maiol.* de irregul. lib. I. cap. 27. per tot., *Pellizar.* in manual. regul. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 2. n. 53., *Vasquez* tom. 3. in 3. partem disp. 245. cap. 2. num. 13., *Perez* de matrim. disp. 37. sect. 3. sub n. 7., *Bonacin.* oper. moral. tom. 1. de irregular. disput. 7. quaest. 2. punct. 2. proposit. 1. num. 12. et 13., et licet nonnulli putent hanc irregularitatem sibi locum tantummodo vindicare, quando publicum est et notorium, personam esse hermaphroditam, *Marchin.* tract. 1. de sacramento ordinis par. 4. cap. 2. num. 11., *Tolet.* in summ. lib. 1. cap. 63. num. 6., *Gibalin.* de irregul. cap. 3. consect. 6. in fin., horum tamen auctorum

dicta communiori sententiae adversantur, teste *Filliuccio* oper.moral.tom.1.tract.13. cap.6.num.163., et in terminis emittendae professionis firmant *Pellizar.* loco citato, *Perez* loco pariter citato, *Capon.* discept. 220.num.34., *Donat.*in praxi rerum regul. tom. 2. tract. 3. de qualitatibus recipiendorum quaest. 23. per tot., *Monacell.* in formul. legali tom. 3. tit. 1. formula 36. num. 29. Tertia est, videri iudicium esse debere medicorum, si de viris agatur, ut dignoscatur quinam ex sexibus praevaleat, ita ut solum hermaphroditi dictum non sit ullo modo sufficiens, *Sanchez* de matrim. lib.7.disp.106.num.2., *Cabassut.* in theor. et praxi iuris canon.lib.3.cap.25.num.17., *Monacel.* loco cit. num. 26., *Donat.* loco pariter cit. num. 7., *Clericat.* de sacram. poenit. decis. 43.num.10., ubi regulas deducit ad rem, de qua agitur, medice perpendendas; adeoque cum in quadam causa, cui titulus erat *Dubium ordinationis*, quae fuit in hac S. Congr. proposita die 16. Novembris 1686. quaeque fuit resoluta die 11. Ianuarii 1687., dubitatum fuisset de quodam novitio, qui erat emissurus professionem, an esset hermaphroditus et sic an esset irregularis, et cum eo esset dispensandum, auditi fuerunt medici, qui cum retulissent religiosum, de quo agebatur, esse marem, nec in eo considerari posse ullam sexus duplicitatem, responsum fuit, eum non esse irregularem: et iudicium debere esse matronarum, si de virgine agatur ad professionem admittenda, iuxta textum in cap. *Causam* de probat., quidquid esset, si ageretur de ea, quae iam professionem emisisset, iuxta celebrem dec. 136. *Sperelli.* His stantibus, quaeritur I. An novitia sit admittenda ad professionem in casu etc.? et quatenus negative: II. An cum ea sit dispensandum in casu etc.? S. Congr. respondit ad utrumque *negative.* » *Dub. profess.* 22. Nov. 1721.

C. XVIII. *Ne quis, praeterquam in casibus a iure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat. Poenitentium seu convertitarum constitutiones serventur.*

Anathemati sancta synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, praeterquam in casibus in iure expressis [1]), ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos [2]), qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia et singula, quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet, serventur non solum in monasteriis subiectis episcopo, sed et in aliis quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quae poenitentes aut convertitae appellantur, in quibus constitutiones earum serventur.

[1]) cf. c. 19. X. de conv. coniug. III. 31. (Innoc. III.) c. 19. ib. (Greg. IX.) — [2]) cf. c. 2. C. XX. qu. 2. (conc. Trib.), c. 16. C. XXXII. qu. 2. (conc. Tol. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

S. C. respondit, si ex instituto vel constitutionibus Convertitarum ad professionem admitti consueverit absque anno probationis, decretum eiusdem Concilii quoad Convertitas nihil earum institutis aut constitutionibus circa probationis annum detraxisse. 2. Mart. 1606. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 12.

C. XIX. *Quomodo in causis deficientium a religione procedendum.*

Quicunque regularis praetendat [1]), se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid si-

mile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae religionis iuvetur. Nemo etiam regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem [1]), nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suae religionis.

[1]) cf. c. 8. C. XX. qu. 1. (Leo. I.) c. cit. 12. X. de regul.—[2]) cf. Sess. XIV. c. 11. de ref.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Quinquennium, intra quod regularis, praetendens professionem suam fuisse nullam, potest ex dispositione S. Conc. Trid. audiri et causas praetensae nullitatis coram ordinario et superiore locali allegare, *incipit a die professionis;* non vero potest concedi nec cognosci restitutio in integrum nisi per sedem apost., non obstante quacunque consuetudine contraria. Sic resolutum fuit a S. Congr. in *Mechlinien.* 22. Maii 1687.

2. Restitutio in integrum adversus professionem religiosam si petatur, prius petentem reassumere debere habitum regularem dimissum, et ad monasterium redire, constat ex resolutionibus S. Congr. in *Cabilonen.* 10. Maii 1732., *Posnan.* 16. Dec. 1741., *Perusina* 16. Dec. 1741., *Giennen.* 20. Ian. 1742.

3. Restitutionem in integrum, si elapsum sit quinquennium, obtineri debere a sede apostolica, antequam religiosi eiici possint a superioribus, censuit S. Congr. in *Neapolit.* 15. Nov. 1653., *Neapolit.* 16. Ian. 1683., *Ordinis Carmel. Excalceat.* 21. Aug. 1694, *Neap. seu Tranen.* 14. Ian. 1708., *Eremit. Camaldulen.* 23. Ian. 1666., *Panormit.* 2. Apr. 1672. (alleg. omnes VI. 172. et 173.)

4. Propositis dubiis: I. An, si quando comperiatur, novitium ex praescripto constitutionis interrogatum adversus ipsam commisisse impedimentum occultando, possit idem novitius post emissam professionem per superiorem expelli? II. An vero in hac facti specie servanda sit forma decreti in c. 19. Sess. XXV. de reg.? S. C. censuit posse expelli, sed servata forma decreti S. Conc. in c. 19. Sess. XXV. de reg. *Eremit. Camald.* 23. Ian. 1666. l. XXV. Decr. fol. 18.

Similiter in una *Cosentina null. profess.* 2. Iul. 1674. l. XXVIII. Decr. fol. 311., in qua agebatur de quodam Capuccino eiecto per sententiam ex causa mox insinuata, proposita fuerunt haec dubia: I. An dictus frater Leo fuerit legitime dimissus? II. An eidem liceat uxorem ducere? Et S. C. ad utrumque *negative* respondit.

Solemnis tandem fuit disputatio in una *Neapol.* 15. Dec. 1653. l. XIX. Decr. fol. 282. a tergo, ubi sic legitur: « Sacra etc. audito procuratore religionis Carmel. Discalc, S. Teresiae ore et scriptis, nec non constitutionibus dictae religionis ac aliis deductis mature perpensis, censuit dimissiones et eiectiones professorum a religione, quae ab eadem religione fiunt ex capite illegitimitatis vel ex alio defectu, fieri debere coniunctim cum ordinario et superiore regulari loci ad praescriptum S. Conc. Trid. c. 19. Sess. XXV. de reg., ideoque sententiam cum processu super dimissione et eiectione fratris Caroli Mariae a Iesu ab ipsis regularibus latam minime sustineri. » Cit. in *Burgen.* 13. Apr. 1720. in qua eandem regulam S. C. est secuta.

5. In quibusdam Siciliae dioecesibus I. ordinarii loci de asserta professionis nullitate post elapsum quinquennium non indulta a sede ap. restitutione cognoscere solebant. II. Ab iisdem ordinariis sive exacto iam quinquennio sive illo adhuc currente edebantur sententiae invalidam declarantes professionem, superioribus conventuum, in quibus professio facta fuit, non auditis. III. Ipsi quoque superiores regulares super asserta professionis nullitate ordinarii loci consensu non requisito sententiam pronunciabant. Quae cum non solum decreto Trid. c. 19. Sess. XXV., sed iteratis quoque S. C. resolutionibus aperte repugnarent, quaesitum est: an et quomodo sit providendum? S. C. rescr., esse providendum iuxta modum a D. Secretario explicandum facto verbo cum SSimo. *Sicula* 24. Sept. 1740. (Modus autem fuit, ut scriberetur episcopo Cataniensi aliisque praesulibus provinciae Siculae, nullum epi-

scopum sive ordinarium inaudito superiore regulari conventus, in quo fuit emissa professio, neque ullum superiorem regularem independenter ab episcopo vel eius ordinario posse sub poena privationis officii et vocis activae et passivae ipso facto incurrenda causas nullitatis professionis cognoscere, sed eas coniunctim ab iisdem episcopo vel ordinario loci ac superiore locali regulari esse assignandas, sive professionis invaliditas a religiosis, sive ab ipsa religione ex quocunque capite proponatur. Restitutionem vero in integrum adversus lapsum quinquennii, quod a die professionis decurrit, etiamsi perduraverit causa metus, aut aliquod aliud impedimentum fuerit ad reclamandum interiectum, a S. sede omnino esse impetrandam iuxta decreta alias edita, non obstante quacunque contraria consuetudine etiam immemorabili et quolibet asserto privilegio. Religiosos autem, de quibus agitur, et quorum professio contra formam S. Conc. declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni reassumere habitum, et ad claustra redire tam pro obtinenda a S. sede restitutione in integrum, quatenus illa indigeant, quam pro instituendo iudicio serv. servandis super nullitate suae professionis, quatenus hanc velint deducere, atque termino elapso, si non paruerint, habendos esse tanquam apostatas. Et tandem quoad licentiam ab ipsis petitam celebrandi, firma pro nunc manente eorum suspensione, seorsim deinceps providebitur iuxta singulorum preces et circumstantias. Hanc vero resolutionem significandam esse procuratoribus generalibus ordinum, qui superiores locales de illa moneant, et S. C. de executione certiorem reddant. Factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione SSimo D. N., Sanctitas Sua praedictam sententiam in omnibus approbavit die 28. Sept. 1740. l. XC. fol. 183.)

—

6. Restitutionem in integrum non concedi contra professionem emissam post completum decimum sextum annum ex Conc. Trid. praescriptum, quamvis maior requiratur in constitutione ordinis speciali aetas, nisi haec ipsa *sub poena nullitatis* in constitutionibus a sede apostolica approbatis expresse fuerit decreta, constat ex resolutionibus S. Congr. in *Neap.* 14. Iun. 1681., *Rom.* 17. Nov. 1696., *Grossetana* 1. Ap.. 1713., *Neriton.*, 23. Febr. 1715. (alleg. VI. 157.), *Calarit.* 15. Mart. 1727. et 12. Mart. 1729., *Cremon. seu Veron.* 14. Nov. 1733.

7. « Pater Alexius Martin. O.S.Dom. supplices preces exhibuit SSimo D. N. pro obtinenda nullitate suae professionis... Praetendit pater Alexius professionem emissam usque ab anno 1685. nullitatis vitio laborare, primo quia post habitum religiosum assumptum in conventu Poliniensi transmissus fuit ad conventum Bisuntinum, ut in eo novitiatum expleret; cumque novitiatus anno decurrente aegritudine correptus transiverit ad locum de Poligni ibique gratia recuperandae valetudinis plerisque diebus permanserit tum in domo suorum parentum tum in conventu dicti loci, et recuperata valetudine ad conventum Bisuntinum rediverit, in quo novitiatum complevit, haec anni novitiatus interruptio nullam reddit professionem subsequenter emissam, etiamsi a conventu novitiatus recesserit et in domo parentum et in alio conventu habitaverit ex legitima causa et suorum superiorum accedente licentia.

Secundo, quia professionem regularem non emisit in conventu Bisuntino ad id designato, sed in conventu Poliniensi ad id nullatenus designato, in quo rerum themate urget bulla Urbani VIII. relata in eius summario num. 5., quae professiones sic emissas declarat esse nullas.

Tertio, quia Thomas Martin. eiusdem frater et religiosus Dominicanus, natu maior, eidem metum incussit, ita ut eius professio tanquam emissa per metum nulla censenda sit.

Archiep. contra Bisuntinus putat, haec tria fundamenta non esse subsistentia; in sua etenim informatione dicit, allegatam anni novitiatus interruptionem non prodesse in casu et ad effectum, de quo agitur, utpote secutam ex causa infirmitatis et pro recuperanda valetudine et accedente suorum superiorum licentia. Asserit ulterius, professionem non posse dici nullam in sequelam bullae Urbani VIII., tum quia conventus Poliniensis est conventus strictioris observantiae, et Urbanus VIII. in cit. const. inhaerendo decreto capituli generalis hab. in civ. Mediol. 1622. declaravit tantummodo nullas illas professiones, quae in provinciis et congregationibus regni Galliae non emitterentur in conventibus strictioris observantiae; tum quia, etsi conventus Polinien. non fuerit deputatus pro novitiatu, viget tamen immemorabilis consuetudo, qua non admissa innumerae professiones corruerent, ut novitii, qui suum novitiatum in conventu strictioris observantiae deputato compleverunt, possint de licentia superiorum ad patriam se conferre et in patriae conventu professionem emit-

fere. Dicit tandem archiepisc., metum allegatum nullius esse roboris et momenti, cum reprehensiones et cetera ab eius fratre religioso gesta nec metum constituant cadentem in constantem virum, nec ex industria facta sint ad extorquendum assensum in professione.

Fundamenta deducta in informatione archiepiscopi Bisunt. exornantur a scribente pro Ioanne Franc. Martin., qui est frater Alexii et qui se opponit declarationi nullitatis professionis. Praeter autem recitata fundamenta aliud ille subnectit, et est, quod ab anno 1685., in quo Alexius professionem emisit, nedum presbyteratus ordinem ad titulum religiosae paupertatis recepit, sed etiam munera sibi a religione imposita procuratoris nonnullorum conventuum, socii, lectoris philosophiae, et aliquando prioris exercuit, quasi quod in his reponi valeat tacita quaedam professio. Quaeritur itaque: An sit locus restitutioni in integrum in casu etc.? S. C. resp. *negative et amplius.* » *Bisunt.* 12. Mart. 1718.

8. Restitutio in integrum contra lapsum quinquennii denegata fuit religioso, qui, quamvis constaret per testes eum fuisse a patre coactum ad professionem emittendam metumque durasse usque ad patris mortem, patre mortuo fere tres annos iam expectaverat, donec restitutionem peteret. *Fesulana* 21. Ian. 1719.

9. Restitutio in integrum denegata fuit monacho, religionis Minorum S. Franc. de Paula, qui propterea, quod ante professionem emissam talibus corporis infirmitatibus laborarit et usque adhuc laboret, ut ab esu carnium, secundum ordinis regulam tempore quadragesimae prohibito, citra mortis periculum nec potuerit nec possit abstinere, professionem a se emissam nullam esse contenderat. *Comen.* 13. Ian. 1720.

10. Concedendam esse restitutionem in integrum contra professionem alicui, qui eam emiserat in religione Minorum reformat. S. Francisci ante decimum sextum aetatis annum, eamque post quinque annos licet non ignorans, professionem ratione aetatis fuisse nullam, ratificaverat, vi et metu tamen a fratre incussis coactus, censuit S. C. in *Sagonen.* 13. Apr. 1720.

11. Restitutio in integrum longe post quinquennium elapsum propter morbum insanabilem religiosi celatum petita, fuit denegata in *Briocen.* 22. Iun. 1720.

12. « Pater Gabriel, in saeculo Ioannes David, natus est die 29. Martii 1683. et in ordine Eremitarum S. Augustini fuit inter novitios admissus die 16. Septembris 1697. et regularem professionem emisit die 29. Septembris subsequentis anni 1698. et in praesenti instat pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii a die professionis decursi.

Petitionis momentum constituitur in cap. 15. Sess. XXV. de reg. et monial., ubi decernitur, quod in quacunque religione professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, et quod professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem.

Et quia memoratus P. Gabriel videt sibi opponi posse tacitam professionem seu ratificationem, ex quo post emissam professionem actus explevit professis congruentes, et quod iuxta praxim in annuis exercitiis magnisque solemnitatibus vota renovavit, vel saltem renovasse credi debet iuxta informationem superioris localis, quem episcopus Viennensis audivit in compilatione processus: hinc est, quod in eo, quod attinet ad tacitam professionem, seu ratificationem ex actibus desumptam, respondet non dari tacitam professionem seu ratificationem, quoties, prout hic, concurrit iusta et probabilis ignorantia nullitatis suae praecedentis professionis, de qua probabili ignorantia dicit non esse dubitandum, cum superior in sua informatione dicat esse verisimile, quod fides baptismatis non fuerit requisita, ne eius mater subiiceretur expensis, quae erant necessariae, ut dicta fides a civitate Venetiarum, in qua ipse natus erat, haberetur, iuxta famigeratam decisionem 952. per tot. et signanter num. 3. et seqq. et eius confirmatoriam 983. coram *Emerix iun.*

Et in eo, quod spectat ad renovationem votorum, subdit, de ea non esse curandum ad effectum, de quo agitur, quatenus etiam in facto subsisteret, cum haec sit caeremonia devotionem redolens et pietatem, sed quae non impedit, quin de nullitate professionis dici possit, iuxta resolutiones huius S. Congr. relatas apud D. *Ursayam* par. I. discept I. num. 57, et 58. tom. 1.

Proposita instantia pro obtinenda restitutione in integrum, et ea non resoluta, fuit iterum de eadem re actum in congr. habita die 8. Februarii subsequentis, et responsum fuit: « ex hactenus deductis non esse locum restitutioni in integrum. »

Momentum fuit repositum in tacita professione seu ratificatione desumpta ex actibus ab ipso factis per tantum temporis spatium, et licet, concurrente probabili ignorantia nullitatis professionis emissae, re mature in auditorio Rotae discussa resolutum fuerit, nec tacitam professionem, nec ratificationem sibi locum vindicare posse,

ut in terminis religiosi, qui natus erat die 7. Martii 1663. et in libro baptismatum per errorem fuerat descriptus tanquam natus anno 1662., quique sub ea iusta credulitate legitimae aetatis professionem emiserat, quod concurrente probabili aetatis ignorantia et consequenter ignorantia nullitatis professionis non potuerit ex actibus subsequenter gestis induci tacita professio vel antecedentis professionis ratificatio, insequendo resolutiones huius S. Congregationis firmavit eadem Rota decis. 952. et decis. 983. coram *Emerix iun.*, haec tamen, et similia visa sunt non prodesse intentioni oratoris, cum simplex allegatio ignorantiae aetatis, et sic nullitatis professionis non excludat tacitam professionem seu ratificationem ex actibus subsecutis derivantem, nisi praedicta ignorantia circumstantiis, coniecturis validisque adminiculis munita sit, uti videre est in citata decis. 952. sub n. 23. coram *Emerix iun.*, quae omnia in praesenti hypothesi S. Congregationi in praeterita propositione visa sunt non fuisse iustificata.

Ut itaque pater Gabriel impleat ea, quae in praeteritis deficere dicta sunt, in sua scriptura per manus circumferenda ponderandum proponit, primo, quod ipse natus est in civitate Venetiarum; secundo, quod in infantili aetate constitutus Viennam in Austria petiit, ubi deinde professionem emisit: tertio, quod non fuerunt petitae litterae baptismales, quando professus est; quarto demum, quod semper permansit in civitate Viennae usque ad annum circiter 1718., quo tempore cum accesserit ad civitatem Venetiarum, illa occasione vidit fidem baptismatis, et errorem agnovit, et statim reclamare coepit, et haec omnia simul iuncta asserit satis esse pro suadenda probabili ignorantia tum aetatis, tum nullitatis professionis, ita ut exclusa remaneat tacita professio seu ratificatio.

Quibus stantibus, quaeritur: An sit standum, vel recedendum a decisis? S. Congr. respondit: *In decisis.* » *Viennen.* 13. Sept. 1721.

13. « Philippus Ianninus habitum religionis Scholarum Piarum suscepit die 12. Novembris anno 1712. assumpto nomine patris Salvatoris a Sancta Anna, et professionem regularem emisit die 8. Aprilis 1714.

Adversus professionem idem modo petit restitutionem in integrum sub obtentu, quod natus erat die 3. Iulii anno 1698. et non die 3. Iulii anno 1696., prout suppositum fuit tempore, quo professionem emisit.

Quod autem memoratus pater Salvator natus esset die 3. Iulii 1698., comprobatur ex fide baptismatis extracta servatis servandis et citato promotore fiscali curiae archiepiscopalis; extracta, inquam, ex libris baptismatum ecclesiae parochialis, in qua idem baptizatus fuit, et concordant testes examinati super tempore nativitatis ipsius.

Quod pariter idem natus non esset die 3. Iulii 1696., ut suppositum fuit tempore, quo professionem emisit, nedum colligitur ex his, quae modo dicta sunt, sed etiam ex peritis iudicialiter a curia archiepiscopali electis, qui, recognita fide baptismatis exhibita superiori religionis, concluserunt ejus falsificationem per reductionem numeri 8. ad num. 6. et haec falsificatio adscribitur Iacobo fratri uterino patris Salvatoris exoptanti bonorum renunciationem ex ingressu in religionem.

Notissimae sunt iuris conclusiones in hac materia, quod videlicet professio emissa ante decimum sextum annum completum sit nulla iuxta cap. 15. Sess. XXV. de regul. et monial., quod nec tacita professio, nec praecedentis ratificatio induci possunt ex actibus subsequenter gestis, si adfuerit ignorantia nullitatis professionis, iuxta deducta in his terminis in decis. 952. et in decis. 983. coram *Emerix iun.*, quod denique totus punctus consistit in examinando, an ignorantia verae aetatis, tam tempore professionis quam tempore subsequenti usque ad reclamationem, sit nec ne verisimilis, uti prosequitur Rota in citata decis. 952. sub num. 23., adeoque cum in alia causa *Viennen. nullitatis professionis*, quae fuit proposita die 25. Ian., et die 8. Febr., et die 13. Sept. 1721., probata fuisset emissio professionis ante annum decimum sextum, et ignorantia nullitatis professionis seu verae aetatis fuisset allegata, S. nihilominus haec Congr. censuit non esse locum restitutioni in integrum, sub obtentu, quod ignorantia esset inverisimilis et sic quod tacita professio esset inducta ex actibus gestis post expressam professionem, licet nullam. His stantibus quaeritur: An sit locus restitutioni in integrum in casu etc.? S. Congr. respondit: *Affirmative.* » *Neapolitan.* 10. Apr. 1723.

—

14. « Quaestio, quae inter doctores agitabatur, an valida sit professio in religione emissa ab eo, qui morbo aliquo gravissimo puta epileptico laborat, et in qua affirmativa opinio de iure decretalium est verior, cessat statim, ac in constitutionibus religionis ab apostolica sede confirmatis cavetur, ut professio in dictis terminis nulla sit; in eo quippe rerum statu communis opinio est, professionem nullitatis vitio laborare, uti

plene prosequuntur *Roderich* quaest. regul. tom. 3. part. 17. art. 9., *Navarr.* consil. 48. num. 2. lib. 3. tit. de Regul., *Pignatell.* consult. 89. num. 3. tit. 1., Rota cor. *Ubaldo* dec. 38. num. 2. et seqq. dec. 394. num. 1. et seqq. cor. eod.

Ad tramites eorum, quae hucusque dicta sunt, cum in constitutionibus ordinis Capuccinorum cap. 2. haec habeantur: «Qui elephantiasi, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur, et si quis talis receptus fuerit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaratur, religionem ad eum retinendum minime velle esse obligatam.» Franciscus Spadarus contendit, professionem a se emissam anno 1709. in religione Capuccinorum, assumpto nomine Ioannis Francisci de Messina, nullam fuisse, et sic se adversus lapsum quinquennii impetrare posse restitutionem in integrum, cum morbo epileptico laboret, eodemque laboraverit, dum erat in saeculo, antequam religionem ingrederetur; inquit enim, ex allegatis verbis constitutionis inferri, non adesse consensum religionis in admissione ad professionem eius, qui morbo epileptico laborat, et consensu deficiente non esse dubitandum de professionis nullitate, uti relictis generalibus in specie constitutionum Ordinis Capuccinorum probat pater *Bartholomaeus de Vecchis* in libro cui titulus: Praxis observanda in admittendis ad religionis statum novitiis, disp. 13. dub. 15. num. 4. et plur. seqq. et signanter num. 8.

Auditus fuit super hac instantia P. Io. Francisci de Messina P. prior generalis Ordinis, qui nullo facto verbo super existentia morbi epileptici, vel tempore praesenti, vel ante emissam professionem, subdit, nullitatem, de qua in superioribus sermo habitus est, inductam esse favore religionis, et non religiosi, et sic religione nullatenus validitati professionis contradicente, non posse nullitatem a professo allegari.

Addi posset, non irrationabile forte futurum esse assertum, si quis diceret, validam fuisse in dictis terminis professionem; in constitutionibus etenim Ordinis non adest decretum irritans, et simplex interdictum sine decreto irritante non efficit nullam professionem. *Fagnan.* in cap. *Qui presbyterum* num. 8. et seqq. de poenitent. et remiss., *Portell.* in dubiis regularium in verbo *Professio nulla ex defectu aetatis* num. 54., *Bordon.* in controv. moralibus controv. 21. de aetate professionis; quaest. 9., R. P. D. *Petra* ad constit. apostol. tom. 2. pag 525. num. 23. et seqq. et facultas, quam habet religio expellendi taliter professum, compatibilis est cum validitate professionis, cum superior possit iudicialiter procedere contra professum, ut eum castiget propter peccatum, quod commisit non aperiendo defectum, quem tenebatur in ingressu confiteri, et in poenam peccati eum expellere a religione et habitu privare, ut in simili argumentatur *Navar.* cons. 48. num. 3. lib. 3. de regul.

Nulla fuit in hac S. Congr. capta resolutio, sed dictum die 2. Iulii 1723., quod causa iterum proponeretur.

Auctoritate Emin. D. mei Card. Barberini Protectoris Ordinis Capuccinorum, cum de facultate religionis eiiciendi eum, qui professionem emisit, dum morbo epileptico laborabat, nulla esse posset controversia, res eo devenit, ut superiores suum benigne dederint assensum praedicto Ioanni Francisco, ut ad saeculum redire posset, et in eorum decreto expressa fuit causa morbi epileptici, ne videatur, quod ille eiectus fuisset a religione tanquam incorrigibilis, et gesta a patribus superioribus fuerunt ab hac S. Congr. confirmata.

Terminata modo praedicto lite inter religionem et memoratum Ioannem Franciscum, alia consimilis insurrexit controversia inter eandem religionem et patrem Ioseph Maria de Palliano, contendentem professionem a se emissam in Ordine Capuccinorum anno 1714. esse nullam ex eodem capite morbi epileptici, quo laboravit usque ab infantia, laboravit tempore proximo susceptioni habitus religiosi, laboravit paulo post emissam professionem, et actu etiam laborat, uti colligitur ex plurium testium, licet formiter non examinatorum, attestatione, ita ut dicatur, non esse dubitandum de morbi existentia tempore professionis, cum in morbis habitualibus, probatis extremis, media praesumantur.

Antequam quidquam in casu perageretur, actum fuit cum P. procuratore generali, ut videretur, an superiores Ordinis se gerere vellent erga patrem Iosephum, sicuti se gesserunt erga P. Ioannem Franciscum? At eodem expresse dissentiente iuxta morem dictum fuit, ut formiter audiretur, et suam exararet in scriptis informationem.

Paruit procurator generalis mandatis, recitatisque verbis suarum constitutionum iam supra relatis inquit ex illis inferri, competere religioni facultatem eiiciendi taliter professos, sed volente religione professionem ab eis emissam esse validam, et multo magis, cum in capitulo generali habito anno 1633. propositum fuerit sequens dubium: « Utrum profitens cum taciturni-

tate morbi Neapolitani, aut alterius incurabilis contra statuta Ordinis sit vere professus? « et fuerit responsum: » esse verum professum, quia nostra constitutio non irritat professionem. »

Pro patre Iosepho scriptura exhibetur R. P. D. mei de Lanfrendinis utriusque Signaturae referendarii et pauperum in civilibus doctissimi et diligentissimi advocati, in qua strenue probare contendit, religiosam professionem involvere contractum correspectivum, et ultro citroque obligatorium, ita ut deficiente consensu ex parte religionis professio debeat esse nulla et irrita etiam ex parte professi.

Allegantur in eadem scriptura punctuales auctoritates *Capon.* discept. 53. num. 33. et seqq., patris *Bartholomaei de Vecchis* Capuccini in libro, cui titulus: Praxis observanda in admittendis ad religionis statum novitiis disput. 13. dub. 15. n. 4. et num. 8., et patris *Thesauri* Capuccini in libro Romae impresso, cui titulus: Esposizione sopra la regola del Serafico Padre S. Francesco cap. 2., qui in terminis constitutionum Ordinis Capuccinorum pugnant pro nullitate professionis ab eo emissae, qui morbo epileptico laborabat.

Alia plura tum ex facto, tum ex iure petita legi possunt in eadem elaborata scriptura per manus circumferenda; quocirca proposito dubio: An constet de causis restitutionis in integrum in casu etc.? S. Congr. die 8. Iulii 1724. respondit: « *Ad Emin. Protectorem iuxta mentem.* »

Mens autem fuit, ut superiores ordinis assensum darent egressui, prout etiam de facto dederunt.

Haec quoad praeteritas instantias; cumque in congr. habita die 8. Iunii 1726. pater Ioannes a Roma similiter instet pro restitutione in integrum adversus professionem a se emissam in eadem religione Capuccinorum, ex quo ante professionem et ab infantia nephritico morbo taliter laborabat, ut non sine gravi acerboque dolore urinam guttatim emittere posset, et eius scriptura una cum relatione patris procuratoris generalis circumferatur, quaeritur: An sit locus restitutioni in integrum in casu etc.? S. Congr. respondit: *Negative.* « *Prov. Rom. Capuccin.* 6. Iul. 1726.

15. « Pater Dominicus Sanchez de Quesada, qui professionem regularem emisit inter fratres Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, nondum elapso quinquennio nullitatem emissae professionis proposuit coram ordinario Corduben. et superiore religionis, et sententiam contrariam passus est, quae etiam confirmata fuit a curia metropolitana Toletana; cumque suam instantiam prosequendo appellationem interposuisset ad Rotae tribunal, eademque a SSimo D. N. fuerit, praevia avocatione a dicto tribunali, ad hanc S. Congr. remissa, disputandum in praesenti proponitur dubium, an constet de nullitate praedictae professionis.

In scriptura per manus circumferenda inter cetera probandum assumitur, quod orator fuit simoniace in ordinem regularem receptus, solutis videlicet ab eius genitore ducatis 300., sine quorum solutione superiores protestati fuerant se eum non esse admissuros, licet praedicta summa fuerit petita titulo eleemosynae, et sub obtentu eam erogandi in complementum fabricae conventus; sed cum hodierna quaestio ad nullitatem professionis restringatur, onus erit EE. VV. examinare, an professio ex hoc capite nulla dici possit. In sacris siquidem canonibus, hoc est in cap. *Quoniam*, et in cap. *Veniens* de simonia decernitur, quod simoniace in monasterium receptus damnetur ad serviendum Domino in alio monasterio in habitu monastico, quod utique non fieret, si professio ab eodem emissa propter vitium simoniae nullitate laboraret, uti argumentatur *Abbas* in citato cap. *Veniens* sub. num. 4. et communis esse videtur theologorum opinio pro validitate professionis per simoniam emissae, uti plene habetur apud *Gibalin.* de simonia quaest. 23. consect. 3., eademque communis sententia fuit ab hac. S. Congr. approbata in *Leodien. professionis*, quae fuit proposita 2. Augusti 1721. et resoluta 13. Iunii 1722., in qua responsum fuit pro validitate professionis inter Donatos Ordinis Praedicatorum emissa a fratre Ludovico Bertrando de Layresse, non obstante, quod pater procurator generalis in sua informatione expresse admisisset, eum fuisse simoniace in ordinem receptum.

Ad partes ergo posita simonia, necessarium esse videtur in facto animadvertere, quod pater Dominicus, de quo nunc agitur, antequam inter religiosos admitteretur, fuit a curia laicali inquisitus de homicidio, et ab ecclesia, ad quam confugerat, extractus est, et successive deinde ad eam restitutus, et quod adversus eum inter novitios Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum iam adscitum pronunciata fuit a iudice laico sententia, in qua suo tribunali reservata fuit facultas procedendi ad poenas ultrices pro exposito delicto in hypothesi, in qua idem professionem regularem non emisisset, vel post emissam ab ordine eiectus esset, et quod

oratoris genitor hoc potissimum usus est argumento, ut eum ad emittendam professionem regularem induceret, cum eidem proposuerit vel perpetuam in carcere aut in ecclesia permanentiam, si professionem non emitteret, vel libertatem et ab impacto delicto impunitatem, si in religione profiteretur.

In hac quippe facti contingentia sibi vindicat locum quaestio a doctoribus prompta de metu auctoritate privata, sed iuste illato ad extorquendum consensum, an videlicet item vitiet, vel non vitiet professionem, cum nonnulli dicant, iniuriam fieri professioni, quae debet esse libera, si per ea media expetatur consensus ad eam, et in ordine ad eum, qui patitur metum, et ad eius libertatem unum et idem sit, sive ipse dederit sive non dederit causam timori, dummodo timor cadat in constantem virum, et alii e contra sentiant, quod, quando metus iuste irrogatur, non tam censetur inferri ab extrinseco, quam provenire ab intrinseco, scilicet a propria delinquentis voluntate et a natura delicti, ita ut delinquens taliter delinquendo sibi metum inferat, exponendo se huiusmodi periculo, et id, quod ex propria oritur voluntate, nunquam dicitur moraliter libertati repugnare, neque proponens professionem pro malo evadendo infert, sed aufert metum, ostendendo videlicet viam mali evadendi.

De hac insigni controversia in terminis matrimonii agit *Sanchez* de matrim. lib. IV. disput. 16. per totam, et in terminis matrimonii spiritualis, id est professionis in religione idem prosequitur *Sanchez* ad praecepta decalogi lib. IV. cap. 3. num. 21., quibus in locis secundae adhaeret opinioni, hoc est validitati tum matrimonii, tum professionis, et aliqua problematice proponuntur a *Sperell.* dec. 6. a. n. 11. usque ad 13.

Praeter hoc fundamentum alia proponuntur pro nullitate professionis, deducta signanter ex importunis suasionibus a patre ante delictum adhibitis, et a minis exercitis, ut orator religiosum statum amplecteretur, et ab eius continua ad hunc statum aversione, semper explicata tam tempore novitiatus, quam professionis, et etiam expost, uti videri potest in scriptura per manus, uti dictum est, circumferenda, quibus omnibus perpensis, quaeritur: An constet de nullitate professionis in casu etc. In Congregatione habita die prima Sept. 1725. rescriptum fuit: *Dilata et ad mentem*, et mens fuit, ut ipse curarem transitum oratoris ad aliam religionem, prout curavi, et obtinui in S. Poenitentiaria, quae suum breve expedivit et in quo facultatem oratori concessit, transeundi ad religionem S. Spiritus in Hispaniis, in qua religione viget claustralis et regularis observantia.

Orator hoc brevi non vult uti, et iterum instat pro declaratione nullitatis suae professionis, quocirca iterum proposita causa die 1. Dec. 1725. tunc nulla fuit capta resolutio, quemadmodum nec in congregatione habita die 1. Sept. eiusdem anni, sed cum reproposita fuerit in alia congr. habita die prima Dec. subsequentis sub hoc dubio: An constet de nullitate professionis in casu etc. responsum fuit *negative et amplius*.

Plura post hanc resolutionem proposita fuerunt remedia, quae sunt bene nota EE. VV., ne frater Dominicus Sanchez de Quesada, qui religiosam professionem emisit inter fratres Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, cuius validitas, uti supra dictum est, fuit approbata, ad desperationem adigeretur, sed cum omnia incassum ceciderint, et ipse diu noctuque permanens in scalis apostolici palatii exclamet pro nullitate suae professionis, et in postrema congr. mihi fuerit demandatum, ut eius causa iterum proponeretur, disputandum idcirco in praesenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Porro operae pretium est in memoriam EE. VV. revocare binas circumstantias, unam facti, alteram iuris.

Circumstantia facti in hoc consistit, quod orator antequam inter religiosos admitteretur, fuit a curia laicali inquisitus de homicidio, et ab ecclesia, ad quam confugerat, extractus, et successive deinde restitutus, et quod adversus eum inter novitios adscitum pronunciata est a iudice laico sententia, in qua suo tribunali reservavit facultatem procedendi ad poenas ultrices pro exposito delicto in hypothesi, in qua idem professionem regularem non emisisset, vel post emissam ab ordine ejectus esset, et quod eiusdem oratoris genitor hoc potissimum usus est argumento, ut eum ad emittendam professionem regularem induceret, cum proposuerit vel perpetuam in carcere aut in ecclesia permanentiam, si professionem non emisisset, vel libertatem et ab impacto delicto impunitatem, si in religione professus esset.

Circumstantia iuris in hoc residet, an metus auctoritate privata, sed iuste illatus ad extorquendum consensum, licet sit timor cadens in constantem virum, vitiet nec ne professionem; nonnulli etenim asserunt, non vitiare, cum metum incutiens ostendat viam mali evadendi, et prima me-

tus origo descendat a facto ipsius delinquentis, et alii contra sustinent vitiare,, cum professio debeat esse libera, et in ordine ad eum, qui patitur metum et ad eius libertatem, unum et idem sit, sive ipse dederit sive non dederit causam timori, dummodo timor cadit in constantem virum.

Pro hac secunda opinione facit textus in cap. *Veniens*, il secondo de sponsalibus, ubi Glossa in verbo *ut uxori* ait: « et est hic argumentum, quod licet culpa mea inciderim in metum, nihilominus excusor propter metum, » sequitur *Antonius a Butrio* in eodem cap. n. 4. ibi: « nota quarta, quia licet quis fuerit causa metus, per hoc non in plus actus contra metum validatur, et sic etiam metus causatus a culpa illius, cui infertur, vitiat actum a libera voluntate dependentem; » adhaeret *Abbas* in cap. 2.n.7. et sequent. de his, quae vi metusve causa fiunt, ubi post statutam regulam, quod tenent gesta per metum, si culpa sua quis in metum incidit, ait: « ab hac regula Gloss. excipit hic sex casus, primus in matrimonio, et est duplex specialitas secundum glossam in matrimonio, primo quod non tenet, si metu fuit contractum, secundo, quod etiam si culpa sua quis incidit in metum, nihilominus matrimonium est nullum, quia matrimonium contrahitur libero consensu, et ubi intervenit metus, tollitur qualitas libertatis, » et hanc eandem opinionem in terminis matrimonii carnalis, a quo illatio valet ad matrimonium spirituale, amplexa est Rota decis. 326. n. 17. coram *Ludovisio*, et decis. 784. n. 5. part. tertia recent.

His stantibus die 17. Aug. 1726. iterum quaeritur: An sit standum, vel recedendum a decisis die 1. Dec. 1725?

S. Congr. respondit: *Ad Dominum Secretarium iuxta mentem.* » *Corduben.* 7. Sept. 1726.

16. « Frater Aloysius a Marathea ordinis obs. S. Franc. habitum suscepit mense Febr. a. 1709. in conventu S. Antonii loci Rivelli dioec. Policastren., et in conventu terrae Laureae de mense Febr. 1710. professionem emisit, quam in praesenti contendit nullitatis vitio laborare, cum eam dicat emisisse per vim et metum sibi a patre incussum, uti colligitur ex testibus, qui de gravi metu deponunt, de fuga arrepta a monasterio, de protestationibus emissis ante professionem, de continuis querimoniis et de reiectione officiorum eiusdem religionis sibi sponte pluries oblatorum. Pater, qui vim et metum incussit, adhuc vivit et declarationem emisit de metu, minis et verberibus a se filio illatis, ut professionem regularem emitteret, et quia opponi posset, quod ordines sacros in religione recepit ad titulum religiosae paupertatis, hinc inferendo ad ratificationem professionis, replicatio nihilominus suppetit, et est, quod susceptio sacrorum ordinum, utpote separata a professione, minus operatur quam gestatio habitus professorum aut suffragii praestatio iuxta dec. 195. n. 22 p. 4. T. II. recent., et quod concurrentibus querimoniis etiam extraiudicialibus non valet argumentum a susceptione sacrorum ordinum ad ratificationem professionis iuxta late deducta per Dom. *Ursayam* T. V. p. 1. disc. 12. n. 104. et 105. Praeterquam quod susceptio sacrorum ordinum non validat professionem, quando durat causa metus, propter quam professio emissa fuit, iuxta decis. 705. P. II. recent., et resolutionem S. Congr. Epp. et Reg. approbatam ab Alexandro VII., uti habetur apud *Pignatell.* consult. 173. n. 105. T. IX., qua potissimum de causa in ultima synodo Rom. non fuit determinatum, quod regulares ante receptionem sacrorum ordinum professionem ratificarent, licet in plerisque synodis et signanter Mediolanensibus sub S. Carolo Borromaeo id fuerit statutum et in contradictorio partium admissum fuerit a Congr. particulari deputata super examine ultimae synodi Fulginatensis. Iura circumferuntur, quocirca quaeritur: An sit locus restitutioni in integrum in casu etc.? S.C. resp. *affirmative.* » Policastren. 7. Sep. 1726.

17. « Frater Marianus a Decimo ingressus est ordinem PP. Reform. S. Francisci et ad novitiatum admissus in conventu S. Onuphrii terrae Casacalendae d. 12. Sept. 1693. et professionem emisit d. 12. Sept. subsequentis anni 1694., et hanc professionem contendit nullitate laborare utpote emissam ante tempus a S. Conc. Trid. praefinitum. Dicit etenim et probat, se habuisse fratrem nomine Petrum, qui natus fuerat d. 14. Apr. a. 1676., quique paucos post dies mortuus est. Addit, se natum fuisse d. 19. Oct. 1678. et sibi pariter impositum fuisse nomen Petri, et a plebano, in cuius parochia uterque fuerat baptizatus, occasione professionis ab ipso ut supra emissae transmissam fuisse fidem baptismatis non sui, sed fratris praedefuncti, ita ut professio fuerit emissa per mensem et dies sex aut septem ante annum decimum sextum completum, in quo rerum statu S. Conc. Trid. Sess. XXV. de reg. et mon. c. 15. decernit, eam nullam esse nec ullam inducere obligationem.

Pluries de hoc articulo tam in Rotae auditorio quam in hac S. Congr. actum est,

et difficultas semper reducta fuit ad tacitam professionem vel antecedentis professionis ratificationem deductam ex actibus subsequenter gestis, et sensus tam dicti auditorii quam huius S. Congr. in eo constitutus fuisse videtur, quod concurrente probabili aetatis ignorantia et consequenter ignorantia nullitatis professionis non potuerit ex actibus subsequenter gestis induci tacita professio vel antecedentis professionis ratificatio iuxta decis. 952. et decis. 983. coram *Emerix iuniore*, dummodo tamen ignorantia aetatis et sic nullitatis professionis sit verisimilis, et non deducatur ex solo dicto professi, sed munita sit circumstantiis, coniecturis et variis adminiculis, ut videre est in cit. dec. 952. sub. n. 23. coram *Emerix iun.*

Porro orator in sua scriptura ostendit, se veram suam aetatem ignorasse usque ad a. 1706., ita ut ex actibus antecedenter gestis non possit ullo modo inferri ad ratificationem professionis, et abinde citra contendit, se semper reclamasse et ex variis tergiversationibus fuisse impeditum, ne processum super nullitate suae professionis ad optatum finem perduceret, uti fusius in eius scriptura legi potest. Quo stante quaeritur: An sit locus restitutioni in integrum in casu etc.? S. C. resp. *affirmative.* » *Larinen.* 11. Ian. 1727. Similem casum vide in *Ulissiponen.* 27. Iun. et 14. Nov. 1733.

18. « Frater Dominicus Cathacensis intra quinquennium allegavit nullitatem professionis, instructisque actis ex iis constitit, quod idem Dominicus, dum professionem emisit, morbo gallico laborabat, quem tamen neque omnino tacuit neque satis manifestavit...

Hinc orta est notissima disputatio, utrum iuxta constitutiones Capucinorum, sicuti religio non obligatur recipere professum insanabili morbo tempore professionis laborantem, ita etiam professus possit a religione discedere...

Quod itaque pertinet ad facti circumstantias, eas integre ac sincere exponit procurator fratris Dominici, qui contendens, novitium morbi genus dolose occuluisse, ac proinde religionem obligatam non esse eundem retinere, inde arguit nullitatem professionis et ius nulliter professi discedendi a religione, innixus auctoritati *Bartholomaei de Vecchis* et *Caponis* in disc. 53. num. 33. et seq., quibus addi potest *Sanctes Thesaurus* in libro cui titulus: Esposizione sopra la regola del Serafico Padre S. Francesco c. 2., qui omnes unanimiter censent, professionem prae se ferre speciem quandam contractus utramque partem obligantis, in quo deficiente unius voluntate sese obligandi, alterius quoque obligationem corruere necesse est...

Plane rationem istam acerrime oppugnant alii Doctores, neque numero pauci neque ignobiles auctoritate, inter quos *Navarrus* consil. 25. de regul. etc. *Pontius* de matr. l. VII. c. 5., qui omnes vim et naturam professionis constituunt in immutabilitate et perpetuo statu, quem profitetur novitius, non vero in obligatione illum retinendi, quam consuevit contrahere religio, hanc enim obligationem esse contendunt extrinsecam quandam et legitimam solemnitatem, quae abesse potest, licet perfecta et immutabilis sit professio ex parte profitentis, prout contingit in Soc. Iesu, in qua cum vero statu regulari et cum vera religione consistit facultas religionis expellendi professos.

Ceterum *Pontius* altius rem examinans probat, professionem esse speciem quandam donationis, qua novitius se tradit ac donat religioni et in qua utriusque partis consensus intervenit, novitii quidem, qui se perpetuo tradit religioni, religionis vero, quae donationem acceptat. Ex hoc autem principio subsequitur, quod sicuti ad validitatem donationis pertinet quidem, quod mutuo quodam consensu donatio acceptetur, non vero, quod donatarius sese obliget rem donatam nunquam dimittere, ita ad professionis validitatem requiritur acceptatio religionis. Haec autem viribus subsistit, etiamsi ex speciali lege constitutionum confirmatarum apost. auctoritate deficiat legitima solemnitas, qua religio consuevit se obligare perpetuo retinere professum...

Haec autem opinio convenire videtur cum antiqua ecclesiae disciplina, quando solemnitas professionis constituta fuit in promissione perpetuo permanendi in religione, haec enim promissio nullam prae se ferebat obligationem religionis retinendi professum...

His itaque perpensis EE. VV. erit decernere: An professio fratris Dominici Girunda Capuccini sit nulla in casu etc.? S. C. censuit: *non constare* de nullitate. » 10. Nov. 1728.

19. « Frater Avertanus Ronchi contendens nullitatis vitio laborare professionem in qualitate conversi a se prius emissam de anno 1702. in religione Carmel. Discalceatorum et postea reiteratam de anno 1702. in eadem religione Carmel. Calceat. supplicavit SSimo D. N. pro restitutione in integrum adversus quinquenii lapsum...

Fundamentum nullitatis in eo consistit, quod durante anno utriusque suae proba-

tionis pluries orator a superioribus conventus missus fuit extra claustra et civitatem ad quaestuandum, absque ulla tamen necessitate, nam de tempore aderant in eodem conventu plures conversi professi, qui hoc munus adimplere poterant; quodque occasione istius quaestionis diu noctuque vagaverit extra claustra per quatuor menses circiter, licet interpolate, pernoctando etiam in domibus saecularium... Ex quibus putat, quod cum novitiatus non fuerit integre completus intra claustra monasterii, ut exigunt sacri canones et Conc. Trid. Sess. XXV. c. 15. de reg., sed per adeo notabile tempus pluries interruptus, subsequens eius professio patentissime nulla censenda sit. Contendit etiam, quod stante hac nullitate ex defectu formae, nequivit induci tacita ratificatio ex posteriori quinquennali delatione habitus cum pacifico exercitio functionum aliorumque actuum ad professos spectantium, eoque minus, quia non habeat scientiam nullitatis suae praecedentis professionis expressae, prout medio iuramento ipse nuper declaravit... Religiones non opponunt. Dignabuntur itaque EE. VV. declarare. An sit danda restitutio in casu etc.? S. C. resp. *negative et amplius.*» *Veronen.* 11. Iun. 1729.

—

20. « Ioannes Bapt. Haltmeyer Helvet. nat. a. 1700. nomen dedit ordini S. Francisci in conventu Ponticellorum prov. Rom., et in eodem regularem professionem emisit et ad sacerdotium inde ascendit. Cumque SSimo D. N. supplicaverit pro absolutione a vinculo religionis ex capite nullitatis professionis a se emissae, et S. Sua examen precum ad hanc S. Congr. remiserit, in praesenti iuxta morem quaeritur, an sit concedenda in integrum restitutio.

—

Fundamentum Ioa. Bapt. oratoris etc., qui in professione nomen assumpsit patris Paschalis de Lucerna, consistit in hoc quod cum ipse Romam advenisset, ut linguam italicam disceret, et paupertate oppressus eleemosynas quaereret pro sui sustentatione, eleemosynis, muneribus, precibus et suasionibus sibi factis et resp. adhibitis a quodam patre Pio de S. Columbo... inductus fuit, ut habitum religiosum assumeret, iisdemque modis fuit ab eodem patre impeditus, ne tempore novitiatus religionem desereret, a qua exire meditabatur, ut ad patriam redeundo opem ferret suo miserabili genitori et quatuor sororibus in saeculo relictis, concludendo, nihil sibi in dictis circumstantiis reliquum fuisse pro suo dissensu in professione exprimendo, et ne indignationem patris Pii sui benefactoris incurreret, quam professionis actum hoc modo subscribere: «*Ego Fr. Paschalis a Lucerna confirmo ut supra*, mit Gewalt *feci*,» quae verba germanica in latinum sermonem conversa vim et metum important

Addit orator, se voluisse intra quinquennium reclamare, et a suis superioribus fuisse impeditum, et impedimenta durasse usque ad tempus praesens, cum magnas in religione vexationes licet immerito passus sit, et fere continuas modo in uno, modo in alio conventu per plures et plures annos carcerationes, cumque a. 1716. a S. Poenitentiaria transitum obtinuisset ad Minores Obs., ut quietem inter illos et commoditatem instandi pro nullitate suae professionis obtinere posset, sua spe frustratum fuisse, cum etiam inter Observantes infortunia et impedimenta invenerit, quae invenerat inter Reformatos, ita ut fuerint sibi etiam subtractae scripturae, quae ad rem facere poterant.

Auditus fuit super his pater generalis, qui in sua reformatione refert, oratorem anno 1705. fuisse transmissum ad reformatam provinciam Tirolensem, et deinde in Bavariam, et tandem constructo processu condemnatum fuisse anno 1721. ad poenam relegationis in provincia Obs. Dalmatiae, quam sententiam ipse executus non est. Subdit idem pater generalis; se non habere notitiam reclamationis intra quinquennium et, quod idem pater Paschalis in constitutis a se emissis occasione confectionis memorati processus se agnovit vere et legitime professum in conventu S. Mariae de Ponticellis et conquestus est de expulsione a sacro recessu, concluditque eum audiri non debere super asserta nullitate suae professionis, nisi se constituat in carceribus.» S. C. rescr. *Dilata et ad mentem* d. 3. Febr. 1725. Re vero iterum proposita rescr. *negative et ad mentem* (scil. consulendum esse SSimo pro facultate oratori permanendi per sexennium in saeculo in habitu presbyteri saecularis sub obedientia ordinarii loci, in quo commorabitur, servatis tamen votis religiosis, cum facultate etiam celebrandi missam arbitrio eiusdem ordinarii.) 7. Maii 1735.

21. «S. Congr. Card. Conc. Trid. Intepr. regularium electorum et fugitivorum statui consulere illorumque scandala submovere, et succrescentem numerum frangere operae pretium existimans, auditis religionum superioribus reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum SSimo

D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari S. Suae facultate infrascripta decreta edidit:

§. 1. Ac primo, ut infecta semina, e quibus pravi eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas et SSimi auctoritate innovat constitutiones et decreta generalia s. m. Clementis VIII. ad regularium reformationem ac novitiorum receptionem, professionem atque institutionem spectantia, districteque praecipit generalibus atque aliis omnium superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub poenis statutis in iisdem constitutionibus (quas vide in App.)

§. 2. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in conventibus seu monasteriis ad novitios recipiendos hactenus designatis et approbatis, seu in posterum designandis et approbandis, novitii ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius a Congregatione Reformationis apostolicae vel a propriis locorum ordinariis expresse et nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti observatione S. C. iustis de causis censuit regulares esse absolvendos prout auctoritate SSimi. D. N. absolvit atque exemit.

§. 3. Deinde ut apostatandi opportunitas regularibus praecipiatur, statuit, ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, cum religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis recte se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsa adimpleatur, idem superior omni studio ac diligentia invigilet.

§ 4. Rursus statuit, ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant sive non, possint ac debeant ab episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres coniici et superioribus consignari secundum regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur, salva tamen in omnibus facultate ordinariis locorum attributa decreto Conc. c. 3. Sess. VI.

§. 5. Quod si apostatae huiusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes vero infra octo menses a praesentis decreti publicatione inchoandos sua sponte ad suam quisque religionem redierint, tum poenarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum aut infligendarum remissionem atque impunitatem assequantur, ita tamen, ut a superiore absolutionem humiliter petere et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri, superior vero e contra benigne illos teneatur ab huiusmodi poenis absolvere et paterna caritate amplecti.

§. 6. Ad haec, ut in posterum in religionibus nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea, quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis et consuetudinibus cuiusque religionis et ordinis, etiam a sede apostolica approbatis et confirmatis, verum etiam unius anni spatio in ieiunio et poenitentia probetur in carceribus, proindeque religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provincia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantum de consilio et assensu sex patrum ex gravioribus religionis eligendis in singulis capitulis vel congregationibus generalibus, tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionum ad sacrorum canonum praescriptum. Interea tamen usque ad primum generale capitulum seu congregationem proxime celebrandam si quempiam ex iustis et necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit a generali cum consilio et assensu sex patrum ut supra, quos idemmet generalis eligere debeat infra quatuor menses a praesentis decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma superius praescripta.

§. 7. Sic vero eiecti, quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant atque ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsint, proindeque generalis illico expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur.

§. 8. Ceterum S. C. religionum superiores serio admonet ac per Iesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternae caritatis et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsos, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium et sui officii immemorum praelatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem praelatorum manibus sit requisiturus.

§. 9. Praeterea statuit, ut iidem superiores nemini ex religiosis litteras testimoniales concedant, illos ad sedem apost. reii-

cientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.

§. 10. Item ut eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.

§. 11. Ac postremo censuit, esse innovandam et Suae Beat. auctoritate innovat constitutionem fel. rec. Gregorii IX. rel. in fin. c. X. de regul., ac praeterea declarat eam constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum servandamque esse, qui iuste, definitive ac iuris ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus ordinarii cuius conscientiam in his litteris concedendis S. C. serio oneravit.

§. 12. Ne quae vero difficultas in suprascriptis decretis et ordinationibus exequendis suboriatur, S. C. SSimo D. N. annuente atque approbante universis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscunque aliis superioribus quorumcunque ordinum, congregationum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum ac locorum regularium ubique locorum existentium iniungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent atque observari procurent in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcunque monachorum ac regularium ubique locorum existentibus, efficiantque, ut tam decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quam praesentes ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

§. 13. Si quis vero ipsorum adversus ea, quae superius praescripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere vel moliri praesumpserit, ipso facto poenam incurrat privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, poenaque huiusmodi sit S. Suae ac sedi apost. reservata, iisdem superioribus, etiam generalibus, et protectoribus illam moderandi seu relaxandi potestate penitus interdicta, et nihilominus sit irritum et inane quicquid secus a quoquam actum extiterit. Non obstantibus etc. » Dat. Rom. d. 21. Sept. 1624.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

—

22. « Provincialis Capuccin. Prov. Flandriae refert, aliquos episcopos praetendere, ut in litteris, quibus ipse suos Fratres ordinandos transmittit, exhibeat reverentiam et obedientiam episcopis, *et amplius praestet iuridicam fideiussionem subministrandi victum et vestitum iis, quos apostatari aut alias a religione dimitti continget.* Quae cum nova sint et inaudita, ne quod religioni praeiudicium inferatur, supplicat, ut declaretur, an ipse possit ad hoc compelli nec ne? S. C. Card. Conc. Trid. Interpr. censuit Provincialem Capuccinorum in litteris dimissoriis, quas suis fratribus concedit ad ordines suscipiendos nequaquam cogi posse ab episcopis ad reverentiam et obedientiam illis exhibendam aut ad huiusmodi fideiussionem praestandam, neque ullum pium antistitem debere aut tuta conscientia posse ab eorundem Fratrum ordinationibus hoc solo praetextu abstinere, quod ea formula exhibendi episcopo reverentiam et obedientiam servata, vel fideiussio praestita non sit. *Cosmus Card. de la Torres.* » Confirm. die 20. Maii 1625. (Bull. Tom. V. P. 5. p. 330.)

—

23. « SS. D. N. Urbanus P. VIII. ad occurrendum motibus, qui possent in religionibus oriri occasione receptionis novitiorum et professionis per eos emissae in conventibus non designatis contra formam decretorum s. m. Clementis VIII. de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis nisi in conventibus designatis, audita super hoc sententia S. Congr. Conc. declaravit ac decrevit, huiusmodi receptos et professos contra formam dictorum decretorum allegantes propterea nullitatem receptionis et professionis, non posse super huiusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquo modo audiri.

Quodsi aliqui contra formam praefatorum decretorum recepti et professi e religione infra quinquennium exire, vel superiores extra eam respective illos eiicere voluerint, eadem S. Sua decrevit, ut tam ipsi professi quam superiores respective teneantur iura, quae sibi favere visa fuerint, prius deducere coram eadem S. Congr., quae ex speciali etiam Suae Sanctitatis facultate super hoc concessa providebit, inhibens propterea primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et praelatis inferioribus iurisdictionem exercentibus ac quibuscunque iudicibus ordinariis et delegatis, etiam causarum Pal. Apostolici auditoribus et S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere legatis sedisque apost. nunciis, ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali eiusdem S. Suae commissione sub poena ipso facto incurrenda quoad episcopos,

archiepiscopos, patriarchas et primates interdicti ab ingressu ecclesiae, quoad abbates et praelatos inferiores ac alios iudices praedictos excommunicationis latae sententiae, quo vero ad nuncios et ad S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, indignationis S. Suae et poenarum arbitrio eiusdem ponendarum.

Si vero ut supra recepti et professi iuribus suis minime deductis coram S. Congr. Conc. et sine illius expressa licentia e religione exire vel superiores religionis eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti et professi tanquam apostatae puniantur et pro talibus habeantur, nec non contra eosdem iuxta formam decreti de regul. apostatis et eiectis eiusdem S. Suae iussu ab eadem S. Congr. sub die 21. Sept. 1624. editi procedatur, et superiores, qui eiecerint, poenam suspensionis a divinis nec non privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae ipso facto absque ulla declaratione incurrant. Dat. Rom. d. 5. Ian. 1636.»

F. Card. Verospius.
Franciscus Paulutius S. C. C. Secr.

24. S. C. resp.: religiosos Societatis Iesu post tria vota simplicia duntaxat, vigore privilegiorum eiusdem Societatis dimissos non comprehendi in const. Urbani VIII. de apostatis et eiectis. d. 11. Febr. 1662. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. lib. III. c. 11. (cf. Benedicti XI. const. *Iniuncti nobis* dat. 14. Iun. 1728., qua decreta in hunc modum a S. Congr. emissa sunt confirmata.)

25. « Instantibus procuratoribus generalibus religiosorum ordinum pro moderatione decretorum de apostatis et eiectis editorum a S. Congr. Conc. et a s. m. Urbano P. VIII. a. 1624. confirmatorum, ut facilior modus incorrigibiles eiiciendi praescribatur, S. Congr. a SSimo D. N. Innocentio XII. super praemissis specialiter deputata Emin. S. R. E. Card. Carpinei, Casanate, Mariscotti, Norfolcia, de Lauraea, de Aguirre et Colloredi, perpensis eorundem procuratorum generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum ceterae corrumpantur, et remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis quam prosint, maturo examine, zelo regularis disciplinae conservandae censuit, statuit et auctoritate eiusdem SSimi D. N. sibi specialiter attributa haec in posterum servanda decrevit.

1. Quod firmis ac in suo robore semper manentibus praedictis decretis de apostatis, etiam secundum eam partem, ubi agitur de eiectis et eiiciendis, tanquam sacris canonibus et communiori SS. Patrum menti conformibus, quoad eiectos eadem serventur quae in alio simili decreto hac praesenti die de apostatis et fugitivis statuta sunt et indulta, quodque ad praescriptam legem s. m. Gregorii IX. in c. fin. de regular. annuatim fugitivi requirantur et respective cogantur ad claustra reverti.

2. Quod integer annus, qui in dictis decretis a 1624. praescribitur in poenitentia et ieiunio ad eiiciendos incorrigibiles ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur.

3. Quod facultas generalibus ordinum de consilio et assensu sex ex gravioribus religiosis in singulis capitulis et congr. generalibus ad causas eiiciendorum eligendis attributa extendatur etiam ad quoscunque provinciales, qui electis pariter in congr. provincialibus sex gravioribus a propria provincia religiosis a Generali confirmandis, de illorum consilio et assensu causas huiusmodi cognoscant et ad effectum eiiciendi incorrigibiles suae provinciae et eiectionem pronunciandi accedente approbatione generalis definiant, salva semper S. sedis et S. Congr. Conc. in causa recursus et appellationis auctoritate.

4. Quod in posterum processus conficiatur iuxta regulas, constitutiones, ordinationes et stylum cuiusque ordinis et religionis, donec aliter fuerit a S. C. provisum.

5. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscunque religionis ingressum petentes et a religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem e claustris eiiciendi, ne huiusmodi semina, quae a principio ad fructum faciendum cadunt in bonam terram, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem S. Congr. annuente SSimo D. N. sub interminatione divini iudicii nec non privationis vocis activae et passivae, ac dignitatum et officiorum obtentorum cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscunque praedictorum ordinum superioribus districte praecipit et mandat, omnia et singula decreta s. m. Clementis VIII. registrata post decretum s. m. Urbani VIII. de apostatis et eiectis, incip. *Regularis*, *Sanctissimus* et *Nullus* una cum aliis subsequentibus decretis, provisionibus, ordinationibus et resp. moderationibus bis in anno legi, eadem ad unguem servari, poenas in eisdem contentas innovari, et capitibus ordinum inti mari, ne huiusmodi decretorum transgres-

sores, qui in lege gloriantur, per praevaricationem legis Deum inhonorent, et ne militiae Christi adscripti tam de facili fiant desertores ac profugi. Dat. Rom. d. 24. Iul. 1694. »

C. Card. Mariscottus Pro-Praef.

26. Pater N. N. ob plura crimina per eum, ut praetenditur, in religione patrata, et de quibus, licet pluries punitus, adhuc non resipuerat, fuit de mense Sept. superioris anni per sententiam patris generalis incorrigibilis declaratus et uti talis a religione eiectus. Appellavit orator ab huiusmodi sententia ad hanc S. C. sub praetextu notoriae nullitatis et iniustitiae, praesertim ob non servatam formam decretorum eiusdem S. C. rel. in const. 28. s. m. Urbani VIII. et in novissima const. S. D. N. ed. 1. Mart. 1693. Actisque transportatis ac religione audita et informante dignabuntur EE. VV. declarare, an constet de asserta incorrigibilitate oratoris? et quatenus negative: II. An idem orator veniat religioni restituendus in casu? Die 15. Nov. 1698. S. C. C. rescr.: « orator se constituat in carceribus formalibus religionis et postea providebitur. »

(Benedicti XIV. const. de ordine servando in causis super nullitate professionis reg. dat. 4. Non. Mart. 1747. cf. in App.)

C. XX. *Superiores ordinum episcopis non subiecti inferiora monasteria visitent ac corrigant, etiam commendata.*

Abbates, qui sunt ordinum capita, ac ceteri praedictorum ordinum superiores episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et prioratus suo quisque loco atque ordine ex officio visitent, etiam si commendata existant. Quae cum ordinum suorum capitibus subsint, declarat sancta synodus, in iis, quae alias de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt [1]), non esse comprehensa, teneanturque, quicunque praedictorum ordinum monasteriis praesunt, praedictos visitatores recipere et illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt ordinum capita, iuxta sanctae sedis apostolicae et cuiusque ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt huiusmodi commendae, priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus superiores, qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus praefatorum ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et iura concernunt, firma sint et illaesa.

[1]) cf. Sess. XXI. de ref. c. 8.

C. XXI. *Monasteria regularibus conferantur. Ordinum capita nemini in posterum commendentur.*

Cum pleraque monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praepositurae, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta, cupit sancta synodus ea ad congruam monasticae vitae disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est praesentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi. Ut tamen nihil praetermittat, unde praedictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum haec tempora ferre posse viderit, ut iis, quae nunc commendata reperiuntur, et quae suos conventus habent, regulares personae, eiusdem ordinis expresse professae, et quae gregi praeire et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt [1]) non nisi regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria, quae capita sunt ac primates ordinum, sive abbatiae prioratus filiae illorum capitum

nuncupantur, teneantur illi, qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere; alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur. Ne autem in praedictis omnibus et singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur aliterque facta provisio surreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adiuvetur.

[1]) cf. Sess. XIV. c. 10.

C. XXII. *Praedicta de reformatione regularium nulla mora interposita observentur.*

Haec omnia et singula in superioribus decretis contenta observari sancta synodus praecipit in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcunque monachorum ac regularium, nec non quarumcunque sanctimonialium virginum ac viduarum, etiam si illae sub gubernio militiarum, etiam Ierosolymitanae, vivant, et quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula vel constitutionibus, et sub custodia vel gubernatione, vel quavis subiectione aut annexione vel dependentia cuiuscunque ordinis, mendicantium vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum aut canonicorum quorumcunque; non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus et regulis, etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui vero regulares tam viri quam mulieres sunt, qui sub arctiori regula vel statutis vivunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto et observantia sancta synodus amovere non intendit. Et quia sancta synodus desiderat, ut omnia et singula supradicta quam primum executioni demandentur, praecipit omnibus episcopis, in monasteriis sibi subiectis, et in omnibus aliis ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus abbatibus et generalibus, et aliis superioribus ordinum supradictorum, ut statim praedicta exequantur. Et si quid executioni mandatum non sit, episcoporum negligentiam concilia provincialia suppleant et coerceant. Regularium vero capitula provincialia et generalia, et in defectum capitulorum generalium concilia provincialia, per deputationem aliquorum eiusdem ordinis provideant. Hortatur etiam sancta synodus omnes reges, principes, respublicas et magistratus, et in virtute sanctae obedientiae praecipit, ut velint praedictis episcopis, abbatibus ac generalibus, et ceteris praefectis in superius contentae reformationis executione suum auxilium et auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, ut sine ullo impedimento praemissa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

Habito ab archiep. Manilen. super infrascriptum dubium ad S. C. recursu: (III.) Cum conc. Trid. c. 22. de reg. Sess. XXV. decernat, quod observentur et executioni mandentur omnia in praecedentibus XXI. capitibus decreta, et inter alia non obstantia praesens existat, videlicet: « *Atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus* etc. »: an praedicta verba « *atque etiam consuetudinibus* etc. »

debeant intelligi etiam de consuetudinibus post concilium introductis sciente vel ignorante episcopo, taliter, quod eidem episcopo in futurum praeiudicium inferre nequeant? (IV.) Cum dictum c. 22. inter alia contineat sequentia verba, videlicet: « *Praecipit omnibus episcopis in monasteriis sibi subiectis et in omnibus aliis in superioribus decretis specialiter commissis* etc. *ut statim praefata exequantur* » : An in dictis rebus regularium et monialium, in quibus ipsi episcopo tribuitur iurisdictio, episcopus dictos regulares cogere et compellere possit sub censuris aliisque remediis opportunis prout de iure? (V.) An a praedictis censuris in regulares et moniales ab ordinariis latis possint ipsi regulares et moniales a suis superioribus absolvi? S. C. resp. ad III. ita esse intelligenda. Ad IV. In omnibus episcopo specialiter commissis in decretis Sess. praedictae de reg. licere eidem episcopo in illorum executionem regulares compellere etiam poenis et censuris eccl. Ad V. Non posse absolvi a suis superioribus. Conf. ab Urbano VIII. d. 9. Mai. 1626. (Bull. Rom. T. V. P. 5. p 415.)

DECRETUM DE REFORMATIONE.

C. I. *Cardinales et omnes ecclesiarum praelati modestam supellectilem et mensam habeant. Consanguineos familiaresve suos ex bonis ecclesiae non augeant.*

Optandum est, ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint non ea, quae mundi sunt, sed animarum salutem ac coelestem patriam cogitantes. Haec cum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam praecipua esse sancta synodus animadvertat, admonet episcopos omnes, ut secum ea saepe meditantes, factis etiam ipsis ac vitae actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam praedicandi genus, se muneri suo conformes ostendant, in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac, quae nos tantopere commendat Deo [1]), sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in concilio Carthaginensi [2]), non solum iubet, ut episcopi modesta supellectili et mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eius domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum prae se ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant [3]), cum et Apostolorum canones prohibeant [4]), ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa. Immo, quam maxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quae vero de episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica tam saecularia quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed et ad sanctae Romanae ecclesiae cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis ecclesiae administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus ac vivendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos convertant.

[1]) cf. Psalm. CI. 18., Eccles. III. 20., XXXV. 21., Matth. XVIII. 3. seq. — [2]) c. 7. D. XLI. (conc. Carth. IV. sive Stat. eccl. ant.) — [3]) cf. c. 23. C. XII. qu. 1. (conc. Antioch.) — [4]) can. Ap. 39.

C. II. *A quibus nominatim decreta concilii solemniter recipi et doceri debeant.*

Cogit temporum calamitas et invalescentium haeresum malitia, ut nihil sit praetermittendum, quod ad populorum aedificationem et catholicae fidei praesidium videatur posse pertinere. Praecipit igitur sancta synodus [1]) patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et omnibus aliis, qui de iure vel consuetudine in concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima synodo provinciali, post finem praesentis concilii habenda, ea omnia et singula, quae ab hac sancta synodo definita et statuta sunt, palam recipiant, nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur, simulque haereses omnes, a sacris canonibus et generalibus conciliis, praesertimque ab hac eadem synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent. Idemque in posterum quicunque in patriarchas, primates, archiepiscopos episcoposque promovendi, in prima synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit, episcopi comprovinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub poena divinae indignationis teneantur, interimque ab eiusdem communione abstineant. Ceteri vero omnes, sive in praesenti sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et qui in synodo dioecesana convenire debent, idem ut supra in ea synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent; alias secundum formam sacrorum canonum puniantur. Ad haec omnes ii, ad quos universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem universitatibus canones et decreta huius sanctae synodi integre recipiantur, ad eorumque normam magistri, doctores et alii in eisdem universitatibus ea, quae catholicae fidei sunt [2]), doceant et interpretentur, seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant; sed et si aliqua alia in praedictis universitatibus correctione et reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, pro religionis et disciplinae ecclesiasticae augmento emendentur et statuantur. Quae vero universitates immediate summi Romani Pontificis protectioni et visitationi sunt subiectae, has sua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua supra, ratione, et prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari et reformari curabit.

[1]) cf. Sess. XXIV. c. 2. de ref. — [2]) Sess. V. de ref. c. 1.

C. III. *Excommunicationis gladio temere non utendum. Ubi executio realis aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum, iisque civili magistratui se immiscere nefas esto.*

Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeterquam ab episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per episcopum examinata [1]), quae eius animum moveat. Nec ad eas concedendas cuiusvis saecularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur, sed totum hoc in eius arbitrio et conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona aut

tempore eas decernendas esse iudicaverit. In causis vero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto; sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum aliaque iuris remedia procedere et causas definire. Quod si executio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo praeter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum. Sed si dictae executioni facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata, cum non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur [2]), sed, si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit.

[1]) cf. c. 8. (conc. Agath.) c. 41. (conc. Meld.) c. 42. (conc. Arvern.) C. XI. qu. 3., c. 48. X. de sent. exc. V. 39. (Innoc. III.) — [2]) cf. e gr. c. 18. (Isid.) 19. (Stat. eccl. ant.) 25. (Greg. I.) 26. (conc. Tol. I.) C. cit., c. 8. (Alex. III.) c. 9. (Id.) c. 15. 18. 29. 30. 31. 38. 39. (Innoc. III.) X. de sent. exc.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Exorta quaestione, an archiepiscopo Mediolanensi liceret *declarare*, vel saltem *denunciare* excommunicatos in vim canonis *Si quis suadente* Patrem Antonium Petragrossa et Fr. Alexandrum monachos montis Oliveti, qui vicarium curam ecclesiae coenobii actualem exercentem percusserunt? S. C. declaravit, licere, renovata tamen citatione iuxta instructionem (sc. *declarare* Fr. Alexandrum nec non P. Antonium, quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico, licere *denunciare*, i. e. praecipere suis parochis et subditis universis, ne eos admittant intra ecclesias sibi subiectas, et non conversentur cum eisdem.) *Mediol.* 2. Dec. 1719. ad dub. II.

2. Antiqua, quae inter episc. Caputaquensem et Abbatem S. Mariae angelorum terrae Centulae de iurisdictione obtinuit, controversia per S. C. resolutiones composita, episcopus dictae terrae visitationem instituit. In qua cum duos sacerdotes, qui ad examen accedere renuebant, suspensos a facultate audiendi confessiones declarasset, et edictum in valvis ecclesiae affigi iussisset, concitatus fuit plebis tumultus, et non solum episcopi ministri contumeliis et verberibus fuerunt affecti, verum ipsum quoque episcopum per horam obsessum populus retinuit. Episcopus, qui ad oppidum Pixunti confugit, auctoritate ordinaria et delegata a S. C. interdicto locali ac personali quoad nominatos dictam terram subiecit. De cuius censurae validitate consulta S. C. resp. *affirmative*. *Caputaquen.* 2. Oct. 1723. ad dub. I.

3. « Sub obtentu, quod quidam Orontius de Matthia alias Sarachella esset publicus peccator, ex quo notorium esse dicebatur, quod falsas attestationes et falsa emisisset iuramenta, demandatum fuit eius parocho, ne ei tempore paschatis sacratissimam administraret eucharistiam, cumque prae-

dictus Orontius ad ecclesiam cathedr. accessisset una cum notario et testibus, et parochus praedictae cathedralis eum ad communionem, quam publice petebat, non admiserit, eidemque insinuaverit, quod ad proprium parochum accederet, re ad episcopum delata parochoque cathedralis alterius insinuante, quod sibi non videbatur eum esse sufficienter instructum in mysteriis nostrae sanctissimae fidei, episcopus die 30. Mart. 1723. eius parocho demandavit, ut eum interim non admitteret ad satisfactionem annuae communionis, donec recte instrueretur in necessariis rudimentis fidei et mysteriis sacramentorum, commisitque Francisco Gallo abbati coll. eccl. S. Nicolai, ut eum caritative instrueret, et in scriptis referret, et postremo curiae mandavit, ut super denunciatione facta a parocho eccl. cathedralis diligens caperetur informatio.

In executionem huius mandati nonnulli testes examinati fuerunt, qui factum supra expositum comprobarunt, cumque Orontius in curia pluries comparuisset, et instetisset pro admissione ad S. communionem, et ulterius asseruisset, se accessisse ad abbatem collegiatae eccl. S. Nicolai, et ab eo non fuisse instructum in fidei mysteriis, sed sollicitatum ad exarandas nonnullas attestationes in quibusdam causis civilibus, idemque abbas retulisset, quod Orontius ad se aliquibus vicibus accesserat, sed quod amplius non redierat, seque opinari, eum esse incapacem sanctissima sacramenta recipiendi, bina edita fuerunt a vicario generali decreta sive provisiones, in quarum prima edita d. 6. Apr. 1723. demandavit, ut continuate se conferret ad dictum abbatem ad effectum reportandi sufficientem instructionem, et in altera edita d. 29. Apr. eiusd. a. demandavit, ut procederetur contra ipsum ad declaratoriam censurarum.

Appellatione ab Orontio interposita ad curiam metropolitanam Acherunt. et expedita per ipsam consueta inhibitione vigore appellationis, non obstante comparitione promotoris fiscalis Gravinensis, qui protestatus est, esse non posse in hisce causis locum appellationi, prolata fuit a vicario capitulari Acherunt. sententia praecipiens, Orontium admittendum prius ad sacramentum poenitentiae, et deinde ad sacramentum eucharistiae, habitoque a promotore fiscali Gravinen. recursu ad hanc S. Congr., .. rescriptum fuit d. 17. Iul. 1723., laudandum esse episcopum Gravinen. et eius decretum fuisse et esse exequendum, et scribendum vicario cap. Acheruntino, quod nec poterat nec debebat appellationem recipere et quod omnino in posterum abstineret a similibus.

Habita ab Orontio notitia huiusce rescripti, ipse petiit audiri et causam in folio rescribi, et in praesenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Iura promotoris fiscalis Gravinen. ad sequentia capita reducuntur. Primum est, quod publico peccatori eucharistiam sive publice sive privatim petenti ea est deneganda iuxta illud Domini: « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos », et facit textus in can. *Pro dilectione* de cons. Dist. II.

Secundum est, praeceptum annuae communionis in paschate urgere, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione abstinendum sit, uti legitur in c. *Omnis utriusque* de poen. et remiss.

Tertium est, quod inter propositiones ab Innoc. XI. damnatas sexagesima quarta est ea, quae sequitur: « Absolutionis est capax homo, quantumvis laboraret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium S. Trinitatis et incarnationis D.N. Iesu Christi. »

Ultimum denique est, quod in causis correctionis morum non obstante quacunque consuetudine appellari non potest ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine, nisi gravamen per definitivam sententiam reparari vel ab ipsa definitiva appellari non possit iuxta Sess. XIII. c. 1. de ref. et in decretis S. Congr. Epp. et Regul. ed. a. 1600. et impressis ap. *Gallemart* ad dicti Conc. locum sic legitur: « In causis vero visitationis ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur. »

Iura e contra Orontii constituuntur in hoc, quod etiam in causis correctionis morum appellari potest in devolutivo et etiam in suspensivo, quando iudicialiter processum fuit, uti prosequuntur allegata anni 1600. ibi: « Vel cum visitator citata parte et adhibita causae cognitione iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum suspensivum. » Additur, eandem curiam iuste processisse, cum ipse per examinatores ab ea deputatos idoneus repertus fuit et sufficienter instructus. Se ulterius esse confratrem cuiusdam confraternitatis, et sacramenta semper frequentasse iuxta dictae societatis

institutum, nec impactam falsitatis notam ullo modo subsistere, cum nunquam fuerit inquisitus aut de ea processatus.

Iura circumferuntur; quocirca quaeritur: An sententia curiae metropolitanae Acherunt. sustineatur, sive potius sit exequendum decretum curiae episcopalis Gravinen. in casu etc.?

S. C. resp.: Ad primam dubii partem *negative*, et ad secundam *affirmative* et *ad mentem.* » *Gravinen.* 10. Iul. 1724.

4. « Prior et camerarius eccl. collegiatae terrae Trebii denunciati fuerunt a vicario foraneo, qui procedebat tanquam delegatus episcopi Spoletani, et suppositi ecclesiastico interdicto, ex quo requisiti recusaverant consignare duodecim rubra frumenti, quae curia episcopalis sibi debita praetendebat titulo decimarum, et facere depositum alterius rubri frumenti iuxta decretum editum ab eodem vicario foraneo. Capitulum autem contendit episcopum non posse cogere canonicos ad praestationem decimarum sub poena interdicti vel aliarum censurarum, quia iudex ecclesiasticus abstinere debet a censuris et interdicto, quando potest, prout hic, devenire ad executionem realem vel personalem iuxta c. 3. Sess. XXV. de ref. » S. C. vero ad dubium: An episcopus possit cogere capitulum et canonicos ad praestationem decimarum sub poena interdicti vel aliarum censurarum in casu etc.? resp. *affirmative servatis servandis. Spolet.* 16. Mart. 1726.

5. Cum confratres confraternitatis SS. Crucifixi olim S. Mariae Pietatis Belvederii dioec. S. Marci contra decretum ab episcopo emissum ad electionem officialium, quam episcopus ad se devolutam esse contendebat, processissent, promotor fiscalis curiae assignato termino illis mandavit, « ut comparerent ad dicendam causam, quare non deberent excommunicari, ex quo in spretum mandatorum curiae sub poena excommunicationis, ausi fuerunt devenire ad electionem officialium ». Et quamvis die 7. Ian. 1724. interposita fuisset appellatio, episcopus nihilominus d. 18. ei. mens. declaravit et denunciavit excommunicatos, excommunicatione maiori sibi reservata in nonnullos confratres in cedulonibus expressos, ex quo iudicialiter moniti sub poena excommunicationis maioris noluerunt desistere ab exercitio officiorum et noluerunt obedire officialibus a se electis. Confratres recursum habuerunt ad S. Congr., quae post concessam illis ad tres menses et prorogatam deinde cum reincidentia absolutionem ad dubium (III.): An censurae sustineantur in casu? rescr. *negative et amplius. S. Marci* 30. Mart. 1726.

6. Horatius Rostagnius famosi carminis suspectum habens Petrum Mariam Secundum Sinesium sacerdotem, minis et conviciis eum affecit et apprehenso pectore fuste demum percussit. Rem ex episcopi mandato vicarius foraneus cognovit, processuque confecto ac testibus examinatis percussorem citatione non praemissa excommunicatum declaravit et publicavit. Appellatione propterea interposita S. C. decrevit, censuram non sustineri, et episcopum ex integro procedere iussit. *Albintimilien.* 18. Iun. 1746.

C. IV. *Ubi nimius missarum celebrandarum numerus, statuant episcopi, abbates et generales ordinum, quod expedire iudicaverint.*

Contingit saepe in quibusdam ecclesiis vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subiicere, unde depereunt piae testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta synodus, cupiens haec ad pios usus relicta, quo plenius et utilius potest, impleri, facultatem dat episcopis, ut in synodo dioecesana, itemque abbatibus et generalibus ordinum, ut in suis capitulis generalibus re diligenter perspecta possint pro sua conscientia in praedictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec [1]) quicquid magis ad Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.

(cf. declarationes ad decret. de observ. et evit. in celebratione missae Sess. XXII. relatas.)
[1]) cf. Sess. XXII. c. 6. de ref.

C. V. *Rebus bene constitutis et annexum onus habentibus nihil detrahatur.*

Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione eis non derogetur. Idem in praebendis theologalibus, magistralibus, doctoralibus aut presbyteralibus, diaconalibus ac subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur, et aliter facta provisio surreptitia censeatur.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

« Beneficium ecclesiasticum ipso iure vacat per nuptias. Quin immo alias haec S. Congr. censuit, capellaniam, quae etiam proprie non sit beneficium ecclesiasticum, adhuc esse incompatibilem cum statu coniugali. Siquidem in *Reatina capellaniae* 22. Sept. 1714. et 9. Febr. 1715. ad dubium ita conceptum: « An capellania, de qua agitur, vacaverit per subsequens matrimonium Virgilii de Virgiliis? » rescr. *affirmative*, ut in l. LXIV. Decr. p. 387. Itidemque in *Romana*, ubi agebatur de capellania fundata cum hac declaratione: « Quod capellania debba riputarsi ed essere mero e puro legato laicale, e non beneficio ecclesiastico », cum propositum fuisset dubium: « An capellania, de qua legitur, retineri possit in statu coniugali per capellanum a testatore nominatum? d. 20. Sept. 1727. decisum fuit *negative*, ut in l. LXXVII. Decr. p. 577...

Ceterum nec etiam in limine fundationis approbare solet S. Congr., quod tribuatur facultas retinendi beneficium ecclesiasticum in statu coniugali quasi possidendo titulum beneficii. Quare in *Derthonensi* 19. Aug. 1730. hunc in modum rescripsit: «S. C. commisit episcopo, ut ad erectionem praefati beneficii deveniat, omnesque supradictas conditiones approbet atque confirmet, modificata tamen ea conditione, in qua dicitur, quod primogenitus frui possit beneficio etiam in statu laicali et coniugali in hunc modum videlicet, quod primogenitus frui possit fructibus beneficii vacantis, quousque superveniat alius capax de familia, satisfacto interim oneribus missarum per capellanum ab eo eligendum « ut in l. LXXX. Decr. p. 124. » Ex rel. Secr. in *Segovien.* 17. Nov. 1731., in qua ipsa ad dubia: I. An capellania ecclesiastica, de qua agitur, possit a Francisco Alphonso Perez retineri etiam in statu coniugali? Et quatenus negative: II. An sit consulendum SSimo pro dispensatione ad eundem effectum retentionis? III. An potius consulendum sit SSimo pro gratia, ut dictus Franc. Alphonsus possit capellaniam retinere non ex eodem priori titulo beneficii, sed ex novo titulo administrationis laicalis, cum facultate percipiendi fructus et adimplendi onera missarum per alium, donec aliquis ex eius filiis possit eam obtinere in titulum? S. C. resp. ad I. et II. *negative*, ad III. *affirmative in casu, de quo agitur.*

(conf. declarationes relatas ad Sess. XXII. c. 6.

C. VI. *Qui se gerere debeat episcopus quoad visitationem capitulorum exemptorum.*

Statuit sancta synodus, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III. [1]), quod incipit: *Capitula cathedralium*, observetur, non solum quando episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat; ita tamen, ut, cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant, videlicet, ut capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu episcopus vel eius vicarius tam in formando processum quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causae inclusive, coram notario tamen ipsius episcopi et in eius domo aut consueto tribunali, procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter episcopo accedere. Quod si ambo ab episcopo discordes in aliquo actu seu inter-

locutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum episcopo tertium eligant, et, si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem episcopum electio devolvatur, et iuxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur. Alias processus et inde secuta nulla sint, nullosque producant iuris effectus. In criminibus [2]) tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis, et in atrocioribus delictis depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, et ideo opus sit personali detentione, possit initio solus episcopus ad summariam informationem et necessariam detentionem procedere, servato tamen in reliquis ordine praemisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut iuxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis praeterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro, et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes [3]), et locus, quem ipsi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, episcopi ipsi capitulum convocent [4]), vota exquirant, et iuxta ea concludant. Absente vero episcopo omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id vicarius episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus capituli iurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de capitulo, ii omnes in causis ecclesiasticis episcopo subiiciantur; non obstantibus quoad supradicta privilegiis, etiam ex fundatione competentibus, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores; salvis tamen in omnibus privilegiis, quae universitatibus studiorum generalium seu earum personis sunt concessa. Haec autem omnia et singula in iis ecclesiis locum non habeant, in quibus episcopi aut eorum vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus sive concordiis, seu quocunque alio iure maiorem habent potestatem, auctoritatem ac iurisdictionem, quam praesenti decreto sit comprehensum, quibus sancta synodus derogare non intendit.

[1]) cf. supr. Sess. VI. c. 4. de ref., Sess. XIV. c. 4. de ref. — [2]) cf. Sess. XXIV. c. 8. de ref. matr. et hui. Sess. c. 14 de ref. — [3]) cf. c. 10. D. XCV. (Stat. eccl. ant.) — [4]) cf. c. 4. 5. X. de his, quae fiunt a prael. III. 10. (Alex. III.)

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Episc. Brixlensis ad observationem decreti Trid. Sess. XXV. c. 6. supplicat declarari, an ea, quae observanda iniunguntur episcopo extra visitationem procedenti contra cathedralis et collegiatarum ecclesiarum capitula et eorum personas, adeo indistincte locum habeant, ut etiamsi capitula huiusmodi exempta non sint, ea nihilominus episcopus observare teneatur? S. C. censuit, dictum c. 6. Sess. XXV. habere tantum locum in capitulis exemptis. 1573. Ex l. I. Decr. p. 71. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 9. qui alia responsa eiusdem tenoris episcopis Faventino et Gadicensi eodem anno data refert.

2. « Cum annis superioribus Hermannus Ortembergius ep. Atrebaten. iurisdictionem sibi a sacris canonibus et Trid. Conc. decretis attributam.. exercere vellet in duos beneficiatos suae cathedralis ecclesiae occasione incestus nec non sacrilegii seu forsan alicuius incontinentiae criminis ab eis, ut praetendebatur, patrati, capitulum et canonici se opposuerunt, asserentes, se una cum ecclesia cathedrali, eiusque beneficiatos ministros seu habitum eiusdem ecclesiae deferentes esse exemptos ab omnimoda episcopi iurisdictione praecipue in vim cuiusdam concordiae a. 1439. a Fortigario tunc Atrebaten. episcopo initae

et paulo post a fel. rec. Eugenio P. IV. confirmatae cum insertione totius tenoris in litteris confirmationis, atque ab immemorabili tempore observatae, quandoquidem assertam concordiam praetendebant non esse sublatam decretis Concilii, tum propter duplex vinculum, tum quia Concilium non sustulit nisi exemptiones eorum, qui subsunt immediate sedi apostolicae, non autem capituli Atrebatensis, quod praetendit, se immediate fuisse primum subiectum archiepiscopo Rhemensi, ac deinde Cameracensi, qui in illius locum fuit subrogatus, et propterea dicebant, praesentem episcopum, qui iuravit se observaturum iura, consuetudines, privilegia ac libertates ecclesiae non esse audiendum contra proprium iuramentum, sed eum debere stare sententiae seu decreto, quod arrestum parlamenti Parisiensis vocant, super executionem eiusdem concordiae in partibus lato.

Cum vero eiusmodi causa nuncio apostolico commissa fuisset, idem nuncius, accedente etiam consensu incl. mem. archiducis Alberti Belgarum principis, SSimum D. N. duxit consulendum, cum ageretur de re ad interpretationem S. Conc. Trid. pertinente, cuius quidem Conc. interpretatio et declaratio a sola sede apost. seu ab Illustr. Cardinalibus eiusdem Conc. Interpr. et non aliis peti aut obtineri potest. Et cum S. Sua huiusmodi controversiae declarationem ad S. Congr. eorundem Card. remisisset, ac deinde canonicorum et capituli agens saepius apud eandem S. Congr. pro eiusmodi interpretatione et declaratione obtinenda auditus fuisset, tandem re saepius ac diligenter discussa emanavit infrascriptum dubium, pro cuius declaratione agitur, videlicet: « Positis scripturis ac iuribus utrimque exhibitis : An asserta concordia seu concessio Fortigarii olim episc. Atrebaten. ab Eugenio IV. confirmata fuerit a Conc. Trid. decretis c. 4. Sess. VI. et c. 6. Sess. XXV. sublata nec ne?

Die 20. Febr. 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. re accurato studio discussa declaravit *fuisse sublatam.*

Robertus Card. Ubaldinus.

Cum die 10. Febr. prox. praet. audito capituli Atrebaten. agente actum fuisset in S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. pro declaratione, an asserta concordia, seu concessione Fortigarii olim episc. Atrebaten. ab Eugenio IV. confirmata, qua capitulum et canonici, beneficiati, ministri ac aliae eccl. cathedr. personae eximebantur ab omnimoda episcopi iurisdictione, fuisset eiusdem Conc. decretis c. 4. Sess. VI. et c. 6. Sess. XXV. sublata, eadem S. Congr. censuit fuisse sublatam; advertit enim inter cetera, eiusmodi concessionem singulis eius partibus diligenter perpensis non fuisse veram concordiam praeservatam a Concilio, sed nudum privilegium ipsius episcopi seu pactum gratuitum, quod Conc. non praeservavit, immo expresse sustulit dictis c. 4. et 6. Et nihilominus, quatenus etiam fuisset vera concordia, illam non fuisse ab Eugenio IV. confirmatam ex vera scientia et cum causae cognitione vere, et non ficte, quemadmodum copulative requiritur ad hoc, ut censeatur praeservata a Concilio, neque in ipsa supplicatione, cuius vigore litterae confirmationis expeditae fuerunt, insertum fuisse vere totum tenorem ipsius praetensae concordiae, eamque coadiuvari haud posse sententia seu decreto super illius executione in partibus lato et a capituli agente producto, neque ei suffragari immemorabilem observantiam, quatenus etiam de ea constaret, aut praetensam immediatam subiectionem archiepiscopo Cameracensi vel alteri archiepiscopo, aut episcopo, cum his omnibus fuerit per Concilium amplissime derogatum.

Nunc vero dubium quoddam circa interpretationem et observantiam eiusdem declarationis emergit, quod licet sit veluti pars et sequela declarationis praedictae, et satis per se clarum videatur, praesertim stantibus litteris fel. rec. Pauli IV. super erectione novorum episcopatuum Belgii instante glor. mem. Philippo II. rege catholico a. 1559. expeditis, in quibus civitates, dioeceses, cleri et populi ipsius Belgii quoad ordinariam episcopalem iurisdictionem et potestatem attinet, suis ipsis, qui pro tempore fuerint, episcopis subiecti esse decernuntur, statutis, ordinationibus et consuetudinibus ac privilegiis quibuscunque non obstantibus : tamen ad contentiones evitandas supplicatur S. Congregationi, ut dignetur huiusmodi dubium ad interpretationem ipsius Conc. pertinens specialiter declarare, videlicet: An episcopus Atrebaten. suam cathedralem ecclesiam eiusque capitulum et personas visitare possit ad praescriptum dicti c. 4. Sess. VI., et extra visitationem capitularium causas criminales cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere valeat ex decreto dicti Conc. c. 6. Sess. XXV. asserta concordia, exemptionibus, privilegiis, sententiis, praescriptione vel consuetudine etiam immemorabili contraria non obstantibus, et an in praemissis obstet episcopo iura-

mentum de observandis iuribus, consuetudinibus, privilegiis ac libertatibus ecclesiae suae praestitum? Die 27. Maii 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit: episcopum Atrebaten. posse ecclesiam suam cathedralem eiusque personas ac capitulum visitare et extra visitationem causas criminales capitularium una cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere ac definire, non obstante asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, sententiis, et praescriptionibus vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, eidemque episcopo, quominus praedicta exequi posset, minime obstare iuramentum, ut proponitur, praestitum de observandis iuribus, consuetudinibus, privilegiis ac libertatibus ecclesiae. »

Robertus Card. Ubaldinus.

—

Die 1. Iul. 1623. stetit in decisis. (Confirm. ab Urbano VIII. d. 3. Nov. 1623. Bull. Rom. T. V. P. 5. p. 166.)

3. Propositis dubiis:

I. « An episcopus (Conchensis) ex decreto S. Conc. Trid. teneatur adhibere adiunctos iudices contra canonicos et capitulares suae ecclesiae cathedr. in revisione computorum et administrationis operum piorum, seu potius per se ipsum tam in actu visitationis quam extra in eos animadvertere possit iuris ordine servato et processu compilato?

II. An episcopus sive eius vicarius vel alius visitator generalis ab episcopo delegatus teneatur, dum visitat ecclesiam cathedralem et personas capitulares adhibere adiunctos coniudices a capitulo quotannis deligendos, vel potius soli possint per se ipsos in concernentibus visitationem procedere, informationes sumere, corrigere et punire, nulla tamen servata forma iudicii seu processu compilato?

III. An, ubi in actu visitationis dirimendum est crimen incontinentiae inveteratae seu concubinatus inter aliquem ex capitularibus et mulierem solutam perpetratum, possit episcopus sive eius vicarius seu visitator generalis contra dictam mulierem procedere, eamque iuris ordine servato ac processu compilato punire, non obstante, quod correus criminis sit persona capitularis et a dicto S. Conc. in causis criminalibus privilegiata, ne contra ipsam sine adiunctis coniudicibus procedatur?

IV. An, si casu discordiae inter episcopum et adiunctos coniudices a capitulo deputatos eligendus est tertius infra sex dierum spatium, debeat dictus tertius esse unus de capitularibus eiusdem ecclesiae, vel potius quilibet alius extraneus deputari possit?

Die 23. Nov. 1647. S. Congr. Emin. Card. Conc. Trid. Interpr. respondit ut sequitur: I. Episcopum posse sine coadiutoribus adiunctis computa et administrationem operum piorum a personis capitularibus exigere, si criminaliter in forma iudicis contra eos non procedat. II. Episcopum posse in visitatione absque adiunctis coniudicibus eccl. cathedralem et capitulares visitare, eisque poenas imponere extraordinarias, quae magis morum correctionem quam punitionem respiciant, non autem extra visitationem, nec quando contra capitulares ad poenas extraordinarias procederet. III. Contra mulierem in crimine incontinentiae seu concubinatus ut supra expresso posse per episcopum in actu visitationis absque coniudicibus adiunctis procedi. IV. Tertium eligendum in casu discordiae debere omnino esse capitularem. »

Petrus Aloysius Card. Carafa.
Franc. Paulutius S. C. C. Secr.

Quod decretum Innoc. X. d. 5. Aug. 1648. confirmavit. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 165.

4. « Anno 1570. exorta est controversia, an ordinarius Ianuensis teneretur procedere contra quendam canonicum dictae ecclesiae cum voto adiunctorum, et huius S. Congr. sensus fuisse videtur, quod teneretur procedere cum adiunctis, si capitulum erat exemptum, secus autem, si exemptione non fruebatur, uti legitur in decis. 321. p. 2. *Divers.* Et merito; quidquid enim sit de variis opinionibus, quae super exemptione capitulorum et modo procedendi adversus capitulares fuerunt inter Patres Conc. Trid., uti plene refertur in l. XXIII. c. 3. et 7. Hist. dicti Conc. scriptae a Card. *Pallavicino*, hoc unum certum est, quod ad rem, de qua agitur, bina in dicto Conc. extant decreta, alterum Sess. VI. c. 4. de ref., alterum Sess. XXV. c. 6. de ref.

In c. 4. Sess. VI. decernitur, quod capitula cathedralium et aliarum ecclesiarum et eorum personae nullis exemptionibus aut consuetudinibus se tueri possint, quominus a suis episcopis per se ipsos solos vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis iuxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari possint et valeant, et cohaerenter ad haec reprobata Rotae sententia S. haec Congr. censuit,

episcopum in visitatione capituli non teneri assumere aliquos ex canonicis, sed posse visitare vel per se ipsum solum, vel aliis adiunctis etiam extra capitulum, iuxta ea quae plene habentur apud *Fagnan.* in c. *Ut iuxta* a num. 37. usque ad fin. de off. ordinarii, et in c. *Cum venerabilis* n. 5. et seqq. de censibus, non obstante quacumque capituli exemptione iuxta responsum huius S. Congr. in *Zamoren.* 1. CXXXI. Posit. p. 806. ibi: « Praesupposito, quod cap. Zamoren. est exemptum de consuetudine immemorabili, quaeritur an possit episcopus visitare ecclesiam illiusque canonicos beneficiatos, et alias ecclesiae personas per se ipsum, vel an debeant intervenire adiuncti aut aliae personae ecclesiae vel extra eam, quia nunc procedit episcopus solus cum suo secretario et notario, Congr. Conc. resp., posse per se ipsum solum absque adiunctis. »

In c. deinde 6. Sess. XXV. de ref. confirmantur disposita in c. 4. Sess. VI. et additur, quod si episcopus extra visitationem adversus aliquem ex canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus adiunctis ex gremio capituli, nisi forte ageretur de delictis depositionem aut degradationem requirentibus, et in quibus de fuga timeretur, tunc enim episcopus tam ad personalem detentionem quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adiunctis, cumque hoc sextum caput sit consecutivum ad c. 4., hinc est quod iuxta repetitas huius S. Congr. resolutiones caput illud 6. non procedit nisi in capitulis exemptis.., et ampliatur etiam ad casum, quo episcopus extra visitationem procedere velit contra capitulum exemptum propter excessum ab universo capitulo, vel de illius mandato, consensu aut approbatione commissum, iuxta celebrem resolutionem in *Astoricen.* 29. Apr. 1578. Posit. p. 542. et 1. I. Decr. p. 153. a tergo, ibi: « Si capitulum ipsum delinquat, vel aliquis ex canonicis de mandato capituli, utrum iudices in suo corpore a capitulo electi possint aut debeant cum episcopis simul iudicare? S. C. resp. *ita debere.* »

His ad ornatum materiae generaliter praemissis et tam ab Emin. archiepiscopo Ianuen. quam a capitulo et canonicis metropol. ecclesiae, qui inter se iterum de procedendo cum vel sine adiunctis contendunt, libenter admissis, praedictum capitulum se praetendit exemptum ab ordinarii iurisdictione, attentis apostolicis privilegiis, concordiis et nonnullis actibus, et sic non posse criminaliter contra canonicos capitulares ordinarium procedere sine adiunctis. Excepit e contra Emin. archiepiscopus, sibi favere dispositionem iuris, exemptionem non probari, et suam curiam esse in antiquissima possessione procedendi contra canonicos et capitulares sine adiunctis. Quocirca quaeritur: An et de cuius iure constet procedendi in criminalibus contra canonicos et capitulares metropolitanae Ianuen. una cum vel sine adiunctis, etiam ad effectum manutentionis in casu etc.?

S. C. resp.: Constare de bono iure Emin. archiepiscopi procedendi in criminalibus contra canonicos sine adiunctis etiam ad effectum manutentionis. » *Ianuen.* 4. Iul. 1722.

—

5. Ad dubium in Spoletana 30. Sep. 1730. propositum: An episcopo competat iurisdictio visitandi capellam societatis in ecclesia PP. Minor. Convent. terrae montis Leonis *exempta* erectae? responsum fuit *affirmative* ad formam decreti in *Nucerina Paganorum* 23. Iul. 1639., quod ita conceptum est: « S. C. inhaerendo declarationibus alias factis censuit, confraternitates laicorum in ecclesiis regularium *exemptorum* institutas subesse iurisdictioni et visitationi episcopi, illasque ab eo visitari posse nec non illarum capellas in iisdem ecclesiis regularium existentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem fratrum relationem habent. » Similiter iudicavit in *Nullius Ian.* 1598., *Guardien.* 1600., *Urbanien.* 23. Sept. 1690. (allg. V. 47.); *Firmana* 1714., *Ravennaten.* 7. Apr. 1731. et saep.

C. VII. *Accessus et regressus ad beneficia tolluntur. Coadiutor quo modo, cui et ex qua causa concedendus.*

Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa [1]) et Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ec-

clesiasticum cuiuscunque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocque decretum in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadiutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet praelato dari coadiutorem [2]), is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a iure et decretis huius sanctae synodi in episcopis et praelatis requiruntur [3]). Alias concessiones super his factae surreptitiae esse censeantur.

[1]) cf. c. 5. (Hilar. in syn. Rom.) 7. (conc. Lat. II.) C. VIII. qu. 1., c. 7. 10. 11. X. de fil. presb. I. 17. (Alex. III.), c. 13. ib. (Clem. III.), c. 6. 15. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.) — [2]) cf. Sess. XXI. de ref. c. 6., cf. c. 1. 14. C. VII. qu. 1. (Gregor. I.) — [3]) Sess. VII. de ref. c. 1. et 3. Sess. XXII. de ref. c. 2.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Ildephonsus Valentinus Fernandez Montero beneficium, cum clericus nondum factus esset, resignavit in favorem cuiusdam sacerdotis, inita pactione, ut statim, atque ad clericatum promotus esset, regredi ad illud ipsi liceret. Cum consentiente patrono regressus esset, dimittendum esse ab illo beneficium fructusque restituendos, denegatis interim absolutione, dispensatione et tituli beneficii convalidatione, « de quibus postea supplicet, » S. C. censuit in *Caurien.* 30. Iul. 1774.

2. Cum Antonius Amaya beneficium cum officio aeditui eccl. parochialis villae Fuentes de Leon resignasset in favorem Iosephi Sanchez Brioso, privata cum eo eiusque patre conventione inita, ut officii exercitium incumberet resignatario, ipse vero fructus beneficii perciperet, postmodum de commissa simonia confidentiali monitus supplicavit pro approbatione resignationis, quam tamen S. C. denegavit. *Nullius S. Iacobi de Spatha* 21. Apr. 1792.

—

C. VIII. *Administratorum hospitalium munus. Eorum negligentia a quibus et qua ratione coercenda.*

Admonet sancta synodus quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium [1]), a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant, memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere [2]). Illis vero, qui hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum pauperumve usum praecipue instituta in commendam, administrationem aut quemcunque titulum, aut etiam ecclesiis suis unita obtinent, vel si ecclesiae parochiales hospitalibus forte unitae aut in hospitalia erectae, earumque patronis in administrationem concessae sint, praecipit omnino, ut impositum illis onus officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant iuxta constitutionem concilii Viennensis [3]), alias in hac eadem synodo sub fel. rec. Paulo III. innovatam, quae incipit: *Quia contingit.* Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae aut perpaucae reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit ac pro loco et tempore utilior, convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit; nisi aliter forte, etiam

in hunc eventum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum, quo casu quod ordinatum fuit observari curet episcopus, aut, si id non possit, ipse, prout supra, utiliter provideat. Itaque si praedicti omnes et singuli, cuiuscunque ordinis et religionis et dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, ubi viget regularis observantia, ab ordinario moniti hospitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quae tenentur, necessariis re ipsa obire cessaverint, non solum per ecclesiasticas censuras et alia iuris remedia ad id compelli possint, sed etiam hospitalis ipsius administratione curave perpetuo privari possint, aliique eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quae nulla eis remissione aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur; nec administratio seu gubernatio huiusmodi locorum uni et eidem personae ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur; non obstante, quoad omnia supradicta, quacunque unione, exemptione et consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis aut indultis quibuscunque.

[1]) cf. c. 2. D. XLII. (Chrysost.), c. un. D. LXXXV. (Greg. I.,) c. 2. D. LXXXIX. (Id.), c. 30. C. XII. qu. 2. (Id.)—[2]) Matth. XXV. 35. — [3]) cf. Sess. VII. de ref. c. 15. — Clem. 2. de relig. dom. III. 11.

C. IX. *Quomodo probandum ius patronatus. Cui deferendum munus patronorum: accessiones vetitae: quibus id juris non acquiratur.*

Sicuti legitima patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione [1]) vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis iure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis, seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam saecularibus quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscunque aliis beneficiis, in cathedrali vel collegiata ecclesia, seu facultates et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocunque iure nominandi, eligendi, praesentandi ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad imperatorem et reges seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos principes iura imperii in dominiis suis habentes pertinent, et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt [2]), in totum prorsus abrogata et irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur, beneficiaque huiusmodi tanquam libera a suis collatoribus conferantur ac provisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ad haec liceat episcopo [3]) praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab episcopo ta-

men, iuxta alias statuta ab hac sancta synodo, examinentur; alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit et inanis. Patroni autem beneficiorum, cuiuscunque ordinis et dignitatis, etiam si communitates, universitates, collegia quaecunque clericorum vel laicorum existant, in perceptione fructuum [4], proventuum, obventionum quorumcunque beneficiorum, etiam si vere de iure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullatenus nullave causa vel occasione se ingerant; sed illos libere rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum ius patronatus venditionis [5] aut alio quocunque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant. Si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur, et dicto iure patronatus ipso iure privati existant. Insuper accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis ad ecclesias iuri patronatus, etiam laicorum, subiectas, tam ad parochiales quam ad alia quaecunque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita ut praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub iure patronatus constituantur, hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum, vel deinceps ad cuiusvis instantiam fient, quacunque auctoritate, etiam apostolica, concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per surreptionem obtentae intelligantur, non obstante quacunque in iis verborum forma seu derogatione, quae habeatur pro expressa, nec executioni amplius demandentur, sed beneficia ipsa unita, cum vacaverint, libere ut antea conferantur. Quae vero a quadraginta annis citra factae [6] effectum et plenam incorporationem sunt consecutae, hae nihilominus ab ordinariis tanquam a sede apostolica delegatis revideantur et examinentur, ac quae per surreptionem vel obreptionem obtentae fuerint, simul cum unionibus irritae declarentur, ac beneficia ipsa separentur, et aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicunque in ecclesiis et quibuscunque aliis beneficiis, etiam dignitatibus, antea liberis acquisiti a quadraginta annis citra, et in futurum acquirendi seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa, etiam auctoritate sedis apostolicae, ab iisdem ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur, et quos non repererint ob maxime evidentem ecclesiae, vel beneficii seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent, atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, et restituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant; non obstantibus privilegiis, constitutionibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

[1]) cf. Sess. XIV. c. 12., c. 25. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.) — [2]) Sess. XXIV. c. 19. de ref. — [3]) cf. Sess. XIV. de ref. c. 13., Sess. XXIV. de ref. c. 18. — [4]) cf. c. un. X. ut eccles. benef. sine demin. confer. III. 12. (Innoc. III.) — [5]) cf. c. 6. 16. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.) — [6]) cf. Sess. VII. de ref. c. 6.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Ex eo, quod ecclesia aliqua inveniatur erecta in fundo spectante ad beneficium simplex intra fines ecclesiae parochialis alicuius situm, non nasci ius patronatus rectoris illius beneficii, et episcopo competere ius nominandi et deputandi custodem ecclesiae, resp. S. C. in *Tudertina* 12. Aug. 1741.

2. Ecclesia cathedr. Savonensis, erecta a Paulo IV. et cum iuribus omnibus episcopo, capitulo, canonicis et personis ipsius eccl. assignata, a fundamentis iterum ex-

structa fuit non solum ex publica civitatis pecunia, sed episcopi quoque, collegiorum ac privatorum civium aere. Communitas, licet partis alicuius ius patronatus sibi verbis expressis reservasset, tamen negativum a S. C. tulit responsum. *Savonen.* 29. Febr. 1744.

3. Obtenta a Card. Gozzandino dismembratione paroeciae ac novae erectione, sacerdos Franc. Belletti proprio aere ecclesiam et domum pro novo parocho construxit, paratumque se exhibuit ad congruam novo parocho assignandam una cum annua praestatione corbarum septem frumenti in favorem sacerdotis parochiae veteris ad reparandum damnum, quod ex dismembratione praedicta perpessus erat. Cum incertum esset, an et in cuius favorem ius patronatus sit reservandum? S. C. rescr., ius patr. pertinere ad sacerdotem Belletti solutis ecclesiae matrici corbis septem frumenti annuis a novo parocho, et reservato competente honore ab ecclesia filiali exhibendo erga matricem arbitrio Card. episcopi. *Imolen.* 21. Iun. 1721. ad dub. II.

—

4. Propter novam nonnullarum dioecesum regni Austriaci partitionem parochias aliquot a patriarchatu Veneto in Cenetensem episcopum Papa transtulit. Quaestione exorta super duobus beneficiis in parochia aliqua translata, quorum ius patronatus ad patriarcham Venetum semper spectasse constabat, patriarcha contendente ob praefatam partitionem ius patronatus se non amisisse, altero facta esse liberae collationis illa beneficia affirmante, S. C. iudicavit, ius patronatus spectare ad patriarcham Venetum, institutionem vero ad episcopum Cenetensem, in *Venet.* et *Ceneten.* 19. Dec. 1840.

5. Etiamsi in aedificatione altaris S. Augustini eccl. archipresbyteralis oppidi Scarpae apposita fuerit inscriptio; « D. O. M. Sinibaldus de Nicolais archipresbyter propriis sumptibus a. 1751 », tamen, cum oblationibus fidelium quoque altare erectum, neque a Sinibaldo dotatum esset, ius patronatus ad familiam de Nicolais non pertinere, sed esse liberum eiusdem ecclesiae S. C. iudicavit. *Turbitana* 4. Apr. 1778.

6. « Extra moenia terrae Rendarum Cusentinae dioec. adest quaedam ecclesia sub titulo S. Sebastiani cum unica capella seu altari, nec ulla extat memoria a quo tempore et a quo dicta ecclesia aedificata fuerit; ex duabus tamen enunciativis annorum 1653. et 1665. desumitur, fuisse constructam ex eleemosynis et devotione populi, prout in dubio etiam de iure praesumitur. A. 1627. Dianora de Stephano irrevocabiliter donavit nonnulla bona stabilia reditus ducatorum 10. pro reparatione et fabrica eiusdem ecclesiae, et de huiusmodi reditibus ac eleemosynis capellani pro tempore obsequentes mandato episcopi rationem reddiderunt coram vicario foraneo dicti loci.

—

Usque ab anno 1621. universitas dictae terrae sibi spectare putavit ius patronatus huius ecclesiae, et praesentavit sacerdotem sibi benevisum pro capellano, sed non constat an huiusmodi praesentatio habuerit effectum; verum tamen est, quod sacerdos tunc praesentatus licentiam quaestuandi ab ordinario obtinuit. A. 1633. iterum universitas praesentavit alium sacerdotem, sed praesentatio fuit admissa, postquam eadem universitas praedicto anno donavit quendam situm seu viridarium valoris ducatorum 34. et annui reditus duc. 4. cum onere celebrandi decem missas singulis annis, et pro hac donatione fuit eidem ab ordinario concessum ius patronatus, cum clausula tamen « si et quatenus ecclesia alios reditus non possideat nisi praefatos ducatos quatuor ». Et ab inde citra usque ad praesens universitas praefata semper praesentavit capellanum seu beneficiatum ad dictam ecclesiam. »

Postea, cum inter capellanum ecclesiae et congregationem quandam in ea a. 1653. receptam controversiae exortae essent, mota quoque de iure patronatus quaestio fuit, et contendit confraternitas: « ecclesiam uti constructam ex eleemosynis et devotione populi liberam esse, non vero de iure patronatus universitatis, nec istam ius patr. acquirere valuisse ex dicta donatione clausorii duc. 34., sive quia est donatio modica, iuxta decis. *Coccini* la 106. n., sive etiam quia fuit ius patr. concessum sub conditione, si ecclesia alios reditus tunc non haberet, quando de facto possidebat bona a Dianora de Stephano donata; quasi-possessionem vero eiusdem universitatis praesentandi capellanum respicere ipsam capellaniam habentem onus celebrationis decem missarum in anno, non autem prae se ferre ius patr. ecclesiae, cum aliud sit ius patr. ecclesiae et aliud ius patr. capellaniae in ecclesia, iuxta aliam dec. *Coccini* la 1783. n. 6. Et quatenus prae se ferret ius patr. ecclesiae, ea non constito de legitimo titulo veluti usurpativa reprobatur a Conc. in Sess. XXV. c. 9. de ref., cuius dispositionem procedere etiam in parvis communitatibus firmant Rota et Doctores relati per *Barbosam* in. n. 50. » Proposito itaque dubio: An constet de iure patr. ec-

clesiae sub tit. S. Sebastiani positae extra muros terrae Rendarum favore communitatis eiusdem terrae? S. C. resp. *negative*. *Cusentina* 3. Dec. 1729.

7. Fundator mansionariae in eccl. Arimin., clerico prima vice nominato, ius patronatus praeposito cathedralis, parocho cuidam, praesidibus duorum monasteriorum et publici urbis cuiusdam tabularii custodi reliquerat. Postea possessor a fundatore nominatus accedente episcopi et sedis apost. approbatione mansionariam auctis eius reditibus erexit sibique ius successorum nominandi reservavit, cui commutationi praepositus quoque et custos archivii consensum praestiterunt. Monasteria, quorum praesidibus ius patronatus relictum erat, in eo loco non amplius extabant, parochia vero, cuius sacerdos inter compatronos erat, a S. P. fuit extincta ac suppressa. Itaque S. C., mansionariae in canonicatum erectionem magnum ecclesiae decus allaturam esse considerans, canonico illi ius competere nominandi successorem censuit. *Ariminen.* 20. Dec. 1834.

—

8. Caietanus Caccialupus et Iosephus Raccamadorius canonicus ius patronatus cuiusdam rectoratus activum 560. scutorum pretio vendiderunt Dominico Assortati eique illius fundum cesserunt, ut cum bonorum universitate translatus videretur. Cum pro absolutione a censuris, quatenus in eas incidissent, instarent, S. C. imposita salutari poenitentia arbitrio episcopi eam impertivit, et addidit « ut Assortatus consulat conscientiae suae ». *Maceraten.* 18. Iul. 1789.

9. Beneficii cuiusdam ius patronatus ad familiam in duas stirpes divisam ita pertinebat, ut nominatio alternaret inter Carpensem et Bononiensem. Anno 1811., cum legibus civilibus talia beneficia suppressa fuissent, stirps Bononiensis rata, sibi licere fundos beneficii vendere, id concessit alteri. Sacerdos, qui possidebat beneficium, filius capitis stirpis Carpensis, cui pro tempore nominandi ius competebat, sperans, publicas res in meliorem statum mutatum iri, patre consentiente, a Benedicto, alterius stirpis capite solemni instrumento iuris patronatus ad illam spectantis dimidium emit. Missarum onera semper implevit. Cum Benedicto ei consentiente instaret pro sanatione et convalidatione contractus, S.C. censuit, esse concedendam sanationem (quia emerit animo conservandi beneficii et bona fide fuerit) atque consulendum esse SSimo pro absolutione a censuris atque ab irregularitate quatenus opus sit, « et ordinarius moneat Benedictum, ut consulat conscientiae suae ». *Carpen.* 15. Ian. 1816.

10. « Ab hominibus castri nuncupati de Guembe dioecesis Pampilonen. ex antiqua consuetudine persolvitur quoddam annuum tributum frumenti, avenae, novem albarum gallinarum et decem regalium ecclesiae collegiatae et capitulo B. Virginis de Roncavalle, quae ecclesia sita est ad radices Pyrenaeorum, et quia praedictum tributum est asportandum ad quendam locum de Lorca, qui est sub capituli iurisdictione, et est persolvendum in manibus certae personae ab eodem capitulo deputatae, onus praedictum, quod attento valore ascendit ad sola scuta centum annuae monetae, gravosum admodum est hominibus castri de Guembe, tum quia semper oriuntur contentiones circa qualitatem grani et albedinem gallinarum, tum quia tributi delatores irrisionibus exponuntur aliorum, per quorum loca transeunt, ita ut scandala et mala ea occasione contigerint. Ad effectum itaque se a dicto onere eximendi, cum praedicti homines sint patroni ecclesiae parochialis S. Bartholomaei, reservato prius beneplacito apostolico, in animum induxerunt, cedendi ius patronatus seu ius nominandi favore capituli, ita tamen, ut in qualibet vacatione praesentetur incola filius loci de Guembe; et quatenus idoneus inter homines loci non reperiatur, alia quaecunque persona idonea a capitulo praesentetur, quae ab episcopo sit instituenda curamque exerceat animarum titulo vicarii perpetui, in sequelam videlicet unionis ecclesiae parochialis capitulo faciendae. Et quia provisum fuit, necessariam esse congruae assignationem huic vicario perpetuo, conventa fuit assignatio in scutis 80. monetae Romanae; reditus etenim parochiae ascendere dicuntur ad ducatos 120. auri de camera, et in eo, quod attinet ad huius congruae exactionem, capitulum se obligat ad solvenda vicario quolibet anno sc. 40. et alia sc. 40. vicarius retrahet ex emolumentis nuncupatis de pede altaris, ita tamen, ut in casu diminutionis horum emolumentorum, quae modo ad dicta sc. 40. ascendere dicuntur, communitas, quae ecclesiae parochiali uniendae donat duodecim mensuras terreni arativi liberas annui reditus quatuor mensurarum frumenti, obligata ulterius remaneat ad supplementum usque ad summam praedictam. Denique conventum fuit, quod capitulum ecclesiae collegiatae, ad quam in posterum decimae parochiales pertinebunt, solvat quartam debitam episcopo Pampilonen. taxatam in quatuordecim men-

suris frumenti transportandi ad locum de Salinas, et quod etiam idem capitulum persolvat dignitati Delguiart cathedralis Pampilonen. pro fonte baptismali annuum aliud emolumentum consistens in tribus oneribus frumenti, facta per idem capitulum ampla remissione seu perpetua condonatione supra recensiti tributi frumenti, avenae, novem albarum gallinarum et decem regalium monetae regionis.

Transactio haec digna est apostolico beneplacito iuxta sensum episcopi et etiam Emin. D. Card. Tanarii, cuius suffragium fuit ab hac Sac. Congr. requisitum, et ultra remotionem scandalorum et evidentem utilitatem tum capituli tum ecclesiae parochialis, et motivum magna consideratione dignum quod ius praesentandi ad parochialem ecclesiam de laicali evadat ecclesiasticum, quae omnia in relatione episcopi et in suffragio Emin. Tanarii accurate considerata sunt, addi potest, quod, licet emptiones et conventiones et alia quaecunque pacta consimilia prohibeantur a ss. canonibus in materia iuris patronatus, ut in cap. *Quia clerici*, ibique glossa in verbo *advocatio*, et in cap. *De iure*, tit. de iure patronatus, eum quibus concordat Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 9. de ref., omnia nihilominus cessant, statim ac auctoritas intercedat apostolica; scribente etenim Matthaeo Parisio, Ioannem Angliae regem omnia patronatus iura, quae habebat in ecclesiis Anglicanis, pignori dedisse Innocentio III. R. P., quod prohibitum esse videbatur, ex quo illud, quod venditionem et emptionem non recipit, nec pignorationem recipere potest, iuxta textum in l. 9. §. 1. D. de pignoribus et hypoth. (XX. I.), bene adnotavit *Ianus a Costa*, antecessor Toletanus in summariis decretalium ad tit. de transact. pag. mihi 230. id recte factum fuisse, intercedente Summi Pont. auctoritate, ibi: «sed omnem defectum supplere potuit auctoritas summi Pont. » Quia vero ignoratur, an tributum, quod a capitulo remittitur, sit quid pure temporale, licet asseratur originem habere a decimis, nonnullae proponi possunt animadversiones approbationi concordiae adversantes et nonnullae eidem faventes.

Et praemisso quidem, quod a capitulo dimittitur aliquid, quod potest esse pure temporale, at acquiritur aliquid, quod est spiritualibus annexum, si non antecedenter, saltem consequenter, iuxta doctrinam *Divi Tomae* II. 2. qu. 100. art. 4. in corpore, quando vetitum est, temporale recipere nedum pro re spirituali vel spiritualibus annexa antecedenter, sed etiam pro re spiritualibus annexa consequenter, unde, licet ius praesentandi annexum universitati bonorum transeat cum universitate in emptorem, iuxta textum in cap. *Ex litteris* de iure patron., non potest tamen ius patronatus principaliter vendi, nec pretium universitatis bonorum augeri propter illud iuxta doctrinam *S. Antonini* in summa, 2. par. tit. 1. cap. 5. §. 24., ibi: « Similiter vendere tale ius, scilicet patronatus per se, vel etiam vendere villam seu casale, ubi est ecclesia, cuius quis est patronus, quando ratione illius patronatus aliquid plus peteret, simonia est, » subditque *Lambertinus* de iure patr. 2. parte X. primi libr. art. 3. qu. 4. principali, simoniam committi, si quis donat aliquid temporale, ut ius patronatus acquirat.

Facit contra approbationem, quod agitur de iure praesentandi non ad beneficium simplex, sed ad porochiale, et quidquid sit de beneficiis simplicibus, pactiones circa parochiales et receptiones rei temporalis pro spirituali non sunt simoniacae, quia prohibitae, sed prohibitae, quia simoniacae, et prohibitae de iure divino, ita ut in illarum approbatione auctoritas apostolica non sit interponenda, uti late ostendunt *Cabassut.* in theor. et prax. iur. can. l. V. cap. 3. num. 14. et seqq., *Fagnan.* in cap. *Cum pridem*, num. 31. seqq., nulla facta distinctione inter collationem et praesentationem iuxta doctrinam *Suarez* de relig. T. I. l. IV. cap. 28. num. 11., ibi: « atque hinc sequitur, actum istius iuris, scilicet praesentationem ad beneficium, materiam esse simoniae contrariae iuri divino. »

Urget e contra pro approbatione, quod iuxta receptam apud canonistas sententiam pactiones in beneficiis sive simplicibus sive curatis sunt prohibitae et simoniacae, non contra ius divinum, sed contra ius humanum, uti late ostendit *Garzias* de benef. par. 1. art. 2. num. 8., et multo magis quando agitur de iure praesentandi, quod in se spirituale dici non potest, sed spiritualibus annexum consequenter, et in quo licet simonia sibi possit locum vindicare, id tamen procedet quoad simoniam non iuris divini sed iuris positivi, quae iuxta praxim accedente apost. auctoritate evitatur, *Lotter.* de re benef l. II. qu. 9. a num. 7. seqq. et a n. 78.

Examen huius concordiae commissum fuit Emin. D. Card. Tanario, qui fuit in sensu approbationis concordiae, cum per ea scandala removeantur et in eadem insit utilitas capituli, et ius praesentandi ad parochialem ecclesiam de laicali evadat ecclesiasticum, et cum dicto eminentissimo

concordavit episcopus Pampilonensis requisitus pro informatione et voto; cumque ratione officii perpendendum proposuerim, an concurrente ex una parte probabilitate, quod tributum a capitulo remittendum esset quid pure temporale, et concurrente ex alia parte circumstantia, quod agebatur de iure praesentandi non ad beneficium simplex, sed ad parochiale, simonia in transactione interveniens dicenda esset simonia a iure divino prohibita et sic non sanabilis auctoritate pontificia, vel potius simonia iuris positivi, quae accedente apostolica auctoritate evitatur, pro maiori suffragiorum parte visum est, simoniam non ad primam, sed ad secundam speciem esse referendam.

Verum duo alia obiecta ab Eminent. patribus in suffragando fuerunt proposita; alterum quod iuxta transactionem ecclesia parochialis S. Barthol. est unienda capitulo, et vicarius perpetuus est in illa instituendus, in quo rerum statu urget cap. 13. Sess. XXIV. de ref., in quo prohibetur unio ecclesiarum parochialium monasteriis, quibuscunque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus vel militiis; — alterum, quod ad tramites transactionis universitas proponere debet capitulo suum concivem idoneum et capitulum debet eum episcopo praesentare, ut ab ipso institutionem ad parochialem recipiat, et in casu existentiae plurium concivium habilium eos omnes capitulo proponere debet, ut unum eligat, episcopo uti supra praesentandum; ita ut extraneus a capitulo praesentari non possit nisi in casu defectus omnium concivium habilium; in qua facti specie cessare visa est utilitas, quae habetur statim ac ius patronatus de laicali evadit ecclesiasticum, et quae consistit in hoc, quod concursus non habet locum in iure patronatus laicali, sed simplex examen, ad differentiam iuris patronatus ecclesiastici, in quo patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus episcopo praesentare tenetur, ut ab eo instituatur, iuxta Sess. XXIV. cap. 18. de ref.

Fuerunt istae difficultates communicatae defensori capituli, cui etiam notificatum fuit rescriptum Sac. Congr. editum hac die 15. Maii 1723., quod exhiberetur instrumentum concordiae. Quaeritur: An concordia sit confirmanda in casu etc.?

Sac. Congr. respondit: « Pro approbatione, deleto pacto iuris patronatus passivi. » *Pampilonensis* 15. Mai. et 28. Aug. 1723.

11. Cum patroni inopes incapaces essent reficiendarum aedium parochialium quarundam, conventionem inierunt cum quodam, ut hic aedes repararet, patroni vero illi ius nominandi cederent quousque viveret. Quam conventionem esse probandam censuit S. C. in *Placentina* 26. Mart. 1803.

—

12. Beneficii cuiusdam ius patronatus fundator descendentibus suis, substitutione in favorem capituli facta, reliquerat. E familia cum puer tantum minoris aetatis et mater superstites essent, mater, utilius sibi esse rata beneficii administrationem dimittere, ius patronatus tutricis nomine ac potestate in manus ordinarii, sub conditione tamen resolutiva in eius arbitrio posita, renunciavit. Capitulum, substitutionis esse locum putans, nominandi ius semel exercuerat. Vacante vero iterum beneficio episcopus nominationem ad se pertinere contendit. Filius denique de factae renunciationis validitate coram S. C. egit. Praeterlapsum quidem erat restitutionis quadriennium. Cum vero causa sufficiens non adesset, laicus iudex decretum alienationis dedisset, renunciatum denique esset in detrimentum vocatorum futurorum: S. C. constare de nullitate resignationis respondit. *Tyburtina* 23. Ian. 1838.

13. Capellaniae cuiusdam fundator de iure nominandi ita disposuerat, ut duae voces ad familiam P., quatuor vero ad quatuor hospitalium V. M. P. et B. massarios (i. e. administratores) pertinerent; singulos vero hos patronos, si aut capellaniae bona alienaturi aut alienationi consensuri essent, nominandi iure spoliari atque in eorum locum ordinarium succedere iusserat. Postea, cum hospitalia P. et B. a saeculari regimine suppressa, eorumque bona hospitali V. mutato quoque administratorum nomine addicta essent, ordinarius et familia P. de iure patronatus inter se egerunt, quod ad se devolutum esse uterque contendebat. S. C. vero iudicavit: ius nominandi competere pro una voce camerario hospitalis V., pro altera camerario hospitalis M., pro duabus reliquis vero familiae P. *Bononien.* 10. Sept. 1836.

—

14. Postulaverant beneficii alicuius patroni, ut ius patronatus in ius familiare redigeretur, familiaritatis enim legem non in ipsa solum fundatione, verum postea quoque adiici posse, communi esse usu receptum contendebant. Annuit precibus S. C.; ad alteras vero preces, quibus flagitabant patroni, ut deficiente clerico de fa-

milia, capellanum amovibilem ad sacra agenda interim constituere possent, respondit *negative* in *Satrianen.* seu *Campanen.* 14. Dec. 1748.

—

15. Statutum dioecesanum, quo cautum erat, « nullum clericum, nisi qui in actuali cura animarum saltem integrum biennium sedulo transegerit, ad ullum beneficium curatum promoveri et institui deberi, « non obstare praesentatis a patronis ad beneficium de iurepatronatus laicorum, quamvis nullam antea exercuerint curam, et servandam esse quoad hoc dispositionem Conc. Trid. resp. S. C. in *Olomucen.* 6. Maii 1741.

—

Similiter iudicavit S. C. in *Eystetten.* 10. Maii 1681.: « Quod attinet ad parochiales ecclesias, quae sunt de iure patronatus laicorum, cum eas Conc. Trid. haud subiecerit concursui, non videtur hodie expedire quidquam novi iuris inducere. Provide autem occurri potest curae animarum, admittendo duntaxat idoneos, et si ii, qui praesentantur, non erunt idonei, non admittat. » (rel. X. 58.)

16. « Clericus Dominicus Curtius praesentari a patronis obtinuit ad unum ex XIV. beneficiis residentialibus eccl. parochialis castri Fidardi, et episcopus noluit eum instituere.

Interpellatus episcopus de causa recusationis respondit, clericum Dominicum non esse integrae probitatis, esse in litteris imperitum, natalibus obscurum, et ecclesiam indigere sacerdote, nec eum propter aetatem, in qua est constitutus, ceterosque defectus supra recensitos posse ad sacerdotium ascendere, seque idcirco patronos monuisse, ut alium idoneum praesentarent.

Recepta hac episcopi informatione.. proponuntur in praesenti discutienda bina dubia ad calcem restrictus referenda.

Primum dubium respicit naturam beneficii; an videlicet dicendum sit sacerdotale nec ne, et clericus Dominicus contendit, non esse sacerdotale, cum id non colligatur ex fundatione, ipsumque fuerit alias collatum simplicibus clericis et signanter Ioanni Francisco de Philippis, per cuius obitum idem actu vacat. Secundum dubium respicit institutionem, an ea videlicet sit eidem clerico Dominico danda, et ipse exorat pro concessione, cum nullum determinatum delictum sibi opponatur, et imperitia litterarum sit exclusa ab attestationibus, quas affert pro sua idoneitate, et defectus aetatis ad rem, de qua agitur, non subsistat, cum sit constitutus in vigesimo anno suae aetatis.

E contra promotor fiscalis excipit, et quoad naturam beneficii asserit, illud esse sacerdotale, cum ex fundatione habeatur, illud una cum aliis fuisse institutum, ut beneficiatus opem ferret parocho in sacramentis administrandis; et in eo, quod attinet ad institutionem aliis licet non sacerdotibus ad hoc beneficium concessam, subdit, id contigisse, vel quia agebatur de clericis, qui intra annum poterant ad sacerdotium ascendere, vel quia agebatur de compatronis, vel tandem quia tunc inter ceteros beneficiatos parocho inservientes plures aderant idonei pro eodem coadiuvando in administratione sacramentorum, quae circumstantia hodie non concurrit; et in eo, quod spectat ad petitam a clerico institutionem, ait quoad mores esse deferendum informationi ordinarii et quoad litteraturam magistro scholae, qui favorabiliter non est testatus favore oratoris... Quaeritur I. An beneficium, de quo agitur, sit sacerdotale nec ne in casu etc.? Et quatenus negative: II. An praesentatus sit instituendus in casu etc.?

S. C. resp. ad I. *affirmative;* ad II. *satis provisum in primo.* »

Lauretana 16. Dec. 1724.

17. Nicolaus Caesar de Avalos beneficium de iure patronatus laicorum fundavit, masculosque linea masculinae, deinde vero femininae familiae de Avalos, his vero deficientibus capitulum oppidi Cyliarum substituit. Beneficiato vita functo extinctisque lineis vocatis, fundatore adhuc vivente capitulum substitutioni locum esse putavit, fundator vero aut alium nominare aut pro se ipso supplicare voluit. S. C. censuit, in casu, de quo agitur, Nicolaum Caesarem pro se ipso supplicare posse. *Baren.* 21. Nov. 1739.

18. Propter natas controversias inter ordinarium Brixien. et archipresbyterum Asulae, S. haec Congr. alias decrevit, quod territorium Castri Gofredi dioec. Brixien. per modum provisionis subiectum remanere deberet episcopo Mantuano tanquam S. Congr. delegato.

Vacavit in dicto castro de mense Martii a. 1717. quoddam beneficium simplex sub tit. S. Crucis de iure patronatus familiae de Simbenis, nec patroni ullum potuerunt clericum reperire, qui illud acceptare voluerit, propter redituum tenuitatem et onerum exorbitantiam; reditus enim annui sunt in scutis 8. monetae Rom., et applicandum sacrificium quocunque die festo.

—

Ne beneficium suo rectore careret, memorati patroni intra quadrimestre sibi datum ad praesentandum supplicarunt episcopo Mantuano defuncto, ut de beneficio disponeret, nec ullum episcopus invenire potuit clericum, qui dictum acceptaret beneficium, uti testatus est cancellarius, qui ulterius deposuit de diligentiis peractis; iidemque patroni intra citatum quadrimestre protestati sunt de diligentiis peractis, ne beneficium sine beneficiato remaneret.

Post lapsum fere duorum annorum inventus est clericus, qui est paratus et promptus ad acceptandum beneficium, cupit enim ad eius titulum promoveri cum debito patrimonii augmento; cumque saepe memorati patroni illum vicario capitulari praesentaverint, vicarius, antequam praesentationem admitteret, oraculum S. Congr. requirere voluit ad eandem transmittendo omnia documenta, ex quibus notitia facti in superioribus expositi fuit desumpta...

Putant de Simbenis patroni, suam praesentationem esse admittendam, cum enim tota difficultas consistat in lapsu temporis a iure statuti ad praesentandum, nullum ex dicto temporis lapsu praeiudicium sibi illatum fuisse contendunt, stantibus diligentiis peractis, ut clericum invenirent, qui beneficium acceptaret; devolutio siquidem supponit culpam et negligentiam inexcusabilem, *Murga* de benef. quaest. 3. §. 10. sect. 1. n. 480., et pro regula datur a doctoribus et tribunalibus, quod unumquodque non improbabile impedimentum praeservat iura patroni a devolutione ad superiorem, *Faber* in Cod. tit. de SS. EE. def. 35. vers. *quod secus est*, *Pirhing* ad l. 3. Decr. tit. 35. sect. 4. §. 4. n. 106., *Ventrigl.* in praxi P. II. annot. 1. §. 3. n. 28. seqq., *Ricc.* collect. 119. vers. *in quo et ipse*, *Perez de Lara* de univers. l. 2. c. 9. 35. Aliique docent, nullum regibus currere tempus ad praestandum, quia semper supponitur, eos esse probabili detentos impedimento, *Solorzan.* de iure Indiarum l. 3. c. 3. n. 49. 50., *Salgado* de regia protect. p. 3. c. 8. n. 43. 44., *Antunez* de denot. reg. l. 3. c. 28. n. 124., *Lagunez* de fructibus p. 1. c. 31. §. 2. n. 122. sqq.

His stantibus quaeritur: An sit admittenda praesentatio in casu etc.? S. C. resp.: *affirmative et amplius.* » *Mantuana* 24. Febr. 1720.

19. Ius patronatus ecclesiae S. Michaelis dioec. Firmanae pro duabus ex tribus partibus competebat parochianis, pro tertia parte familiae de Giliuccis. Cum de modo praesentandi controverteretur, praesentationem a parochianis faciendam esse collegialiter S. C. rescr. d. 19. Iun. 1790; quoad parochiae incolas vero qui intervenire debeant, d. 21. Aug. eiusdem anni rescr., interesse debere parochiae incolas *patres familias* in paroeciali conventu. Demum d. 13. Sept. 1806. resp., ius praesentandi pro tertia parte unius vocis competens familiae de Giliuccis exerceri debere in comitiis parochianorum.

20. Cum vota duorum compatronorum in diversas partes abiissent, altero Antonium Frampolesi vel Ioannem Cecchetti, altero Petrum Ricci vel Blasium Migani praesentare volente, tandem pactum inierunt, ut sorti rem committerent, ita ut duo ex urna extraherentur, et primus nominaretur, alter vero secundo loco praesentaretur, si primus vel nollet vel non posset officium demandatum obire. Sors cecidit in Frampolesi, qui ob infirmam valetudinem se abstinuit, et in Cecchetti, qui alienae dioecesis erat, cui itaque obstabat Iulii II. constitutio, qua Ariminensibus anno 1509. concessum est, ut beneficia nonnisi indigenis concederentur. Cum autem Frampolesi patroni praesentassent, vicarius capitularis eos hortatus est, ne sorti rem committerent contra canones, quo facto alter a sorte statim recessit, Petrumque Ricci praesentavit, alter apud S. C. instetit ut Cecchetti approbaretur. Itaque petita est vicarii generalis relatio. Interea vero, cum spatium praesentationis quadrimestre esset praeterlapsum, Ioannes Gaudenzi parochiae impetrationem postulavit. Agebatur itaque primum de validitate electionis Cecchetti per sortem factae, deinde de vi praesentationis Petri Ricci, denique de devoluto praesentationis iure propter adhibitam eligendi formam canonibus adversam. S. C. ad dubium: An constet de nullitate nominationis factae favore Ioannis Cecchetti, ita ut sit sustinenda et servanda facta favore Petri Ricci in casu etc.? resp. *affirmative* et servandam esse praesentationem favore sacerdotis Petri Ricci. *Ariminen.* 17. Febr. 1821.

21. « Comes Theodosius Panizza Delfini supplicavit pro facultate fabricandi quandam parvam mansionem a latere sinistro eccl. parochialis S. Cathaldi dioec. Mant. et in eadem aperiendi duas fenestras prospicientes versus altare maius, ut ipse cum sua familia missam audire et ceteris divinis officiis interesse possit.... Fundamentum constituitur in maiori quantitate bonorum a se in loco possessorum, in magnis beneficiis a sua familia praestitis ecclesiae tum quoad ampliationem eiusdem, tum quoad

subministrationem fundi pro turri campanaria construenda, et demum quoad largitionem sacrarum supellectilium, quibus addit observantiam, cum inferiores benefactores in aliis dioecesis ecclesiis consimili praerogativa fruantur...

Materia fenestrarum in ecclesias prospicientium est de genere prohibitorum, iuxta textum in Clem. 1. de sent. exc., *quae regula tamen limitatur in patrono, qui in limine fundationis id sibi reservasset,* iuxta tradita per *Pignatell.* consult. 129. n. 17. tom. 4. et per *Monacell.* tom. 1. p. 149. n. 17. et 18. Ex epikeia quadam videtur, quod esse possit locus concessioni, quando agitur de barone, qui etiam esset insignis benefactor, nec res esset de aperienda fenestra in ecclesia cathedrali vel collegiata, uti prosequitur *Pignatell.* l. C. n. 25. et 26. et adnotavit Card. *de Luca* disc. 16. de servitutibus...»

S. C. tamen ad quaestionem: An sit locus gratiae pro aperitione fenestrarum et constructione mansiunculae ad effectum audiendi missam et assistendi ceteris divinis officiis celebrandis in eccl. par. S. Cathaldi favore D. Comitis Theodosii et aliorum de Panizzis in casu etc.? resp. *negative et amplius. Mantuana* 18. Mai. 1726.

—

22. Nominationem favore clerici ad duo patrimonia, quae duobus clericis *saecularibus* aliquis legaverat a legitimis patronis, quamvis posthabita episcopi auctoritate, peractam, cum nihil in fundationis tabulis de episcopi auctoritate statutum fuisse constaret, esse confirmandam, neque necessariam esse episcopi institutionem canonicam, « salvis iuribus episcopi ad formam Concilii Trid. pro adimplemento pii legati » resp. S. C. in *Arimin.* 26. Nov. 1836.

—

C. X. *Iudices a synodo designandi, qui delegentur a sede apostolica; a quibus et ordinariis causae breviter terminandae.*

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum iudicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur, statuit sancta synodus, in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant iuxta constitutionem Bonifacii VIII. [1], quae incipit: *Statutum,* et alioquin ad id aptas designari, ut praeter ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam synodum, ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causae a quolibet legato vel nuncio, atque etiam a sede apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecunque aliorum iudicum, aliis quam his factae, surreptitiae censeantur. Admonet dehinc sancta synodus tam ordinarios quam alios quoscunque iudices, ut terminandis causis quanta fieri poterit brevitate [2] studeant, ac litigatorum artibus seu in litis contestatione seu alia parte iudicii differenda modis omnibus, aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant.

[1] c. 11. X. de rescr. in VIto I. 3.: « Statutum, quod circa iudices a sede apostolica deputandos nuper edidimus, cum quaedam contenta in eo, quae pro communi utilitate credebantur inducta (sicut experientia docuit), tendere dignoscantur ad noxam, sanctione praesenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causae auctoritate litterarum sedis apostolicae vel legatorum eius de cetero committantur; nec audiantur alibi, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.» — [2] cf. c. 5. X. de dolo et cont. II. 14. (Innoc. III.) c. 10. ib. (Greg. X.), c. 2. X., de sent. et re iud. II. 27. (Greg. I.) — supr. Sess. XXIV. c. 10.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Personas designandas in synodo ex c. 10. Sess. XXV. ante delegationem nullam habere iurisdictionem, S. C. censuit in *Ianuen.* 15. Mart. 1601. Ex l. IX. Decr.

p. 134. rel. a *Bened.* XIV. De syn. dioec. IV. 5.

2. Cum in dioecesi Ianuensi per plures annos non fuisset celebrata synodus provincialis aut dioecesana, dubius de facultate, si quem interim iudicem mori contigerit, alium substituendi, in Conc. Trid. ordinariis data, recurrit archiepiscopus ad S. C. pro declaratione, an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi synodus tam provincialis quam dioecesana non fuerit intra tempus a Concilio praescriptum Sess. XXIV. c. 2. celebrata. S. C. in casu, de quo agitur, petitam facultatem substituendi cum consilio capituli oratori impertita est d. 1. Iun. 1609. Ex lib. XIX. p. 171. Decr. rel. ibidem.

3. Cum episcopus Regiensis utens facultate a S. Congregatione tradita in iudices prosynodales elegisset tam viros e gremio capituli quam collegiatae cuiusdam ecclesiae, quorum aliquot nulla dignitate aut personatu erant distincti, capitulumque horum admissioni se opponeret, utpote non idoneorum ex cap. *Statutum* Bonifacii VIII. in c. 11. de rescr. in VIto et constitut. Benedicti XIV. «*Quamvis paternae*», et Conc. Trid. c. 10. Sess. XXV., S. C. censuit, electionem sustinendam esse tantum quoad canonicos ecclesiae cathedralis ac dignitates et personatus in aliis ecclesiis, in *Regien.* 9. Sept. 1843. Antea S. C. iudicaverat, canonicum collegiatae ecclesiae eligi non posse in iudicem synodalem, a. 1624. (rel. CIII. 305.)

4. In appellationum causis ad iudices synodales delatis adhibendi sunt notarii curiae episcopalis. Ita S. C. in *Alben.* 15. Ian. 1656. rel. ex l. XIX. Decr. p. 554. ap. Bened. XIV. l. c.

C. XI. *Variae locationes bonorum ecclesiasticorum prohibentur; quaedam factae irritantur.*

Magnam ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona repraesentata pecunia in successorum praeiudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in praeiudicium successorum validae intelligantur [1]), quocunque indulto aut privilegio non obstante; nec huiusmodi locationes in Romana curia vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam iurisdictiones [2]) ecclesiasticas seu facultates nominandi aut deputandi vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alios eas exercere, aliterque concessiones, etiam a sede apostolica factae, surreptitiae censeantur. Locationes vero rerum ecclesiacticarum [3]), etiam auctoritate apostolica confirmatas, sancta synodus irritas decernit; quas a triginta annis citra ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem annos vocant factas, synodus provincialis vel deputandi ab ea in damnum ecclesiae et contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.

[1]) cf. c. 6. C. X. qu. 2. (leg. Langob.) — [2]) cf. c. 1. X. ne praelati vices suas V. 4. (conc. Lat. III.), c. 2. ib. (conc. Turon.) — [3]) cf. c. 1. de reb. eccl. non al. in Extr. comm. III. 4.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « Ex reditibus mensae episcopalis ascendentibus ad 60000. circ. flor. rhen. decrevit. (Emin. et Rever. Dom. Card. archiep. Strigoniensis) ut perpetuis futuris temporibus 1000. floreni quotannis solverentur ab archiepiscopis Strigonien. capitulo eccl. metropolitanae ea imposita lege, ut canonici celebrare deberent singulis mensibus duas missas solemnes, alteram nempe pro incolumitate domus Austriacae, alteram pro refrigerio et suffragio animae suae, ... et ut eo tutius haec pia voluntas executioni demandaretur, addidit, quod in hypothesi, in qua sui in archiepiscopatu successores praedictos 1000. flor. solvere recusarent, liberum esset capitulo sine iuris strepitu eorum satisfactionem consequi ex nonnullis decimis ad mensam archiep. spectantibus, nullo alio adhibito iudicio, quam duorum nobilium comitatus Nitriensis...

Fuit haec pia voluntas notificata S. Caes. Maiestati, quae eam libentissime acceptavit; fuit eadem notificata capitulo, quod pariter libentissime acceptavit. Cumque Emin. et Rev. Dom. Card. archiep. Strigoniensis SSimo D. N. supplicaverit pro apost. confirmatione a se in fundatione expresse reservata, fuerunt a S. Sua preces remissae ad hanc S. Congr., quae rescripsit Emin. et Rev. Dom. Card. *Tanario*, qui dignetur rem perpendere et votum suum S. Congregationi Conc. aperire.

Emin. et Rev Dom. Card. Tanarius munus sibi commissum strenue de more adimplevit, et fuit in sensu pro confirmatione fundationis; licet enim agatur de alienatione, agitur nihilominus de episcopi alienatione seu donatione ex bonis suae mensae episcopalis favore sui capituli, in quo rerum statu vel solemnitas non est necessaria, ut probat textus in c. *Ut super* de reb. eccl. non alienandis.., vel alienatio seu donatio talis naturae et indolis reputantur, ut confirmationem apost. mereantur, quemadmodum in terminis perpetuae applicationis annuorum scutorum 876. ab episc. Liparitano subtractorum ex reditibus suae mensae episcopalis pro constituendis quotidianis distributionibus dividendis inter canonicos et dignitates suae ecclesiae, resp. haec S. Congr. d. 18. Sept. 1683., non obstante, quod ad effectum praedictum constituendarum distributionum alius modus fuerit a S. Conc. Trid. insinuatus Sess. XXI. c. 3. et Sess. XXII. c. 3. de ref.

—

Additur non deesse sufficientem pro dicta alienatione causam, cum enim notorium sit magnam dignitatis accessionem in archiepp. Strigonien. derivare a titulo principis S. Rom. Imp., quo decorantur, et hanc eandem novam dignitatem non parum prodesse, ut ipsius eccl. Strigonien. negotia in aula Caesarea felicius expediantur, hinc est, satis constare de merito Aug. Imperatoris, qui archiepiscopos dicto insigni decoravit honore, nec non de merito Emin. et Rev. archiepiscopi, qui gratiam praedictam a Caes. Maiestate impetravit, non ut sibi consuleret.. sed ut ecclesiam suam suosque in archiepiscopatu successores novis cumularet honoribus, ita ut de causa in re et ad effectum, de quo agitur, sufficienti non videatur a primo ad ultimum esse dubitandum, cum utilis ex causa censeatur ea alienatio, quae fit ab ecclesia ob iustam gratitudinem et meriti remunerationem erga ipsam praestiti, uti probat textus in c. *Consensus* de reb. eccl. non al. et in auth. *Licentiam* Cod. de epp. et cler.»

Proposito dubio: An sit locus confirmationi apostolicae in casu etc.? S. C. resp. *affirmative iuxta modum. Strigonien.* 17. Dec. 1718.

—

2. Concessae erant in perpetuam emphyteusim a tempore immemorabili plurima mensae episcopalis Tudensis praedia pro annuo canone quintae partis tritici, hordei, milii indici, vini, ad quem fraudandum emphyteutae alias fructuum species, legumina, foenum, lignum etc. colebant. Conscientiae stimulis exagitati rogarunt episcopum, ut certam eis sive in quantitate sive in qualitate statueret pensionem. Episcopus igitur ex S. C. quaesivit: « An sibi liceat variare qualitatem canonis super bonis eius mensae emphyteuticis? » et responsum tulit *affirmative. Tuden.* 14. Ian. 1792.

—

3. In Forosempronіensi ecclesia invaluit consuetudo, qua episcopi decessores veniam tribuere consueverunt alienandi bona ecclesiastica, Romanorum scutatorum L. aestimationem non excedentia. Modernus episcopus verens, ne huiusmodi consuetudo sacris canonibus atque apostolicis constitutionibus adversaretur, priusquam eam divellere aut confirmare aggrederetur, Sed. Ap. sensum exquirendum deliberavit. Quam ob rem in status suae ecclesiae relatione postulavit, num memorata consuetudo sive centenaria sive quadragenaria sit probanda? S. C. resp. *affirmative. Forosempron.* 21. Iul. 1827.

C. XII. *Decimae integre persolvendae. Eas subtrahentes excommunicandi. Rectoribus ecclesiarum tenuium pie subveniendum.*

Non sunt ferendi qui variis artibus decimas ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit Deo [1]), et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur sancta synodus omnibus, cuiuscunque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali aut quibuscunque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt [2]) aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur. Hortatur deinde omnes et singulos pro Christiana caritate debitoque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis episcopis et parochis, qui tenuioribus praesunt ec-

clesiis, large subvenire ad Dei laudem atque ad pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.

[1]) cf. Exod. XXII. 29., Levit. XXVII. 30. seq., Num. XVIII. 21. seqq., Tob. I. 6., Malach. III. 10.—c. 66. C. XVI. qu. I. (Caesar. Arel.), c. 6. (cap. inc.) c. 7 (Cap. Franc.) G. ead. qu. 7., c. 14. X. de dec. et obl. III. 30. (Alex. III.), c. 23. ib. (Coelest. III.), c. 26. ib. (Innoc. III.) et al. — [2]) cf. c. 5. C. XVI. qu. 7. (conc. Rothom.), c. 5. X. de dec. (Alex. III.), c. 22. ib. (Coelest. III.), c. 25. 32. ib. (Innoc. III.), Clem. I. h. t. III. 8.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. « In causa decimarum regni Poloniae d. 17. Iun. 1643. S. Congr. Emin. Card. Conc. Trid. Interpr., iterum atque iterum auditis regularibus et praecipue Patribus Soc. Iesu, eorumque iuribus ac privilegiis mature discussis censuit, ab eisdem Patribus et aliis regularibus solvendas esse parochis et aliis beneficiatis regni Poloniae decimas, quae solvebantur a laicis, priusquam bona in ipsorum Patrum et aliorum regularium proprietatem fuerunt translata, firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis, quod decretum emanavit praevia exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam decreto postea consenserunt, prout et agens cleri regni Poloniae. Die vero 31. Iul. 1645. SSimus D. N. Emin. Cardinali Praefecto referente in concistorio approbavit. » *F. Card. Episcopus Portuen.* Cf. Innoc. X. Breve *Nuper pro parte* dat. 25. Febr. 1646. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 79.

—

2. Episcopi Pampilonensis et Barbastrensis eorumque capitula una cum clero saeculari Pampilonensi preces S. Pontifici exhibuerunt, ut privilegia decimarum ratione collegiis Societatis Iesu et ceteris conventibus et monasteriis regularium concessa ad terminos iuris reducerentur. Dubio proposito: An sit locus reductioni privilegiorum ad terminos iuris? S. C. resp.: « *Affirmative* iuxta modum; modus autem est, quod regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem dicti cap. *Nuper* (c. 34 X. de decimis. III. 30.) teneantur solvere integras decimas, exceptis bonis et rebus praescriptis in cap. *Ex parte* (c. 10 X. de decimis. III. 30.); quo vero ad regulares habentes expressam derogationem dicti cap. *Nuper* pro omnibus bonis de praesenti possessis, teneri ad solutionem unius pro XXV.; pro bonis vero acquirendis in futurum quocunque titulo, teneri ad integram decimam, salvis tamen compositionibus et transactionibus et exceptis tamen in omnibus PP. Dominicanis, « in *Pampilon.* 21. Aug. 1728. Quod decretum S. Pont. 19. Ian. 1731. approbavit, praeterquam quoad exceptionem PP. Dominicanorum, quam suspendi iussit. Die 26. Apr. 1732. iudicatum fuit, « etiam Dominicanam familiam eo decreto comprehendi debere ». Eodem modo monasteria quoque Cisterciensium ad decimas solvendas teneri, S. C. rescr. d. 14. Maii 1733. Demum die 5. Iun. 1734. « decimas et primitias deberi ex bonis concessis in emphyteusim, locationem, et ad coloniam etiam a regularibus fruentibus expressa derogatione cap. *Nuper* » respondit.

—

3. Clerus saecularis Pampilonen. et Barbastren. primitias ad sacras supellectiles et ecclesias paroch. reparandas ex dioecesis consuetudine destinatas ab omnibus religiosis familiis solvi debere, nec privilegia eis concessa obstare contenderat, cum nulla in eis primitiarum ratione facta esset exemptio. Ad dubium: An primitiae debeantur iuxta consuetudinem episcopatus in casu etc.? S. C. d. 5. Maii 1731. resp. *affirmative*. Causa iterum proposita hoc decretum d. 18. Aug. 1731. confirmavit, et d. 22. Sept. eiusd. anni quoad collegium Soc. Iesu quoque stetit in decisis.

4. « S. C. censuit, eos, qui decimas subtrahunt et in rem suam vertunt aut impediunt, quominus ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvantur, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos, quemadmodum statuitur eiusdem Conc. decreto cap. 12. Sess. XXV. de ref., eorumque absolutionem non esse sedi apost. reservatam, sed, plena restitutione secuta, spectare ad ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit; ac proinde synodalem constitutionem contrariam hac in parte non esse servandam. Decretum vero cap. 11. Sess. XXII. ad hunc casum non pertinere. » *Ariminen.* 8. Iun. 1679. *Ianuen.* ad dub. II. et III. 9. Febr. 1737.

—

5. Decimas a praediis oneri decimarum subiectis deberi etiam a regularibus (monialibus) ordinum mendicantium (tertio ord. S. Francisci), si ad eos illa praedia transierint, resp. S. C. in *Leopolien.* 7, Apr. et 24. Nov. 1742.

C. XIII. *Quartam funeralium cathedrales vel parochiales ecclesiae recipiant.*

Decernit sancta synodus, ut quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta quarta [1]), quae funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiae solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus aut quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac integro iure, et eadem portione, qua antea solebat, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

[1]) cf. c. 8. X. de sepult. III. 28. (Luc. III.) c. 2. h. t. in VI:o III. 12. (Bonif. VIII.) Clem. 2. h. t. III. 7.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. S. C. statuit: Quicunque, sive sit infans sive impubes sive adultus, qui sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulcro maiorum suorum, cum ibi tacite sepulturam elegisse videatur. 21. Oct. 1613. (alleg. XXXIX. 91.)

2. S. C. declaravit: Infantes aliique quicunque, qui facultatem non habent sibi eligendi sepulturam, vel non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulcro suorum maiorum vel in parochiali. 16. Nov. 1645. (alleg. ib.)

3. S. Congr. ad dubium: An filii impuberes, alibi sepulcro maiorum non extante, debeant sepeliri in eorum propria parochiali ecclesia? resp., filios impuberes, si non extant sepulcra maiorum, sepeliendos esse in propria parochiali ecclesia.

Alleg. in litteris Innoc. P. X. *Ex iniuncto* dat. 22. Febr. 1646. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 74.

4. Sepulturam eligere licet parentibus in quacunque ecclesia voluerint, etiam regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis regularibus ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcrum maiorum. 20. Ian. 1640. (alleg. XXXIX. 91.)

5. S. C. censuit, licuisse et licere parentibus in ecclesia fratrum Minor. Conv. S. Franc. Forosempron. eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam, ac proinde restituenda esse ipsorum fratrum ecclesiae cadavera infantium iam deposita praemissis ceterisque contrariis non obstantibus. 20. Mart. 1643. (alleg. ib.)

6. Ad dubium: An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam, resp. S. C., non licere matri eligere sepulturam pro filiis impuberibus cessante legitima consuetudine. Rel. in Innoc. P. X. litteris *Ex iniuncto* dat. 22. Febr. 1646. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 74.

7. Dubiis propositis: I. an patribus familias competat ius eligendi sepulturam pro infantibus ante septennium morientibus et respective tumulandi eorum cadavera in sepulcris absque licentia parochorum, seu potius illa sepeliri debeant in ecclesiis parochialibus in casu? Et quatenus affirmative ad primam partem: II. An et quae emolumenta funeralia debeantur parochis in casu? S. C. censuit ad I.: licere patribus familias tumulare filiorum impuberum cadavera in sepulcris gentilitiis sine licentia parochorum *et amplius*; ad II. *affirmative* ad formam synodalium *et amplius*. *Reatina* 31. Mart. 1770.

8. S. C. ad quaestiones: I. An valide eligatur sepultura coram duobus testibus? et II. An electio sepulturae per nutus vel signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida? resp. ad I. esse validam, ad II. esse validam, dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis. *Neapol.* 13. Febr. 1666. (alleg. XXXV. 153.) Priorem decl. repetivit in *Sorana* 24. Apr. 1723., *Tudertina* 4. Iul. 1722.

9. Non opus esse, ut testes deponentes super electione sepulturae medio iuramento per publicum notarium recipiantur, sed sufficere, eosdem deponere oretenus cum iuramento coram ipsomet parocho vel vicario foraneo, resp. S. C. in *Senogallien.* 19. Dec. 1739.

10. Propositis dubiis: I. An canonicus ecclesiae cathedralis insimul et parochialis, habitans in domo sita infra fines alterius parochiae, ex quo dicta ecclesia cathedralis caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere sacramenta a parocho ecclesiae cathedralis vel potius a parocho domicilii? II. An idem canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in ecclesia cathedrali, vel in parochia domicilii, vel potius in ecclesia, in qua adest sepulcrum suorum maiorum? resp. ad I. teneri recipere a parocho domicilii, ad II. in cathedrali, si in ea sit sepul-

crum proprium canonicorum, sin minus in sepulcro maiorum. His vero non existentibus an cadaver canonici sit sepeliendum in ecclesia cathedrali vel parochiali, in alia Congr. videndum relinquebatur. *Tiburtina* 12. Maii 1685. (alleg. XXXV. 138.)

11. Propositis dubiis: I. An et ad quem spectet ius ministrandi sacramenta canonico aegrotanti in casu etc.? II. An canonicus habitans extra parochiam collegiatae decedens non sibi electa sepultura nullòque praeditus maiorum sepulcro sepeliri debeat in ecclesia collegiata in casu etc.? S. C. resp. ad I. *affirmative* ad parochum domicilii, ad II. *negative*. *Ianuen.* 21. Iul. 1827.

12. Cadaver puellae educationis causa in monasterio monialium commoratae posse tumulari in ecclesia monialium, non vero necesse esse, ut tumuletur in eccl. paroch. intra cuius limites illa existat, resp. S. C. in *Pennen.* 6. Iul. 1737.

13. Educandae decedentes, non sibi electa sepultura, sepeliendae sunt in parochia, sub qua est monasterium, si non habeant sepulcrum maiorum, et si elegerint sepulturam in monasterio, possunt ibi sepeliri, sed debetur quarta funeralis parocho. *Feretrana* 21. April 1742.

—

14. Famulorum monialibus inservientium cadavera sepelienda sunt in parochia, nisi ab iis fuerit alibi electa sepultura, iuxta resol. S. C. in *Barchinonen.* 21. Ian. 1723. *Lauden.* 14. Apr. 1685., *Spolet.* 15. Apr. 1692., *Ulixbon. Occid.* 19 Sept. 1722. (« nulla habita ratione, quod famuli forte sint tertiarii; cum etenim in claustris non vivant, idcirco manent parocho subiecti tam quoad sacramenta quam quoad funera, ut in terminis tertiariorum inservientibus Capuccinis resolvit S. C. a 1640. »)

15. Ad dubium: An liceat regularibus sepelire in suis ecclesiis confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt? resp. S. C., confratres laicos, si non praecedat eorum electio sepulturae, sepeliendos esse in eorum propria parochiali ecclesia. Rel. in Innoc. X. litteris *Ex iniuncto* dat. 22. Febr. 1646. Bull. Rom. T. VI. P. 3. p. 74.

16. Heredibus defunctorum licere vocare ad funus solum parochum ecclesiae matricis, sed quatenus alios presbyteros vocare velint, presbyteros ecclesiae matricis in numero ipsis heredibus beneviso praeferendos esse illis ecclesiae, in qua fuerit electa sepultura, resp. S. C. in *Null.* s. *Montis Casini* ad IX. dub. 25. Ian. 1726.

17. Parochis impedientibus, licitum esse heredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus ad ecclesiam, in qua cadaver est sepeliendum, praeter quam de nocte, nisi de licentia ordinarii, censuit S. C. in *Novarien.* 15. Mart. 1704. ad VI. dub. (alleg. V. 317.)

—

18. Cadaverum tumulatio in ecclesiis monialium improbatur a S. Congr., *Lunen. Sarzanen.* 28. Nov. 1711. (alleg. V. 232.)

19. Emolumenta funeris marchionissae Palumbariae, cuius corpus sepultum fuerat in sepulcro ecclesiae monialium S. Silvestri, *ius sepeliendi non habentium*, integra ad ecclesiam parochialem spectare S. C. iudicavit in *Romana* 28. Iulii 1731.

20. I. Regulares, in quorum ecclesia defunctus sibi elegit sepulturam, funus comitari ac cadaver asportare sine consensu et praesentia vel archipresbyteri ecclesiae cathedralis vel canonici coadiutoris, curam actualem exercentium, eorumque interventu non posse, resp. S. C. in *Tusculana* ad dub. I. 24. Iul. 1734. II. Postquam vero illi regulares per horae unius spatium archipresbyterum vel illius coadiutorem expectarunt, posse absque illorum interventu cadaver ad eorum ecclesiam asportare, resp. S. C. in *Tusculana* cit. ad dub. II., *Novarien.* ad dub. II. 15. Mart. 1704. (alleg. V. 317.)

21. Heredes cogi non posse, ut ad associationem cadaveris defuncti, qui in ecclesia regularium sepulturam sibi elegerit, tot sacerdotes saeculares invitent, quot eidem interfuturi sint religiosi, in quorum ecclesia tumulandum sit cadaver, resp. S. C. in *Papien.* 12. Dec. 1655. *Novarien.* ad dub. IX. 15. Mart. 1704. (alleg. V. 317.)

22. Capitulum ecclesiae cathedralis ratione suae praerogativae ingredi posse ecclesias regularium cum cruce erecta, sed nullum funus peragere circa cadaver, resp. S. C. in *Ruben.* 28 Iul. 1713., *Troiana* 17. Iun. 1702, ubi idem statuitur quoad capitulum ecclesiae collegiatae (alleg. V. 65.).

23. Capitulum, cuius archipresbytero est cura animarum actualis, si vocatum non sit, interesse non posse funeri invitis heredibus defuncti, qui in ecclesia regularium sepulturam sibi elegerit, censuit S. C. in *Matheranen.* 13. Nov. 1660., *Lavellen.* 16. Iun. 1668., *Cotronen.* 3. Sept. 1707. ad dub. VI. (alleg. V. 317.)

24. Parochos in associatione funerum ingredi ecclesias regularium cum stola et cruce erecta non posse, sed debere terminare preces associatorias ante ianuam ecclesiae ibique dare ultimum vale, resp. S. C. in *Insular. Canariae* 31. Iul. 1694., *Lauden.* ad dub. I. 2. Maii 1711. (alleg. V. 65.)

25 Regulares Min. strict. Obs. S. Francisci dioec. Papien. ad aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari: I. An curatus unius dioecesis, quaecunque sit, in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad ecclesiam regularium ab alia dioecesi transeundo per propriam iurisdictionem et parochiam, possit aliquam partem cerae et pecuniarum ab heredibus defuncti praetendere? II. An proprius parochus defuncti transeundo per parochiam unius parochi alterius cuiuscunque dioecesis ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad ecclesiam regularium possit libere et licite per eandem cum stola et cruce elevata transire etiam irrequisito parocho? Die 28. Nov. 1671. S. C. ad I. resp. *negative*, ad II. *affirmative*. Confirm. ab Innoc. XI. 2. Dec. 1676. Bull. Rom. T. VIII. p. 12.

26. Ad quaestionem, an quarta funeralis, quando cadavera aliarum parochiarum in cathedrali tumulantur, debeatur quoque ex candelis, quae in altaribus occasione funeris accenduntur in casu etc.?: S. C. resp. *affirmative*. *Fanen.* d. 17. Sept. 1757.

27. Parochos saeculares praetendere non posse ab heredibus defunctorum maius emolumentum, quando cadavera sepeliuntur in ecclesia monasterii, quam accipient, quando tumulantur in ecclesiis saecularibus, resp. S. C. in *Hortana* 3. Apr. 1745.

—

28. Consuetudinem immemorabilem inter ecclesias parochiales alicuius loci non exigendi quartam funeralem pro cadaveribus, quae sepeliuntur extra propriam parochiam, si parochianus ipse sepulturam in altera ecclesia sibi elegerit, quoad ceram funeris probatam servandam esse, censuit S. C. in *Fabrianen.* 9. Febr. 1732.

29. «Ex iure sepeliendi ecclesiae sive saeculari sive regulari concesso primum sequitur, quod cadavera defunctorum, qui sibi apud eas sepulturam elegerint, ad parochialem ecclesiam antea deferri nequeant, sed recto tramite ad tumulantem asportanda sint, ibique officia funeris peragenda, *Lucana* 14. Mart. 1722., *Civit. Castell.* 18. Febr. 1764., ad dub. I., quamvis ad ecclesiam parochialem consuevissent deferri, *Tolentin.* 7. Febr. 1734., *Arimin.* 16. Iun. 1827., nisi defunctus vel heres aliter indixerit, *Volaterran.* 16. Mart. 1726. ad dub. II., *Arimin.* 16. Iun. 1827, ad dub. II. Sequitur porro, omnia funeris emolumenta, dempta quarta funeraria pro parocho defuncti, ad ecclesiam tumulantem spectare, *Asculan.* 29. Aug. 1733. Ubi enim humanda eorum cadavera sunt, qui sepulturam alibi quam in parochiali ecclesia elegerint, parochorum iura consistere sancitum est in exactione quartae funeralis *Viterbien.* 26. Aug. 1826., et in iure peragendi officium funebre super cadaveribus in ecclesia tumulante, quando sepeliendi sunt subiecti parocho, intra cuius fines sita est ecclesia vel oratorium tumulans sibi subiectum nullaque praeditum exemptione, *Viterbien.* 26. Aug. 1826. ad dub. V., idque vim suam omnino exerit, etiamsi episcopus ius sepeliendi ecclesiae sodalitatis concesserit salvis iuribus parochialibus, *Senogallien.* 24. Ian. 1738. ad dub. III., *Tiburtina* 17. Mart. 1827.» Ita conclusionibus in *Fabrianen.* 30. Ian. 1830.

C. XIV. *Praescribitur ratio procedendi in causis clericorum concubinariorum.*

Quam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoque clericalis militiae dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitae integritatem ministri ecclesiae revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur [1]). Quod si a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque et pensionum ipso facto sint privati [2]), quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes

ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam uti sedis apostolicae delegatus, arbitrabitur, suspendantur, et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur [3]), atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos, nec decanos aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniantur. Episcopi [4]) quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, et, si perseverent, etiam ad sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem synodo deferantur, qui pro qualitate culpae, etiam per privationem si opus erit, in eos animadvertat.

[1]) cf. inter cet. tot. tit. X. de cohab. cler. et. mul. III. 2. — [2]) cf. c. 4. 6. h. t. (Alex. III.) — [3]) cf. c. 2. h. t. (Eugen. II.) c. 3. (Alex. III.) — [4]) cf. c. 1. D. XXXIV. (Nic. I.), c. 13. (conc. Neocaes. c. 16. (Alex. II.) DLXXXI.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

« Sacerdos Ioseph Chellinus praesentatus fuit a communitate terrae Massae Longobardae ad eccl. parochialem S. Pauli, et absente a dioecesi Emin. episcopo, qui in Urbe morabatur occasione electionis S. Pontificis, admissa fuit a vicario generali praesentatio cum clausula *si et in quantum*.

Secuto Emin. episcopi reditu ad dioecesim et instante promotore fiscali, ne sacerdos Ioseph ad parochialem admitteretur sub fundamento, quod non esset bonis moribus imbutus, et quod de quadam inhonesta cum muliere conversatione esset infamatus, ita ut de recenti ei inhibitum fuisset, ne ad eius domum accederet et cum ea conversaret, etiam sub praetextu consanguinitatis, procuratores communitatis ad novam cumulativam praesentationem devenerunt in persona sacerdotis Francisci Gallupii, qui de praesenti est parochus in dioecesi Ferrariensi, et haec postrema praesentatio fuit admissa et simul et semel reiecta est alia, quae facta fuerat in persona sacerdotis Iosephi.

Appellatione a succumbente interposita, causaque ex rescripto auditoris SSimi ad hanc S. Congr. delata, disputandum in praesenti proponitur dubium mox referendum, instatque promotor fiscalis pro reiectione saepe memorati sacerdotis Iosephi, cum non agatur de privando, sed de repellendo, in quo rerum themate sufficit diffamatio, nec requiruntur probationes concludentes, sed leviores, iuxta late deducta per Rotam Dec. 202. n. 14. seqq. coram s. m. Alexandro VIII.

Quaeritur itaque, an et cui sit adiudicanda parochialis, de qua agitur in casu etc.? S. C. resp., parochialem esse adiudicandam sacerdot. Francisco Gallupio *et amplius. Imolen.* 28. Mart. 1722. »

C. XV. *Filii clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi.*

Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum,

qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcunque, etiam dissimile, beneficium obtinere [x]), nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in praesenti pater et filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium; alias ipso iure eo privatus existat, et super iis quaecunque dispensatio surreptitia censeatur. Ad haec reciprocae resignationes, si quae posthac a parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius decreti et canonicarum sanctionum factae omnino censeantur, nec collationes secutae vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcunque, quae in fraudem factae fuerint, ipsis clericorum filiis suffragentur.

[x]) cf. tot. tit. X. de fil. presb. l. 17.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. Prop. dubio, an cum pater fuisset in quadam ecclesia capellanus ad nutum amovibilis, possit illius filius illegitimus in eadem ecclesia capellaniam ad nutum pariter amovibilem obtinere? S. C. censuit, oratorem non prohiberi per decretum Conc. Sess. XXV. c. 15., quominus tanquam capellanus ad nutum amovibilis possit inservire eidem ecclesiae, cui itidem ut capellanus pater olim suus inservierit. *Calagurit.* 1585. Ex l. IV. Decr. p. 40. ap. *Bened.* XIV. De syn. dioec. XIII. 24., qui saepius S. C. ita respondisse refert.

2. Cum quaereretur, an liceret filio illegitimo habere beneficium, quod eius pater praehabuit, licet intermedia aliqua persona beneficium ipsum possederit? S. C. censuit: prohibitionem c. 15. Sess. XXV. habere locum etiamsi medio tempore beneficium ab extraneo obtentum fuerit. 1589. l. VI. Decr. p. 27. Eodem modo iudicatum est an. 1606. l. XI. Decr. p. 157. *Bened.* XIV. l. c.

3. Cum quaereretur: an filius illegitimus parochi iam defuncti possit audire confessiones in ecclesia, in qua pater fuit parochus; vel saltem sit locus dispensationi? S. C. resp. non posse. *Oritana* 4. Iul. 1645. l. XVIII. Decr. p. 492. ab *eodem* l. c.

4. Quidam dignitatem obtinens in Ostunensi ecclesia susceperat filium illegitimum, qui cum apostolico indulto ad sacros, etiam presbyteratus, ordines suscipiendos et ad sacrificium celebrandum tam superstite patre quam eo defuncto habilitatus fuit. Cum itaque semper in cathedrali ecclesia sacrum fecisset, ex quadam inibi vigente consuetudine contendebat se fieri debere participem nonnullorum proventuum et emolumentorum, quae sacerdotibus eidem ecclesiae inservientibus post certum servitii tempus praestari consueverant. Proposito itaque ac discusso dubio S. C. resp., praetensum ius nequaquam competere filio illegitimo, nec posse hunc ad eiusmodi participationem admitti. 15. Apr. 1684. et confirm. 22. Iun. 1686. Rel. a *Bened.* XIV. l. c.

5. Dubitatur, an pater possit immediate obtinere beneficium filii illegitimi defuncti quod est de iure patronatus laicorum? S. C. censuit patrem legitimum posse utique absque dispensatione obtinere immediate beneficium filii illegitimi. 2. Dec. 1628. Ex l. XIII. Decr. p. 567. rel. ib.

6. Proposito dubio: an contra filium legitime natum ex naturali patre legitimato adsit repugnantia S. C. Trid. c. 15. Sess. XXV. de ref. ita, ut non potuerit praesentari ad ecclesiam parochialem de iure patronatus suae familiae? S. C. resp.: non adesse repugnantiam S. Concilii, quominus filius legitime natus ex patre naturali legitimato potuerit ad ecclesiam parochialem de iure patronatus praesentari. 9. Nov. 1647. Ex l. XVIII. Decr. p. 413. rel. loc. cit.

7. S. C. censuit, nepotem legitimum ex filio illegitimo non comprehendi decreto c. 15. Sess. XXV., *Nullius* 17. Mart. 1593. l. VII. Decr. p. 99., *Tricaricen.* 23. Ian. 1610. l. XI. Decr. p. 73. rel. ab *eodem*.

8. S. C. censuit, clausulae illi: « dummodo paternae incontinentiae imitator non sit » in litteris dispensationis appositae, non aliter ab episcopo satisfieri, quam in quaerendo, quod nihil bonis moribus indignum compererit. Quod si integro decennio dispensandus probe vixit, debere exequi lit-

teras dispensationis, quamvis prius incontinentiae nomine suspectus esset. Sed hoc casu debere episcopum accuratius inquirere ad diluendam prioris vitae suspicionem. 23. Dec. 1596. rel. a *Bened.* XIV. ib. qui idem responsum anno 1653. Avenion. archiep. traditum esse refert ex l. XIX. Decr. p. 296.

C. XVI. *Beneficia curata non convertantur in simplicia. Ei, in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio. Vicariae cessent, cura ad titulos revocata.*

Statuit sancta synodus, ut ecclesiastica beneficia saecularia, quocunque nomine appellentur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocunque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur, non obstantibus quibuscunque gratiis, quae suum plenarium effectum non sunt consecutae. In iis vero, in quibus contra earum institutionem seu fundationem cura animarum in vicarium perpetuum translata est, etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum vicario ecclesiae, quocunque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quam primum et ad minus intra annum a fine praesentis concilii arbitrio ordinarii iuxta formam decreti sub fel. rec. Paulo III. [1]) assignetur. Quod si id commode fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit, cum primum per cessum vel decessum vicarii seu rectoris aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac vicariae nomen cesset, et in antiquum statum restituatur.

[1]) Sess. VII. de ref. c. 7.

C. XVII. *Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent, nec cum regum ministris, regulis aut baronibus indigna demissione se gerant.*

Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos sui status oblitos pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum regum ministris, regulis et baronibus in ecclesia et extra indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare haec et similia detestans sancta synodus sacros canones omnes, conciliaque generalia atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gravitatem pertinentes renovando praecipit, ut ab huiusmodi in posterum episcopi se abstineant, mandans eisdem, ut, tam in ecclesia quam foris suum gradum et ordinem prae oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequatur.

C. XVIII. *Canones ad amussim serventur. Si quando in eis dispensandum, id valide, mature et gratis fiat.*

Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et, quoad eius fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens iustaque ratio et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus

dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.

C. XIX. *Monomachia poenis gravissimis punitur.*

Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo [1]) introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, et [2]) quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione et dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, privati intelligantur, et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure quam facto dederint aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.

[1]) cf. c. 22. C. II. qu. 5. (Nic. I.), tot. tit. X. de torneam. V. 13., de cler. pugn. in duello. V. 14.— [2]) cf. titt. citt. et tot. tit. X. de homic. V. 12.

C. XX. *Quae sunt iuris ecclesiastici principibus saecularibus commendantur.*

Cupiens sancta synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscunque impedimentis conservari, praeter ea, quae de ecclesiasticis personis constituit, saeculares quoque principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit [1]), ius suum ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, parochos et superiores ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut officiales aut inferiores magistratus ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione aliqua violent, sed una cum ipsis principibus debitam sacris summorum Pontificum et conciliorum constitutionibus observantiam praestent. Decernit itaque et praecipit, sacros canones et concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum libertatis ecclesiasticae, et contra eius violatores editas, quae omnia praesenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos, cuiuscunque status et dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quae ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus seu magistratibus, maximeque ministris ipsorum principum laedi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem

atque iurisdictionem impediunt, animadvertant. Quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem ecclesiarumque protectionem existant, imitantes anteriores optimos religiosissimosque principes, qui res ecclesiae sua in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo praestet, quo cultus divinus devote exerceri, et praelati ceterique clerici in residentiis et officiis suis quieti et sine impedimentis cum fructu et aedificatione populi permanere valeant.

[1]) cf. c. 20. C. XXIII. qu. 5. (Isid.)

C. XXI. *In omnibus salva sedis apostolicae auctoritas maneat.*

Postremo sancta synodus, omnia et singula, sub quibuscunque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina tam sub fel. rec. Paulo III. ac Iulio III., quam sub beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc sacro concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas sedis apostolicae [1]) et sit, et esse intelligatur.

[1]) cf. Sess. VII. de ref. in princ.

DECRETUM DE CONTINUANDA SESSIONE IN DIEM SEQUENTEM.

Cum ea omnia, quae in praesenti sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commode expediri non possint, propterea iuxta id, quod in generali congregatione a Patribus statutum fuit, ea, quae supersunt, in diem crastinam hanc eandem sessionem continuando differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS

DIE IV. DECEMBRIS.

Decretum de indulgentiis.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate [1]) divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero [2]), qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, parvos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus episcopis [3]), ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut, aliorum

quoque episcoporum sententia cognita, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia quod universali ecclesiae expediet statuatur, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

[1]) cf. Matth. XVI. 19., Ioan. XX. 23. — [2]) Clem. c. 2. de poen. et remiss. V. 9. — [3]) cf. Sess. XXI. de ref. c. 9.

De delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis.

Insuper hortatur sancta synodus, et per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quae sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra, statuit, nec non ea, quae tam in hoc concilio quam in aliis oecumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia, vel etiam, quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio; admonentes populos crebro, obedire praepositis suis [1]), quos qui audiunt Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt Deum ipsum ultorem sentient.

[1]) Luc. X. 16., Hebr. XIII. 17.

DECLARATIONES ET RESOLUTIONES

1. «Episc. Antequexen. in Indiis occid. litteras dedit SSimo D. N., in quibus exposuit, quod in sua civitate plurimae fiebant processiones tempore quadragesimae, et signanter in hebdomada maiori, et quod praesertim tempore noctis, cum processiones illae ad multam noctem producerentur, scandala sequebantur et mala, quae non licet homini loqui, nedum in vicis et plateis, sed etiam in ipsis ecclesiis, et quod idcirco ipse prohibuit processiones tempore quadragesimae, exceptis duabus in feria sexta maioris hebdomadae, lata lege, quod feria quinta in Coena Domini omnes ecclesiae clauderentur hora nona post meridiem et quod demum spatio quindecim annorum haec omnia feliciter et cum plausu executioni demandata sunt, cum populus non sit durae cervicis nec domus sit exasperans.

In iisdem quoque litteris exponitur, quod ad maiorem Dei gloriam, adhibito consilio et consensu capituli cathedr. ecclesiae et magistratuum, praecepit, ut dies Expectationis B. V. Mariae, qui magna cum celebritate recolitur, habeatur et sit festivus de praecepto, cumque episcopus S. Pontificem exoraverit pro horum omnium confirmatione, et a S. Sua fuerint preces remissae ad hanc S. Congr., in praesenti agendum est, an gesta ab episcopo sint auctoritate apostolica confirmanda.

Quoad diem itaque festum de praecepto Expectationis B. Mariae V., pro quo a SS. Rituum Congr. concessum fuit nonnullis dioecesibus officium particulare, de iure communi, sicuti potest S. Pontifex festum indicere de praecepto in universa ecclesia, ita potest episcopus hoc ipsum facere in sua dioecesi antecedente consensu cleri et populi, ut probat textus in can. *Pronunciandum* de cons. Dist. III. et in c. *Conquestus* de feriis et licet nonnulli doctores dicant, consensum populi de consuetudine amplius non requiri, omnes tamen agnoscunt necessitatem consensus capituli, *Azor.* Inst. moral. tract. 27. l. 1. c. 26. qu. 1. et 2., *Diana* in ed. coordin. t. 3. tr. 3. resol. 89. n. 2., et quoad bullam 291. Urbani VIII., in qua dies festi statuuntur, non prohibetur ordinariis aliorum festorum indictio, sed tantummodo iidem admonentur ut a dicta indictione novorum festorum de praecepto studeant, quantum fieri potest abstinere.

His propositis quaeritur: An et quomodo precibus sit annuendum? S. C. resp. *affirmative. Antequexen.* 22. April. 1719.

2. Supplicatur ab hac S. Congr. declarari, an capitulum Atrebaten. possit exercere nundinas, mercatus ac strepitus iudiciorum profanorum in ecclesia ac eius coemeteriis? Die 27. Maii 1623. S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. declaravit non posse. *R. Cardinalis Ubaldinus:* Confirm. d. 30. Maii 1623. ab Urbano VIII. Bull. Rom. T. V. P. 5. p. 190.

3. S. C. rescr. episcopo Placentino, ut iuxta antiquam consuetudinem sineret haberi nundinas rerum parvi pretii die fest. S. Bartholomaei apostoli, dummodo id non

fieret in atrio ecclesiae. Ex l. Decr. anni 1629., l. XIV. p. 207. rel. a Bened. XIV. in const. *Ab eo tempore* 1745. (Bull. T. I. p. 589.)

4. Episcopo Casalensi responsum fuit a. 1665., ut curaret sedulo, ne mercatus haberentur festis diebus, sed transferrentur in diem sequentem, omnemque pro viribus impenderet sollicitudinem, ut id ipsum in posterum fieret, si privilegium vel immemorabilis consuetudo non adsit. (rel. ib.)

5. Contendebant mercatores Barchinonenses vendere posse merces suas diebus festis, consuetudine fulti immemorabili rite probata, ac etiam speciem et imaginem necessitatis praeferente. Finitimorum siquidem locorum incolae reliquis hebdomadae diebus victui quaerendo ac laboribus intenti nonnisi die festo ad urbem accedebant. Adversante nihilominus episcopo, causa proposita fuit in Congregatione, quae die 13. Maii 1669. resp., id mercatoribus non licere, quacunque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. Putarunt tamen mercatores succumbentes, huiusmodi rescripto fundamentum praebuisse opinionem ingestam forte Patribus, se distrahere velle merces apertis apothecarum foribus. Instaurato proinde iudicio ac mente patefacta, validiore conatu obiectae consuetudini immemorabili institerunt. S. C. tamen d. 27. Mart. 1683. in priori sententia et decreto perstitit silentiumque mercatoribus imposuit. Rel. a *Bened.* XIV. in lit. cit.

6. Tolerari posse mercatus diebus festis, dummodo ad aliam diem transferri nequeant, et ex eorum omissione iurgia et scandala oriri possint, S. C. rescr. episcopo Theanensi anno 1697. (rel. ib.)

7. Cum modernus episcopus Ripanus de mense Sept. 1709. edictum typis mandaverit super observantia dierum festorum, in quo signanter illud praescripsit: «§. 2. Le fiere, che sogliono farsi in alcune feste determinate dell'anno, si tolerano dopo celebrata la messa maggiore; ma i mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche festa, si trasferiscano nel giorno antecedente, o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti i sinodi diocesani da nostri antecessori stampati sotto le infrascritte pene,» nihilominus civitas et homines Ripani ad impediendam eiusdem edicti promulgationem, ex asserta immemorabili consuetudine habendi mercatum in die sabbati, etiamsi in eum incidat dies festus, obtinuerunt ab A. C. monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi decreto causa remissa fuit ad hanc S. C., in qua concordato infrascripto dubio contingit hodie ex deducendis hinc inde a Patribus momentis disputari: An liceat communitati et hominibus Ripae habere mercatum die sabbati intus vel extra civitatem, quando occurrit quod sit dies festivus in casu? d. 2. Maii 1711. S. C. resp. *negative* et huiusmodi causam amplius non proponi mandavit. Alleg. IX. (II.) 169. et confirm. a *Bened.* XIV. ib.

—

8. «Alexander P. III. Trevirensi scribens archiepiscopo, ut exponit *Gonzalez* in textu mox allegando, vel alicui praelato Daniae, Scandiae seu Norwegiae, uti in notis ad eundem textum inquit *Cuiacius*,... auctoritate B. Petri et sua concessit, ut populi dictae regionis diebus dominicis et aliis festis, praeterquam in maioribus anni solemnitatibus possent incumbere piscationi halecum, si halecia terrae se inclinaverint, dummodo tamen post piscationem vicinis ecclesiis et Christi pauperibus competentem elargirentur eleemosynam, uti fuse habetur in c. *Licet* tit. de feriis.

Ad huius forte concessionis imitationem S. P. Sixtus Papa V. ad petitiones abbatis et conventus mon. oppidi S. Felicis de Guixols O. S. Bened. dioec. Gerund. indulsit, ut oppidani, qui ut plurimum sunt piscatores, singulis diebus sabbati et vigiliis singulorum festorum a media nocte usque ad auroram, et dictis dominicis aliisque festivis diebus post missam et meridiem piscari possent in mari, quod est proximum oppido; impetrata tamen ab abbate monasterii pro tempore licentia, et dummodo abbati et conventui tertia pars lucri consignaretur, eroganda in reparationem et fabricam ecclesiae et ornamenta sacristiae. Ecclesia enim monasterii est ecclesia parochialis et reparatione indigebat.

Apost. haec indulgentia non habuit illum, qui sperabatur, effectum. Piscatores etenim, qui ex piscatione diebus festivis exercita nullum emolumentum reportarunt, ex quo decreta tertia parte, quae solvi debeat pro ecclesiae reparatione, detractisque sumptibus navis, retium et aliarum rerum necessariarum nihil fere pro illis remanebat, aut a piscatione destiterunt, aut se fraudibus illaquearunt in propriae conscientiae perniciem, qua de causa factum est ut existimatum fuerit, opus esse aliud remedium parare, durante videlicet adhuc necessitate reparationis ecclesiae, cui usque adhuc consultum non fuit.

Ad evitandos itaque scrupulos et zelo decoris propriae parochialis ecclesiae pisca-

tores in unum convenientes abbati monasterii insinuarunt, ut sedi apost. supplicaret pro indulti ampliatione eo, quo requitur, modo, cumque piscatorum preces una cum abbatis supplicationibus fuerint SSimo D. N. ad hanc S. Congr. remissae, scriptum fuit iuxta morem episcopo pro informatione et voto, qui censuit esse petitis annuendum.

Modus autem est primo, quod ipsis liceat piscari diebus sabbati et vigiliis festivitatum a solis occasu usque ad mediam noctem, et in hoc nulla videtur quod possit esse difficultas, licet enim iuxta antiquiorem ecclesiae disciplinam dies festi essent colendi a vespere in vesperam, uti habetur in c. *Omnes* tit. de feriis, ex communi tamen consuetudine per totam Europam recepta viginti quatuor horae diei festivae, quae est colenda, computantur a dimidia nocte ad aliam dimidiam noctem, uti bene docent *Suarez* de relig. t. 1. l. II. c. 31., *Ricciul.* lucubr. l. IV. c. 9., *Gonzal.* in c. l. n. 3. in fine de feriis, *Anaclet.* ad eundem tit. decretalium de feriis, §. 1. n. 17. et 18.

Secundo, quod liceat ipsis piscari diebus dominicis et festivis mane ante missam.

Tertio, quod liceat ipsis piscari dominicis et festivis diebus vespere post missam, exceptis tamen ab indulto piscandi mane et vespere principalioribus festivitatibus natalis Domini, Paschae, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae V., S. Felicis, qui est tutelaris villae paroch. ecclesiae, nec non die festo S. Petri.

Quarto, quod ex omnibus istis piscationibus septima lucri pars cedat in commodum et restaurationem ecclesiae, nec non supellectilium.

Testatur episcopus, quod modus hic erit utilior alio, qui fuit praescriptus in indulto Xystino, ultra enim septimam partem ex lucro piscationum, quae fient diebus festivis, pars etiam septima lucri piscationis exercitae diebus sabbati et vigiliarum a solis occasu ad mediam noctem ecclesiae beneficio applicatur, quodque notabilius est, idem episcopus perpendit, quod per hunc novum modum fraudes evitabuntur et piscatores habebunt tranquillitatem conscientiae.

—

Adeoque nunc quaeritur: An et quomodo sit extendendum indultum in casu etc.? » S. C. resp., esse consulendum SSimo pro confirmatione Brevis cum reductione a tertia parte in septimam. *Gerunden.* 24. Aug. 1720.

9. I. Patri vicario generali provinciae (Suevicae) Ordinis S. Noberti facultas dispensandi in universum pro aliquo monasterio ab esu carnium non competit;

II. eadem facultas item non competit singulis abbatibus in monasteriis eorum regimini concessis.

III. Ne dispensare quidem possunt pro uno die solemnis festivitatis in communi refectorio, vel in aula hospitum, in qua discumbunt abbas et canonici morantes in monasterio.

IV. Iusta subsistente causa dispensare possunt quoad aliquos canonicos casibus particularibus.

V. Quoad canonicos extra monasterium in parochiis ex obedientia degentes, si adsit iusta causa, ab abbate monasterii dispensatio potest concedi.

Ordin. Praemonstrat. 15. Dec. 1725.

De indice librorum et catechismo, breviario et missali.

Sacrosancta synodus in secunda sessione [1], sub sanctissimo domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris ac libris, vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus esset considerarent atque ad ipsam sanctam synodum referrent. Audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem possit distincte et commode a sancta synodo diiudicari, praecipit, ut quicquid ab illis praestitum est sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut eius iudicio atque auctoritate terminetur [2] et evulgetur. Idemque de catechismo a Patribus [3], quibus illud mandatum fuerat, et de missali et breviario fieri mandat.

[1] cf. Sess. XVIII. in princ. — [2] cf. infra regulas de libris prohibitis. — [3] cf. supr. Sess. XXIV. de ref. c. 7.

De loco oratorum.

Declarat sancta synodus, ex loco assignato oratoribus [1], tam ecclesiasticis quam saecularibus, in sedendo, incedendo aut quibuscunque aliis actibus nul-

lum cuiquam eorum factum fuisse praeiudicium; sed omnia illorum, et imperatoris, regum, rerumpublicarum ac principum suorum iura et praerogativas illaesas et salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante praesens concilium reperiebantur.

[1]) cf. Sess. II. extr.

De recipiendis et observandis decretis concilii.

Tanta fuit horum temporum calamitas et haereticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, aut tam certo statutum, quod non humani generis hoste suadente illi errore aliquo contaminaverint. Ea propter sancta synodus id potissimum curavit, ut praecipuos haereticorum nostri temporis errores damnaret et anathematizaret, veramque et catholicam doctrinam traderet et doceret, prout damnavit, anathematizavit et definivit. Cumque tamdiu tot episcopi ex variis Christiani orbis provinciis evocati sine magna gregis sibi commissi iactura et universali periculo ab ecclesiis abesse non possint, nec ulla spes restet, haereticos toties, fide etiam publica, quam desiderarunt [1]), invitatos, et tamdiu expectatos, huc amplius adventuros, ideoque tandem huic sacro concilio finem imponere necesse sit: superest nunc, ut principes omnes, quod facit, in Domino moneat ad operam suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt ab haereticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, praeter alia remedia in hoc concilio instituta confidit sancta synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et ecclesiae tranquillitate consulatur.

[1]) cf. Sess. XIII. XV. XVIII. extr.

De recitandis decretis concilii sub Paulo III. et Iulio III. in sessione.

Quoniam diversis temporibus tam sub fel. rec. Paulo III. quam Iulio III. [1]) multa in hoc sacro concilio quoad dogmata ac morum reformationem statuta et definita sunt, vult sancta synodus, ut illa nunc recitentur et legantur.

Recitata sunt.

[1]) in Sess. V.—VII. XIII. XIV.

De fine concilii et confirmatione petenda a sanctissimo domino nostro.

Illustrissimi domini reverendissimique Patres, placetne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic sacrae oecumenicae synodo finis imponatur, et omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III., quam sub sanctissimo domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta et definita sunt, confirmatio nomine sanctae huius synodi per apostolicae sedis legatos et praesidentes a beatissimo Romano Pont. petatur? Responderunt: *Placet.*

Postmodum illustrissimus et reverendissimus cardinalis Moronus, primus legatus et praesidens, benedicens sanctae synodo dixit: POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE. *Qui responderunt:* AMEN.

ACCLAMATIONES PATRUM

IN FINE CONCILII.

CARDINALIS A LOTHARINGIA.

Beatissimo Pio Papae et domino nostro, sanctae universalis ecclesiae Pontifici, multi anni et aeterna memoria.

RESPONSIO PATRUM. Domine Deus, sanctissimum Patrem diutissime ecclesiae tuae conserva multos annos.

CARD. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, Pauli III. et Iulii III., quorum auctoritate hoc sacrum generale concilium inchoatum est, pax a Domino, et aeterna gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

RESP. Memoria in benedictione sit.

CARD. Caroli V. imperatoris, et serenissimorum regum, qui hoc universale concilium promoverunt et protexerunt, memoria in benedictione sit.

RESP. Amen, Amen.

CARD. Serenissimo imperatori Ferdinando semper augusto, orthodoxo et pacifico, et omnibus regibus, rebuspublicis et principibus nostris multi anni.

RESP. Pium et Christianum imperatorem, Domine, conserva; Imperator coelestis, terrenos reges rectae fidei conservatores custodi.

CARD. Apostolicae Romanae sedis legatis et in hac synodo praesidentibus cum multis annis magnae gratiae.

RESP. Magnae gratiae; Dominus retribuat.

CARD. Reverendissimis cardinalibus et illustribus oratoribus.

RESP. Magnas gratias, multos annos.

CARD. Sanctissimis episcopis vita et felix ad ecclesias suas reditus.

RESP. Praeconibus veritatis perpetua memoria; orthodoxo senatui multos annos.

CARD. Sacrosancta oecumenica Tridentina synodus, eius fidem confiteamur, eius decreta semper servemus.

RESP. Semper confiteamur, semper servemus.

CARD. Omnes ita credimus, omnes id ipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subscribimus. Haec est fides beati Petri et Apostolorum; haec est fides Patrum; haec est fides orthodoxorum.

RESP. Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.

CARD. His decretis inhaerentes digni reddamur misericordiis et gratia primi et magni supremi sacerdotis Iesu Christi Dei, intercedente simul inviolata Domina nostra sancta deipara et omnibus sanctis.

RESP. Fiat, fiat. Amen, Amen.

CARD. Anathema cunctis haereticis.

RESP. Anathema, Anathema.

Post haec mandatum fuit a legatis praesidentibus sub poena excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis concilii, aut ea per publicum instrumentum approbarent; qui omnes deinde subscripserunt, et fuerunt numero CCLV., *videlicet legati* IV., *cardinales* II., *patriarchae* III., *archiepiscopi* XXV., *episcopi* CLXVIII.,

abbates VII., *procuratores absentium cum legitimo mandato* XXXIX., *generales ordinum* VII.

LAUS DEO.

CONCORDAT CUM ORIGINALI, IN CUIUS FIDEM SUBSCRIPSIMUS:

Ego Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus, sacri concilii Tridentini secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, Comensis, eiusdem concilii notarius.

Ego Cynthius Pamphilius, clericus Camerinensis dioecesis, eiusdem concilii notarius.

ORATIO HABITA

IN SESSIONE NONA ET ULTIMA

SACRI CONCILII TRIDENTINI

CELEBRATA DUOBUS CONTINUIS DIEBUS, TERTIA ET QUARTA DECEMB. MDLXIII.

SUB PIO IV. PONT. MAX.

A. R. P. D. HIERONYMO RAGAZZONO, VENETO, EPISCOPO NAZIANZENO ET COADIUTORE FAMAUGUSTANO.

Hic summatim recensentur omnia in concilio Tridentino definita, quae ad pie credendum et ad bene vivendum pertinent.

Audite hoc omnes gentes, auribus percipite omnes; qui habitatis orbem. Tridentinum concilium iam diu coeptum, aliquando intermissum, distractum varie atque divulsum, nunc demum singulari Dei omnipotentis beneficio, summa atque incredibili omnium ordinum ac nationum voluntate connectitur atque perficitur. Dies haec quidem felicissima Christiano populo eluxit, in qua templum Domini disturbatum frequenter ac dissipatum reficitur et absolvitur, et navis haec una bonorum omnium ex maximis ac diuturnis turbinibus atque fluctibus tuta in portu collocatur. Quam utinam conscendere nobiscum ii voluissent, quorum in primis gratia haec ipsa navigatio instituta fuit, atque aedificii huius construendi participes existerent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt, maioris nunc profecto laetitiae causam haberemus. Sed nostra id certe culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germaniae faucibus, id est in domus illorum fere limine positam elegimus; nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus; nos eam fidem publicam illis concessimus, quam sibi ipsi composuerunt; nos hic illos perdiu exspectavi-

mus, neque hortari ac rogare unquam destitimus, ut ad veritatis lucem cognoscendam accederent. Verum illis etiam absentibus satis, ut puto, a nobis consultum est. Etenim cum duo essent, in quibus aegris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda, alterum fidei catholicae ac vere evangelicae, illis in rebus, quae in dubium ab ipsis vocantur, quaeque opportunae his temporibus viderentur, explicata et confirmata disiectis omnibus et dissipatis errorum tenebris doctrina; alterum disciplinae ecclesiasticae, cuius potissimum depravatione illi se a nobis defecisse affirmant, restitutio: utrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione cumulate praestitimus.

Principio enim sancta haec synodus (facta ex laudabili maiorum nostrorum consuetudine suae fidei professione), ut quoddam quasi fundamentum futuris actionibus poneret, et quibus testimoniis atque praesidiis in dogmatibus sanciendis nitendum esset ostenderet, veteris ac novi testamenti libros, qui essent sine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum conciliorum probatissimorum exemplo pie et prudenter enumeravit, ac, ne de verbis quidem ulla ex variis versionibus oriri posset difficultas, certam ac definitam de Graecis et Hebraeis translationem approbavit. Hinc omnium haeresum caput atque arcem aggrediens de humanae naturae corruptis initiis ea statuit, quae veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret. De iustificatione deinceps (res magna et cum ab antiquis tum a nostri temporis haereticis mirum in modum oppugnata) ea definivit, quibus et perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur, et recte sentiendi ratio miro quodam ordine atque admirabili sapientia (ut in illis Dei spiritum facile agnoscas) demonstraretur. Praestantissimo hoc post hominum memoriam decreto haereses fere universae iugulantur, et, quasi caligo sole, discutiuntur ac dispelluntur, eaque claritas isque splendor veritatis apparet, ut tantum lumen quin videat dissimulare iam nemo possit. Subsecuta est salutaris septem divinorum ecclesiae sacramentorum tractatio: primum simul de omnibus, post de unoquoque separatim. Hic vero quis non videt, quam distincte, explicate, abundanter, illuminate et (quod caput est) vere tota coelestium horum mysteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna multiplicique doctrina quid aut sequendum aut fugiendum sit potest ullo modo desiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occasionem inveniet? Quis denique de sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in posterum poterit, cum gratiam illam, quae illis ipsis quibusdam quasi stillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis adfuisse tam copiose perspiciatur? Accesserunt ad haec de sacrosancto missae sacrificio, et de communione sub utraque specie et parvulorum decreta; quibus quidem nihil sanctius, nihil utilius, ut de coelo lapsa, non ab hominibus composita videantur. Adiungetur his hodie certa de indulgentiis, de purgatorio, de sanctorum veneratione, invocatione, imaginibus et reliquiis doctrina, qua non solum haereticorum fraudibus et calumniis obsistetur, sed piorum etiam catholicorum conscientiis plane satisfiet.

Haec de rebus ad salutem nostram pertinentibus, quae dogmata appellantur, fauste ac feliciter fuerunt peracta, neque aliud quicquam praeterea eo in genere a nobis hoc tempore expectabitur.

In eorum autem quibusdam administrandis cum nonnulla essent, quae non rite omnino ac recte servarentur, accuratissime, Patres amplissimi, curastis, ut pure illa et caste, atque ex more institutoque maiorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quaestum, omnem (ut dicunt) irreverentiam a divina missarum celebratione abstulistis, vagis, ignotis et criminosis sacer-

dotibus sanctum hoc offerre sacrificium interdixistis, rei huius sacratissimae usum a privatis domibus et profanis in sacra et religiosa loca revocastis, molliores cantus et symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes a templo Domini submovistis; ita ecclesiastico unicuique gradui leges illae a vobis praescriptae sunt, ut tradito illis divinitus ordine abutendi nullus utique locus relinquatur. Ita nonnulla matrimonii impedimenta, quae ansam quasi quandam ad violanda ecclesiae praecepta dare videbantur, removistis, facilem veniae consequendae viam minus legitime connubii foedus ineuntibus interclusistis. Quid de furtivis tenebricosisque matrimoniis commemorem? Equidem ita sentio, si alia nulla causa convocandi concilium fuisset (quae multae et maximae fuerunt), propter unam hanc id omnino fuisse faciendum. Nam cum res haec ad omnes spectet, neque ullus in orbe terrarum universo angulus reperiatur, quem labes haec non invaserit, curandum merito fuisset, ut communi huic malo communi etiam consilio provideretur. Immemorabilium, Patres sanctissimi, et gravissimorum delictorum ac scelerum occasio prudentissima ista vestra ac prope divina sanctione penitus ablata est, et Christianae reipublicae gubernationi sapientissime consultum. Accedet ad haec utilis in primis ac necessaria multorum in purgatorii, sanctorum venerationis, invocationis imaginum et reliquiarum, atque etiam indulgentiarum ratione abusuum interdictio, qui rerum ipsarum pulcherrimam faciem inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera vero pars, in qua de labenti ac prope cadenti ecclesiastica disciplina fulcienda erat agendum, diligentissime etiam absoluta fuit atque perfecta. Eligentur in posterum ad ecclesiastica munera obeunda qui virtute, non ambitione praestent, quique populi commodis, non suis inserviant, et prosint potius quam praesint. Enunciabitur atque explanabitur frequentius et studiosius verbum Domini, omni ancipiti gladio penetrantius.

Aderunt suis gregibus et invigilabunt episcopi ceterique, quibus animarum cura commissa est, neque extra creditam sibi custodiam vagabuntur. Nihil cuiquam proderunt aut ad impure et flagitiose vivendum, aut ad male et perniciose docendum privilegia; nullum sine poena crimen, nulla sine praemio virtus relinquetur. Pauperum et mendicantium sacerdotum multitudini optime provisum est; certae unusquisque ecclesiae statutoque operi, unde ali possit, adscribetur.

Avaritia, quo nullum vitium est tetrius praesertim in domo Dei, ab ea omnino tolletur; gratis sacramenta omnia, ut par est, conferentur. Ex una ecclesia plures, ex pluribus una, ut populi commodum et ratio postulabit, constituetur. Eleemosynarum quaestores (ut appellant), qui sua, non quae Iesu Christi quaerentes magnum nostrae religioni damnum, magnam infamiam afferebant, ex omni hominum memoria (quod summae felicitatis loco ponendum est) penitus evellentur. Hinc nostra praesens calamitas sumpsit exordium: hinc serpere infinitum malum, manareque in dies latius non desistebat, neque occurri illi adhuc multorum conciliorum cautionibus ac provisionibus potuit. Quamobrem quis non nisi sapientissime factum dixerit, ut membrum hoc, in quo sanando diu ac multum frustra laboratum est, ne reliquo corpori noceret, excideretur?

Porro Deo cultus tribuetur purius et accuratius, atque ita qui ferunt vasa Domini mundabuntur, ut ad sui imitationem alios trahant. In quo praeclare illud fuit excogitatum, ut qui sacris essent initiandi iis moribus atque litteris

in unaquaque ecclesia a prima aetate instituerentur, ut quoddam quasi virtutum omnium seminarium illud existeret. Iam vero provincialibus synodis restitutis; visitationibus ad populorum utilitatem, non ad querelam et sumptum renovatis; tradita pastoribus regendi suos atque pascendi commodius facultate; poenitentia publica in usum revocata; hospitalitate tum ecclesiasticis hominibus, tum piis locis indicta; in curatis sacerdotiis conferendis memorabili ac paene coelesti ratione constituta; beneficiorum (ut aiunt) pluralitate sublata; hereditaria sanctuarii Dei possessione prohibita; modo excommunicationibus imposito ac terminato; primis iudiciis iis in locis, ubi lites oriuntur, assignatis; singularibus certaminibus interdictis; omnium hominum ac sacrorum in primis luxuriae, cupiditati atque licentiae freno quasi quodam, quod excuti non facile possit, iniecto; regibus ac principibus sui muneris diligenter admonitis; aliisque rebus huiusmodi prudentissime sancitis: quis non videt vestras vos, Patres optimi, hac etiam in re partes cumulatissime executos? Actum saepe est in superioribus conciliis de fide nostra explicanda moribusque corrigendis: sed nescio, an unquam diligentius atque distinctius. Hic praesertim hoc biennio omnium populorum ac nationum, in quibus catholicae religionis veritas agnoscitur, non solum Patres, sed oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam spectemus, eruditissimos; si usum, peritissimos; si ingenia, perspicacissimos; si pietatem, religiosissimos; si vitam, innocentissimos. Numerus is quoque fuit, ut, si praesentes Christiani orbis considerentur angustiae, frequentissima haec omnium, quae antea fuerunt, synodus appareat. Hic singula omnium vulnera detecta, mores expositi fuere, nihil dissimulatum est. Nostrorum adversariorum argumenta et rationes ita tractatae, ut eorum tum causa, non nostra agi videretur. Tertium nonnulla atque etiam quartum discussa; summa saepe contentione certatum; eo scilicet consilio, ut, quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Quae enim inter idem sentientes idemque spectantes discordia potuit existere?

Quae cum ita sint, licet optandum (ut initio dicebam) summopere fuisset, ut una cum illis haec agerentur, quorum potissimum causa tractata sunt: absentium tamen etiam incolumitati atque saluti ita provisum est, ut alia ratione provideri, si adfuissent, non potuisse videatur. Legant illi quae de fide nostra statuimus, ut Christianum hominem decet, humiliter, et, si lumen eis aliquod fulserit, ne faciem avertant, et, si vocem Domini audierint, corda sua non obdurent, ac si ad communem matris ecclesiae complexum, unde se illi distraxerunt, redire voluerint, clementiam sibi omnem ac misericordiam tribuendam non dubitent. Sed praecipua illa ratio est, P. A., dissentientes a nobis animos conciliandi, consentientes in fide atque officio retinendi, si quae hoc in loco verbis sancivimus, re ipsi in nostris ecclesiis praestemus. Leges etsi optimae sunt, muta tamen res est. Quid Hebraeo populo Dei ipsius ore latae leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedaemoniis, Solonis Atheniensibus, ad libertatem retinendam, quam ob causam erant conscriptae, utilitatis attulere? Sed cur externa atque antiqua nimis commemoro? Quae ad bene beateque vivendum instituta atque praecepta ex unius Christi Domini nostri vita atque doctrina desiderare aut possumus aut debemus! Quid item fuit a maioribus nostris omissum, quod cum ad recte sentiendum, tum ad praeclare agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum ac paratum iamdiu habemus; verum si morbum debet expellere, sumendum est ac per venas in omne

corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primum inebriemur, carissimi, et vivae atque loquentes leges simus et norma quasi quaedam ac regula, ad quam aliorum actiones et studia dirigantur, atque ita sibi unusquisque persuadeat, nihil e Christianae reipublicae commodo ac dignitate successurum, nisi quantum in se sit studiose praestiterit.

Id curandum nobis cum antea fuit, tum multo erit in posterum accuratius. Etenim, si magistri nostri ac salvatoris exemplo facere prius debeamus quam docere: postquam docuimus, quin faciamus, quae esse poterit excusatio? Quis ferre nos ac pati poterit, si, cum non furandum esse demonstravimus, ipsi furemur? si, cum non moechandum, moechemur! Sanctos a sancto concilio, innocentes atque integros ab integritatis praeceptis et innocentiae, firmos in fide atque constantes a fidei nostrae firmata doctrina discedere minime convenit. Ac tales quidem expectant nos populi nostri, qui nostrum iamdiu reditum sustinentes ea se ipsi ratione consolabantur, fore, ut hanc temporis usuram maiori praesentes studio sarciremus. Sed fiet id a vobis, ut spero, Patres sanctissimi, diligenter, et, quemadmodum hoc in loco fecistis, ita etiam domi satis Deo atque hominibus facietis. Nunc (quod huius temporis est) Deo primum ipsi maximo atque immortali maximas atque immortales gratias et agamus et habeamus, qui non secundum peccata, quae fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, sed diem hunc laetissimum, quem videre multi concupiverunt, nobis non solum videndum, sed etiam celebrandum incredibili cum totius Christiani populi assensu atque approbatione sua magna benignitate concessit. Pio deinde IV., summo nostro atque optimo Pontifici, gratiae perpetuae ac singulares habendae sunt, qui, cum primum beati Petri sedem ascendit, tanto synodum hanc instaurandi desiderio exarsit, ut in eo suas omnes curas et cogitationes defigeret. Nuncios statim viros probatissimos ad indicendum illis nationibus atque provinciis concilium misit, pro quorum in primis salute convocabatur. Hi aquilonis partes prope omnes peragrarunt, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt; tuta omnia atque amica promiserunt, atque id etiam egerunt, ut in Angliam traiicerent. Legatos postmodum pietate ac doctrina praestantissimos, cum interesse ille synodo, ut mirum in modum cupiebat, non posset, huc misit, ex quibus duos (quorum memoria in benedictione est) statuta die, tametsi nulli fere episcopi convenissent, hic esse voluit. Hi, atque additus eis paulo post tertius, novem menses atque eo amplius iustum ad synodum instituendam episcoporum numerum hoc in loco nihil agentes expectaverunt, cum interea nihil aliud Pontifex ipse aut ageret aut meditaretur, quam ut Patres quam plurimi, quam optimi, et quam primum huc accederent, et Christiani nominis reges omnes ac principes suos huc oratores mitterent, ut communi omnium voto atque consilio communis haec causa gravissima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero postea omni cura, sollicitudine, sumptibus praetermisit, quod ad concilii huius amplitudinem, libertatem et commodum pertinere aliquo modo videretur? O singularem pastoris ac patris nostri pietatem atque prudentiam! O summam etiam eiusdem felicitatem, cuius auctoritate atque auspiciis iactatum hoc diu et agitatum concilium constitit et conquiescit! Te Paulum III., te Iulium mortuos appello; quamdiu quantoque studio videre quod nos videmus exoptastis? quot in eam rem sumptus, quot labores insumpsistis? Quamobrem vere tibi atque ex animo, Pie sanctissime ac beatissime, gratulamur, quod tantam tibi laetitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum divinae in te benevolentiae

argumentum est) Dominus reservavit, quem nos precibus omnibus ac votis supplices oramus, ut te nobis incolumem pro ecclesiae suae sanctae commodo atque ornamento et quam citissime reddat, et quam diutissime conservet. Serenissimo etiam imperatori gratias agere, et gratulari iure optimo debemus. Ille potentissimorum caesarum, qui propagandae Christianae religionis miro quodam desiderio flagraruut, animum, ut locum referens, urbem hanc ab omni periculo liberam conservavit, et nos, ut tutam tranquillamque pacem traheremus, sua vigilantia perfecit, magnamque nostris animis securitatem assidua trium suorum legatorum summorum virorum praesentia ac prope pignore attulit. Ille de nostris his rebus pro sua eximia pietate sollicitus mirifice fuit. Ille a se atque a nobis dissentientes homines ex obscurissimis, in quibus versantur, tenebris eruere, atque ad sanctae huius synodi clarissimam lucem aspiciendam adducere maximopere laboravit. Regum praeterea Christianorum ac principum in concilio hoc amplissimis suis legationibus ornando, et suos vestrae auctoritati fasces submittendo, pia maxime voluntas grata nobis memoria prosequenda est. Iam vero quis est, illustrissimi legati et cardinales, qui se nobis debere plurimum non fateatur! Vos nostrarum actionum duces optimi ac moderatores extitistis. Vos, ne nostra aut in dicendo aut in decernendo libertas violari aliqua ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curastis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercistis, ut ad optatum rès exitum, quod alii multi vestri similes frustra tentaverunt, quamprimum perduceretur. In quo praecipuam quandam ac propriam laetitiam habere tu, Morone illustrissime atque ornatissime, debes, qui, cum vigesimo ab hinc anno primum praeclaro huic aedificio lapidem posueris, extremam nunc manum post alios multos huic operi architectos adhibitos feliciter pro summa tua ac prope divina sapientia imponis. Factum hoc tuum egregium ac singulare omnium sermone perpetuo celebrabitur, neque ulla unquam aetas de tuis his laudibus conticescet. Quid de vobis dicam, Patres sanctissimi, quam bene de Christiana republica vestris his praestantissimis actionibus meruistis? quanta vestrum uniuscuiusque nominis commendatio; quanta gloria a Christiano populo universo tribuetur? vos vere Patres, vere pastores et agnoscent omnes et praedicabunt, vobis suam unusquisque vitam atque salutem acceptam libentissime referet. O diem illam populis nostris iucundissimam atque laetissimam, in qua primum revisere illis nos atque amplecti a templi Domini aedificatione redeuntes contigerit.

Sed fac, tu Domine Deus noster, ut tam eximiae de nobis opinioni egregiis factis respondeamus, et semen hoc, quod in agro tuo seminavimus, uberum fructum afferat, fluatque ut ros eloquium tuum, atque, quod fore aliquando pollicitus es, fiat temporibus nostris, ut unum sit omnium ovile, et unus pastor, atque is potissimum Pius IV., in tui nominis gloriam sempiternam. Amen.

CONFIRMATIO CONCILII.

Nos Alexander, sancti Laurentii in Damaso diaconus cardinalis de Farnesio, S. R. E. vicecancellarius, fidem facimus et attestamur, qualiter hodie, die Mercurii, XXVI. Ianuarii MDLXIV., Pontificatus sanctissimi D. nostri D. Pii, divina providentia Papae quarti, anno quinto, in concistorio secreto apud S. Petrum reverendissimi DD. mei cardinales Moronus et Simoneta, nuper reversi a sacro concilio Tridentino, cui uti sedis apostolicae legati praeerant, petierunt ab eodem sanctissimo D. nostro ut infra:

Beatissime Pater, in decreto super fine concilii oecumenici Tridentini, pridie nonas Decembris praeteriti publicato, statutum fuit, ut per Sanctitatis vestrae et sanctae sedis apostolicae legatos et praesidentes peteretur nomine dicti concilii a Sanctitate vestra confirmatio omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III., quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt. Quapropter nos Ioannes cardinalis Moronus et Ludovicus cardinalis Simoneta, qui tunc legati et praesidentes eramus, volentes exequi quod in dicto decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti concilii oecumenici Tridentini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare omnia et singula, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III., quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt.

Quibus auditis Sanctitas sua, viso et lecto tenore dicti decreti, et habitis votis reverendissimorum DD. meorum cardinalium, respondit per haec verba:

Petitioni nomine concilii oecumenici Tridentini super eius confirmatione per dictos legatos nobis factae annuentes, omnia et singula, quae in dicto concilio tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III. praedecessoribus nostris, quam Pontificatus nostri tempore decreta et definita sunt, auctoritate apostolica, etiam de venerabilium fatrum nostrorum cardinalium consilio et assensu, matura cum illis deliberatione praehabita confirmamus, atque ab omnibus Christi fidelibus recipi et inviolabiliter observari mandamus, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ita est.

A. Cardinalis Farnesius Vicecancell.

BULLA S. D. N. PII,

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI,

SUPER CONFIRMATIONE

OECUMENICI GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui, respicere dignatus ecclesiam suam sanctam, tot procellis et tempestatibus agitatam atque vexatam et gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit optatoque remedio. Ad plurimas et perniciosissimas haereses extirpandas, ad corrigendos mores et restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam Christiani populi procuran-

dam, indictum iam pridem in civitate Tridentina oecumenicum et generale concilium a piae memoriae Paulo III. praedecessore nostro, et sessionibus aliquot habitis coeptum fuerat; ab eius autem successore Iulio in eandem urbem revocatum, post alias sessiones celebratas variis impedimentis et difficultatibus obiectis ne tum quidem peragi potuerat, itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo moerore piorum omnium, cum quotidie magis ecclesia eiusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum sedis apostolicae regimen tam necessarium ac salutare opus, sicut pastoralis sollicitudo monebat, divinae misericordiae fiducia perficere aggressi, adiuti pio studio carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, et aliorum Christianorum regum, rerumpublicarum et principum, tandem consecuti sumus quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare destitimus, quodque a Patre luminum assidue precati sumus. Cum enim eam in urbem undique ex Christiani nominis nationibus convenisset, nostris convocata litteris et sua etiam ipsorum pietate excitata, episcoporum et aliorum insignium praelatorum maxima et oecumenico concilio digna frequentia, praeter plurimos alios pios et sacrarum litterarum scientia divinique et humani iuris cognitione praestantes viros praesidentibus ipsi synodo sedis apostolicae legatis, nobis adeo concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus sedi apostolicae proprie reservatis liberum ipsi concilio arbitrium per litteras ad legatos nostros scriptas ultro permiserimus, quae de sacramentis et aliis rebus, quae quidem necessariae visae sint, tractanda, definienda et statuenda restabant, ad confutandas haereses, ad tollendos abusus, et emendandos mores, a sacrosancta synodo summa libertate diligentiaque tractata et accurate ac mature admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut consensum eum plane a Domino effectum fuisse constiterit, idque in nostris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac Urbe indiximus, quae magna cleri et populi pietate celebratae fuerunt, laudesque et gratias divinae maiestati merito persolvendas curavimus, cum eiusmodi concilii exitus spem magnam et prope certam attulerit, fore, ut maiores in dies fructus ad ecclesiam ex ipsius decretis et constitutionibus perveniant. Cum autem ipsa sancta synodus pro sua erga sedem apostolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum vestigiis inhaerens, decretorum suorum omnium, quae nostro et praedecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmatione a nobis petierit, decreto de ea re in publica sessione facto. Nos, ex legatorum litteris prius, deinde post reditum eorum ex iis, quae synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius synodi cognita, habita super hac re cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea decreta omnia catholica et populo Christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei omnipotentis laudem de eorundem fratrum nostrorum consilio et assensu in concistorio nostro secreto illa omnia et singula auctoritate apostolica hodie confirmavimus, et ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus, sicut harum quoque litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, et suscipi observarique decernimus. Mandamus autem in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis a sacris canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et

aliis quibusvis ecclesiarum praelatis, cuiuscunque status, gradus, ordinis et dignitatis sint, et etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, ut eadem decreta et statuta in ecclesiis suis, civitatibus et dioecesibus in iudicio et extra iudicium diligenter observent, et a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari, contradictores quoslibet et contumaces per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas etiam iis ipsis decretis contentas appellatione postposita compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio. Ipsum vero carissimum filium nostrum imperatorem electum, ceterosque reges, respublicas ac principes Christianos monemus, et per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi obtestamur, ut, qua pietate concilio per oratores suos adfuerunt, eadem pietate ac pari studio, divini honoris et populorum suorum salutis causa, pro sedis quoque apostolicae et sacrae synodi reverentia, ad eiusdem concilii exequenda et observanda decreta praelatis, cum opus fuerit, auxilio et favore suo adsint, neque adversantes sanae ac salutari concilii doctrinae opiniones a populis ditionis suae recipi permittant, sed eas penitus interdicant. Ad vitandam praeterea perversionem et confusionem, quae oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta concilii commentarios et interpretationes suas edere, apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocunque honore ac potestate praeditis, praelatis quidem sub interdicti ingressus ecclesiae, aliis vero, quicunque fuerint, sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocunque modo edere, aut quicquam quocunque nomine, etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis aut executionis, aliove quaesito colore statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad sedem videlicet apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa sancta synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates et controversias, si quae ex eis decretis ortae fuerint, nobis declarandas et decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, providere; decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit: volumus et mandamus, ut hae litterae per aliquos curiae nostrae cursores in basilica Vaticana principis Apostolorum et in ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur; cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis in alma Urbe ad impressionem tradantur, quo commodius per Christianas provincias et regna devulgari possint. Transumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam nostrae confirmationis, monitionis, inhibitionis, reservationis, voluntatis, mandatorum et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae MDLXIV. VII. Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno V.

Ego Pius *Catholicae Ecclesiae Episcopus.*

Ego F. Card. Pisanus, Episcop. Ostien. Decan.
Ego Fed. Card. Caesius, Episcop. Portuen.
Ego Io. Card. Moronus, Episcop. Tusculan.
Ego A. Card. Farnesius, Vicecan. Episcop. Sab.
. . . . . .
Ego R. Card. S. Angeli, Maior. Poeniten.
. . . . . .
Ego Io. Cardinalis S. Vitalis.
Ego Io. Michael Card. Saracenus.
. . . . . .
Ego Io. B. Cicada Card. S. Clementis.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Romanus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego F. Clemens Card. Arae coeli.
Ego Io. Card. Sabellus.
. . . . . .
Ego B. Card. Salviatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lud. Card. Simoneta.
. . . . . .
Ego F. Card. Paciecus y de Tol.
Ego M. A. Card. Amulius.
Ego Io. Franc. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromaeus.
Ego M. S. Card. Constant.
Ego Alph. Card. Gesualdus.
Ego Hipp. Card. Ferrar.
Ego Franciscus Card. Gonzaga.
. . . . . .
Ego Gui. Asc. Dias. Card. Cam.
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
. . . . . .
. . . . . .

Ant. Florebellus Lavellinus
H. Cumyn.

BULLA S. D. N. PII,

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI,

SUPER DECLARATIONE TEMPORIS

AD OBSERVANDA DECRETA SACRI OECUMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI

Pius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut ad sacrorum Conciliorum decreta ac Canones, auctoritas, atque confirmatio Apostolicae Sedis et debet et solet accedere: ita si qua super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis iudicio et declaratione tollenda est. Ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, ex quo tempore coeperint decreta sacri generalis Concilii Tridentini, ad reformationem et ius positivum duntaxat spectantia, eos, ad quos pertinent, obligare, illa praesertim, quae tempora certa praestituunt ad provinciales, dioecesanasque Synodos celebrandas, ad sacros Ordines suscipiendos, ad Religionem profitendam, ad parochiales ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica, quae eiusdem Concilii decretis retineri prohibitum sit, resignanda, et ad complures res huiusmodi exequendas, ac alias omnes ad praedictam reformationem, iusque positivum tantum spectantes, quae observari, aut evitari debeant. Nos itaque, ut omnis controversia, dubitatioque tollatur, Motu proprio eam rem, prout rationi, iuri et aequitati convenire censuimus, duximus declarandam. Nam etsi ipsius Concilii decreta etiam de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et assensu in Concistorio nostro secreto confirmata a Nobis fuerunt sub finem mensis Ianuarii, et ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem observari coeperunt: quae tamen non parum temporis in eis Romae diligenter, emendateque imprimendis necessario consumptum fuit, et iure, etiam communi sancitum est, ut constitutiones novae vim non nisi post certum tempus obtineant; aequum Nobis et iustum visum est, praedicta decreta omnia ad dictam reformationem iusque positivum duntaxat spectantia, a kalendis Maii proxime praeteriti omnes obligare coepisse, neque post eam diem excusationem cuiusquam, quod ea ignoraverit, admittendam, atque ita Apostolica auctoritate declaramus, ac definimus, et ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus. Decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam quacunque dignitate, auctoritate et potestate praedito contigerit iudicari: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae declarationis, definitionis, mandati, statuti et decreti, infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, quintodecimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

Fed: Card: Caesius.
Caes: Glorierius.

H. Cumyn.

Registrata apud Caesarem Secretarium.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, die vero vigesima mensis Iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Pii, divina providentia Papae quarti, anno quinto, retroscriptae litterae affixae, lectae, et publicatae fuerunt in valvis Basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, et sancti Ioannis Lateranen: necnon cancellariae Apostolicae, et in acie campi Florae, per nos Iacobum Carra et Iulium Parinum, praelibati S. D. N. Papae Cursores.

Antonius Clerici,
Magister Cursorum.

MOTUS PROPRIUS S. D. N. D. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QUARTI

Per quem deputantur octo Cardinales, qui faciant observari reformationes ab ipso editas, nec non decreta sacri, oecumenici et generalis Concilii Tridentini.

Pius Papa quartus.

Motu proprio, etc. Alias Nos nonnullas constitutiones et ordinationes, reformationem maioris Poenitentiarii, ac sacrae poenitentiariae nostrae, ac Vicarii nostri, ac eius officii, necnon camerarii, et camerae Apostolicae, ac illius causarum Auditoris, necnon palatii Apostolici causarum Auditorum, ac Gubernatoris, et capitolinae curiarum, et contradictarum, aliorumque almae urbis nostrae, ac Romanae curiae tribunalium et officiorum concernentes, edidimus: quae tamen, ut intelleximus, ab eorumdem officiorum, et tribunalium praefectis, ac officialibus minus diligenter observantur. Cum autem enixae nostrae voluntatis sit, ut illa, et pariter decreta sacri Concilii Tridentini; in his, quae ad eorum officia spectant, ab eisdem omnino observentur: Nos propterea considerantes, parum esse, iura condere, nisi sint, qui ea executioni demandari faciant, et in praemissis, prout ex debito pastoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, iniuncti obligamur; salubriter et utiliter providere, praefatasque constitutiones, et ordinationes, ac decreta Concilii, quas, et quae hic haberi volumus pro expressis, inviolabiliter observari volentes: venerabili fratri nostro Ioanni Episcopo Tusculan: Morono, Io: Michaeli Sanctae Anastasiae Saraceno, ac Io: Baptistae Sancti Clementis Cicadae, necnon Michaeli Sanctae Sabinae Alexandrino, Clementi Sanctae Mariae in Ara coeli, et Ludovico Sancti Cyriaci in Thermis Simonetae, ac Carolo Sancti Martini in Montibus Borromaeo Presbyteris, nec non Vitellotio Sanctae Mariae in porticu Vitellio nuncupatis, titulorum, Diacono, [1]) Cardinalibus committimus, et mandamus: quatenus ipsi, [2]) seu eorum maior pars, coniunctim, vel divisim, eorum arbitrio, etiam tanquam executores dictarum litterarum, constitutionum, et decretorum praedictorum constitutiones, et ordinationes, ac decreta praefata, iuxta tenores eorum, ac litterarum desuper confectarum, per quoscumque poenitentiariae, vicariae, et camerae, ac rotae curiarum, ac tribunalium praedictorum iudices et officiales, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis officiorum, et aliis eisdem Cardinalibus bene visis, etiam pecuniarum, eo ipso incurrendis poenis, firmiter observari faciant, et cum effectu: nisi, tam in executione dictorum decretorum Concilii, quam dictarum litterarum nostrarum, aliqua dubietas, aut difficultas emerserit, quo casu ad Nos referant: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis: ac eos, qui litteris et decretis praedictis, et eorumdem Cardinalium mandatis non paruerint, ex tunc, prout ex eadem die, et e contra, illorum officiis privatos, necnon ad illa, et alia Romanae curiae officia in posterum obtinenda inhabiles, ac ipsis ab eisdem officiis sic privatis, illa tanquam per privationem vacantia a datario nostro vendi, et a quibusvis personis idoneis pro pretio convenienti emi, libere et licite posse auctoritate nostra curent, nuntient, decernant, ac declarent, prout Nos harum serie nuntiamus, decernimus et declaramus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac poenitentiariae, et curiarum, nec non tribunalium praedictorum statutis, etc., etiam iuramento, etc., roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, illis, ac dictis officialibus et tribunalibus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili, etc. et alias quomodocumque concessis, etc. Quibus omnibus, etc. illorum tenores, etc. hac vice latissime derogamus, eaque adversus praemissa nullatenus suffragari volumus: caeterisque contrariis quibuscumque.

Placet motu proprio I.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, quarto nonas Augusti, anno quinto.

[1]) Sixtus V. istius congregationis facultates declaravit in Bulla, quae incipit: *Immensa*, 1588. art. 7. — [2]) Confirmatur Bulla S. Pii V. *Cum felicis*, 1566.

BULLA S. D. N. D. PII PAPÆ QUARTI

Revocatoria privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, et aliarum quarumcumque similium gratiarum, quibuscumque locis et personis concessarum; in his, in quibus statutis et decretis sacri Concilii Tridentini contrariantur.

Pius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

[1]) In Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus divina dispositione

constituti, nihil neque universali Ecclesiae, curae et sollicitudini nostrae commissae salubrius, neque iniuncto Nobis Apostolicae servitutis officio decentius praestare possumus, quam quod providentiae nostrae ministerio oecumenicum Concilium Tridentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque sanctorum Patrum concordia, per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit: ita, per universos, qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, et remotis quibuslibet obstaculis, ab omnibus aequaliter observetur. Cum itaque in eodem Concilio quamplurima salubria, et ad universalem morum reformationem valde utilia, decreta, atque statuta, maturo praesentium ipsorum examine praecedente, sint edita, quibus multa, atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriae, indulta, et, ut vocant, confessionalia, et Mare magnum, et aliae gratiae, quae variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quam collegiatis ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis Religiosis, etiam fratrum mendicantium domibus et ordinibus; necnon Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Ioannis Lateranensis, ac Incurabilium de Urbe, Sancti Antonii Viennen: et sancti Bernardi Iuren: aliisque hospitalibus, militiis, eorumque capitulis, et conventibus, ac universitatibus, etiam studiorum generalium collegiis, tam saecularibus, quam Ecclesiasticis, confraternitatibus, societatibus, et tam Principis Apostolorum de Urbe, quam aliis fabricis, sanctae Cruciatae, aliisque piis locis, et operibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Praepositis, et aliis Ecclesiasticis, tam saecularibus, quam diversorum ordinum et militiarum regularibus, ac etiam laicis cuiuscumque dignitatis, et status, ac gradus, et excellentiae, ac etiam ducali, regia, et imperiali dignitate fulgentibus utriusque sexus personis: nec non aliquibus notariis, et etiam de latere Legatis, atque Nuntiis, tam perpetuo, quam ad tempus, per plures Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, et sedem Apostolicam, eiusque Legatos hactenus etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, et aliorum Principum contemplatione et intuitu, etiam de fratrum consilio, diversimode, variisque temporibus, in genere, vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, et etiam pluries confirmata et innovata fuerunt, in plerisque contrariantur. Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta et Ecclesiae Dei saluberrima decreta, suos, ut par est, effectus ubique consequi, et ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, et aliarum gratiarum praedictarum, ac quarumcumque Apostolicarum, et aliarum litterarum desuper confectarum, processuumque, decretorum, et aliorum inde secutorum; tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, et plene insertis habentes: Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, quod eadem omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, confessionalia, Mare magnum, et aliae gratiae, in his omnibus, et singulis, in quibus illa statutis et decretis Concilii huiusmodi contrariantur, ipso iure revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, et esse censeantur, nec quidquam adversus ipsa decreta et statuta, quo minus ubique, et apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si nunquam emanassent, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus, ac etiam statuimus et ordinamus. Decernentes nihilominus omnia et singula, quae vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum et dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, et aliarum quarumcumque gratiarum huiusmodi, post id tempus, quo Concilium obligare coepit, facta et gesta quomodolibet fuerunt, et in posterum fient, in his, in quibus dicti Concilii decretis adversantur, nulla, invalida, et irrita esse et censeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut praefertur, qualificato, tam in foro, quod aiunt, fori, quam conscientiae, suffragari posse et debere. Et ita per quoscumque locorum Ordinarios, aliosque iudices, et commissarios quavis auctoritate fulgentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi facultate, in utroque foro iudicari et definiri debere, ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, statuti, ordina-

tionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, tertiodecimo kalend: Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Caes: Glorierius.
P. Episcopus Narnien.
H. Cumyn.

Anno a Nativitate D. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Indictione sexta, die vero vigesima quarta mensis Februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et D. nostri, Domini Pii, divina providentia Papae quarti, anno eius sexto, retroscriptae litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt in acie campi Florae, et valvis cancellariae Apostolicae, per nos Nicolaum de Matthaeis, et Camillum Cherubinum, S. D. N. Papae Cursores.

Philibertus Phapuis,
magister Cursorum.

[1]) Gregor. XIII. privilegia regularibus concessa a S. Pio V. reduxit iterum ad terminos Concilii per Bullam. *In tanta*, 1573.

BULLA S. D. N. D. PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QUARTI

Contra quoscumque Ecclesias, et beneficia Ecclesiastica quaecumque in confidentiam retinentes, sive recipientes.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiae specula constitutum, vigiles mentis oculos, non solum in absentium extendere, sed potissimum in praesentium, domesticorumque, fratrum, et filiorum suorum mores diligenter perscrutandos, aliquando reflectere, ac eos, praesertim quos in Apost: solicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitae contagione, verum etiam ab eius omnimoda suspicione, vacuos et immunes conservare decet; ut, qui caeteros illustris officii sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate praestare dignoscantur. Sane, licet dudum, certam simoniacae pravitatis speciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, in Romanam Curiam, atque adeo in sacrum venerabilium fratrum nostrorum, sanctae Rom: Ecclesiae Cardinalium Collegium, quasi per cuniculos irrepsisse, ac nonnullos ex ipsis fratribus, nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum, familiarumque precibus, beneficia Ecclesiastica in confidentiam huiusmodi recepisse, et frequenter recipere, intelleximus, hanc illicitam beneficentiae exercendae, seu amicitiae colendae viam, a tam sancto Collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem Fratres in Concistorio nostro secreto, non semel admonuerimus, huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, utque sic recepta dimitterent: nihilominus nuper ad aures nostras pervenit, eorum aliquos, monitionis nostrae, imo potius suimet oblitos, ea, quae custodienda receperant, beneficia nondum tamen dimisisse. Et insuper illos, et nonnullos alios etiam Patriarchas, Archiepiscopos, et alios Episcopos, ac etiam camerae Apostolicae Clericos, ecclesias, monasteria, dignitates, et alia beneficia huiusmodi, in sui favorem resignata, cessa, vel alias dimissa, acceptasse, aut de illis per obitum, vel alias vacantibus, a Nobis, et praedecessoribus nostris, seu etiam ab Ordinariis, et aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum praesentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse, illaque, ac etiam alia aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam aliorum favorem cessisse, vel alias dimisisse. Ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus, reditus, et proventus ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, et aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas et illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, praesentationem, et aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum, ad earumdem ecclesiarum, monasteriorum, et dignitatum Praelatos pro tempore existentes, ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, nec non regressus, sive accessus, et ingressus ad ecclesias, etiam Cathedrales, monasteria, et alia diversa beneficia Ecclesiastica sibi reservari procurasse, et obtinuisse, ad hoc videlicet, ut confidentes sic decimarum Apostolicarum, vel communis dicti Collegii et annatae aliorumque iurium dictae Camerae debitorum solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut alias dispositioni Sedis Apost: generaliter reservatorum, collationibus, ac interdum ut beneficia ipsa, tempore procedente, in

aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium et incapacium, vel nondum adhuc natorum, favorem cedantur, seu resignentur, vel ut personae inhabiles et incapaces huiusmodi, etiam laici, pensionibus, ac fructibus, reditibus, et proventibus Ecclesiasticis fruantur et gaudeant, seu potius illis, et facultate transferendi praedicta abutantur, in animarum suarum periculum, et perniciosum exemplum. Quare Nos hanc Cardinalium eorumdem, in monitionibus nostris parendo, incuriam, et tam illorum, quam caeterorum Praelatorum, etiam clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam, conniventibus oculis diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes. Et quoniam hanc ipsorum, qui, monitioni nostrae non parentes, beneficia huiusmodi in confidentiam, ut praefertur, retinuerunt; et fructus ex eis indebite, vel percipiendo, vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes, et fictas de receptis quietantias, ac donationes, et remissiones percipi sinendo, graviter excesserunt. Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo praeceptorum nostrorum spretu processisse facile reputamus. Idcirco omnes, et singulas ecclesias, etiam Metropolitanas, et alias Cathedrales, ac monasteria, etiam concistorialia, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, etiam maiores, et principales, etiam conventuales, personatus, administrationes et officia, caeteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, etiam de iure patronatus, etiam laicorum, etiam nobilium, et illustrium, etiam ex fundatione, et donatione existentia, per eiusdem Romanae Ecclesiae etiam Episcopos Cardinales, et quoscumque alios etiam Patriarchas, Archiepiscopos, et alios Episcopos, ac etiam eiusdem Camerae clericos, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias in huiusmodi confidentiam iure prohibitam, cuiusvis personae, ut profertur, compilatione, vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem, et dispositionem Nobis, et Sedi Apostolicae, harum serie reservantes, ipso iure a die receptionis eorumdem, vacavisse, et vacare; ac fructuum et pensionum reservationes, ac facultates transferendi, et collationis beneficiorum concessiones, eis, ut praemittitur, factas, ac regressus, sive accessus, et ingressus concessos huiusmodi, cessasse, et cessare, ac extinctos esse, et eosdem Cardinales, seu quosvis alios, a prima die receptionis beneficiorum huiusmodi citra fructus, et reditus, et proventus earumdem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, et aliorum beneficiorum, ac pensiones praedictas, indebite percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, et singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse, et esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, et alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, et eorum haeredes ad integram illorum restitutionem, in utroque foro teneri, et ad id opportunis iuris remediis compelli debere, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus. Et insuper universis et singulis tam eiusdem Rom: Eccles: Cardinalibus, etiam Episc:, quam Praelatis, et Clericis, et aliis praedictis, praesentibus, et futuris, ne deinceps ullo unquam tempore, aliquas ecclesias, monasteria dignitates, vel alia beneficia, etiam de dicto iure patronatus, uti praefertur, existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, seu accessus, in confidentiam praedictam, aut ad effectum reservationum huiusmodi, sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere praesumant. Cardinalibus vero, et aliis Praelatis huiusmodi, in virtute sanctae obedientiae, et sub interdicto ingressus Ecclesiae, reliquis vero sub maioris excommunicationis latae sententiae poena, per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua, nisi a Nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius inhibemus. Ac quascumque collationes, provisiones, praefectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, et ingrediendi, ac alias dispositiones, de ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, et aliis beneficiis, eorumque fructibus, et beneficiorum collationibus per Nos, et alios Rom: Pontifices successores nostros etiam Motu proprio, seu concistorialiter, ac etiam per Ordinarios, et alios inferiores Collatores, et ad patronorum eorumdem praesentationem, et alias quomodolibet, cum interventu confidentiae huiusmodi, expresse, sive occulte, ac de iure praesumptae, et alias contra praemissa pro tempore factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed ecclesias, monasteria, dignitates, ac alia beneficia huiusmodi, ipso iure vacare, ac nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni reservata, fructusque, et pensiones camerae Apostolicae applicatos, ut

praefertur, esse et censeri. Sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi, et iudicandi facultate, etiam per praesumptiones, et coniecturas legitimas, et eorum arbitrio, cum alias confidentias huiusmodi in lucem erui, et probari non posse constet, procedendo, iudicari et definiri debere. Ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane similiter decernimus. Non obstantibus fel: rec: Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, de una, et Concilii generalis de duabus Diaetis, ac aliis constitutionibus Apostolicis; nec non Collegii praefati, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ne quispiam ullo unquam tempore praesentium ignorantiam praetendere possit, volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsae praesentes litterae ad Basilicae Principis Apostolorum de Urbe valvas, et per aliquem ex cursoribus nostris, illarum copia ibi affixa, et dimissa, et etiam in Cancellaria Apostolica de more publicentur; ac in eiusdem Cancellariae quinterno, ad maiorem partium, illas in iudicio producere volentium, commoditatem, describantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Dat: Rom: apud S. Petrum, Anno Incarnat: Domin: 1564. 17. Kal: Novemb: Pont: nostri anno quinto.

Visa de Curia M. de Enciso.
Caes. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno a Nativitate Domini 1564. Indict: 7. die vero 3. mensis Dec: Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Pii, divina providentia Papae IV. anno quinto, suprascriptae litterae Apostolicae publicatae, et affixae fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie campi Florae, dimissis ibidem in suprascriptis locis suprascriptarum litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Iulium Parinum, et Bernardinum Andreutium praelibati sanctissimi Domini nostri Papae Cursores.

Antonius Clerici Magister Cursorum.

Declaratio, quod gratiae de non residendo, et percipiendo fructus ratione studii, non valeant sine consensu Ordinarii.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Pius, Divina providentia Papa IV. ad cuius aures nuper pervenit nonnullos curata, vel alios sacros Ordines, aut personalem residentiam requirentia beneficia obtinentes, sub praetextu, quod litteris operam dare cupiebant, post confirmationem Concilii Tridentini, per Sanctitatem suam factam, et publicatam secum, ut litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, actu insistendo ratione beneficiorum, per eos obtentorum, huiusmodi usque ad quinquennium, vel aliud tempus, tunc expressum, dummodo infra primum illius annum Subdiaconi fierent, ad reliquos Ordines promoveri minime teneantur, et tam iidem interim, quam alii, etiam ad eosdem Ordines, vel eorum aliquem, seu aliquos promoti, quod similiter studentes beneficiis per eos obtentis per Vicarios idoneos, per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum beneficiorum huiusmodi portione illis assignata, vel alias deputanda, in divinis deserviendo, animarum curam illis imminentem exercendo, et alia incumbentia onera supportando, usque ad simile tempus personaliter in eisdem beneficiis residere non tenerentur, et nihilominus interea omnes eorumdem beneficiorum fructus percipere possent, per ordinariam Sanctitatis suae signaturam, seu poenitentiariae suae officium dispensari, sibique pariter indulgeri obtinuerint, nullum in his, vel fraudi, vel circumventioni locum, praesertim quoad absentes a Romana curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non potest, quantum humana ratione provideri potest, relinquere volens, Concilii etiam Tridentini decretis inhaerendo, huiusmodi dispensationes, et indulta hactenus concessa, ac tam ipsius poenitentiariae, quam Apostolicas, et alias desuper confectas, et conficiendas litteras, processusque habitos, et habendos per easdem dictis absentibus nullatenus suffragari, nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula beneficia huiusmodi consi-

stunt, consensus gratis praestandus ad id accedat, Apostolica auctoritate declaravit: decernens irritum, etc.

Placet; publicetur, et describatur I.

Lecta et publicata fuit suprascripta Regula Romae in Cancellería Apostolica, Anno Incarnationis Dom: 1564, die vero Veneris, 24. mensis Novembris, Pontificatus praefati S. D. N. Papae anno quinto.

A. Lomellinus Custos.

—

BULLA S. D. N. D. PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI

Super residentia Praelatorum, et Parochialium, et aliorum curam animarum habentium, et residere debentium.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, meritis licet insufficientibus, divina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiae nostrae commissos Dominicos greges, sed etiam singulorum Pastorum suorum actus intensa nostrae mentis acie collustrantes, studium efficax, operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere: ut quemadmodum operosum sacri Concilii Tridentini progressum, felicemque exitum, Domino cooperante, praestitimus; ita sanctissima illius decreta ipsorum praesertim, qui in Apostolicae sollicitudinis partem vocati sunt, Pastorum officium concernentia, non tepide, neque dissimulanter exequamur. Sane licet in Concilio praefato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes et singuli venerabiles fratres nostri, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, et alii beneficiati, apud ecclesias sponsas suas residere teneantur; nonnulli tamen, quod non sine animi nostri moerore referimus, adeo sui, gregumque, quos olim deperditos, Salvator noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, ut etiam nunc in alma urbe, vel alibi commorantes, et sacrosancta spiritalis matrimonii inter eos, suasque ecclesias solemniter contracti, iura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, ac praedictas ecclesias quomodocumque sibi concessas invisere, et apud illas, ut probos, et providos patresfamilias decet, residere non curent, in perditionem animarum suarum, et subditorum suorum, ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos hanc illorum contumaciam alicuius etiam temporalis poenae metu frangendam, seu convincendam esse censentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis praefatis, ac aliis quibuscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel praeeminentia praefulgentibus praedictas ecclesias in commendam, vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, et aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui, iuxta decreti super residentia in Concilio praedicto promulgati tenorem, personalem in suis ecclesiis residentiam facere tenentur, in virtute sanctae obedientiae, et ultra poenas in dicto decreto Concilii contentas, etiam sub privationis eorum a regimine et administratione ecclesiarum suarum, ac aliis nostro, et pro tempore existentis, Romani Pontificis successoris nostri arbitrio imponendis poenis, districte praecipiendo per Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessante, in eisdem suis Ecclesiis, iuxta formam et tenorem dicti Concilii, personaliter resideant. Et nihilominus, si quos mandato nostro huiusmodi, quod absit, non parere contigerit, ne etiam tales absentes melioris in hac parte conditionis, quam caeteri in suis ecclesiis residentes existant, hac nostra perpetuo valitura sanctione per praesentes statuimus et ordinamus, quod deinceps omnia et singula mobilia, et immobilia, etiam in Urbe, vel eius districtu existentia, et semoventia, res et bona, iura et actiones cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris, ac ubicumque locorum consistant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, et alios quoscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, et praeeminentia praefulgentes, Ecclesias praedictas in titulum, vel commendam, sive administrationem, aut alio quovis nomine obtinentes, et alios quoscumque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra praedictas Ecclesias, et Dioec: etiam in Romana curia, aut alibi degentes, et iuxta decretum et formam Concilii huiusmodi non residentes decesserint, pertinentia, et per illos suarum Ecclesiarum, ac quorumcumque monasteriorum, prioratuum, praeposituraram, et aliorum beneficiorum Eccesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium, et regularium, quae illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, redituum et proventuum Ecclesiasticorum, nec non pensionum annuarum sibi super similibus fructibus, reditibus et proventibus reservatarum, et assignatarum occasione quaesita,

etiamsi facultatem specialem de illis, aut eorum parte testandi, et alias libere disponendi a Nobis, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus, et successoribus nostris, etiam cum clausulis, quod facultates huiusmodi revocari nequeant, aliisque irritantibus decretis obtinuerint, et in vim illarum litterarum desuper confectarum de rebus et bonis huiusmodi iam disposuerint, tanquam spolia ad cameram Apostolicam legitime pertineant, liceatque dilectis filiis moderno, et pro tempore existenti Commissario nostro generali, et suis, dictaeque camerae deputatis, in eventum decessus huiusmodi solitum inventarium super rebus et bonis praefatis conficere, aliaque, prout de reliquis clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filii nostri moderni, et pro tempore existentis generalis Thesaurarii manus redigere, dictaeque camerae applicare, cuiusvis licentia desuper minime requisita. Ac facultates, et desuper confectas litteras praedictas etiam motu et scientia, similibus etiam in recompensam laborum, et obsequiorum, etiam Nobis, et Ecclesiae Romanae, dictaeque Sedi impensorum, quomodolibet concessas, et etiam iteratis vicibus approbatas, illarum omnium tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, in eventum obitus huiusmodi, etiamsi in Urbe, aut eius districtu, vel alibi extra suas ecclesias, ut praefertur, contigerit ex nunc, prout ex tunc, et e contra, in dictae contumaciae poenam, eiusdem potestatis plenitudine, et tenore revocamus, cassamus et annullamus. Ac tam eas, quam earum praetextu quomodolibet pro tempore condita, factaque testamenta, codicillos, legata, donationes, et alias dispositiones quaslibet, etiam ad pias causas, vel in remunerationem servitiorum, nulla et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque quidquam contra praesentium tenorem suffragari. Et sic per quoscumque Iudices, et Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, in quavis instantia, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicandi et definiri debere. Ac quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Per hoc autem nostris, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinationibus, reservationibus et decretis, quoad Praelatorum, et aliorum beneficiatorum, etiam in suis ecclesiis, aut dioecesis residentium, et ibi decedentium, quae etiam ampliamus et extendimus ad habentes ecclesias in urbis districtu, ibique residentes, et decedentes, spolia camerae Apostolicae applicata, hactenus emanatis nullatenus praeiudicare, neque quidquam in eis alterare intendimus, sed ea in suo robore, ut antea, manere volumus, praeterquam quod ad eos, qui in suis ecclesiis iuxta formam praedicti Concilii resederint, et specialem licentiam testandi habuerint: hanc enim tantum salvam eis esse volumus; ita ut generalis licentia testandi eis, quamquam residentibus, minime suffragetur, sed sola speciali, si quam habuerint, tueri se possint. Caeterum, ut praeceptum, mandatum, statutum, ordinatio, revocatio, cessatio, decretum, et alia praemissa, praesentesque litterae ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam praetendere, vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma, et illibata permaneant, volumus et mandamus, quoad easdem praesentes in Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae nostrae valvis, ac acie campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris affixae, copia illarum ibi dimissa, ab ea die omnes perinde arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent; non obstantibus praemissis, ac in favorem curialium per fel: recordat: Xystum IV. Leonem X. Iulium III. et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per Nos editis et approbatis, necnon aliis litteris, constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri praecepti, mandati, statuti, ordinationis, revocationis, cassationis, annullationis, decreti, ampliationis, extensionis, intentionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarn: Domin: 1564. 7. Kalend: Decemb: Pont: nostri anno quinto.

Caes: Glorierius.

Visa de Curia M. de Enciso.

H. Cumyn.

Anno a Nativitate Dom: millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, Indictione septima, die vero 4. mensis Decembris, Pontificatus sanctissimi in Cristo Patris et D. N. Pii, divina providentia Papae IV. anno quinto. Retroscriptae litterae Apostolicae publicatae, et affixae fuerunt ad

valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ad valvas Cancellariae Apostolicae, et in acie campi Florae, dimissis in praefatis locis praesentium retroscriptarum litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Iulium Parinum, et Bernardinum Andreutium, praelibati sanctissimi Dom: nostri Papae Cursores.

Antonius Clerici Magister Cursorum.

MOTUS PROPRIUS S. D. N. D. PII PAPAE QUARTI

Super executione Concilii, et litterarum eiusdem Sanctiss: contra Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, et alias personas Ecclesiasticas non residentes in eorum ecclesiis.

PIUS PAPA IV.

MOTU proprio, etc. Cum tam per sacrosanctum oecumenicum Concilium Tridentinum, quam etiam per nostras litteras, sive bullas etiam desuper emanatas, et inter alias sub dat: Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXIV. septimo Kal: Decembris, Pontificatus nostri anno quinto, mandatum sit omnibus Episcopis, Archiepiscopis, et aliis, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro eis Sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et signanter munera pastoralia, et eis diligenter incumbere et assistere, aliaque facere quae in dicto sacro Concilio, et in dictis nostris litteris, sive bullis continentur. Quae omnia nequaquam ab eis praestari et adimpleri possunt, cum gregibus suis non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more oves suas deserunt, et propterea debuissent, et deberent omnes et singuli Episcopi, Archiepiscopi, et alii in dignitatibus Ecclesiasticis constituti, et praefecti, et quibus animarum cura existit, iuxta divina praecepta, et praedicti oecumenici Concilii, ac praedictarum nostrarum litterarum, seu bullarum vim, formam continentiam et tenorem, ad eorum respective ecclesias, dioec: ac alia beneficia, quibus personalis residentia requiritur, ad effectum in eis personalem residentiam faciendi se se contulisse, ac omnia et singula in eisdem praeceptis, consilio, et litteris, sive bullis respective contenta adimplevisse et observasse. Attamen, sicut accepimus, multi et multi praefatorum praeceptorum, et mandatorum contemptores, animarumque suarum propriae salutis immemores in dictis dignitatibus Ecclesiasticis, quibus cura animarum imminet, ac Episcopalibus, et Archiepiscopalibus respective constituti praemissa facere, et adimplere hactenus minime curarunt, sed distulerunt, et differunt in grave animarum suarum, gregumque sibi commissorum periculum, et ovium suarum perniciosum exemplum, et scandalum, sententias, censuras et poenas propterea sibi inflictas temere, et damnabiliter incurrendo. Quae omnia cum non sint conniventibus oculis, aut impune praetermittenda, sed graviter, ut caeteris transeant in exemplum, cum iam per tot menses inobedientes fuerint, censuras praefatas sustinent, Motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque potestatis nostrae plenitudine, Dilecto filio nostro Alexandro Riario Camerae Apostolicae generali Auditori, cui alias etiam, seu praedecessori suo vivae vocis oraculo commisimus, ut dictos Episcopos, Archiepiscopos, et alias personas Ecclesiasticas animarum curam habentes non residentes, poenas praefatas in dicto Concilio, et litteris, sive bullis nostris contentas incurrisse declararet, et ad illarum effectualem executionem, aliaque graviora procederet, vivae vocis oraculo commisimus; tamen quia nonnulla monitoria contra certos Episcopos, et alias personas praefatas in vim commissionis nostrae huiusmodi sibi factae tunc decreverat, et relaxaverat, ne in posterum de illius iurisdictione dubitari contingat, denuo eidem Auditori nostro nunc officium Auditoratus exercenti auctoritate nostra committimus et mandamus, quatenus statim tam contra Episcopos, Archiepiscopos, et alios quoscumque Praelatos, tam in Urbe, quam alibi, et ubique locorum existentes et in propriis dioec. non residentes constito sibi quantum sufficere videbitur summarie, simpliciter, et de plano, sola veritate inspecta, et manu regia de inobedientia propria usque ad sententiam exclusive procedat, et deinde Nobis referat, ut Nos in Consistorio nostro secreto de fratrum nostrorum consilio, ut moris est, ad sententiam privationis, et depositionis Praelatorum inobedientium huiusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus: quo vero ad alios curam animarum habentes, usque ad sententiam inclusive procedat, et exequatur iuxta formam, et tenorem dicti Concilii, et litterarum nostrarum praedictarum cum eisdem facultatibus, ut supra, ac alia fa-

ciat, et exequatur, prout in dictis litteris, sive bullis continentur, cum potestate citandi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi a divinis, declarandi, interdicendi, aggravandi, reaggravandi, carcerandi, et brachium saeculare decernendi, relaxandi, et exequendi, aliaque faciendi necessaria quomodolibet et opportuna. Contrariis quibuscumque non obstantibus, et quod praesentis nostri Motus proprii sola signatura sufficiat, ac ubique fidem faciat in iudicio et extra, regula contraria, et aliis quibuscumque, quibus omnibus expresse derogamus, non obstantibus.

Placet Motu Proprio I.

Praesentetur B. Amerin. Regens.

—

MOTUS PROPRIUS S. D. N. D. PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUINTI.

De veritate exprimenda, etc. in dispensationibus matrimonialibus, et aliis gratiis, sub poena falsi.

Pius Papa V.

Motu proprio, etc. Cum, sicut accepimus, nonnulli suae conscientiae prodigi, ac propriae salutis immemores, ut facilius a Nobis, et Sede Apostolica dispensationes matrimoniales, et alias gratias, et concessiones obtineant, gradus consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter, quam eis a principio ab ipsis partibus significatum, vel narratum fuerit, exponant, et si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis, narrant; ac aliae diversimode veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuscumque gratiis, et concessionibus obtinendis immutent: ac propterea cum non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerumque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immutetur, et falsitas committatur: Nos igitur huiusmodi abusibus, et erroribus obviare cupientes, Motu proprio etc. omnes et singulos Procuratores tam officii sacrae poenitentiariae, seu contradictoriarum, quam alios quoscumque sollicitatores, et scriptores, quos copistas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquomodo invertunt, aut immutant, depravant, et per subreptionem, et obreptionem gratias a Nobis extorquentes poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere decernimus et declaramus. Mandantes propterea almae urbis Gubernatori, camerae Apostolicae Auditori, et Vicario, quatenus in praemissis reos, et culpabiles repertos poena falsi, ut praemittitur, puniant, cum potestate citandi etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliqua dicendi, et faciendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna; non obstantibus praemissis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus: irritum quoque et inane, etc. dicique, etc. iudicari, definiri debere, et sublata, etc. decernentes. Et quod praesentis Motus proprii; et absque data, et registrata, sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio, et extra, regula contraria non obstante, eiusque transumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae; quodque Camerae, et Cancellariae Apostolicae, ac Audientiae causarum Palatii Apostolici valvis, et in acie campi Florae dimissis, inibi copiis affixis omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Placet Motu proprio M.

Die 5. Decembr. 1566. Suprascriptae litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt in locis suprascriptis, dimissis in eisdem locis copiis affixis per me Nicolaum de Matthaeis Cursorem.

Jo: Gerardi. Magister Cursorum.

—

SS. D. N. D. PII PAPAE V.

CONSTITUTIO

De trium votorum professione ab iis emittenda, qui in Congregationibus sub obedientia voluntaria vivunt, quorum habitus a saecularibus Presbyteris est distinctus.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Lubricum vitae genus eorum veriti, qui regularium formam praeseferentes, nec

propriis renunciant, nec ullam profitentur ex regulis approbatis, quando horum plerique proprio instinctui obsequentes, alii odio incensi, alii, dum, quod ambiunt, minus consequuntur; alii, vel dilapidatis, vel interversis rebus, et ad se se, vel propinquos translatis, ut ratiocinia effugiant; quidam etiam in suos ipsorum mores inquisitum iri praesentientes, quasi impunitatem adepturi, e sodalitio suo, ut lubet, exiliunt, electisque illius insignibus, vestem recipiunt saecularem. Hinc graves et periculosae quotidie offensiones in populos concitantur, dum quos disciplinae regulari perpetuo mancipatos credunt, rursus eos, etiam ubi consueverint, contempto post tot annos, et relicto, indignis saepe modis, eius, cui se se dederant, vitae instituto, liberos vident, et solutos in saeculo evagari. Cum igitur conveniant, ut cuius arma induit, eam miles militiam persequatur, hanc de praedictis rationem capere instituimus, ut vel permanendi, vel abscedendi facultate semel singulis proposita, certus deinceps, et immobilis disciplinae regularis cultus debeat in ipsis Sodalitatibus perpetuo observari; itaque de Nobis attributae potestatis plenitudine statuimus, ut omnes et singuli Priores, Praepositi, et alii Praesidentes, Generales, Provinciales, et Conventuales, necnon Canonici, et Fratres S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Eremitarum Sancti Hieronymi, alias B. Petri Pisarum, et omnium, ac quarumcumque aliarum Congregationum, necnon ecclesiarum, domorum, et conventuum in communi, et sub obedientia voluntaria, et extra votum solemne religionis viventes, quorum habitus a saecularibus Presbyteris est distinctus, qui religionem amplecti, et professionem regularem solemnem emittere voluerint, id in suis quisque conventibus, et domibus intra 24. horarum spatium, postquam Delegatus noster praesentes litteras eis significaverit, palam et sponte deliberent et declarent; inde convocato quamprimum per singulas huiusmodi Congregationes generali, vel alio supremo, iuxta morem cuiusque Congregationis, Capitulo, ibique electa una, sub qua degant, ex regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius Capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem regularem intra mensem solemniter emittant, et in eam tam ipsi, quam illi deinceps ingressuri, atque professuri perpetuum ferant Altissimo famulatum: sicque professi, vel in suis quisque prioratibus, praeposituris, praesidentiis, administrationibus, et officiis confirmentur, vel ad alia transferantur, prout cuique Congregationi, et Superioribus suis videbitur utilius expedire. Qui vero, excurso iam anni spatio, in ipsa Congregatione morati, refugerint intra tempus praedictum profiteri; detracto religionis habitu, ac redditis etiam in vinculis, si opus sit, receptorum et administratorum omnium rationibus, eiiciantur: nec deinceps patiantur in ullis eiusdem Congregationis domibus, seu conventibus amplius conversari. Quocirca mandamus universis et singulis Prioribus, Praepositis, Generalibus, Provincialibus, et Conventualibus, ac aliis cuiuscumque dignitatis, et nominis Ministris, necnon Conventibus, Canonicis, Fratribus, et personis Congregationum huiusmodi, ut statutum nostrum praedictum, non expectata alia iussione, aut mentis nostrae declaratione, humiliter recipiant, et studiose observare procurent. Quod si forte aliqui in eo, quo nunc sunt, statu, quem omnino tollimus et abolemus, contra nostrum hoc statutum persistere contenderint, singulos omni dignitate, officio, administratione, et beneficio privamus, et ad futura perpetuo indignos decernimus, excommunicationis quoque sententia innodamus eo ipso, non obstantibus fundationibus, et institutionibus, ac statutis, et consuetudinibus Congregationum, domorum, et conventuum praedictorum, iuramento, confirmatione Apostol: vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis Apostolicis illis, eorumque Superioribus et personis, ac eorum singulis per quoscumque Rom: Pont: praedecessores nostros, ac Nos, et Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere, et in specie concessis et confirmatis, ac etiam aliis reformationibus quotiescumque, ac quocumque tempore factis et promulgatis, et quibuslibet aliis indulgentiis, et litteris Apostolicis specialibus et generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus, quorumque toties tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia tanquam abrogata contra earumdem praesentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari: caeterum mandamus, praesentes ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie campi Florae publicari, et earum ex-

empla de more applicari. Ac etiam volumus, quod ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, et Praelati Ecclesiastici, vel eius curiae sigillo, et Notarii publici manu obsignata eamdem illam fidem ubique locorum in iudicio, et extra illud faciant, quam ipsae praesentes facerent, si ibi ostenderentur, aut exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sublationis, abolitionis, privationis, statuti, mandati, innodationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

—

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1568. 15. Kal: Decemb: Pontificatus nostri anno tertio.

Caes: Glorierius.
H. Cumyn.

—

Anno a Nativitate Dom: 1568. indictione 11. die vero 4. mensis Decemb: Pontif: sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Pii divina providentia Papae V. anno tertio, retroscriptae litterae Apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, et in acie campi Florae, dimissis in omnibus supradictis locis earumdem retroscriptarum litterarum copiis affixis, ut est moris, per nos Ioannem Freile, Iulium Parinum praelib. SS. D. N. Papae Cursores.

Christianus de Monte, Magister Cursorum.

—

BULLA SS. D. N. D. PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ V.

Per quam declaratur Decretum S. Concilii Tridentini super impedimento publicae honestatis editum.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romanum spectat Pontificem sua solicitudine diligenter providere, ut sacrorum Conciliorum decreta ita suae declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur. Sane ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, an Decretum oecumenici Concilii Tridentini Sessio 24. de reform: Matrim: cap. 3. quo cavetur impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus gradibus non possit huiusmodi prohibitio servari; de sponsalibus per verba, ut aiunt, de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de praesenti contracta, non tamen consummata, quae interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit. Nos itaque, ut omnis difficultas et dubitatio tollatur, attendentes, quod sponsalium appellatione, qua dictum Concilium utitur, non nisi improprie matrimonium verbis de praesenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, praesertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de praesenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere a nemine dubitetur; idcirco Motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus et definimus, decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum Decretum Concilii introductum erat, et ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus; non obstantibus constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentes litterae in Cancellaria nostra, et in acie campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et, quia difficile foret, praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus etiam, et declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, definitionis, mandati, statuti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno In-

carnat: Domin: 1568. Kalend: Iulii, Pontific: nostri anno tertio.

Caes. Glorierius.
H. Cumyn.
Registrata apud Caesarem Secretarium.

Anno a Nativ: Dom: 1568. Indict: 6. die vero 24. mensis Febr: Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et D. N. Pii Divina Provid: Papae V. anno tertio, retroscriptae litterae Apostolicae lectae, et affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Cancell: Apost: et in acie campi Florae, ut moris est, dimissis ibidem praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium affixis, et deinde amotis per nos Iulium Parinum Cle: Ter: et Io: Bornotum praelib: SS. D. N. Papae Cursores.

Camillus Cherubinus, Magister Cursorum.

APPENDIX

Ad Sess. V. c. 2. XXI. c. 9. de ref.

I.

Pii V. Const. *Etsi Dominici*, qua indulgentiae facultatem quaestuandi continentes revocantur et quaestorum deputatio prohibetur, dat. VI. Id. Febr. MDLXVII. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

Ad Sess. VI. c. I. XXIII. c. 1. de ref.

II.

Pii V. Const. *De suprema* de spoliis clericorum extra residentiam decedentium, dat. VII. Kal. Dec. MDLXIV. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

III.

Benedicti XIV. Const. *Ad universae* de residentia episcoporum, dat. III. Non. Sept. MDCCXLVI. (Bull. Bened. T. II.)

Ad Sess. VII. c. 1. XXIV. c. 2. XXV. c. 1. de ref.

IV.

GREGORIUS EPISCOPUS S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Onus apostolicae servitutis, ad quod nuper Nos dignatio divina provexit, assidue admonet, in eam potissimum curam nobis esse pastorali sollicitudine incumbendum, ut, quae a sacris oecumenicisque conciliis pro communi totius Christiani populi salute pie prudenterque statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deserantur, ea praesertim, quae ad bonos idoneosque pastores cathedralibus ac superioribus ecclesiis gubernandis praeficiendos pertinent; nam si in quibusvis ecclesiae gradibus et ministris curandum est, tales eligi, qui in religione et sanctitate fideles aedificent, multo certe magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tanquam servo fideli et prudenti totius familiae cura traditur, qui ad omnem virtutem et mandatorum Dei observantiam aliorum forma esse debet, cum certum sit gregis salutem magnopere pendere ex boni pastoris praestanti vita et doctrina.

§. 1. Sane venerabiles patres, qui ex toto terrarum orbe ad sacrum generale Tridentinum Concilium a summis Pontificibus praedecessoribus Nostris evocati magna frequentia convenerunt, cum in aliis rebus multis praeclarum studium ad corrigendos depravatos mores et collapsam ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo magnaque cum laude laborarunt, ut rationem invenirent, qua viri doctrina, pietate prudentiaque excellentes et in ecclesiasticis functionibus diu multumque versati ecclesiis cathedralibus praeficerentur.

§. 2. Nos igitur, qui, cum in minoribus constituti Cremonen. ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum sanctis et egregiis illis patribus interfuimus et Concilio absoluto ad ecclesiam nostram reversi magno semper desiderio flagravimus, ut tam salubria generalis Concilii decreta executioni debitae mandarentur atque ut id fieret pro virili parte curavimus, multo nunc magis, cum disponente Domino omnium ecclesiarum cura et sollicitudo Nos premit, summo desiderio tenemur, ut pastores ii praeficiantur ecclesiis, qui opus suum et ministerium impleant et de ovium salute Nos in Domino laetificent.

§. 3. Illud autem in hoc saluberrimo et pernecessario negotio, quod est de episcopis eligendis et praeficiendis, videtur

esse praecipuum, ut instructio, examen et inquisitio de fide, vita, moribus, doctrina et prudentia promovendorum tam accurate fideliter ac serio instituatur, ut omnis fallaciae fuco semoto certo confidere valeamus, tales a Nobis Christi gregi pascendo esse praepositos, quales tantum onus angelicis videlicet humeris formidandum exigit, et quales ille expetit, qui pro iisdem ovibus redimendis propriae vitae ac sanguini non pepercit. Et quidem in hac parte providentia dicti Concilii Tridentini minime defuit, cum statuerit ac mandaverit, ut in provinciali synodo per metropolitanum habenda praescriberetur quibusque locis et provinciis propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videretur.

§. 4. Verum neque id hactenus nisi a paucissimis factum est neque spes est nisi longissimo temporis spatio ut ab omnibus fiat; atque interim, dum certa examinis sive inquisitionis ratio a provincialibus conciliis expectatur, perit uber ille fructus, qui ex tam utilibus Concilii generalis decretis sperari posse videbatur, et experientia ipsa docuit per tot annos a publicatione Concilii praedicti elapsos, quid in unaquaque provincia opus sit, quidve possit fieri.

§. 5. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione ac de eorum unanimi consilio et assensu praesenti nostra perpetuo valitura constitutione decernimus, ut, cum extra Romanam curiam examen instructio sive inquisitio facienda erit, nemo omnino cuiuscunque status, gradus conditionisve fuerit, inquisitionem praedictam sibi arrogare praesumat, sed integrum hoc negotium iis, qui a praedicto Concilio Tridentino designantur, apostolicae videlicet sedis legatis seu nunciis provinciarum aut eius, de quo inquisitio fit, ordinario, eoque deficiente ordinariis vicinioribus relinquatur, nisi iustis de causis Nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod si forte aliquis praedictorum consanguinitate aut affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contingeret, ut omnis suspicio carnalis affectus a tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus atque ad eum, qui proxime sequitur, hoc est si legatus excludendus erit, ad nuncium, si nuncius ad ordinarium, si ordinarius ad viciniorem ordinarium, inquisitionis officium deferatur.

§. 6. In curia vero haec functio spectet vel ad eos cardinales, qui a Nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice deligentur, vel ad cardinales earum provinciarum seu regnorum apud Nos et sedem apostolicam protectores, in quibus ecclesiae ipsae consistunt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium ecclesiarum relatio pertinebit; quod si de episcopo vel metropolitano extra Romanam curiam degente ab una ecclesia ad aliam ex aliqua gravi et iusta causa transferendo agetur, hoc munus deficientibus legato vel nuncio apostolico eius provinciae aut regni, ubi ecclesia ipsa, a qua transfertur, sita erit, ad metropolitanum si episcopus, ad suffraganeum vero antiquiorem residentem si metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus.

§. 7. Deinde, quia sacrum Tridentinum Concilium non sine magna ratione eminentes personas et quae negotii magnitudinem probe intelligerent, ad hoc officium nominavit, declaramus et statuimus, tam legatos sive nuncios, quam ordinarios vel alios ab hac sancta sede forte delegandos non per auditores aut vicarios aliosve ministros, sed per se ipsos inquirendi munus exercere debere, quamvis ab huiusmodi personis aliisque viris peritis adiuvari possint. Et si praelatus inquirens per se non posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquem ut legitimos natales vel aetatem aut aliquid eiusmodi, licebit ei articulum illum alteri personae in dignitate ecclesiastica constitutae subdelegare, non autem universam inquisitionem. Quod si forte contingat, aliquem supradictorum legitime impediri, ut per se hoc munus praestare non possit, ad alios ea cura transferetur, qui sunt ab eodem Concilio Tridentino ad hoc officium designati, ut supra dictum est de iis, qui ob consanguinitatem vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad haec, ut mens eiusdem sacri Concilii recte ac fideliter debitae executioni mandetur, et tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac statuimus, non esse in vita ac doctrina promovendi investiganda eam rationem adhibendam, ut ab ipso promovendo articuli offerantur ac testes producantur, sed oportere, ut praelatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat atque ipse ex officio suo illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verum, ut inquisitio prae-

dicta facilius ac plenius perfici atque expediri queat, utile erit, si praelatus, qui inquisitionem facturus est, vel a promovendo vel ab alio aliquo confici curet schedulam, in qua sint ordine descripta nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca, in quibus aut theologiae vel iuri canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tam ipsum quam parentes eius intime norint. Quodsi promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius aetas, gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia munerague aut aliquid eiusmodi comprobetur, admittendum ac processui inserendum erit, modo documentum publicum seu authenticum fuerit.

§. 8. Illud quoque prohibendum censuimus ac expresse prohibemus, ne ad testimonium dicendum de fide catholica, vita, moribus, doctrina atque aptitudine ad regendam ecclesiam quilibet homines admittantur; sed viri tantum graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promovendorum rectum iudicium ferre valeant ac, ut supra diximus, sincerum ac fidele testimonium dare velint. Proinde tam cognati ac nimium familiares quam inimici atque aemuli excludendi erunt. Porro testes eiusmodi praelatus, qui examen seu inquisitionem habiturus erit, seorsum ac sigillatim examinabit; et si quando iudicaverit expedire, eis ad memoriam reducet tum iuramenti vim, tum periurii gravitatem; eosdem etiam serio et graviter admonebit, ipsos reos futuros apud omnipotentem Deum eorum omnium, quorum vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando vel reticendo vera in causa erunt, ut homines indigni vel minus idonei eiusmodi ecclesiis praeficiantur. Diligenter etiam testium qualitates cognoscere studebit ac potissimum, quam sint ad promovendos affecti, ut inde coniiciat, utrum ex affectu an ex veritate testimonium dicant. Denique cum testes de qualitatibus promovendi interrogabit, dabit operam, ut, quoad fieri poterit, omnia et singula, quae ad praedictam inquisitionem facere videbuntur, per ipsos exprimantur.

§. 9. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, quae in generalium synodorum decretis aliisque canonicis sanctionibus continentur, probe cognitae esse debeant iis, quibus inquisitionis officium demandatum est, quales sunt: natum esse ex legitimo matrimonio atque ex parentibus catholicis, annum trigesimum iam explevisse, sacris ordinibus saltem ante sex menses initiatum esse, gradum doctoratus aut licentiae in theologia vel iure canonico aut certe publicum alicuius academiae testimonium obtinuisse, quo ad alios docendos idoneus esse declaretur, ad haec in ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, item fidei puritate, innocentia vitae, prudentia, usu rerum, integra fama, doctrina denique praeditum esse; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent et saepe contingit, ut nonnulli scientia vacui de solo doctoris titulo aut privilegio glorientur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel doctoratus aut licentiae titulis et privilegiis gaudent vel etiam a publicis academiis testimonium habuerunt, quod idonei essent ad alios docendos, nisi forte aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita vero inquisitio facienda erit, ut, quibus in locis, quanto tempore et quo fructu theologiae vel iuri canonico promovendus operam dederit, cognoscatur. Et quoniam in quibusdam provinciis nulla sunt studia generalia neque ullae publicae scholae, neque usus habet, ut, qui studiis operam navant, ullis doctoratus aut licentiae insignibus decorentur, declaramus, in eiusmodi locis sufficere, si testimonio virorum gravium et sacrae theologiae vel iuris canonici peritorum constet, promovendos ea scientia theologiae vel canonum vere pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quae populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere. Testes praeterea deponant, se de scientia promovendorum certos redditos esse ex eo, quod praedictos promovendos specimen suae doctrinae publice vel privatim dedisse cognoverint. Quod autem ad regulares pertinet, cum ad ecclesias cathedrales promovendi fuerint, ne fraus ulla subrepere possit in eo, quod idem Tridentinum Concilium statuit, ut regulares a suis superioribus sufficientis doctrinae testimonium habeant, declaramus, nomine superiorum eos duntaxat intelligendos esse, qui nullum sui ordinis superiorem agnoscunt, sive ii cuiusvis ordinis abbates, magistri aut ministri, praepositi generales, aut quarumlibet congregationum praesidentes, sive definitores aut visitatores capitulum generale repraesentantes, sive alii quocumque vocabulo nominentur et in eorum absentia ipsorum vicarii seu commissarii generales, vel in Romana curia procuratores ordinum aut congregationum generales in

hac parte succedant. Et nihilominus praeter superiorum testimonium, qui fidem facient, eiusmodi regulares ad alios docendos idoneos esse, volumus ea servari, quae de iis diximus, qui publicum suae doctrinae ab aliqua academia testimonium habent, ut videlicet serio inquiratur, an regulares ad cathedrales ecclesias promovendi eos progressus in studiis fecerint, qui in futuro antistite requiruntur.

§. 10. Post inquisitionem vero de fide, vita, moribus, doctrina et prudentia promovendi, nec non informationem de statu ecclesiae aliisque necessariis rebus, quae pariter coram superius expressis praelatis iuxta eiusdem Concilii decreta fieri debet, professio fidei catholicae a promovendo facienda erit; quam quidem ab eo duntaxat recipiendam esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit, nisi forte qui professionem emissurus est a praelato inquirente longe distet; tunc enim is praelatus ex subdelegatione inquirentis professionem admittere debebit, cui promovendus vicinior erit; quod idem intelligatur de informatione de statu ecclesiae accipienda, si quando contingeret, ut in alia provincia sive regno esset ecclesia, in alio promovendus. Recipiet autem praelatus professionem promovendi praesente notario publico ac testibus, atque eam a se admissam ac receptam propriae manus subscriptione testabitur. Is quoque, qui professionem eiusmodi fecerit, in eo loco, ubi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribet. Denique his peractis notarius publico instrumento fidem faciet de professione praedicta adhibitis testibus ut praefertur. Ubi vero totum examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac professione fidei emissa ad hanc sanctam sedem, ut Concilium statuit, quam primum clausa et obsignata in forma authentica transmittenda erit. In qua re observari volumus, ut professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quae in ea forma continentur, quam felicis recordationis Pius Papa IV. praedecessor Nostrer statuit observandam, et ut praeiatus, qui instructionem, examen et inquisitionem fecit, vel per litteras separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet; quanta fides testibus examinatis eorumque dictis et scripturis productis suo iudicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

§. 11. Processus autem sic formati et ad curiam transmissi a cardinale, cui proponendi munus incumbit, et a tribus prioribus ordinum cardinalibus, ut moris est, iuxta formam Concilii praedicti subscribentur et expedientur. Volumus autem, ut cardinalis relator moneat promovendum, si praesens in curia fuerit, ut iuxta concilium Lateranen. novissime celebratum omnes cardinales sive maiorem partem collegii adeat, antequam ecclesiam proponat, ut quae a referente collega sint audituri, oculata fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint.

§. 12. Haec porro omnia, quae de promovendis ad ecclesias cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere atque in eorum promotione servanda esse declaramus et decernimus, qui nominati, praesentati aut electi fuerint ad dignitates abbatiales ac prioratus seu praepositatus, monasteriorum regimina aut alias regularium cuiusvis ordinis aut etiam saecularium praefecturas, de quibus concistorialiter provideri contigerit; atque eos praesertim, quibus praeter curam et regimen monachorum aut canonicorum clericorumque, regularium vel saecularium, annexa est in populum iurisdictio spiritualis vel temporalis, excepta tamen aetate, circa quam nihil innovamus.

§. 13. Quo vero ad doctrinam, cum generalia concilia non statuant, ut personae promovendae ad regulares dignitates doctoratus sive licentiae gradum suscipere vel publicum testimonium ab academia aliqua habere teneantur, et tamen aequum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant, declaramus et statuimus, ut praelati, qui inquirendi munus suscepturi sunt, studiose ac diligenter inquirant super doctrina eiusmodi personarum iuxta modum et formam superius praescriptam, ut Nos et pro tempore futuri Romani Pontifices habita de illis vera informatione per processum, qui ab inquirente transmittetur, certo statuere ac iudicare possimus, an persona promovenda vere sit talis, qualem dignitas illa, ad quam provehenda est, exigit, et requirit.

§. 14. Hortamur vero in visceribus Domini nostri Iesu Christi ac paterna caritate monemus eos omnes, qui ab hac sancta sede nominandi, praesentandi vel etiam eligendi futuros episcopos vel abbates ius habent, ut serio apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negotium, ex quo salus animarum, tranquillitas reipublicae, incolumitas religionis, propagatio fidei alia-

què permulta et maxima bona dependent. Illud etiam saepe et saepius ad mentem revocent, quod sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint. De nominandis vero, praesentandis vel eligendis ad regulares dignitates praeter ea, quae superius observanda esse declaramus, illud quoque paternis his nostris hortationibus et monitionibus adiiciendum censuimus, ut nominationis, praesentationis vel electionis ius habentes eos deligere studeant atque omnino conentur, qui non modo eundem ordinem sint ante professi, sed in eodem etiam satis diu laudabiliter versati; neque enim decet, ut magistri aliorum esse incipiant qui non fuerint ante discipuli, et subditis imperare praesumant qui prius non didicerint superioribus obedire.

§. 15. Eos denique, qui vel examinando et inquirendo vel testimonium ferendo operam suam in hac re praestabunt, serio admonemus, ut ea fide ac diligentia in negotio tanti momenti versentur, ut a Deo et a Nobis laudem pro bono opere expectare valeant.

Nulli ergo etc.

Datum Romae in monte Quirinali anno incarn. Dom. MDXCI. Id. Maii Pontif. Nostri anno I.

(Bull. Rom. Tom. V. P. I.)

V.

INSTRUCTIO PARTICULARIS

Circa conficiendos processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimina cathedralium, aut aliarum superiorum ecclesiarum, vel monasteriorum, ut in dictis processibus conficiendis serventur sacri canones, Concilium Tridentinum et constitutio Gregorii Papae XIV. super forma huiusmodi processuum conficiendorum.

Circa personas ad quas spectat dictos processus conficere.

Si processus inquisitionis conficiendus sit extra Romanam curiam, hoc munus spectat ad legatos sedis apostolicae vel ad nuncios provinciarum in locis, in quibus commorantur; si non adsint legati neque nuncii, spectat ad ordinarios personarum promovendarum, et ipsis deficientibus ad ordinarios viciniores: qui ordo gradatim servandus est, nec quisquam debet sibi hoc munus arrogare praeter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri illud demandare placuerit. Quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus.

Si aliquis ex praelatis, ad quem ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illum, qui proxime sequitur, servato eodem ordine et gradu.

Si quis etiam sit legitime impeditus, ut per se ipsum processum conficere non possit, et ea adimplere, quae continentur in §. infrascripto, qui incipit *Quicunque confecturus est*, ea cura transferatur eodem ordine et gradu ad alium praelatum viciniorem praelato impedito.

Si processus sit conficiendus in Romana curia, videndum est, an ecclesia vel monasterium, cui est providendum, sit ad nominationem, vel praesentationem imperatoris, vel alicuius regis aut principis; quo casu munus conficiendi processum in curia spectat ad Cardinalem, qui apud Pontificem et sedem apost. est protector illius provinciae, in qua sita est ecclesia vel monasterium.

Quodsi ecclesia vel monasterium non sit ad nominationem aut praesentationem, ut praemittitur, processus conficiendus erit per Cardinalem a Romano Pontifice deligendum, qui de huiusmodi deputatione curabit aliquid apparere, vel saltem vigore suae assertionis aliquid narrari a notario in principio processus.

Quando contingat processum confici debere de qualitatibus archiepiscopi vel episcopi extra Romanam curiam degentis, qui ab una ad alteram ecclesiam sit transferendus, hoc munus, deficiente legato vel nuncio apostolico illius provinciae vel re-

gni, ubi sita est ecclesia, a qua aliquis transferendus erit, spectat ad metropolitanum, si persona transferenda est episcopus, si vero est metropolitanus, spectat ad episcopum suum suffraganeum antiquiorem residentem.

Si praelatus inquirens ob locorum distantiam non posset commode per se ipsum testes examinare super aliquo articulo, ut puta, super legitimis natalibus, aetate aut aliquo eiusmodi, licebit ei partem illam alteri personae in dignitate ecclesiastica constitutae subdelegare, non autem universam inquisitionem.

Quoad processus conficiendos pro habenda informatione status ecclesiarum vel monasteriorum, quibus providendum erit, hoc etiam conficere debeant iidem praelati, qui processum de qualitatibus promovendorum confecturi sunt. Si vero contingat in alia provincia vel regno esse ecclesiam et in alia promovendum, tunc praelatus inquirens poterit subdelegare episcopo, qui erit vicinior ipsi ecclesiae vel monasterio, munus conficiendi processum super statu dictae ecclesiae vel monasterii.

Quomodo conficiendi sint processus, ut dici possint et videantur confecti per viam inquisitionis.

Quicunque confecturus est processum inquisitionis in qualitate promovendi, etiamsi sit legatus, non per suos vicarios, auditores vel alios ministros, sed per se ipsum id munus exercere debet, licet possit ab huiusmodi personis vel aliis viris peritis adiuvari. Haec autem in specie servanda sunt.

Non recipiantur testes a promovendo vel pro parte sua inducti, neque articuli ab ipso vel nomine suo producti, sed praelatus inquirens interrogatoria seu articulos per se ipsum formatos habeat et super eis examinet testes, quos de rebus inquirendis sincerum et fidele testimonium daturos esse existimet. Ipse ex officio suo secreto vocari mandet et secreto examinet, ipsemet recipiat in manibus suis singulorum testium iuramentum, quod ab episcopis praestetur tacto pectore, a ceteris vero inferioribus cuiuscunque qualitatis sint tactis sacris scripturis; et ita respective referat notarius processum scripturus, qui etiam asserat, testem fuisse ex officio vocatum et examinatum a praelato inquirente. Insuper praelatus ipse testes interroget super unoquoque articulo; ipsorum autem testium dicta una cum reliquis hoc negotium tangentibus scribat aliquis notarius publicus, qui debebit etiam tam dicta testium quam scripturas et documenta producenda, ut inferius dicetur, in processum et in publicum instrumentum reducere. Articuli autem et interrogatoria inferius describentur.

Circa qualitates testium vocandorum et examinandorum quoad personam promovendi.

Testes sint viri graves, pii, prudentes, docti, et qui de qualitatibus promovendorum rectum iudicium ferre valeant, sincerumque ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi; praesertim vero huiusmodi qualitates esse debent in testibus, qui interrogandi erunt de fide catholica, vita, moribus, doctrina et aptitudine promovendi ad regendam ecclesiam. Scire enim debent ipsi testes, quae requirantur in eo, qui recturus est ecclesiam cathedralem, ad hoc ut sit idoneus ad alios docendos, aptus ad illam gubernandam et dignus, qui ad illam promoveatur.

Non sunt recipiendi in testes cognati vel nimium familiares aut inimici sive aemuli personae promovendae.

In vestigandis testium qualitatibus adhibenda est diligentia per praelatum inquirentem, ut cognoscere possit, quam sint erga promovendum affecti exindeque conicere, utrum ex affectu an ex veritate testimonium dicant.

Si aliquando praelato inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memoriam reducet vim iuramenti et gravitatem periurii, admonebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando vel reticendo vera causa erunt, ut homines indigni vel minus idonei ecclesiis praeficiantur.

Quomodo praelatus inquirens procedere possit per viam inquisitionis, quando non habet notitiam personae promovendae.

Si contingat praelatum inquirentem non habere sufficientem notitiam personae promovendae ad hoc, ut possit deligere et vocare testes ex officio absque scientia ipsius promovendi, et secreto poterit curare, ut ipsemet promovendus vel aliquis alius vel ei schedulam, in qua sint ordine descripta nomen dicti promovendi, cognomen, patria, aetas, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam forte exercuit, loca, in quibus theologiae vel iuri

canonico operam dederit aut longo tempore versatus fuerit, amici et familiares aliaeve personae, quae tam ipsum quam parentes eius intime norint.

Cum autem huiusmodi schedula petenda sit tantummodo ad habendam quandam extraiudicialem notitiam eorum, quae praelatum inquirentem scire oportet pro inquisitione facienda, non debebit ipsa schedula inseri processui neque de ea aliqua mentio in dicto processu fieri, sed ad partem servari, donec inquisitio perficiatur, et ea perfecta poterit lacerari, si praelato videbitur.

Interrogatoria, quae necessaria sunt ad inquirendum omnes qualitates, quae in promovendis requiruntur.

1. An testis cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, aemulus vel odiosus?

2. An sciat, in qua civitate vel loco et dioecesi promovendus sit natus, et quae sit causa scientiae?

3. An sciat, ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis et catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae?

4. An sciat, cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum 30., et quae sit causa scientiae?

5. An sciat, eum esse in sacris ordinibus constitutum, quibus, a quo tempore citra, praesertim ab ante sex menses, et quae sit causa scientiae?

6. An sciat, eum esse in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione sacramentorum frequentem et devotum, et quae sit causa scientiae?

7. An sciat, eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae?

8. An sciat, eum praeditum esse innocentia vitae bonisque moribus, et an sit bonae conversationis et famae, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, et quae sit causa scientiae?

10. An sciat eum aliquo gradu in iure canonico vel in sacra theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore et quo fructu ipse theologiae vel iuri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

11. An sciat eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum aut regimen alterius ecclesiae se exercuisse, et quomodo in eis se gesserit tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae sit causa scientiae?

12. An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad ecclesiam cathedralem promoveri, et quae sit causa scientiae?

13. An eum idoneum existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem et praesertim eam, ad quam ipse est promovendus, an dignum, qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem ecclesiae utilem et proficuam futuram esse censeat, et quare ita existimet?

Depositiones testium seriatim et per extensum scribantur neque praecise affirmationes seu negationes tantummodo admittantur.

Quae requiruntur ad perfectam inquisitionem praeter ea, quae ex testibus habebuntur.

Quoad sacros ordines petendae sunt a promovendo, et processui inserendae originales bullae vel litterae testimoniales collationum ipsorum ordinum vel saltem eorum exemplaria in forma authentica, praesertim si testes in sufficienti numero non deposuerint, se non modo vidisse eum cantantem epistolam et evangelium vel celebrantem, sed etiam legisse dictas bullas vel litteras testimoniales, vel interfuisse collationibus ordinum ei collatorum.

Quoad gradum similiter inserendum est processui privilegium originale vel eius exemplar in authentica forma.

Si praelato inquirenti vel promovendo videbitur, processui etiam adiungantur aliqua brevia, litterae patentes vel aliae scripturae aut publica documenta, quibus maior aut melior probatio habeatur de natalibus et functionibus promovendi vel aliud eiusmodi, praesertim si testes circa ea sufficienter et plene non deposuerint, recipiantur et adiungantur.

Si forte promovendus nullum habet gradum in sacra theologia vel in iure canonico, necesse est, ut praeter probationem aliunde habendam circa eius doctrinam iuxta praeinsertum decimum interrogatorium pro parte promovendi exhibeatur publicum alicuius academiae testimonium, quo idoneus esse declaratur ad alios

docendos, quae populum Christianum scire oportet. Persona promovendi enuntietur hac nota, videlicet si sit praelatus: « admodum Rev. P. », si vero non sit: « Rev. N. N. » Promovendus nunquam vocetur electus, neque ipse se talem vel nominet vel scribat, nisi ubi praecesserit electio capituli aut conventus.

Quid servandum quoad probationem doctrinae, quando promovendi orti sunt in provinciis, in quibus non sunt universitates studiorum neque consuetum est suscipi gradum aliquem.

In huiusmodi locis et personis sufficiet, si testimonio virorum gravium et sacrae theologiae vel iuris canonici peritorum constet, promovendos ea scientia theologiae vel canonum vere pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quae populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere. Ideo formandum erit interrogatorium ad hunc sensum, iuxta quod si testes deposuerint, se de scientia promovendorum certos redditos esse ex eo, quod praedictos promovendos specimen suae doctrinae publice vel privatim dedisse cognoverint, hoc modo sufficiens causa scientiae dici poterit; alias non plene probabunt doctrinam ad mentem supradictae const. Gregorii XIV.

Quid servandum, si promovendus sit regularis.

Omnia quae servari debent in promovendo ad ecclesiam cathedralem, si sit saecularis, servanda etiam sunt, si sit regularis.

Sed quia regulares non solent ut plurimum suscipere insignia doctoratus in universitatibus studiorum, necesse est iuxta decr. Conc. Trid., ut promovendus regularis a suis superioribus regularibus testimonium habeat sufficientis doctrinae, et quod sit aptus ad alios docendos. Nomine autem superiorum intelligendi sunt duntaxat, qui nullum sui ordinis superiorem agnoscunt, sive ii cuiusvis ordinis abbates, magistri, ministri, aut praepositi generales, vel quarumlibet congregationum praesidentes sive definitores aut visitatores, capitulum generale repraesentantes, sive alio quocunque vocabulo nuncupentur; et in eorum absentia ipsorum vicarii seu commissarii generales, vel in Romana curia procuratores generales, ordinum aut congregationum succedunt.

Animadvertendum tamen, quod praeter suprascriptum superiorum testimonium est etiam aliunde inquirendum in huiusmodi regularium doctrinam, quemadmodum dictum est de saeculari, qui habet suae doctrinae testimonium a publica aliqua academia.

Quid servandum in translatione alicuius episcopi ad alteram ecclesiam.

Servanda est eadem forma inquirendi ex officio, quae superius dicta est.

Si episcopus transferendus promotus fuit post publicationem Conc. Trid., et constat in processu tunc temporis confecto, plene probata esse omnia requisita, sufficiet inquirere et testes examinare super infrascriptis articulis; si vero non constet de huiusmodi probatione in totum vel in partem, expediens erit testes examinare super omnibus articulis superius descriptis, vel saltem super illis, de quorum probatione non constiterit, at praeterea super articulis sequentibus erunt utroque casu omnino examinandi testes, et de contentis in eis facienda inquisitio ex officio, videlicet:

1. An testis cognoscat episcopum transferendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

2. An sciat ipsum consecrationis munus suscepisse, et quae sit causa scientiae?

3. An sciat, per quot annos fuerit episcopus illius ecclesiae, et quae sit causa scientiae?

4. An sciat eum in sua ecclesia et dioecesi assidue resedisse?

5. An sciat, eum diligenter et saepe dictam suam ecclesiam et dioecesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse et providisse eiusque decreta et mandata debitae executioni demandari curasse, et quae sit causa scientiae?

6. An sciat, eum saepe solemniter celebrasse, ordinationes iuxta necessitatum exigentiam habuisse, confirmationis sacramentum ministrasse ceteraque pontificalia exercuisse, et quae sit causa scientiae?

7. An sciat, eum pietatis, caritatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse, ac verbo, et exemplo profecisse, et quae sit causa scientiae?

8. An sciat eum prudenter ubilibet et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis et augendis iurisdictionibus spi-

rituali et temporali, iuribus ac bonis omnibus suae ecclesiae, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat vere ea doctrina ipsum ad praesens pollere, quae in episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

10. An dignum eum existimet, qui transferatur ad ecclesiam N., et an censeat eius translationem fore ipsi ecclesiae N. utilem et proficuam, et quare ita existimet et censeat?

Quid servandum circa inquisitionem faciendam in qualitates eorum, qui in concistorio promovendi sunt, vel confirmandi ad dignitates abbatiales et prioratus et regimina monasteriorum vel alias regularium praefecturas.

Eadem omnia servanda sunt, quae dictum est servari debere in promovendis ad ecclesias cathedrales, praesertim quando praeter curam et regimen monasteriorum annexa est monasterio iurisdictio spiritualis vel temporalis in populum.

Ideo super iisdem interrogatoriis examinandi sunt testes, mutatis tamen mutandis, respectu ecclesiae cathedralis et respectu monasterii vel dignitatis regularis.

Addatur interrogatorium circa professionem ordinis et tempus, quo eam emisit. Circa vero aetatem sufficiat interrogare et scire, cuius aetatis sit, non restringendo se ad trigesimum annum expletum; postea enim videbitur, an in huiusmodi promovendo sit aetas legitima respectu dignitatis, ad quam promoveri debet.

Quoad doctrinam, cum promovendi ad huiusmodi dignitates regulares non sint per concilia generalia adstricti ad gradum doctoratus sive licentiae vel ad publicae academiae testimonium, et nihilominus aequum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant: praelati inquirentes studiose ac diligenter inquirere debebunt super doctrina eiusmodi personarum iuxta modum et formam superius notatam, ut Romanus Pontifex habita informatione, quaenam sit promovendi doctrina iudicare possit, an sit talis, qualem dignitas illa exigit et requirit.

Circa fidei professionem emittendam a promovendis tam ad ecclesias cathedrales quam ad dignitates regulares.

Fidei professio debet emitti in manibus praelati, ad quem inquisitio (servato ordine superius dicto) pertinet, a quo si promovendus longe distet, poterit idem praelatus subdelegare receptionem dictae professionis ordinario, cui promovendus vicinior erit.

Praelatus recipiet professionem fidei a promovendo, praesente notario publico ac testibus, ipse autem promovendus eam emittet genibus flexis ante praelatum et in fine tangendo ambabus manibus sacrosancta evangelia, et spondendo, vovendo ac iurando, prout in forma, ea deosculabitur.

Profitens duobus in locis, in quibus nomen et cognomen suum exprimendum erit, ea duntaxat sua propria manu adscribet.

Praelatus propriae etiam manus subscriptione in fine exemplaris dictae professionis testabitur, eam a se receptam fuisse sub hac forma: Ego N. fidei professionem iuxta suprascriptam formam a R. P. D. N. in manibus meis ad verbum emissam recepi, et ita testor manu propria.

Dominus notarius, qui praesens fuit, publico instrumento in calce eiusdem exemplaris immediate post subscriptionem praelati inquirentis extenso fidem faciet de praedictae professionis emissione ac receptione praesentibus testibus, quorum nomina et cognomina exprimet.

Maxime cavendum est, ut exemplaria professionis fidei transmittantur absque mendis, ne levibus quidem, cum nec in minimis liceat immutare formam a sede apostolica praescriptam, nimisque non modo notarii scribentis, sed etiam praecipue praelati inquirentis incuria circa hoc notetur in sacro concistorio, quando in eo fit relatio processus et mendorum in professione fidei repertorum; cum necesse sit, ea etiam nominatim referre. Ideo expediens erit ad tollendam occasionem errorum provenientium ex incuria scribentis, ut ubique imprimantur exemplaria iuxta formam Romae impressam, et maxima diligentia adhibeatur, ne mendose imprimantur. Cum vero transmittenda sunt instrumenta professionis fidei, haec ipsa subscribantur a profitente et a praelato inquirente, et in eisdem notarius extendat instrumentum, prout dictum est.

Interrogatoria pro habenda informatione status ecclesiae.

1. An testis sciat, in qua provincia sita sit civitas N. cuius situs, qualitatis et magnitudinis sit, quot confletur domibus et a quot Christi fidelibus inhabitetur, cuius

dominio in temporalibus subiaceat, et quae sit causa scientiae?

2. An sciat in illa civitate esse ecclesiam cathedralem vel metropolitanam, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

3. Si est ecclesia archiepiscopalis, an sciat, quot episcopos suffraganeos habeat et qui sint: si est episcopalis, an sciat, cui archiepiscopo sit suffraganea, et quae sit causa scientiae?

—

4. Quot et quales sint in dicta ecclesia dignitates et canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium presbyterorum et clericorum inibi in divinis inservientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, quales sint reditus dignitatum canonicatuum et aliorum beneficiorum, et an adsint praebenda theologalis et poenitentiaria, et quae sit causa scientiae?

5. An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismalis, et quae sit causa scientiae?

6. An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra supellectili ceterisque rebus ad divinum cultum et etiam ad pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis et coemeterium, et quae sit causa scientiae?

7. An sint in ea corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae?

8. An habeat domum pro archiepiscopi vel episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distet ab ecclesia et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat verum valorem redituum mensae archiepiscopalis vel episcopalis, ad quam summam annuatim ascendat, in quibus consistant, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dicta pensio sit reservata, et quae sit causa scientiae?

10. Quot existant in illa civitate ecclesiae parochiales et an unaquaeque habeat fontem baptismalem, quot item in illa existant collegiatae, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quae sit causa scientiae?

11. Quantum sit ampla dioecesis, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae?

12. An in ea erectum sit seminarium, quot in ea pueri alantur, et quae sit causa scientiae?

13. An ipsa ecclesia vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

De statu ecclesiarum quae sunt in partibus infidelium, quantum fieri poterit, diligens examen instituatur neque admittantur tituli in provinciali non descripti, vel qui in scripturis Sacri Collegii non reperiuntur.

Interrogatoria pro habenda informatione status alicuius monasterii.

1. Primo, in qua provincia et dioecesi sit monasterium, et quae sit causa scientiae?

2. Cuius ordinis sit, et quae sit causa scientiae?

3. Quis sit numerus monachorum et quis eos tanquam caput regere consueverit, et quae sit causa scientiae?

4. Sub qua invocatione sit ecclesia ipsius monasterii, cuius structurae et qualitatis; an indigeat reparatione, et quae sit causa scientiae?

5. Qui sint reditus mensae abbatialis vel prioralis, qui reditus mensae conventualis, et quae sit causa scientiae.

6. An monasterium habeat aliquam iurisdictionem temporalem aut spiritualem, quam et in quos, et quae sit causa scientiae?

7. An habeat curam animarum, per quem haec exerceatur, et quae sit causa scientiae?

8. An vacet, quomodo et a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

Quid agendum perfecta inquisitione.

Cum totum examen seu inquisitio de persona promovenda et informatio de statu ecclesiae seu monasterii perfectae fuerint, notarius eas una cum scripturis et documentis publicis et authenticis ac professione fidei in instrumentum publicum rediget.

Si processus inquisitionis confectus fuerit extra Rom. curiam praelatus, qui eum confecerit, ad Pontificem clausum et obsignatum transmittet, si ecclesia vel monasteria non sint ad nominationem vel praesentationem imperatoris vel alicuius regis; si vero de huiusmodi nominatione vel praesentatione, transmittet processum ad cardinalem illius regni vel provinciae protectorem, in qua est ecclesia vel monasterium providendum.

Ipse autem praelatus vel per litteras separatas simul tamen cum processu mittendas vel per subscriptionem huiusmodi

processus significabit, quanta fides testibus examinatis eorumque dictis et scripturis productis suo iudicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

Processus sic formatus et transmissus primum a cardinale, cui illum in concistorio referendi munus incumbet, deinde a tribus cardinalibus prioribus ordinum subscribetur, et postea fiet relatio in concistorio.

Cardinalis relator monere debet promovendum, si praesens in curia sit, ut iuxta Conc. Lateranen. novissime celebratum omnes Cardinales vel maiorem partem collegii adeat, antequam ecclesia vel monasterium proponatur, ut quae a referente collega sunt audituri oculata fide, quantum ad personam ipsius promovendi attinet, cognoscere possint.

Sub Urbano VIII. Papa publicata anno 1627. (Bull. Rom. T. VI. P. I.)

VI.

Benedicti XIV. epistola *In postremo* ad electum episcopum Iustinopolitanum scripta, qua ad quaestionem: An electi, qui a Pontifice presbyter ordinatus fuerat, in episcopum consecratio ab ipso Pontifice vel ex speciali delegatione agenda sit, respondetur, et ius consecrandi in universum Pontifici vindicatur, dat. d. 20. Oct. MDCCLVI. (Bull. Bened. T. IV.)

VII.

Ad Sess. XIV. c. 5. de poen.

Clementis VIII. Decretum *Sanctissimus Dominus*, quo cavetur per nuncium litterasve confiteri neminem posse, et absolutionem sic obtentam esse nullam, dat. 2. Iul. MDCII. (Bull. Rom. T. V. P. 1.)

VIII.

Benedicti XIV. Const. *Suprema*, qua caveturne confessarii sociorum in crimine a poenitentibus nomina exquirant, dat. 7. Iul. MDCCXLV. quae confirmatur et ampliatur in const. *Ubi primum*, dat. IV. Non. Iun. MDCCXLVI. et in const. *Ad eradicandum*, dat. IV. Kal. Oct. MDCCXLVI. (Bull. Bened. T. II.)

IX.

Clementis XIII. Const., qua Bonifacii VIII., Gregorii XV. et Innocentii X. const. de conservatoribus confirmantur, adiecta declaratione, quod superiores regularium temporarii eligi in conservatores non possint, neque a regularibus in missionibus in partibus infidelium degentibus eligi valeant iudices conservatores, dat. IX. Kal. Mai. MDCCLXII. (Bull. Rom. Cont. ed. Barbéri T. II.)

X.

Ad Sess. XIV. c. 6. XXIII. 6. 17.

Sixti V. Const. de habitu et tonsura clericorum et militum beneficia ecclesiastica obtinentium, dat. V. Id. Ian. MDLXXXIX. (Bull. Rom. T. V. P. I.)

XI.

Ad Sess. XIV. c. 7.

Sixti V. Const. *Effraenatam*, qua decretum conc. Trid. contra homicidarum voluntariorum ordinationem directum ad abortum procurantes extenditur, dat. Rom. IV. Kal. Nov. MDLXXXVIII., quam ad foetum animatum Gregorius XIV. in const. *Sedes apostolica* d. prid. Kal. Iun. MDXCI. restrinxit. (Bull. Rom. T. V. P. 1.)

XII.

Ad Sess. XIV. c. 11.

Pii V. Const. *Quaecunque,* qua privilegia et indulta decreto Concilii contraria tolluntur, dat. prid. Id. Oct. MDLXIX. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

XIII.

Ad Sess. XXI. c. 1.

Pii V. Const. *Durum nimis,* qua prohibetur ne in collatione aliave provisione beneficiorum, sive ad illorum possessionem admissione, quicquam exigatur vel petatur, dat. Kal. Iun. MDLXX. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

XIV.

Ad Sess. XXI. c. 2.

PIUS EPISCOPUS (V.) S. S. DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor et interpres illa, quae in huiusmodi Conciliis a prudentibus Patribus, in Spiritu sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, cum aequitas, honestas, et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane cum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, a sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus saecularis, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere, vel alias ordinari non posse, nisi iuxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem. Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, (uti moleste accepimus,) certorum ordinum religiosi, seu canonici, vel clerici, intra claustra monasteriorum, seu domorum more regularium in communi viventes, qui nunquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire, vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, religionis praetextu absque titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad sacros ordines se promoveri praetendunt, et a nonnullis episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti, et a claustro exeuntes, et per saeculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac ordinis vilipendio, et quamplurimorum Christi fidelium scandalo cogantur. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus (quantum in nobis est,) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiuscunque ordinis clericos religiosos, sive saeculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac religiosis, et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri, nec non omnibus, et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, et episcopis gratiam, et communionem sedis apostolicae habentibus, ut ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, non valeant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum, ipso iure suspendimus. Statuentes et decernentes, promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae, illis ab Apostolica Sede, vel illarum superioribus, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, et

praeeminentiae existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu factas, executione praedictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus et irritas existere, sicque promotas personas in Altaris ministerio ministrare non posse, quinimo ministrantes privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis Clericis concessis omnino privari, et irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice, vel in mortis articulo minime absolvi possint. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis monasteriorum et ordinum, etiam iuramento, et confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, et consuetudinibus, et privilegiis, atque indultis, et litteris apostolicis, illis, illorumque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, restitutivis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exequuta forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas datas, et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Et ut praesentes litterae ad omnium notitiam perveniant, neve quis illarum ignorantia excusari possit, volumus, et apostolica auctoritate decernimus, praesentes litteras ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, et cancellariae apostolicae, ac in acie campi Florae publicari, et earum exempla affigi et imprimi, illarumque exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici, et sigillo praelati ecclesiastici, vel eius curiae obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae extensionis, ampliationis, interdicti, prohibitionis, suppositionis, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1568. pridie Idus Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

Caes. Glorierius.
H. Cumyn.
Registrata apud Caesarem Secretarium.

Anno a Nat: Dom: 1568. Indict: 15. die vero 12. mensis novemb: Pontific: Sanct: in Christo Patris, et D. N. D. Pii, Divina provid: Papae V. anno tertio, retroscriptae literae apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie campi Florae, dimissis in superius expressis locis praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium affixis, et deinde, ut moris est, amotis per nos Thomam Gallarum, et Iulium Parinum, praelibati sanctiss: D. N. Pii Papae V. ac S. Sedis Apostolicae Cursores.

Christianus de Monte,
Magister Cursorum.

XV.

Ad Sess. XXII. de observ. et evit. in cel. miss.

Pii V. Decretum *Sanctissimus*, qua inhibetur, ne missae vespertino tempore deinceps celebrentur, d. 29. Mart. MDLXVI. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

XVI.

Benedicti XIV. Const. *Quanta cura*, qua mercimonia super eleemosynis missarum sub poena censurarum interdicitur et absolutio S. Pontifici reservatur, dat. 30. Iun. MDCCXLI. (Bull. Bened. T. I.)

XVII.

BENEDICTI XIV. litterae *Declarasti* ad episcopum Oscensem directae super celebratione duarum missarum eodem die per unum sacerdotem. dat. 16. Mart. MDCCXLVI. (Bull. Bened. T. II.)

XVIII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS CUNCTISQUE LOCORUM ORDINARIIS PER ITALIAM CONSTITUTIS.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum semper oblatas Nobis occasiones apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero maiori animi alacritate id ipsum praestamus, cum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam religiosae vigilantium pastorum curae identidem inculcando commendemus.

§. 1. Huius porro epistolae ad vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in huius almae Urbis Nostrae Congregationibus, et potissimum in Congregatione venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardd. Conc. Trid. Interpretum, cuius secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earundem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificum praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius apostolicae sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat; et fraternitatibus vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, iuxta quam synodales aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum iuxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad huius Nostrae curiae tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse praecipimus ac iubemus: quamobrem has ipsas litteras Nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, iudicia exigi et conferri mandamus.

§. 2. Et quidem, quod nuper enunciavimus, sacrosanctum missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id, veluti ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur Sess. XXIII. cap. 1. de ref. per haec notabilia verba: *Cum praecepto divino man-*

datum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes huiusmodi obligationem a S. Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint: cum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque praedicta Congregatio eiusdem Concilii interpretationi privative proposita constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, cum haec intelligentia a praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata: nihil iam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti eidemque obsequi, nec non illius promptam executionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus secretarii praedictae Congregationis Conc. Trid. Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae cathedralis, partim in metropolitanae Bononiensis, patriae Nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§. 4. Cum enim Sacrum Trid. Conc., ne animarum cura negligatur, non uno in loco episcopis mandet, ut, quotiescunque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in Sess. VI. c. 2., Sess. VII. c. 5. et 7., Sess. XXI. c. 6., Sess. XXV. c. 16., non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante vicarius pariter ad implenda huiusmodi ecclesiae onera usque ad novi rectoris electionem ab episcopo deputari debeat, eodem Concilio Trid. id iubente Sess. XXIV. cap. 18. de ref.: nonnulli ex huiusmodi vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere vel ex eo, quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem duntaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti, ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, quia praedicta applicatione missae pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicunque, etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo, et praefertur, ipsorum curae commisso.

—

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes, id neque sibi neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse, hoc autem ad praecedentes praedictae Congregationis Conciliis resolutiones Nostram approbationem et confirmationem extendimus, et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod, licet parochi, seu alii ut supra animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

§. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, missae sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacros. Trident. Synodus Sess. XXIII. cap. 14. praecipit episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent*; in pluribus autem synodalibus episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies quibus animarum pastores missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congr. Conc. responsum fuit, pa-

rochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere; eum vero, qui uberioribus huiusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; cum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint, quoniam pingues minime habendi sunt reditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus huiusmodi decretum, tanquam plus aequo rigidum, excitatae Nobis innotescant: idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Nobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto; cum praedicti dominici aliique festi dies ii sint, in quibus iuxta praeceptum Conc. Trid. Sess. V. cap. 2. et Sess. XXIV. cap. 4. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem S. Synodus statuit, *ut moneat episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei;* et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debeant iuxta id, quod a praedicto Conc. in cit. cap. 4. episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.*

§. 7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto de apostolica Nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christi fideles et missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missae sacrificium: Nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in huiusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare tenentur.

§. 8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui ecclesia parochiali vacante ad animarum curam exercendam sub vicarii seu oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset, eleemosynam pro applicatione missae recipere: idcirco Nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare, attamen quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent: ea tamen adiecta conditione, ut tot missas infra hebdomadem pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadem occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

—

§. 9. Quod autem spectat ad vicarios sive oeconomos ecclesiarum vacantium, cum a sacro Trid. Conc. Sess. XXIV. cap. 18. cuilibet episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione*; vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum camerae Nostrae apostolicae exiguntur, opportuna thesau-

rario Nostro generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus; cum quibus episcopi ecclesiasticae Nostrae ditionis ceterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. 10. Ac demum quoad illos, qui tanquam vicarii sive perpetui, sive ad tempus constituti animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet ratione alicuius ecclesiae parochialis ipsorum ecclesiis seu monasteriis, collegiis aut locis piis olim unitae, quamvis a rev. mem. praedecessore Nostro S. Pio P. V. praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius const., quae incipit: *Ad exequendum*, data Kal. Nov. a. MDLXVII., distincte statuitur: nihilominus, ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur propter temporum circumstantias et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit episcopis synodus Trid. Sess. VII. cap. 7. dum illorum arbitrio permisit iuxta temporum atque iniunctorum onerum rationem congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Conc. sancitur, adversus ea, quae salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. 11. Haec igitur circa missam parochialem statuenda et fraternitatibus vestris denuncianda iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quae pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur, quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congr. ven. fratrum Nostrorum Conc. Trid. Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate confirmamus et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes: ut scilicet missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earundem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis eiusmodi sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missae conventualis. Etenim huiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

§. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit quam ea, quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit, nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

§. 14. Profecto non solum prioribus ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a Nostra aetate remotis, (quod vos ex historia ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missae sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis dotationibus nihil penitus pro se pacti

essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione iacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

§. 15. Quemadmodum vero loquendo de missa parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto: ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam nostra auctoritate approbamus et confirmamus.

§. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis in propria ecclesia vigentis se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum iam pluries responsum fuit, huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. 17. Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo, quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent, vel quia praeter munus canonici seu beneficiati aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eandem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, iubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam huiusmodi celebret applicetque.

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

§. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae ob detractam eleemosynam pro missa conventuali ad nihilum fere redactae vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiae prestando. Trid. quidem Synodus Sess. XXIV. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopia valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congr. Conc. recursum habere, cuius erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus Nostris eidem impertita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. 20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae atque etiam aliquando tres missae conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a Nobis dictum fuerit, primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse: nunc expendendum superest, an earundem ecclesiarum capitula iurisdictioni vestrae respective subiecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

§. 21. Huiusmodi quaestio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi ven. fratrum Conc. Trid. interpretum proposita est. Iamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse; concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicorum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum ma-

nere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. 22. Verum cum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque huiusce dubii solutionem eadem Congr. nuper iudicio Nostro remittendam esse censuerit: Nos ita iudicamus idque vobis tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse quoquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscatur.

§. 23. Huic demum epistolae Nostrae finem imponentes fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris praeter devotam celebrationem debitamque applicationem missae conventualis horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur.

—

§. 24. Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedral. ecclesiis inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. At cum synodus Trid. Sess. XXIV. cap. 12., loquens de dignitatibus et canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare;* cumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptae in universa ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; cum insuper opinio illa nunquam in Congr. Conc. Trid. interpretationi proposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium huius Nostrae urbis super hoc instantibus; cum denique idem iudicium prolatum reperitur a pluribus conciliis provincialibus ab hac etiam apostolica sede approbatis et confirmatis: nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apostolicum non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, iure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Qua propter vestrum erit, ven. fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis neque vobis apud divinum iudicem fraudi sit, si in huiusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XIX. Augusti MDCCXLIV. Pontificatus Nostri anno quinto. (Bull. Bened. T. I.)

XIX.

EPISTOLA ENCYCLICA AD PRIMATEM, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REGNI POLONIAE.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Magno cum animi nostro dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia propter oratoria privata insurrexisse; quibus praevidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc S. sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum ordinationes vestrae pontificia auctoritate Nostra munita fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum maius semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae huiuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de huiusmodi materia doctrina traditur praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea S. sedis decreta vel dissimulant vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur: nihilominus, cum Nos venerabiles personas vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam Nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem decessorum Nostrorum, tum Nostram hac super re mentem sensusque aperiemus: quibus quidem praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid maioris ponderis inest materiae ipsius nomine, quae eorum obiectum est, quaeque in quaestione versatur; cum omnis huiusmodi res ab apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo iure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in encyclica hac epistola Nostra continentur, ordinabitur et statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit, cuius rei gratia apost. delegatorum qualitatem et auctoritatem fraternitatibus vestris additam esse censendum est, quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium litterarum tenore vobis ad huiusmodi effectum concedimus et impertimur.

§. 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertinet sacella, quae in episcopalibus palatiis vestris habetis, promissa vel per vos vel per alios celebranda aliave quapiam sacra functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito Nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta sacellorum exempla indicabimus, quae episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus sanctum missae sacrificium celebratur. Horum primum sacellum est S. Cassii episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in *Homilia* 37. *super evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in oratorio episcopii sui missas fecit*, tam ut propriae quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplo est S. Ioannis Eleemosynarii episcopi Alexandrini, qui, sicut in actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui missa nondum peracta discedebant, cum ipse ad eandem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: « Ego propter vos descendo in S. ecclesiam, nam poteram mihimet facere missam in episcopio » Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum de vet. ac nov. eccl. disc. P. I. L. II. c. 93. n. 6. Alia exempla in opere *de oratoriis privatis* inscripto c. 6. collecta reperiuntur (quod opus novissime a Ioa. Bapt. Gattico cononico Lateranensi Romano in lucem editum est) per quae episcoporum ius circa sacella in propriis episcopalibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

§. 2. Huic quidem iuri S. Trid. Conc. nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo Sess. XXII. *de obs. et evit. in ce-*

lebr. miss. propter multa, quae parum decenter fieri identidem contingebat, episcopis praecepit, ne saecularibus ac regularibus missam celebrare permitterent *privatis in domibus*, et extra ecclesias aut oratoria publica, quae divino cultui destinata essent; quod nullam cum capellis, quae in episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, cum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congr. Ven. Fratrum Nostr. S. R. E. Cardinalium eiusdem Conc. Trid. Interpr. in aliquot eiusdem resolutionibus validis rationibus innixis declaratum est, quas Nos in Nostro *de Sacrificio Missae* tractatu retulimus Sect. 2. §. 45. et seq. Lat. Edit. Patav. Nos enim tunc etiam, cum in minoribus constituti opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae curiae tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit.

§. 3. Illud tantummodo de huiusmodi episcoporum privilegio dici poterat, quod, cum idem ad sacella, quae in episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo episcopis favere poterat tum, cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel missam celebrare vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias conferre cogerentur vel a locorum ordinariis veniam petere, ut sibi liceret vel missam celebrari facere vel ipsi eandem celebrare in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

§. 4. Verum recol. mem. praedecessor Noster Bonifacius P. VIII. in decretali sua *Quoniam episcopi* de privilegiis in VIto male factum reputans, episcopos sine rationabili causa missam quotidie non celebrare aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam dioecesim altari portatili seu viatico uterentur: «Praesenti constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare aut facere celebrari, ubicunque absque interdicti transgressu illis permittitur celebrare vel audire divina. « Dignum animadversione verbum est *ubicunque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra dioecesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congr. Conc. resolutiones merentur, cum ad quaesitum eidem propositum, num videlicet episcopus, qui extra propriam dioecesim est, ad utendum privilegio altaris viatici petere eius rei veniam ab episcopo locali teneatur? minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. privilegium fuisset, quoniam illius Pontificis aetate antiquum ius in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Conc. Trid. postea derogatum fuit, secundum quod episcopi facultatem concedebant missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congr. alterum quaesitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII. episcopis concesso vel Trident. Concilium vel Pont. Pauli V. decretum, de quo pariter mox dicetur, praeiudicium ullum attulissent? nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit, cum tam in Concilio quam in citato decreto sublata quidem episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam iuribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorundem dignitatis atque characteris propria sunt. Praedictae resolutiones a Nobis referuntur in nostro tractatu *de Sacrificio Missae* Sect. 2. §. 42., nec non in Comment. bon. mem. Card. Petra ad Constit. Apost. T. IV. super const. 2. Urban. V. n. 15. et seq. et a Gattico in recenti eiusd. tract. *de Orat. domest.* in Tit. de usu alt. port. c. 12. n. 1. et seq.

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem maius praeiudicium privilegiis afferre quam abusum eorundem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit etiam in casu huius privilegii altaris portatilis, quod concessum episcopis est, et quod post Conc. Trid. ac Paulinum decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam episcopos eodem abuti, qui vel intra vel extra dioecesim ad laicorum se domos conferebant atque in iis vel ipsi missam celebrabant vel, ut ibidem plures celebrarentur missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum huiusce inconvenientiae notitia ad Conc. Congregationem pervenisset, non praetermisit huiusmodi excessum prohibere eiusdem abusus corrigendi curam archiepiscopis committere; si quando factum in locis eorum iurisdictioni subiectis contigisset. In codicibus actorum seu Regestis Congreg. praedictae l. XLVIII. Decr. fol. 471. resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a fel. rec. praedecessore Nostro Clemente P. XI. die 15. Dec. 1703. sequens decretum publicatum fuit, in quo

postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: « Episcopi etiam in aliena dioecesi extra domum propriae habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare ibique per unum aut per plures e suis capellanis vivificam Christi hostiam immolant » ad remedium gradus fit: « Ad abusus huiusmodi eliminandos etc. SSimus D. N. etc. expresse declarat, episcopis et his maioribus praelatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris neque alio quocunque titulo ullo modo licere, extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare sive celebrari facere. »

—

§. 7. Magni huius Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, nunquam autem ut recto privilegii usui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla et effrenata cuiquam praebere ansam poterant affirmandi, non licere episcopis uti privilegio altaris portatilis, tum, cum vel dioecesim visitant vel iter faciunt aut alia iusta de causa extra residentiam sunt atque in laicorum domibus morantur, illato de huiusmodi re sermone in congregationibus, quae sub Innocentio XIII., immediato Clementis eiusdem successore, habitae fuerunt, quorum Nos tunc in minoribus existentes a secretis fuimus, opportunum factu iudicatum est, ut ea, quam mox subiicimus, declaratio fieret, quae postea inserta fuit in eiusdem Innocentii litteris incipientibus *Apostolici ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum regnis bono ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam eiusdem successor Benedictus XIII. in forma specifica confirmavit, et ut in omnibus locis pro regula ac norma haberentur, in appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter eiusdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad SS. canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: « Declaramus, quod, cum in praedicto decreto, » de Clementis XI. sermo est, « statuatur, non licere episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare sive celebrari facere; huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur; ut nec etiam quando episcopi in casibus a iure permissis vel de speciali sedis apost. licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis. »

§. 8. Optimum factu iudicavimus in encyclica hac epistola nostra exponere vobis haec, quae ad fraternitates vestras praecipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est quoad sacella seu capellas, quae in episcopalibus palatiis vestris sunt, quantum item vobis in alienis domibus et extra vestram dioecesim facere permissum est, causas etiam concessionum ac privilegiorum indicavimus necnon eorundem abusus atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter capellas episcopalium aedium vestrarum, per quas minus spirituali consolationi et commodo vestro, quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata oratoria in domibus laicorum, sive intra sive extra dioecesim vestram, in quibus aliquando vobis pro praecipuo fine huiusmodi commodi et consolationis vestrae, privilegio altaris erigendi ac celebrandi vel celebrari faciendi uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum vos contra abusus privatorum oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum oratoriorum propositum, quae in domibus laicorum sunt, gradum facientes aliqua praemittemus.

§. 9. Primum quidem est, privatorum oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, apostolos sacra mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis *notis ad canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata oratoria in domibus laicorum subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones iam cessassent: cum in sacramentario gallicano, quod Mabillonius T. I. Musaei Italici impressum edidit, *collecta* legatur, quae recitanda erat in missa, quae celebrabatur *in domo cuiuslibet;* nec ad huiusmodi qui-

dem assumptum aliae deficiunt probationes, quas Nos in tract. Nostro de Sacrif. Missae Sect. 1. §. 10. cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis huiusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum seu potius facultatibus missam in ipsis celebrandi pluries cogitatum esse. Nihil de Iustiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur, nihil praeterea de Novellis 4. et 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit afferens, adeo tunc privata oratoria multiplicata fuisse, in quibus missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus easdem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto tract. de Sacrif. Missae l. c. a Nobis allata fuerunt.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus missa celebrabatur, semper tamen episcoporum licentia necessaria fuit. Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: « Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis vel ubi ipse permiserit celebranda censemus. » Verba sunt can. *Missarum* de consecr. dict. I. Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut oratoria domestica licet frustra prohiberentur, multo magis in usu fuit in ecclesia orientali, ob id potissimum, quod in ecclesiis Graecorum non nisi unicum altare erat, et postquam una super ipso missa celebrata esset, altera per eundem diem celebrari minime poterat. Balsamon in Comment. ad Can. Trullanos testatur, quod sine ulla alia formula impertita ab episcopo censebatur sacerdoti licentia celebrandi missam in privatis laicorum oratoriis, quoties super mappis ab episcopo consecratis celebraret.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Cum post varios sermones in S. Conc. Trid. hac de re habitos (quod Concilium tam magna cum Polonici regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Cardinalis Osii et nuntii Commendonii, in magno conventu habito coram rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Conc. Hist. per Card. Pallavicinum conscripta L. XIV. c. 13. videre est) in Sess. XXII. in Decr. de obs. et evit. in celebr. missae sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: « Neve patiantur, » de episcopis sermo est, « privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi, » cum adiecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini, « non obstantibus privilegiis; exemptionibus, appellationibus et consuetudinibus quibuscunque ; « ex eo factum esse, ut non amplius episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem missam celebrandi, cum licentia, quae ab ipsis daretur, celebrandi missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum ius ad S. Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum et oratoriorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus aboleretur. Atque huiusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congreg. Conc. privativa eiusdem interpres, quaeque etiam a fel. rec. praedecessore nostro Paulo P. V. in epist. encycl. a. 1615. ad omnes episcopos expedita approbata fuit; quae quidem epistola tum apud varios auctores, tum etiam in cit. tract. nostro de Sacrif. Miss. sect. 2. §. 42. impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecunque verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga missae sacrificium dicuntur, cui nimia episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: « Facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam. »

§. 12. Postquam ius concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apost. reservatum fuit, dici vix potest, quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem moderamine. Qua de re in Archivio Congr. Conc., cuius olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad maiores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma brevis, quae conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, exstructum esse debere; idem prius vel ab episcopo vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens et

apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desint ut episcopus sit, qui celebrandi missam licentiam impertiatur, et quod licentia huiusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum missa celebretur a sacerdote vel saeculari vel regulari, dummodo saecularis ab episcopo approbatus sit, regularis autem licentiam habeat a suo regulari superiore; ne missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annunciationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, nec non SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Titularis ecclesiae loci; exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato oratorio missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus missa celebratur, eidem interesse possunt et ecclesiastico praecepto satisfacere, denique declaratur, omnia sine parochorum iurium praeiudicio fieri debere.

§. 13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum oratoriorum brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit brevia, quae extraordinaria sunt; ut, cum ex. gr. iustis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam missam celebrari facere possit, vel ut eadem aliquanto citius aut aliquanto serius eo temporis limite seu termino celebretur, qui in rubricis praefixus est, vel etiam in diebus exceptis, et alia huiuscemodi. Cum autem interdum tam circa brevia privatorum oratoriorum prioris speciei quam circa alia ac generatim super omnibus controversiae exortae sint: Apostolica Sedes per huiusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

§. 14. In ordinariis brevibus ut plurimum duobus coniugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato oratorio missa celebretur; exprimiturque, ut missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut vir aut uxor missae intersunt, si consanguinei et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, ecclesiastico praecepto diebus festis satisfaciant; id tanquam tutum ac brevis litterae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter coniugum adsit, sed unus ex consanguineis aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo iubente in privato oratorio missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei et affines eandem audientes festo die, ecclesiastico praecepto audiendi missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more auctorum opiniones erant; verum cum huiusce difficultatis punctum in Congr. Conc. die 3. Dec. 1740 in causa, cuius inscriptio erat *Marsicen. Oratorii* propositum ac discussum esset, decisum fuit non posse in privato oratorio missam celebrari nisi indultariorum praesentia ibidem haberetur, quod idem est, ac si dicatur viri vel uxoris, ad quos breve directum erat; quemadmodum in T. IX. Resolut. Conc. a. 1740. ad pag. 89. et seq. videre est.

—

§. 15. Cum autem decreti huiusce facta nobis relatio esset, idem per nos sub die 7. Ianuarii 1741. confirmatum fuit, ac praeterea demandatum, ut in huiusmodi brevibus, in quibus certis quibusdam ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato oratorio missam celebrari facere possint, quae missa pro filiis, consanguineis, et affinibus valeat, maioris claritatis gratia subiecta clausula adiungatur: « Volumus autem, quod nati ac consanguinei et affines praedicti unicam dictam missam vobis quidem praesentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant. » Ut autem quae indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia missa celebrari non potest, neque, qui eandem audit, praecepto satisfacit: adiunximus, ut pro indultariis personis illae haberentur, quae in fronte seu inscriptione brevis nominatae erant, cum ad easdem ipsas breve dirigatur.

—

§. 16. Nos ab huiusmodi norma minime recedimus; verum quia aliqua interdum in corpore brevis persona nominatur, qua praesente conceditur ut missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei vel familiares eandem audientes praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in fronte brevis minime nominetur: hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato oratorio missa celebrari, dum aliqua ex indultariis personis adsistit, quae in fronte seu inscriptione brevis nominatur: dicimus, posse missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in fronte seu inscriptione brevis nominantur, dummodo illa praesens sit, cui in brevis corpore nominatim et ex-

presse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio tum, cum ipsa adsistat, facere, ut missa celebretur.

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur viro et uxori facultas faciendi, ut in privato oratorio missa celebretur atque ad hos breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; haec vero in fronte seu inscriptione brevis minime nominatur; verum cum in brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eandem missam celebrari facere possit et valeat: id sufficiens est, ut sola matris praesentia adhibita missa in oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte seu inscriptione brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in huiusmodi generis brevibus indicantur; verum curae nobis erit, ut in posterum felicius etiam et sine ulla confusione exprimantur.

§. 18. In consuetis sive ordinariis brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet sacerdote missae celebrantur. Interdum illi, qui privati oratorii breve habet, extraordinarium breve conceditur, in quo eidem valetudinis causa missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in huiusmodi brevibus de unica tantum missa sermo sit, orta difficultas fuit; num possent die natalitio a sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres missae celebrari, de quo, cum Nos eo tempore, quo Concilii eiusdem a secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13. Ianuarii anni 1725. resolutum a Congr. fuit, quod a sacerdote tres missae celebrari possent, quemadmodum T. III. Thesauri Resolut. pag. 109. et seq. et pag. 116. videre est.

§. 19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures quam unicam tantum missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad baptismatis sacramentum attinet, iam in Viennensi Conc. sub Pont. Clemente V. decretum fuit, ne baptismus in aliis locis conferri posset praeterquam in ecclesiis, in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clement. un. de baptis. et eius effect. videre est.

§. 20. Quod autem sacramentum poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub tit. de sacr. poenit., cum de sacerdote sermo fit, qui confessiones audit, statutum fuit: « In ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare. » Rituale a Pont. Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticae disciplinae instaurator S. Carolus Borromaeus tum in instructione sacramenti poenitentiae, tum in monitis ad confessarios atque in primo suo provinciali Mediolanensi concilio id inculcare non praetermisit, quemadmodum in actis ecclesiae Mediolanensis editionis civitatis eiusd. P. I. p. 11., P. IV. p. 520. et 761., 773. videre est; pag. autem 775. superioribus regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis confessariis regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pont. Clementis X. bulla *Superna* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit « nullam facultatem » (in praedicta constitutione sua) « fuisse tributam regularibus audiendi confessiones sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem regularibus cuiusvis ordinis etc. sacramentum poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a iure permissos. » Quod decretum cum praesulis Fagnani subscriptione editum variis in locis impressum est, ut in appendice ad synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptistelli civitatis eiusdem episcopo a. 1722. celebrata fuit.

§. 21. Quod pertinet ad communionem paschalem, quae ab unoquoque catholico paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum decreti Conc. Lateran. in c. *Omnis utriusque sexus* de poenit. et remiss., tum Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 8. can. 10., nemo est qui ignoret, praeceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii episcopi vel parochi licentia secundum varias dioecesum consuetudines. Porro fel. rec. praedecessor Noster Paulus P. IV. fratribus Minoribus privilegium concessit, ut S. eucharistiam omnibus Christi fidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, excepto tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a s. mem. altero praedecessore Pio P. V. per communicationem, ut dicitur, ad omnes regulares extensum fuit.

§. 22. Verum quia secundum praece-

dentem Eugenii IV. constitutionem paschale tempus, intra quod communionis praeceptum adimplendum est a dominica Palmarum initium habet, ac dominica in Albis terminatur, cum exortum dubium fuisset, num licitum regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum S. eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere? resolutum fuit, die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra sanctiorem hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra eucharistia reficere, hac tamen conditione, ut communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia communionem recipere deberent. Illustria Congr. Conc. decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi et Mechliniensi, quae a Nobis in Nostro *de Synodo dioecesana* tractatu lib. 7. cap. 41. num. 3. relata sunt.

§. 23. Extra paschalem vero communionem, cum in S. Trid. Conc. Sess. XXII. c. 6. de *sacrif. missae*, quae subiicimus verba legantur: «Optaret quidem sacros. synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret,» non defuit, qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi missam facultas est, distribui eucharistia possit iis, qui missae praesentes adsunt, neque ad hoc praestandum alio particulari indulto opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite Nos in Nostra *Institut.* 34. §. 3. disseruimus inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus ecclesiae illius archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum italico sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae episcopi licentiam requirit, ut, qui domesticum oratorium domi habet, dum missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini tum Romanae etiam consuetudini sive praxi cohaerens Nobis visa est, ac proinde ordinavimus, ne in privato oratorio recipi communio posset ab iis, qui in eodem missae intersunt, quam vel saecularis sacerdos vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel Nostram vel generalis vicarii Nostri licentiam obtinuisset.

§. 24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super communione illis distribuenda, qui missis praesentes cum sint, eandem petunt, quae aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Trid. Conc. verba retulissemus atque eorum zelum commendassemus, qui inter sacrae missae celebrationem communionem recipiunt, ecclesiasticos quoque pastores excitavissemus, ne eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis vel loci ratione episcoporum prudentia opportunum factu existimet, sacram eucharistiam etiam illi, qui missae interfuit, minime distribui, eo magis quod iuxta praesentis temporis disciplinam libera eidem facultas patet, ut eandem alio loco atque alio tempore recipere possit: ordinavimus, ut in hoc debita proprii superioris praecepto obedientia praestari deberet, cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris sacramentum recipiendum; quemadmodum in litteris Nostris, quarum initium est *Certiores effecti* et quae in Bullario Nostro T. I. n. 64. leguntur, videre est.

—

§. 25. Atque haec sunt, Ven. Fratres, quaecunque in encyclica hac epistola nostra vobis exponere opportunum existimavimus; a quo quidem satis intelligetis, quod legendis et considerandis apost. litteris concessionum oratorii, decessorum nostrorum decretis, harum congregationum resolutionibus, quae a nobis etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius limitibus et controversiis locus reliquus sit. Verum quia vos illud fortasse nobis responsuros arbitramur, optime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quaecunque decreta atque ordinata sunt minime observantur: ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta brevium lectione et consideratione aut ex ignoratione decretorum et pontificiarum resolutionum originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam ingravescente licet aetate nostra et multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus in encyclicam hanc epistolam Nostram, quidquid hac super re

scire opus erat, inserere non detrectavimus.

§. 26. Quod si vos etiam id praestare curabitis, ut in dioecesanis synodis vestris, in vestris item edictis, quae a vobis pro bono dioecesis vestrae regimine publicantur, pontificiorum decretorum ac resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis, duplex inde bonum exstabit, ut et vivam in vobismet ipsis eorundem memoriam teneatis, atque ab aliis aut ignorantiam expellatis, aut eandem utpote crassam deinceps atque supinam inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt atque in praesentia tenent Nostri Italiae episcopi, qui aut pontificiorum decretorum, quae super privatis oratoriis condita sunt, summam in synodis suis inseruerunt, aut in appendice ad ipsas synodos eadem decreta per extensum adiunxerunt, quemadmodum in synodo a. 1714. a bon. mem. Card. de Via Arimini habita, in altera a. 1726. celebrata a bon. mem. Card. Pignatello archiep. Neapolit., atque etiam in ea, quae a. 1736. habita fuit a ven. fratre nostro Annibale Card. Albano, Sabinensi tunc temporis episcopo, atque in aliis multis videre est.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae nunquam praeteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie sunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacrae leges ad privata oratoria pertinentes a sacerdotibus violantur, propter praesidium, quo nituntur, magnatum saeculi, apud quos capellani munere inserviunt, idem nono etiam saeculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis archiep. Lugdunensis de eadem re queratur in suo Tract. *de privil. et iure sacerdotii* cap. 11. Non tamen idcirco vobis sacerdotalis constantia atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum natio est; et si quando aliquis abusus in privatis eiusdem oratoriis contingat, cum id magnati, cuius in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum omne suum inobedienti capellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur: praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra capellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, cum primum de inconvenienti rescitum fuit, pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad encyclicam hanc epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

§. 28. At enim inconvenientia a privilegiatis et exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc S. sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

§. 29. Habebant sine dubio regulares privilegium altaris viatici, et ut super eodem altari missam ubicunque locorum forent, sine ulla episcoporum licentia celebrare possent, quemadmodum in decret. Honorii III. in cap. *In his* de privil. videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut missam possent celebrare etiam in domibus laicorum sive super altari viatico sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium oratorii privati minime haberet, propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum S. Trid. Conc. in cit. Sess. XXII. in Decr. iam cit. de obs. et evit. in celebr. miss. episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus missae celebrentur *a saecularibus aut a regularibus quibuscunque*, eisdemque dedisset facultatem procedendi tanquam apost. sedis delegatos contra refractarios, « *ut delegati sedis apost.* », atque omnibus privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus contrariis, cuiuscunque generis esset, derogasset: « *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus et consuetudinibus quibuscunque:* » hinc necessario consequitur, S. Conc. Trid. tam praecedentibus altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati missam in privatorum domibus sine episcopi licentia celebrandi; atque ulterius episcopum, tanquam sedis apostolicae delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat, quominus abusus tollantur.

§. 30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur assertio, videlicet Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud in corpore iuris inclusum sit; etenim Conc. Trid. iis etiam

derogare privilegiis consuevit, quae in corpore iuris inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adiecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris praesul Fagnanus in cap. *Nonnulli* n. 42. et seq. de rescr. ample demonstrat.

—

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam obiiceret, concessum saepe ab apost. sede fuisse, atque etiam nunc post Trid. Conc. altaris viatici usum concedi: fraternitatibus vestris notum esse debet, huiusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi ecclesiae non sunt, aut si sunt, talis haereticorum potentia est, ut in easdem catholici non sine gravi periculo ad audiendam missam convenire possint. Uno verbo praecise necessitati providetur: quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

§. 32. Gregorii XIII. decessoris nostri privilegium legite, quod a. 1580. FF. Ord. Praedicat. Prov. Polonicae concessit, quod Bull. religiosae illius familiae tom. VII. p. 192. insertum est: « In quibusdam civitatibus, oppidis et locis provinciae Poloniae tanta haereticorum potentia et impietas existit, ut catholicos impune opprimant, nec iisdem catholicis missas in ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi ac pro tempore prov. Poloniae Priori provinciali, ut licentiam, et facultatem dictis professoribus altaria portatilia habendi cum debitis reverentia et honore, super quibus in domibus nobilium civium et incolarum civitatum, oppidorum et locorum dictae provinciae, in quibus vel ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus et honestis per se ipsos missas in praesentia personarum catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. »

—

§. 33. Legite item iam superius cit. Clementis XI. decret., quod, maioris etiam commoditatis vestrae gratia hic annexum vobis transmittimus (cf. supra p. 131.); etiamsi tum, cum illud conditum fuit, praeter publicationem eiusdem Romae factam, ad ordinarios per loca tam intra quam extra Italiam transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus et animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus (quod quidem facere nobis in proclivi esset, cum praestantiorum inter pontificii iuris peritos auctorum assertiones ubique in promptu sint) manifeste cognoscere potestis, subsistent nec ne amplius portatilis altaris privilegia, quae regularibus concessa fuerunt, et num a Trid. Conc. eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum regularibus sit, secundam in privato oratorio cuipiam concesso missam celebrare, cum prima iam celebrata est, nec pro secunda huiusmodi missa peculiare indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis oratoriis licitum eisdem sit; vel ante auroram vel post meridiem missam celebrare, num celebrare eandem possint diebus iis, qui in indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num exceptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino huiusce rei necessitas sit, illud Nos in praesentia decretum confirmamus, ac fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta eiusdem observantia invigiletis, cum minime commendatione dignum sit ad sedem apost. recurrere inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore remedia sint, quae ab ipsa apost. sede contra huiusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scil. sine licentia vestra regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos aut in synodis vestris aut in vestris edictis decretum fuerit, ne ullus sacerdos vel saecularis vel regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena ecclesia, sive intra, sive extra coenobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod praestari debet, quodque ab episcopis praestari solet, quemadmodum apud Clericat. *de Sacram. Ord.* dec. 19. n. 42., ubi episcopales synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus postquam a vobis tam in hac materia quam in alia oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a vobis impositae et inflictae negligentur: nequaquam certe Nos officio Nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus, cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut episcoporum, qui fratres Nostri sunt, iura sarta tecta serventur. Interim tam fraternitatibus vestris quam populis curae

vestrae commissis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ex arce Gandulphi die 2. Iunii MDCCLI. Pont. Nostri anno XI. (Bull. Bened. T. III.)

—

XX.

Ad Sess. XXII. c. 1. de ref.

Pii IV. Const. *Cum sicut,* contra sacerdotes poenitentes in confessionali ad turpia sollicitantes, dat. 16. Apr. MDLXI. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.), confirmata a Gregorio XV. in const. *Universi*, dat. 30. Aug. MDCXXII. (ib. T. V. P. 5.)

XXI.

Pii V. Const. *Horrendum*, qua clerici nefandum crimen exercentes omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate et beneficio privantur, dat. III. Kal. Sept. MDLXVIII. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

XXII.

Benedicti XIV. Const. *Sacramentum,* qua innovantur poenae in confessarios, qui poenitentes ad turpia sollicitant, statutae cum praecepto hoc denunciandi et reservatione absolutionis quoad calumniatores, adimitur praeterea sacerdotibus facultas sacramentum poenitentiae administrandi complicibus in peccatis contra castitatem, dat. Kal. Iun. MDCCXLI., (Bull. Bened. T. I.) confirmata in litteris *Apostolici muneris* dat. 8. Febr. MDCCXLII. (ib.)

XXIII.

Benedicti XIV. Const. *Apostolicae*, qua clericis interdicitur negotiatio etiam sub alieno laici nomine, dat. V. Kal. Mart. MDCCXLI. (Bull. Bened. T. I.)

XXIV.

Clementis XIII. Const. *Cum primum,* super observantia canonicarum sanctionum adversos clericos negotiatores et saecularibus negotiis se immiscentes, qua cambia quoque activa vetita sunt, dat. 17. Sept. MDCCLIX. (Bull. Rom. Cont. ed. Barbéri T. I. p. 230.)

XXV.

Ad Sess. XXII. c. 7. de ref.

BENEDICTUS EPISCOPUS (XIV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad militantis ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium diuturnae nulloque unquam tempore intermissae episcoporum aliorumque ordinariam iurisdictionem habentium querelae adversus maiora tribunalia atque illa etiam nostrae Romanae curiae propositae tandem compescantur.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, iamdiu intelleximus, plerosque locorum ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem a patriarchis, metropolitanis, sanctae sedis a latere legatis et diversis dictae Romanae curiae iudicibus inhibitiones sine delectu causae et rei, de qua agi-

tur, examine passim concedantur; et quamvis in more positum sit, dictas inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari et aboleri, remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat episcopos aliosque inferiores iudices in ipso causarum et iudiciorum cursu otiosos immorari, ius suum iudicialiter asserere et vindicare et ad continendos in officio populos gravia saepe incommoda et dispendia subire.

§. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum iudicum responsiones audire contigit asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae ac subiectionis iugum erga maiora tribunalia ipsisque nimis displicet sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§. 3. Porro cum facile haec dissidia componi et succrescentia litium semina avelli possint, si, quae a sacra Tridentina Synodo, ab apostolicis constitutionibus et congregationum decretis provide sancita sunt, debitae executioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam ecclesiae disciplinam restituendamque tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis apostolicae servitutis officio opportune duximus consulendum.

§. 4. Inhaerentes itaque decretis eiusdem Sacri Concilii necnon Congregationis Episcoporum et Regularium iussu et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. predecessoris Nostri alias editis die XVI. Octobris MDC.; itemque aliis congregationis particularis iussu pariter et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter praedecessoris Nostri promulgatis die V. Septembris MDCXXVI. eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII. etiam praedecessore Nostro in appendice concilii Romani, aliisque apostolicis constitutionibus hac de re alias editis et innovatis et praesertim constitutioni piae mem. Gregorii XV. quae incipit: *Inscrutabili*, sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominicae MDCXXII. nonis Februarii.

§. 5. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum dicti S. Concilii Tridentini in omnibus illis causis et negotiis, in quibus executio huiusmodi episcopis et locorum ordinariis etiam uti sedis apostolicae delegatis ab eodem sacro Concilio vel dictis apostolicis constitutionibus appellatione vel inhibitione quacunque postposita commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus praedictis recipiatur vel inhibitiones, citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi, per quae dictorum decretorum executio retardetur aut processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§. 6. Itaque a quibuscunque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis tam in visitatione quam extra pro divino cultu conservando et augendo et praesertim circa ea, quae observanda et evitanda sunt in celebratione missae aut alio quovis modo respiciunt executionem decreti S. Concilii Sess. XXI. de reform. cap. 8. et Sess. XXII. in decret. de observ. et evit. in celebrat. miss.

§. 7. Item a decretis cogentibus clericos tam saeculares quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata tamen forma constitutionis san. mem. Pii V. quae incipit: *Et si mendicantium*, prout etiam a decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares in eisdem processionibus vel associatione defunctorum, delatione umbellae et huiusmodi, nec non super observatione censurarum etiam episcopalium et festorum dioecesis iuxta dispositionem eiusdem S. Concilii Sess. XXV. de regular. cap. 12. et cap. 13.

§. 8. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent et praesertim adversus monitiones, censuras aut alias provisiones, per quas parochi, aut alii curam animarum exercentes diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compelluntur docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt iuxta decretum S. Concilii Sess. V. de reformat. cap. 2.

—

§. 9. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur, iuxta praescriptum dicti S. Concilii Sess. VII. de reform. cap. 5. et cap. 7. et iuxta constitutionem san. mem. Pii V. quae incipit: *Ad exequendum*.

§. 10. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, nec non quaruncumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus decreta et provisiones ab ordinario capiendas, ut, quae in eis reparatione indigent, reparentur et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem S. Concilii eadem Sess. VII. de reform. cap. 8. et Sess. XXI. cap. 7.

§. 11. Item a decretis seu mandatis, per quae episcopi etiam uti apostolicae sedis delegati in ecclesiis parochialibus aut baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum; aut etiam invitis rectoribus procedant ad constitutionem novarum parochiarum cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem et in ceteris casibus a iure permissis deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen regularium, iuxta dispositionem S. Concilii Sess. XXI. de reform. cap. 4. et cap. 5. et Sess. XXIV. similiter de reform. c. 13.

§. 12. Item a deputatione coadiutorum aut vicariorum pro tempore vel aliis provisionibus ab episcopo capiendis etiam tanquam apostolicae sedis delegato, quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu; nec non a suspensione atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt, et postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii dicta Sess. XXI. de reform. cap. 6.

§. 13. Item a translatione beneficiorum simplicium etiam iuris patronatus ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus; prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos sive populum ad refectionem et instaurationem ecclesiarum parochialium servata forma Sacri Concilii dicta Sess. XXI. cap. 7.

§. 14. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum aut aliis quibuscunque provisionibus pro cogendis ad residentiam parochis ceterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, iuxta decretum eiusdem Sacri Concilii Sess. XXIII. de reform. cap. 1.

§. 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones respectu eorum qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, iuxta ordinationem S. Concilii Sess. XXIII. cap. 15. et praedecessorum Nostrorum constitutiones ac praecipue illam fel. rec. Clementis X., quae incipit: *Superna.*

§. 16. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum, iuxta decretum S. Concilii Sess. XXIV. de reform. cap. 13.

§. 17. Item a deputatione vicarii vel oeconomi cum assignatione congruae pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis; prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, nec non praelectione et provisione episcopi in eodem concursu, iuxta definitionem S. Concilii eadem Sess. XXIV. de reform. cap. 18.

§. 18. Item a mandatis seu decretis inhibentibus praedicationem vel publicas lectiones, aut coërcentibus vel punientibus quoscunque, etiam exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum non petita illius benedictione aut ipso contradicente praedicare praesumpserint; iuxta decretum S. Concilii Sess. V. de reform. cap. 2. et Sess. XXIV. similiter de reform. cap. 4. et constitutionem piae mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili* §. fin. una cum declarationibus contentis in constit. Clementis PP. X., quae incipit: *Superna.*

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum et rectam sacramentorum administrationem adversus visitationem, correctionem, coërcitionem et quascunque alias provisiones episcopi dioecesani etiam quoad exemptos sive saeculares sive regulares iuxta lauda-

datam constitutionem Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

§. 20. Item adversus quascunque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura sanctimonialium aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione vel reprobatione confessariorum sive regularium sive saecularium quomodocumque exemptorum et tam ordinariorum quam extraordinariorum pro excipiendis confessionibus monialium etiam regularibus subiectarum; itidemque a decretis vel aliis quibuscunque provisionibus cogentibus administratores sive saeculares sive regulares quomodolibet exemptos ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria sanctimonialium huiusmodi pertinentium; ac demum a quibuscumque decretis super amotione capellanorum, sacristarum et aliorum quorumcunque officialium et ministrorum tam saecularium quam regularium ipsis monialibus vel eorum ecclesiis inservientium iuxta dispositionem S. Concilii Sess. XXV. de regular. et monial. cap. 5. cap. 9. et cap. 10., servata tamen quoad regulares et exemptos forma praedictae constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

§. 21. Item adversus pastoralem visitationem dioecesis et praesertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum et praeposituraruum, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum, saecularium et regularium qualitercunque commendatorum, etiam exemptorum; prout etiam ab executione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta aut iudicata fuerint. Nec non similiter a quibuscunque decretis et provisionibus etiam extra visitationem pro conservatione vel reparatione ecclesiasticae disciplinae quoad vitam, mores et honestatem quorumcunque clericorum, luxum, commessationes, choreas, lusus, crimina et saecularia negotia fugienda atque evitanda; iuxta plura decreta dicti S. Concilii et praesertim Sess. VI. de reform. cap. 4. Sess. XIII. cap. 1. Sess. XIV. cap. 4. Sess. XXI. cap. 8. Sess. XXII. cap. 1. et cap. 8. et Sess. XXIV. cap. 10. ad formam tamen decretorum S. Congregat. Episcoporum de mandato s. m. Clementis VIII. editorum anno MDC.

§. 22. Item a decretis cogentibus praesentatos electos vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et sedis apostolicae nunciis; ad quaevis ecclesiastica beneficia ad se subiiciendum examini ordinarii antequam instituantur, confirmentur vel admittantur, quemadmodum cavetur Sess. VII. de reformat. cap. 13.

§. 23. Item a denegatione sacrorum ordinum vel adscensus ad alios maiores; prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus iam susceptis ob crimen occultum sive ex informata conscientia iuxta dispositionem S. Concilii Sess. XIV. de reform. cap. 1. et cap. 3. et Sess. XXI. cap. 1. et Sess. XXIII. cap. 16.

§. 24. Item a praefixione termini, intra quem regularis episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo superiore puniri debeat, ac de punitione ipse episcopus certior fieri iuxta decretum S. Concilii Sess. XXV. de regular. cap. 14. et constit. fel. recor. Clementis PP. VIII., quae incipit: *Suscepti muneris.* Necnon adversus punitionem et correctionem eorundem regularium, qui circa personas intra septa degentes aut circa clausuram ipsam deliquerint, iuxta praedictam constitutionem Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

§. 25. Item a censuris aut aliis provisionibus contra concubinarios et praesertim clericos etiam retinentes domi aut extra mulieres suspectas; iuxta praescriptum S. Concilii Sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 8. et Sess. XXV. de reform. cap. 14.

§. 26. Item adversus privationem privilegii fori et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu et tonsura et in aliis casibus a S. Concilio praescriptis Sess. XIV. de reform. cap. 6. et Sess. XXIII. similiter cap. 6.

§. 27. Prout etiam ab examine, probatione vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae aut beneficii quoad clericos promovendos ad sacros ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii Sess. XXI. de reform. cap. 2.

§. 28. Item adversus convocationem capituli, quam faciat episcopus ad aliquid deliberandum et iuxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, iuxta decretum S. Concilii Sess. XXV. de reform. cap. 6.

§. 29. Item a mandatis seu decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcunque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum in

distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta constitutionem eiusdem Concilii Sess. XXI. de reformat. cap. 3. et Sess. XXII. similiter de reformat. cap. 3.

§. 30. Item adversus exercitium facultatum episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos in casibus a iure concessis, iuxta dispositionem S. Concilii Sess. XXII. de reform. cap. 8.

§. 31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcunque et confraternitatum laicorum, eleemosynarum montium pietatis sive charitatis et omnium piorum locorum quomodocunque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita; ac denique a cognitione et executione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt; iuxta dictum decretum S. Concilii Sess. XXII. de reform. cap. 8.

§. 32. Item a decretis seu mandatis cogentibus administratores, tam ecclesiasticos quam laicos etiam exemptos fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis, et quorumcunque piorum locorum ad reddendam singulis annis ipsi ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum fuerit; iuxta decreta Concilii Sess. VII. de reform. cap. 15. et Sess. XXII. cap. 9. et Sess. XXV. cap. 8.

§. 33. Item a decretis compellentibus notarios etiam apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creatos et scribentes, in causis ecclesiasticis vel spiritualibus ad se subiiciendum examini, eorumque remotione vel suspensione in casu delicti vel imperitiae; iuxta praescriptum S. Concilii dicta Sess. XXII. cap. 10.

§. 34. Item ab erectione seminarii et taxatione quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum cuiuscunque ordinis etiam regularis, hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem et beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiam iurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis quibusvis locis piis etiam exemptis annexorum, ac quorumcunque aliorum, ecclesiasticorum redituum seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium, necnon decimarum quacunque ratione ad laicos atque etiam milites cuiuscunque militiae aut ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii manutentione; prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium, necnon a decretis cogentibus eos, qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos vel idoneos substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii plenamque executionem decreti editi a S. Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo Sess. XIII. de reform. cap. 18.

§. 35. Item a mandatis seu decretis cogentibus oeconomos, vicarios capitulares ad reddendam rationem administrationis per eos gestae sede episcopali vacante, iuxta praescriptum S. Concilii Sess. XXIV. de reform. cap. 16.

§. 36. Item a comminatione excommunicationis a iure latae et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis; et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

§. 37. Et generaliter ab executione aliorum quorumcunque decretorum dicti S. Concilii Tridentini episcopis atque ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio et in constitutione fel. rec. Pii papae IV., quae incipit: *Benedictus Deus.*

§. 38. Volumus, praecipimus et mandamus, quod ab archiepiscopis, patriarchis seu primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et sedis apostolicae nunciis vel de latere legatis, etiam S. R. E. cardinalibus, atque etiam Camerae Nostrae generali auditore, Signaturae iustitiae praefecto, ceterisque iudicibus Romanae curiae, eorumque vicariis et officialibus, citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi cum inhibitione, per quam executio decretorum, mandatorum et provisionum huiusmodi retardetur, suspendatur aut impediatur, minime concedantur; et quatenus nunc aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab episcopis aliisque locorum ordinariis impune

sperni possint; quacunque consuetudine etiam immemorabili vel quovis privilegio aut stylo concedendi inhibitiones in causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim citationes et monitoria aliter, quam ut praefertur, concessa vel in posterum concedenda nulla atque irrita declaramus et pro nullis atque irritis haberi volumus et mandamus: decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones eiusmodi, quas vel quae ab episcopis aliisque locorum ordinariis fieri vel capi contigerit in causis et negotiis praedictis, vel simplex duntaxat et extraiudicialis recursus per viam supplicis libelli ad Nos et successores Nostros Romanos Pontifices, vel respective et iuxta causarum naturam et qualitatem appellatio ad quos de iure in solo devolutivo et sine retardatione vel praeiudicio legitimae executionis recipi et admitti possit.

§. 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis et causis, in quibus inhibitiones canonicam executionem impedientes aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum S. Concilium Tridentinum vel iuxta eius mentem per apostolicas constitutiones et sacrarum Congregationum declarationes aut communem doctorum sententiam a praefata generali regula de non concedendis inhibitionibus eisque posthabendis excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudenti iudicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt: hinc Nos, ne sub eiusmodi praetextu inhibitiones ut supra prohibitae vulgo et sine ullo delectu etiam in casibus non exceptis concedantur, statuimus et mandamus, quod in dictis causis et negotiis superius expressis metropolitani, patriarchae, primates aliique iudices praedicti, et praesertim Camerae Nostrae generalis auditor eiusque locumtenentes, et Signaturae iustitiae praefectus eiusque auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur casum illum a S. Concilio vel apostolicis constitutionibus quacunque de causa exceptum esse, nihilominus litteras citatorias vel monitoria cum inhibitione huiusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis in supplici libello a parte recurrente clare ac dilucide exponendis et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea episcopo vel ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; tunc enim et non alias et postquam ipsi iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto eiusmodi in actis productus fuerit diligenter ibidem custodiendus et asservandus, liceat eorum notariis sive actuariis litteras citatorias cum dicta inhibitione expedire et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula: « Nos enim, attentis iuribus et supplici libello nobis praesentatis atque in actis exhibitis, sic, ut praefertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus. » Alias litterae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

§. 40. Et nihilominus, si notarii sine dicto speciali rescripto super supplici libello aut sine productione illius in actis aut sine praedicta clausula citationes ullas aut monitoria cum inhibitione sub quocunque praetextu seu colore expedire ac tradere praesumpserint, etiamsi illae aut illa a iudice subscripta fuerint, poenam infamiae et perpetuae inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Camerae nostrae generalis auditoris aut aliorum Romanae curiae iudicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de camera pro una medietate Camerae Nostrae apostolicae et pro alia ipsi parti recurrenti et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis piis arbitrio Nostro Nostrorumque successorum destinando, applicandam ipso facto incurrant.

§. 41. Ad haec similiter inhaerentes dispositioni eiusdem S. Concilii Sess. VII. de reform. cap. 14. et Sess. XIV. cap. 5. nec non etiam decreto piae mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter eius additiones ad decreta Urbani papae VIII. in appendice ad Concilium Romanum volumus et mandamus, quod clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi certum iudicem a sede apostolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerunt, coram locorum ordinariis tanquam ab ipsa sede delegatis conveniri in prima instantia et iure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§. 42. Quo vero ad personas non exemptas inhaerendo similiter dispositioni eiusdem S. Concilii Sess. XIII. de reform. cap. 1. et Sess. XXII. cap. VII. et Sess. XXIV. cap. 20. nec non supradictis de-

cretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno MDC. cum novissimis additionibus seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII. in appendice Concilii Romani volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio vel alias iuxta canonicas sanctiones apud Nos et sedem apostolicam tractari possunt aut debent, coram ordinariis locorum duntaxat in prima instantia cognoscantur, neque a metropolitanis, patriarchis aut primatibus aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et sedis apostolicae nuntiis vel de latere legatis, aut Camerae Nostrae generali auditore, et ceteris quibuslibet curiae Nostrae iudicibus ad se avocari vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis et in casibus ut supra non prohibitis ad ipsorum tribunalia deferantur.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam et intra legitima tempora vere appellatum fuerit a sententia definitiva vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, idque per publica documenta, quae realiter in actis exhibeantur; tunc enim et non antea iudici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae aut decreti definitivi seu vim definitivae habentis vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; alias citationes, inhibitiones, processus et inde secuta quaecunque sint ipso iure nulla atque impune sperni possint.

§. 44. Quod si appellans asserat sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis a quo vel notarii sive actuarii habere non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae seu decreti in actis producere teneatur, eiusque tenori in litteris inhibitorialibus inserto adiicienda erit, prout adiici volumus et mandamus, in earum corpore expressa conditio: « Quatenus tamen tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali praesentes litterae sint in tempore posteriores, alioquin nullae et irritae censeantur. » Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant et notarii sive actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

§. 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione iam secuta, cum mandato verbali non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter servatis servandis iudicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris iam prolatis vel de comminatione carcerationis, torturae aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII. iuxta additiones et declarationes piae mem. Benedicti.

§. 46. Ulterius in praedictis causis in prima instantia pendentibus vel aliis expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quae expediri solent coram cardinali Signaturae iustitiae praefecto, vel ad effectum comparendi vel pro adeundo eandem Signaturam, tametsi ab eius auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad praedictos alios duntaxat effectus, comparendi scilicet vel adeundi Signaturam expeditas, censeri, non autem ad retardandam executionem vel suspendendum processum ad ulteriora.

§. 47. Denique quoad causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam instantia apud Nos et sedem apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed monitoria in illis coram Camerae Nostrae generali auditore vel eius locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse iuxta praescriptum apostolicarum constitutionum et praesertim fel. rec. Pauli V. praedecessoris Nostri in constitutione, quae incipit: *Universi*, nec non praedictarum additionum et declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala et litigantium incommoda volumus, omnino renovari et observari stylum, qui olim in eo tribunali vigebat, id est, quod ad eiusmodi monitoriorum expeditionem non aliter procedatur quam oblato prius ipsi auditori vel alteri ex eius locumtenentibus, coram quo monitorium expediendum erit, supplici libello universam facti speciem clare et dilucide continente, et praevio etiam eiusdem iudicis rescripto, quod monitorium expediri possit, penes causae notarium vel actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter quam praefertur et absque dicto supplici libello ac spe-

ciali iudicis rescripto dicta monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, notarius sive actuarius et substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

§. 48. Omnia et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam iudiciorum methodum restituendam eo impensius ab omnibus exacte custodiri et observari mandamus, quo clarius constat hac Nostra constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges provide sapienterque institutas et temporum iniuria ac hominum fraude obsoletas et novo pontificiae auctoritatis praesidio communiri, ordinem procedendi in causis iam diu praescriptum superioribus et inferioribus tribunalibus a Sacr. Tridentina Synodo, Congregationum decretis et praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus aliisque ordinationibus apostolicis. Ideoque, si ipsi iudices omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint quae tam maturo tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui et quae alieni ministerii partes esse debeant in admittendis ac respective reiiciendis causarum appellationibus: atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita iurisdictionis et auctoritatis praerogativa servetur, sed etiam, ut extinctis prorsus ac radicitus avulsis omnium contentionum et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo tribunalia socientur et inter illa recte agendi disciplina christiano populo utilis et necessaria restituatur.

§. 49. Demum, ut exemplo Nostro omnes praemissorum executioni caute et pro viribus incumbant, et ut praesertim notariis, tabellionibus et eorum actuariis et substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus et expresse mandamus, processus et acta causarum in Nostra Romana curia coram quovis iudice pendentium, ac, inhibitiones, appellationes, monitoria aliasque citatoriales et inhibitoriales litteras, quas ab iisdem notariis eorumque substitutis scientibus vel insciis iudicibus vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci et examinari per fide dignas personas a Nobis opportune deputandas; quae si deprehenderint, easdem inhibitiones contra huius constitutionis formam et ad subterfugienda ordinariorum et episcoporum iudicia quaesito gravaminis colore fuisse perperam concessas et expeditas, in eosdem notarios et substitutos canonicis poenis aliisque a Nobis supra expressis severe pro modo culpae animadvertant.

§. 50. Decernentes, has praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praefatae Cardinales etiam de latere legatos et eiusdem sedis nuncios aliosve quoslibet quacunque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 51. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dom. MDCCXLII. III. Kal Apr. Pont. Nostri anno II.

P. Card. Prodatarius.	*D. Cardinalis Passioneus.*
Visa de curia.	*N. Antonellus.*
I. B. Eugenius.	Registrata in secretaria brevium.

Public. die 18. Aprilis eiusdem anni.

(Bull. Bened. XIV. Tom. I.)

XXVI.

Ad Sess. XXIII. c. 1.

Pii V. Const. *Cupientes*, qua ecclesiarum parochialium rectores, quibuscunque privilegiis etiam apostolicis non obstantibus, residentiae legem observare iubentur, dat. VIII. Id. Iul. MDLXVIII. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

XXVII.

Ad Sess. XXIII. c. 8.

INNOCENTIUS EPISCOPUS (XII.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam

Speculatores domus Israel, quae est S. Dei ecclesia per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiae Nostrae studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculam reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui digne possint dominica sacramenta tractare ac aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.

§. 1. Sane hoc inito consilio non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et iustitia per ordinatissimos ecclesiasticae militiae gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes iuxta priscum ecclesiae morem praescriptis a iure temporibus orationi et ieiunio consecratis haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora huiusmodi et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri sacrilegi hodie sacerdotes, heri profani hodie sacrorum antistites, veteres vitio virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum iuxta constitutas a maioribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati ac multo tempore didicerint quae postmodum alios docere tenentur; ceterum per ea ipsa indulta, quae super praemissis parcius quidem ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Concilii Tridentini decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos episcopi pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum assumendas iudicaverint, praescribunt disciplinam nequaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad indulta huiusmodi exequenda episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui iuxta Apostoli monitum nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere praeripi passuros quae vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes insuper et singulos, cuiuscunque tandem gradus ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex huius sanctae sedis gratiae sacros ordines praefatos extra eadem tempora conferendi vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse iudicii oporteat, serio monitos voluimus, ut praescriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant nec eos cuiusvis consuetudinis aut exempli praetextu ullatenus transgrediantur.

§. 2. Verum quo impensius apostolicae gubernationis curam et cogitationes in haec intendimus, eo maiori cum animi Nostri dolore ex quamplurium venerabilium fratrum Nostrorum archiepiscoporum et episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui, propriae salutis immemores, clericales ordines sibi forsan a propriis praesulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis denegari merito verentur, ab alienis episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas, quae ad ipsos non pertinent, oves in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum praelatorum commeatu, hoc est dimissoriis commendatitiisve eorum litteris destituti, quinimo eis insciis et sae-

pe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii seu etiam familiaritatis ac continuae ordinantium episcoporum commensalitatis quaesitis titulis in sacrarum legum fraudem et contemptum illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placere velle praesumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: Non requiret.

§. 3. Hinc est quod Nos ex commissae Nobis divinitus apostolicae servitutis munere, abusus, fraudes ac scandala huiusmodi penitus et omnino e medio tollere ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. contra male ordinantes et male ordinatos, quae incipit *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus et ordinationibus inhaerentes illasque quoad ea, quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quaecunque antehac super praemissis ab ipsorum cardinalium congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad earundem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio ac etiam motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine ad omnipotentis Dei gloriam, ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem totiusque Christiani populi aedificationem hac generali Nostra et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus: nulli episcopo seu cuiusvis loci ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis seu domicilii iuxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei, statim ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit, conferendi seu ad quod is a patronis iam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expresse adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum, qui legitime iam a proprio episcopo ad eandem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo ratione ac titulo cuiuscunque beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit. Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii in aliena dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius episcopi, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo huiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum eius sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem sive iuxta taxam synodalem sive ea deficiente iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines detractis oneribus per se sufficiat illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacunque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret; ac episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris quam de reditu beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

§. 4. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti occasione, nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco, quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario eius loci litteras testimoniales ut supra obtinere illasque episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur.

§. 5. At si pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime ut praefertur

contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is duntaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suae originis testimoniales litteras ut supra afferre debebit ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

§. 6. Ad haec nullus episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores ordines vel etiam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque eius proprii originis scilicet seu domicilii praelati testimonialibus litteris ut supra, et nisi ad praescriptum Concilii Tridentini praefati Sess. XXIII. cap. 9. de refor. familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam iuxta modum superius praefinitum sufficiat, quacunque fraude cessante statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis huiusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac litterarum praedictarum mentionem facere teneatur.

§. 7. Porro, ut quicunque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscunque ab alienis episcopis quavis auctoritate etiam cum suis commendatitiis litteris promotos nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti Sess. XIV. cap. 3. de reform. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de huiusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita et quandiu ei expedire videbitur, supendere illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

§. 8. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

§. 9. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac eosdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos et sedis nuncios aliosve quoslibet quacunque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnat. Dom. MDCXCIV. pridie Non. Nov., Pont. Nostri anno IV.

(Bull. Rom. Tom. IX.)

XXVIII.

Ad Sess. XXIII. c. 10.

BENEDICTUS EPISCOPUS (XIV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Impositi Nobis licet immerentibus apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudentur effectibus, novis et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Sane quae olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet regulares a quocunque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id iuris privative pertineret ad episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus et declarationibus iamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia episcopi locorum ordinarii iura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis, quae regularibus indulta sunt, aiebant ipsorum ordinationes utpote dioecesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuncium remittunt; neque porro ad ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci, in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero regulares apostolicis privilegiis innixi, quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant, sacros ordines a quocunque catholico antistite iuxta eorum privilegiorum tenorem pro arbitrio suscipere.

Verum cum felicis recordationis praedecessor Noster Gregorius Papa XIII. per suam apostolicam constitutionem quae incipit *In tanta rerum*, datam apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae MDLXXIII Kalendis Martii, iustis gravibusque de causis alteram constitutionem sui Nostrique pariter praedecessoris S. Pii Papae V., cuius initium est *Etsi mendicantium*, ad iuris communis et sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis dioecesum, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur lib. I. decretorum Congregationis Concilii pag. 75. a terg. dub.: « *An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam ordinarii, in cuius dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius dioecesis? Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia sacrae Congregationis Concilii declaravit obligari.* »

Contingit autem sub illius successore Xyxto Papa V. eandem quaestionem retractari instante universo ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor post maturum causae totius examen in praefata Congregatione Concilii habitum constituit, licere superioribus regularibus litteras dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos, sed eas tamen dioecesano duntaxat episcopo directas nec alteri unquam, nisi cum forte is a dioecesi abfuerit aut quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur lib. IV. praedictorum decretorum p. 108. « Sanctissimus Dominus noster Xyxtus V. ex sententia Congregationis respondit: regulares posse concedere dimissorias ad episcopum dioecesanum, eoque absente vel etiam praesente et ordinationem non tenente ad quemcunque; dummodo ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. »

Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII. ad huiusmodi controversias perpetuo extinguendas sequens decretum editum fuit: « De mandato sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcunque regularium superioribus, ut de cetero observent et obser-

vari faciant ea, quae in decreto sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit; et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum; dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio eiusdem sanctissimi Domini Nostri Papae reservatas incurrant. In quorum fidem etc. Datum Romae die 15. mensis Martii 1596.

Hoc emanato pontificio decreto eoque tam claris verbis concepto, iure sperandum videbatur, huius generis lites non amplius auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri, ex altera vero regulares, obtendentes in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum ordinibus sive directe sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocunque catholico antistite ordinari possent, huiusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Verum quod attinet ad episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni MDCLIV. ut notatum reperitur libro XIX. ipsius decretorum pag. 316., ita rescripsit: «Regulares volentes se promoveri ad ordines, non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.» Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Martii anni MDCLXXIV. decretorum libro XXVIII. pag. 261. et sequentibus.

Quod vero spectat ad regulares, cum eorum praesumptum ius una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis in quadam congregatione particulari nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a felicis recordationis praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes Nostram qualemcunque operam pro demandato Nobis secretarii munere contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset; cumque ad huiusmodi quaestionem definiendam id potissimum visum esset in iure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a praefati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo huiusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat, an vero oporteret, eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum; ac praeterea, an huiusmodi privilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt: idem Innocentius praedecessor audito praefatae congregationis particularis consilio, decrevit: satis esse ad supradictum effectum, quod huiusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero communicatione privilegiorum de uno in alium ordinem derivata afferantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis apostolicis litteris incipientibus *Apostolici ministerii* die 30. Maii anni MDCCXXIII. datis ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII. per alias similes litteras datas die 23. Septemb. anni MDCCXXIV., quarum initium est *In supremo*, aperte declaravit his verbis: « Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piae memoriae Clemente VIII. praedecessore etiam Nostro confirmatum die 15. Martii 1596. quo sancitur, ad episcopum dioecesanum litteras dimissorias pro eorundem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo dioecesanus a dioecesi abesset vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de prae-

dicta episcopi dioecesani absentia vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen quoad praedicta regularibus illis, quibus per speciale privilegium a sede apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. »

Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extricandis inutilibus quaestionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praeiudicata opinio pro ratione atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim Nobis in Nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet nullaque interiecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur, quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito inter impress. monit. 3. lib. 11.; neque rursus ex quo ad universalis ecclesiae regimen Deo sic disponente assumpti fuimus, plurimum episcoporum fratrum Nostrorum querelae ad apostolatum Nostrum delatae fuissent, qui nimirum non sine magno animi Nostri dolore apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari in spretum ecclesiasticarum legum atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur; (siquidem in autographo supra relati Clementini decreti distincte legitur *incurrant*; non autem, quod falso nonnemo asseruit, *incurrent*) dum scilicet superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum eiusdem decreti dimissorias litteras concedunt, suorum officiorum ac dignitatum et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa proprio domicilio relicto iter arripere; quam ut se subducant examini episcopi dioecesani, cuius hac in re iurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine ordines ipsis impertiatur; quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquunt. Ea siquidem Sess. XXIII. cap. 12. de reformatione sic statuit: « Regulares quoque nec in minori aetate nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis. »

Nos autem, consueta sedis apostolicae clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniae ad Nos delatae fuerunt. Quaecunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt a districtioris iudicii inquisitione liberamus; quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscunque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostrae plenitudine ac de apostolica benignitate tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsan causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas motu proprio et ex certa scientia Nostra ac matura deliberatione praemissa edicimus atque statuimus.

Quaecunque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus Nostris Gregorio XIII., Xysto V., Clemente VIII. et Innocentio XIII. in supra citatis ipsorum litteris seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis earundem praesentium serie confirmamus, roboramus et innovamus;

atque ab omnibus, ad quos spectat seu quandocunque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et iubemus; transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subiacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus; superiores nimirum regulares eas omnes, quas ut praefertur supradictus Clemens VIII. praedecessor constituit et sanxit; regulares autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint, et antistites eos promoventes, canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, necnon adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes in iure canonico et in constitutionibus apostolicis statutae habentur.

Praeterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriae, quae ideo ad alium antistitem directae fuerint, propterea quod episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit attestatio vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii eiusdem episcopi dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a dioecesi abesse vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est ad excludendam nonnullorum arrogantiam qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut, si quandocunque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, iam dici posset ordinationem ab episcopo non haberi proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua dioecesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus sine adiuncta praefata attestatione in forma probante ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus, hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo huiusmodi privilegia post Tridentinum Concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint, ita porro omnia similia privilegia, quae aliis ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum ab ipsa etiam apostolica sede et sub quibuscunque tenoribus et formis indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore nulla et irrita omnique vigore ac robore ad effectum de quo agitur penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus, decernentes huiusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem re ipsa fuerint concessa, vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse afferantur, huiusmodi confirmationes *in forma specifica* cum litterali veteris indulti insertione eiusque expressa innovatione factae dignoscantur; ac declarantes alterius generis confirmationes, quae *in forma communi* nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorundem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem iuxta praemissa pleno iure competere dignoscuntur, ut non sine iusta causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius episcopi dioecesim consulto migrant moxque suscepto ibidem ordinationis munere ad pristinum domicilium redeunt, idque se facere aiunt, ut iurium suorum indemnitati consulant, quasi vero apostolica privilegio nonnisi cum aperto episcopi dioecesani contemptu suam vim et robur habitura forent.

Denique tam venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio per misericordiam Dei Nostri et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in ceteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sincerae dilectionis concordiam ser-

vare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus sanctus posuerit episcopos regere ecclesiam Dei, quod ipsis a sacrosancta oecumenica Lateranensi synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit per haec verba: «Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae ut eosdem episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos pro debita et Nostra ac apostolicae sedis reverentia congruo honore et congruenti observantia venerentur. » Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adiutores in dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta synodus: « Ipsos quoque episcopos hortamur ac per viscera misericordiae Dei Nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent ac benigne foveant etc. et tanquam in agro dominico cooperatores eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant. » Demum et episcopi et regulares simul animum advertant ad id quod ibidem subiicitur: « Una est regularium et saecularium praelatorum et subditorum exemptorum et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos, qui eiusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis. »

Haec profecto Christianae veritatis et charitatis documenta, cum utrimque servata fuerint; omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare praeterquam in temporibus ab ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementini observantiam advenientibus ordinationum temporibus subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti iubeant; siquidem regulares huiusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coërcendam fore noverint) tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros ecclesiarum antistites observantiae contrariam esse ipsi per se facile cognoscent.

Praesentes vero nostras litteras et in eis statuta quaecunque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes, emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcunque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos et apostolicae sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet quacunque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ei interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCXLVII. III. Kalend. Martii Pont. Nostri anno VII.

D. Card. Passioneus. I. Datarius.
Visa de curia *I. C. Boschi.*
I. B. Eugenius.

Loco + Plumbi. Registrata in secretaria brevium.

Publicata die 4. Martii 1747.

(Bull. *Bened.* XIV. Tom. II.)

—

XXIX.

Ad Sess. XXIII. c. 15., XXIV. 4. XXV. 11. 5.

GREGORIUS EPISCOPUS (XV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili Dei providentia ecclesiae regimini meritis licet imparibus praesidentes, pastoralis Nostrae sollicitudinis partes esse dinoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancta administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. Sane Tridentinae synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum etiam regularem posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

§. 2. Nec non ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam saeculares quam regulares eiusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita.

Itemque ut episcopi universi sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis apost. auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata est, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas quacunque appellatione postposita compescentes.

§. 3. Atque ut regulares in ecclesiis suorum ordinum praedicare volentes, se coram episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur, in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine episcopi licentia, contradicente autem episcopo nulli, etiam in suorum ordinum ecclesiis, praedicare praesumant.

§. 4. Verum, quia experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione Nostra et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine hac generali ac perpetuo valitura constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant, sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio aut in eorundem sacramentorum aut alicuius ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant in his, quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi tanquam sedis apostolicae delegati plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam regulares quam saeculares nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter tanquam apostolicae sedis delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.

§. 5. Confessores vero, sive regulares sive saeculares quomodocumque exempti tam ordinarii quam extraordinarii ad confessiones monialium etiam regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eadem monasteria sanctimonialium etiam regularibus subiectarum pertinentia, sive regulares extiterint sive saeculares quomodolibet exempti, episcopo loci adhibitis etiam superioribus regularibus singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant. Liceatque episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores atque administratores removeant, iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amo-

vendi, quoties et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit episcopus una cum superioribus regularibus quarumcunque abbatissarum, priorissarum, praefectarum vel praepositarum eorundem monasteriorum, quocunque nomine appellantur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere, absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat episcopus tanquam dictae sedis delegatus auctoritatem coercendi ac puniendi quoscunque exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quae suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum non petita illius benedictione aut ipso contradicente praedicare praesumpserint, ita ut episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas in praemissis omnibus et singulis aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas aliasque poenas uti eiusdem sedis delegati procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant.

§. 7. Decernentes sic per quoscunque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam S. Palatii auditores, necnon S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus etc. Dat. Romae ap. S. Petrum anno incarn. Dom. MDCII. Non. Febr. Pontif. Nostri anno II.

—

Subsequuntur dubia super hac const. exorta:

Posita constitutione Gregorii PP. XV. de exemptorum privilegiis etc. dubitatur:

I. An liceat episcopis visitare altaria regularium ecclesiarum, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae sacramentum vel ubi audiuntur confessiones personarum saecularium?

II. An episcopi possint regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere ac moderari in sacramentis administrandis?

III. An facultas episcopis per constitutionem attributa in exemptos tam saeculares quam regulares intelligatur etiam tributa in personas nullius dioecesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus praelatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi episcopalem habentibus?

V. An per eandem const. in illis verbis: « possit episcopus etc. » (§. 5.) ius abbatissas confirmandi episcopis attributum censeatur?

VI. An confessores monialium ante editam constitutionem deputati debeant ab episcopo examinari et approbari?

VII. An superiores regulares similiter ante ipsius const. publicationem electi seu deputati alia indigeant episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?

VIII. An confessiones, quas audiunt superiores regulares electi seu deputati vel confirmati post publicationem et scientiam dictae bullae, non obtenta episcopi approbatione sint nullae atque irritae nec ne?

IX. An regulares generaliter ab episcopo approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum?

X. An regularis ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatus confessiones monialium alterius monasterii audire possit?

XI. An confessores regulares extraordinarii semel ab episcopo deputati et approbati ad audiendas monialium confessiones pro una vice ad annum ad praescriptum S. Conc. Trid., possint virtute dictae approbationis pluries tanquam confessores extraordinarii earundem confessiones audire absque nova episcopi licentia?

XII. Cum in eadem const. statutum sit, ut liceat episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut amoveant confessores monialium atque administratores bonorum ad eorundem monialium monasteria pertinentium, iisdemque superioribus id facere detrectantibus habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit: an eiusmodi causam epi-

scopus superioribus regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem const., qua parte supponit episcopi iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium aut circa clausuram vel bonorum administrationem eorundem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis et cum scandalo populi?

—

S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. censuit, const. s. m. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis nequaquam subiicere regulares exemptos, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, episcoporum iurisdictioni in his, quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis saecularibus administrandis iidem regulares delinquant, ac propterea

Ad I. resp.: episcopis non licere in vim eiusdem const. visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec loca, ubi in iisdem ecclesiis observatur SS. eucharistiae sacramentum vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte const. nihil novi iuris induxisse nec ullam novam auctoritatem episcopis in regulares attribuisse, ideoque in vim ipsius const. non posse episcopos regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in sacramentis administrandis restringere aut moderari. Quodsi aliunde episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem const. sublatam.

Ad III. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi episcopis tributam in personas nullius dioecesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi abbatissas minime fuisse episcopis per const. attributum.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios monialium nullatenus posse post const. illarum confessiones audire, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur et approbentur. Ordinarios vero confessores ante const. publicationem deputatos posse durante triennio ab eorum deputatione inchoato pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine et approbatione episcopi. Quodsi contingat, ut illorum facultas a sede apost. ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab episcopo examinari et approbari.

Ad VII. Superiores regulares electos seu deputatos ante ipsius const. publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quae sponte ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post const. eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis seu dignitatibus expleto iam tempore a constitutionibus cuiusque ordinis vel alias legitime praefinito ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire nisi prius a dioecesano episcopo idonei iudicati atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse.

Ad IX. Regulares generaliter ab episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatum minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse plures in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire, sed ab episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri eiusmodi causam significare superioribus regularibus, sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae episcoporum, quorum conscientias S. Congr. serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Const. habere locum in o-

mnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum populi scandalo.

Quae S. Congr. responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. et SSimus D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. *Gaietanus.*
Prosper Fagnanus S. C. Secr.

I. An regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens, a dioecesano episcopo tanquam apost. sedis delegato coerceri et puniri possit.?

S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpr. censuit *posse*, quam Congr. sententiam SSimus D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

II. An liceat episcopo in vim const. s. m. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, punire regulares, qui ad abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus praenunciata?

S. Congr. Card. Conc. Trid. Interpret. resp.: regulares ex eadem const. ita demum teneri episcopo significare diem electionis abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, abbatissarumque electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere. Post eam vero declarationem licere episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum aut die electionis eidem non praenunciata ad abbatissae electionem procedunt.

Cosm. Card. *de Torres.*
Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.
(Bull. Rom. T. V. P. 5.)

XXX.

CLEMENS EPISCOPUS (X.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superna magni Patris familias praeordinatione, creditum Nobis universalis ecclesiae mysticum agrum circumspecta providentia custodire atque extollere (quantum ex alto creditur) satagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos et operarios componi, iurgia tolli, scandalis atque offensionibus aditus praecludi, ut quibus una fides, una mater ecclesia, et unus Dominus, qui charitas est et pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum atque anima una; sic etenim evulsis opportune zizaniis, dum plantamus et rigamus, incrementum dabit Deus, quo benedicente messis multa cum fructu centesimo coeleste in horreum congregabitur.

§. 1. Sane cum Sac. Concil. Tridentini decretis provide statutum fuerit, ut regulares cuiuscunque ordinis nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in aliis suorum ordinum praedicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant, in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam episcopi licentiam, gratis ab eo dandam, habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint; atque ut nullus saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, praedicare praesumat; itidemque cum nullus sacerdos regularis possit confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacunque non obstantibus: innotuit Nobis, dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen et approbationem eiusmodi, in aliquibus dioecesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiae et dissensiones permultae in dies subsequi possent occasione privilegiorum, quae per sedem apostolicam religiosis ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quod alias diversis temporibus praedictae dubitationes et controversiae nonnullis praedecessorum Nostrorum Summorum Pontificum constitutionibus earumque declarationibus definitae fuerint, eiusmodi definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissentionum tollantur semina, et in posterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, apostolatus officio, novis apostolicis litteris muniendas duximus et

roborandas. Itaque de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum pietate, doctrina et prudentia praestantium, et matura deliberatione Nostra atque ex certa scientia, hac generali et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus.

§. 3. Regulares, qui in ecclesiis sui ordinis praedicare voluerint, teneri ab episcopo dioecesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quodsi episcopus benedictionem nedum non concesserit, et etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis licere regularibus praedicare, eosque contravenientes ab illo, tanquam sedis apostolicae delegato, censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim constitutionis fel. record. Gregorii XV. praedecessoris Nostri incipientis *Inscrutabili Dei providentia* coerceri et puniri posse. Episcopum tamen absque iusta et rationabili causa contradicere non debere, et huiusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscunque oratoriis sui ordinis sermonem coram populo, vel in ecclesiis, aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis et nullus saecularis ibi intercesit, habere voluerint. Posse autem episcopum, licentiam concessurum regularibus in ecclesiis, quae suorum ordinum sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam praedicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum praedicent.

§. 4. Ad haec religiosos ab episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos non posse in alia dioecesi eas absque episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius episcopi, a quo ipsi religiosi iam fuerant approbati, et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit, ceterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi iuxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares quam confessores regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis ceterorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos; quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi episcopi approbantis quovis anni tempore etiam paschali et quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi; sufficere tamen, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

§. 5. Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quae incipit *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad eiusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet episcopo, secus autem ab eius vicario aut ab eius antecessoribus episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab iisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri

episcopum ipsis regularibus significare, sed sedi apostolicae duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§. 6. Porro si regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili episcopi iudicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum praecipua ministri sacramenti poenitentiae qualitas sit vitae integritas ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit episcopus regulares a semetipso approbandos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis; attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo inconsulta sede apostolica nullatenus posse. Ex facultate per Mare magnum aliave privilegia regularibus cuiuscunque ordinis, instituti aut societatis, etiam Iesu, concessis factam eis non posse potestatem absolvendi in casibus ab episcopo sibi reservatis, et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares a sede apostolica post S. Concilium Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio aut deinde apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quae habeant, absolvendi a casibus episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi apostolicae reservatis non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere, posse autem regularem confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus etiam satisfacta parte absolvere poenitentes a censuris quoad externum et iudiciale forum, et absolutos ab eis in foro poenitentiali utique non censeri absolutos in exteriori iudicio et contentioso, quin imo censuris ecclesiasticis irretitos et denunciatos ab episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium apostolicis privilegiis coram episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint et ambigua, non esse ad metropolitanum provocandum, sed cum eius sit interpretari, cuius est concedere, dictorum privilegiorum interpretationem sedis apostolicae iudicio, prout alias constitutione praedecessoris nostri fel. record. Clem. IV. statutum fuit, esse relinquendam.

§. 8. Decernentes, sic et non alias per quoscunque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate et dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, et nuncios et quosvis alios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarn. Dominicae MDCLXX. XI. Kal. Iulii, Pontificatus Nostri anno I. (Bull. Rom. T. VII.)

XXXI.

URBANI VIII. Const. *In specula,* qua CLEMENTIS VIII. Const. *Romani Pontificis* d. 23. Nov. MDXCIX. de facultate eligendi confessarium ad regulares utriusque sexus non extendenda confirmatur, dat. 19. Iun. MDCXXX. (Bull. Rom. T. VI. P. 1.)

XXXII.

BENEDICTI XIV. Const. *Apostolica* de indultis apostolicis eligendi confessarium ab ordinario approbatum pro absolutione a criminibus aut censuris reservatis. dat. Non. Aug. MDCCXLIV. (Bull. Bened. T. I.)

XXXIII.

Ad Sess. XXIV. Decr. de ref. matr.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Satis vobis compertum esse non dubitamus, venerabiles fratres, eam semper fuisse piae matris ecclesiae vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, *magnum* ab apostolo nuncupatum, publice et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius quam antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, sancta Tridentina synodus Lateranensis concilii sub Innocentio III. celebrati vestigio inhaerendo praecepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie ecclesiae coram parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus praesentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta Synodus, apud parochum diligenter librum custodiri, in quo coniugum et testium nomina, diesque et locus matrimonii describantur.

§. 1. Providae tamen huiusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur et in tenebris ignorantiae perpetuo iaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari, nullis praeviis factis denunciationibus, coram solo parocho vel alio sacerdote de eius licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi saepe extra ecclesiam, quandoque etiam intra illam, ianuis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cuiusvis praesentia, scientia initi matrimonii praeter parochi, contrahentium testiumque personas alios penitus effugiat.

§. 2. Quantum a sacramenti dignitate et ab ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec matrimonia, *conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque coniicere poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini iudicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia, spe futuri matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorundam vero mentem ita pravae cupiditates excoecant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum et nondum prioris coniugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in huius magni sacramenti contemptum post primas secreto initas, alteras aut publice aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcunque matrimonii suspicionem submovendam virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae et erunt duo in carne una.* Sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit et ab omnibus ignoratur.

§. 3. Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus et a matre praesertim amotam, nec pie nec liberaliter institui, sed incertis fortunae casibus obiectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi contra naturae leges ausu nefario illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam instituendamque humanitas ipsa compellat, alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avi-

tarum facultatum et bonorum iactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament iura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum matrimonia et ademptam legitimitatis et filiationis probationem.

§. 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiis familias contra patris iuste dissentientis voluntatem ; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem, latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones et beneficia ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retineant, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

§. 5. Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis quam latiore calamo explicanda malorum congeries cum ex hac apostolicae sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin vos ipsos, venerabiles fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem et zelum excitemus ad custodiendas vigilias super gregę vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen abducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re episcopos versari, non obscura vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho et duobus testibus praesentibus matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

§. 6. Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne post remissas denunciationes celebretur matrimonium coram parocho vel alio sacerdote ab ipso parocho vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur. A sacro nostrae Poenitentiariae tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. Facile enim quisque coniiciet, quam absonum esset, eos a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos ad palam contrahendum matrimonium praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat, sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulto celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

§. 7. Hunc porro in scopum vos hortamur et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio : an scilicet eius qualitatis, gradus et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui vel alieni iuris ; an filii familias, quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara et indubia et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

§. 8. Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen vobis occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur : gravi impellente causa, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate et doctrina et obeundi muneris peritia commendatur.

§. 9. Uni tamen aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate coniuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro, ac Christo iudici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus a maioribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§. 10. Celebrato autem matrimonio indilate a parocho vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci et temporis testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Huiusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus et sigillis obsignatus in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus, et eo tantum casu resignari et aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet iustitiae administrandi necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia; sedulo tamen advertentes, quod re absoluta denuo claudatur et sigillis ut antea obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandae vobisque exhibendae transcribantur in dicto libro, prout iacent, de verbo ad verbum, a persona a vobis deputanda, quae apud omnes integritatis probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero et attestationes ipsae in secretiori loco sartae tectaeque a vobis serventur.

§. 11. Quod si ex occulto huiusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum et eorum nomina consulto reticeri: volumus ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto ab illius matre suscepta proles vobis denuncietur; dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum, baptizata est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum ac utriusque parentis nomina referuntur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia iisdemque cautelis in cancellaria episcopali clausus et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

§. 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant et nostris hisce mandatis parere negligant, debita poenarum districtione pro modo culpae a vobis puniantur. Quinimo cum satis Nobis experientia compertum sit, in huiusmodi negotiis homines in terram oculos declinantes ob humanos respectus tardiores effici et a recte agendi semita revocari: mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari et nota fieri, si certo vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§. 13. Ne autem contumaces et inobedientes violatae fidei proditique secreti pastores suos insimulent, sedulo a vobis curandum est, ut a parocho vel alio sacerdote pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputanda, coniuges clare et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuncietur episcopo cum nota loci et temporis administrati sacramenti ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est; alioquin matrimonium, licet contractum data per episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum et ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam iacturam.

§. 14. Volumus denique ac mandamus, fides seu attestationes matrimonii clam initi et sobolis ex eo procreatae excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud vos caute custodiendis, tantam pro-

mereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis et matrimonii vindicare consueverunt.

§. 15. Haec a vobis, venerabiles fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus ad communem animarum salutem et ad praesidium ecclesiasticae disciplinae propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis vel reformidantis. Ceterum Nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternae charitatis et benevolentiae testem apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die 17. Nov. MDCCXLI. Pont. Nostri anno II. (Bullar. Bened. T. I.)

XXXIV.

DILECTO FILIO NOSTRO HENRICO SANCTAE MARIAE IN PORTICU S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DUCI EBORACENSI NUNCUPATO.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Singulari Nobis consolationi, et universis totius orbis ordinibus exemplo est illa tua, quam assiduam cernimus et audimus, exercitatio in pietatis muneribus obeundis, iisque in primis, quae decent ordinem sacerdotalem, quo tute a nobis fuisti in privato sacello nostro initiatus. Iudaeum autem ad catholicam fidem accedere cupientem cum sis propediem sacro baptismatis lavacro expiaturus, mirifice hinc ostendis, ea verba te semper in mente gerere, quae iuxta pontificale Romanum in tui consecratione protulimus: « Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. »

§. 1. At exorta, uti accepimus, haec controversia est, utrum scilicet, cum Hebraeus e secta protestantium uxorem duxerit, quae aut haeresim eiuravit aut eiurandae parata est, utrum, inquam, initum antea matrimonium post susceptum ab Hebraeo baptisma sit iterandum. Te igitur hac nostra epistola certiorem facimus, ambos, postquam catholicae fidei nomen dederint, per baptismum alter, altera per haeresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo coniungendos. Nam quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitatis cultus:* in qua re declaranda sermonem primo de viro, tum de muliere instituemus, diligenter investigantes, an eorum uterque, dum connubium iniit, illius esset impedimenti vinculo irretitus.

§. 2. Initium igitur a viro sumimus ac breviter indicamus, quidquid hac in re tum Hebraica lege sancitum, tum principum decretis constitutum sit, omissis sacris ecclesiae canonibus, cum nullo modo possint iis accomodari, qui nunquam in eius sinum admissi sunt. « Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? » Sic S. Paulus epistola I. ad Corinth. cap. V. scripsit, cuius verba apte ab Urbano III. praedecessore Nostro ad rem nostram accommodata sunt cap. *Gaudeamus* de divortiis.

§. 3. Deuteronomii cap. 7. cautum est, ne Hebraeis liceret cum iis feminis, quarum religio non esset eadem, matrimonio copulari: « Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia; filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. » Et lib. I. Esdrae cap. 10. habetur, Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de Hebraeis esse, qui uxores duxerant infideles, ibique legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur. « Vos transgressi estis et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel, et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum et facite placitum eius et separamini a populis terrae et ab uxoribus alienigenis. »

§. 4. Verum non videtur his sacrarum litterarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus* matrimonia dirimens Hebraeorum cum mulieribus alienigenis. Primum quidem supradictus Deuteronomii locus ad cap. 7. explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint huiusmodi matrimonia, non infecta ac irrita. Hoc magis magisque confirmat, quod lib. III. Regum cap. 11. legitur, iam lata scilicet Deuteronomii lege, Salomonem plures uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere

prohibitum Hebraeis a Deo fuerat; quas quidem non concubinarum loco ab ipso habitas fuisse sacer textus indicat, cum septingentas reginas a trecentis concubinis omnino distinguat. Accedit praeterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem habuit ex gigantum progenie ortam : et sexcenta alia praetermittimus, quorum vim ingenue fatetur, celeberrimus theologus Dominicus *Sotus* in 4. sent. dist. 39. quaest. unic. art. I., licet is sentire videatur, illa Deuteronomii verba de impedimento agere non impediente, ut inquiunt, sed dirimente.

§. 5. Deinde vero, etsi *Soti* sententia vera esset, tamen impedimentum dirimens non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem nationes tantum, id est Hethaeos, Gergezaeos, Amorrhaeos, Cananaeos, Pherezaeos, Hevaeos, Iebusaeos, quae scilicet Deuteron. cap. 7. exprimuntur; id vero nullo pacto sufficit, ut impedimentum disparitatis cultus in Hebraica lege inter Hebraeos et mulieres alterius cultus et cuiuscunque nationis stabiliatur; iuxta egregiam S. Thomae doctrinam, qui in 4. senten. dist. 39. quaest. 1. art. 1.: « Ad primum » sic scripsit, « dicendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, ut cum iis possent inire coniugia, et de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Canaan, » qui memoratas paulo ante gentes comprehendunt. Quod vero praedicta lege Deuteronomii ad cap. 7. duntaxat tenerentur terrae Canaan habitatores non autem ceteri, licet addicti diversae penitus religioni, id clare perspicitur ex cap. 21. eiusdem Deuteronomii, ubi victoribus Hebraeis conceditur, eam captivam uxorem ducere, cuius forma ipsis egregia videretur. « Et videris in numero captivorum mulierem pulcram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, dormies cum illa et erit uxor tua; » quod quidem et S. Thomas animadvertit loc. cit. in responsione ad secundum.

§. 6. Cum autem Esdras filios Israel a mulieribus alienigenis separaverit, non illud hinc sequatur necesse est, quod is nimirum Deuteronomii caput septimum ita interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus irrita infectaque matrimonia esse iusserit, quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem matrimonii vinculo separatio quoad thorum fieret; ita tamen, ut iure polygamiae nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, donec aut viri occumberent aut ipsae ad Iudaicam accederent religionem, ut sapienter animadvertit insignis Theologus *Gulielmus Estius* lib. IV. senten. dist. 39. §. 3. vers. *Quod si dicas Esdram.* Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui in lib. de adulterinis coniugiis cap. 18. de matrimoniis ab Esdra separatis tanquam de veris loquitur, licet non legitimis utpote contractis Dei praecepto non suffragante.

§. 7. Ex dictis liquet, incertum esse, ex lege Mosaica matrimonia Hebraeorum inita cum mulieribus exteris et religionis alienae haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest, eadem lege cautum fuisse, ut viri huiusmodi matrimonia ineuntes ob disparitatem cultus dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quae incipit *Ne quis*, sub titulo Codicis de Iudaeis, cuius haec sunt verba: « Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat, neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur. Nam si quis aliud huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huiusmodi crimen obtinebit. « Verum duae hic occurrunt difficultates: prima, quod haec lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet. » Leges illae quomodocunque intellectae non possunt praescribere ecclesiae. » Sic *Estius* cit. loco ad §. *Si quis obiiciat.* Gravior altera est. Nam Theodosii lege Hebraei cum Christiana matrimonium ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum, sed ut adulterium severissime damnabatur. « Leges autem imperatoris dicendum est dicta matrimonia ut adulteria punire propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii. » Idem *Estius.*

§. 8. Quamobrem si in matrimonio, de quo nunc agimus, impedimentum disparitatis cultus intercesserit, inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit; quod ut cognoscatur, diligenter est perscrutandum, num iure canonico tale impedimentum decretum fuerit aut communi ecclesiae catholicae consuetudine stabilitum; praeterea an mulier protestantium haeresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum foedus iniit, dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut matrimonium irritum habeatur directe quoad mulierem, oblique quoad virum; licet hic superioris auctoritati, qui legem tulit, non sit obnoxius, eo ferme pacto, quo, si princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset atque ir-

rita declarasset, ea, si forte fierent, inania haberentur, licet non-uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus legislatori.

§. 9. Nunc, ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus iure canonico decretum fuerit, investigamus. Verum facilis explicatio: canones quippe a Gratiano collecti in Causa XXVIII. Quaest. 1. revera fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita. Et quamquam facerent, tamen cum canones illi a conciliis provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis universalis ecclesia obligetur; quamvis praedicti canones in Gratiani decreto locum habeant et illud opus iussu Gregorii XIII. emendatum fuerit, ut in quibusdam nostris operibus iam in publicam lucem editis satis superque a nobis probatum est.

§. 10. Sequitur modo, ut, cum impedimentum illud iure canonico statutum non fuerit, perquiramus, an communi ecclesiae catholicae consuetudine susceptum atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem iure sacrorum canonum, sed generali ecclesiae more, qui pluribus abhinc saeculis viget ac vim legis obtinet. Consulatur Cardinalis *Bellarminus* tom. 3. controvers. de sacram. matrim. lib. 1. cap. 23. vers. *Tertia propositio, Estius* loc. cit. §. *Si quis obiiciat*, et *Natalis Alexander* in theolog. dogmat. et moral. lib. 2. de sacram. matrimonii art. 8. §. *Ceterum est*, recens *Herminier*, tractatu de sacram. tom. 3. pag. 477. Item etiam tom. 3. Conventuum ecclesiasticorum, qui Parisiis habebantur, cum eiusdem ecclesiae archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles lib. 1. convent. 1. §. 3. ubi haec scripta sunt: « Omnes ferme theologi sentiunt, nunquam ecclesiam matrimonia Christianorum cum infidelibus aliquo canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero, quod a religionis diversitate procedit, ab usu consuetudineque ecclesiae vim legis habente statutum fuisse. »

§. 11. Restat denique expendendum, an mulier ex haeresi protestantium, dum Hebraeo nupsit, hac lege universali, ut diximus ecclesiae consuetudine inducta, obligaretur, quae Christianorum cum ethnicis aut Hebraeis matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse iubet. Hac vero in quaestione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum non habet locum in matrimoniis eorum, qui haud sunt baptismate initiati, licet falsam ambo religionem sectentur, neque vim ullam habet in matrimoniis eorum, qui baptisma susceperunt, etsi alter catholicus, haereticus alter fuerit, cum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est in eorum coniugiis, quorum alter baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc catechumenus esset atque ad catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur textu in can. *Cave* 28. quaest. 1. ubi haec habentur: « Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis »; et praeter Sanctum Thomam loc. cit. in responsione ad quintum et praeter *Sotum* loco superius laudato §. *Hinc fit*, idem etiam decernunt *Pontas* in cas. 7. ad verbum: « Impedimentum disparitatis cultus », *Iuvenin.* de sacram. diss. 10. quaest. 2. §. 2. vers. « Quaeres utrum catechumeni », *Sanchez* de matrimonio lib. 9. cap. 12. num. 66. et seq., *Clericat.* de matrim. decis. 26. num. 3. Cum vero haec communis ecclesiae disciplina nunc vigeat, ut innuimus, eique mulier protestantium erroribus addicta subiiciatur, necesse erit, ut matrimonii foedus, quod cum Hebraeo iniit, cum hic baptismate ablutus minime fuerit, per impedimentum disparitatis cultus irritum infectumque habeatur.

§. 12. At obiicere quis forte posset, baptismum, de quo nunc agimus, non quidem a catholico, sed a ministro protestantium collatum fuisse, mulierem vero utpote haeresi mancipatam post susceptum baptisma extra sinum ecclesiae catholicae fuisse, nec ideo eius legibus obligatam. Sed haec diluere facile possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat: Haereticus aliquem baptizando, si formam adhibeat et materiam legitimam, ut in muliere, de qua sermo est, peractum existimamus, is sacramenti charactere insignitur. Hac enim ratione tanquam fundamento et S. Augustinus et veteres patres innitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant, ab haereticis baptizatos rursus esse baptismate initiandos.

§. 13. Deinde id etiam compertum est, eum, qui baptisma ab haeretico rite suscepit, illius vi ecclesiae catholicae membrum effici; privatus siquidem baptizantis error hac eum felicitate privare nequit, si sacramentum conferat in fide verae ecclesiae atque eius instituta servet in his, quae pertinent ad validitatem baptismi. Egregie

hoc confirmat *Suarez* in sua fidei catholicae defensione contra errores sectae anglicanae lib. 1. cap. 24., ubi probat, baptizatum ecclesiae membrum fieri; hoc etiam addens, quod, si haereticus, ut saepius accidit; infantem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo minus ille habitum fidei cum baptismo accipiat.

§. 14. Postremo exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in ecclesia versantes; non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari; ut sapienter *Gonzalez* disserit in cap. *Sicut*, num. 12. de haereticis.

§. 15. Hoc quidem in transfugis ac perduellibus observatum videmus, quos leges civiles a fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque ecclesiasticae privilegia clericalia iis clericis non concedunt, qui sacrorum canonum iussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles aut clericos canonum violatores suorum principum aut praelatorum auctoritati non subiacere.

§. 16. Haec exempla, ni fallimur, pertinent ad quaestionem: ut enim illi, sic haeretici ecclesiae subditi sunt et legibus ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet, in nostra etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier baptismo initiata Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse. Consulatur *Anacletus* lib. 4. decretal. tit. 3. de clandestina desponsatione §. 3. num. 142. et seq., qui praedictae sententiae inhaerens matrimonia ab haereticis inita statuit esse invalida, si impedimentum dirimens ab ecclesia sancitum aut universali lege aut communi consuetudine, quae vim legis obtinet, intercedat.

§. 17. At vero ne silentio aliquid dissimulemus, fatemur, allatas rationes sufficere non potuisse, ut matrimonia, quae in Belgio, absente parocho catholico aut inter haereticos aut inter catholicos et haereticos contracta fuerant, rescinderentur, cum Nosmetipsi decretum fecerimus die 4. Novembris 1741., quo statuimus, prima esse valida, secunda illicita, sed non irrita, quamvis Concilium Tridentinum impedimentum dirimens pro iis matrimoniis statuerit, quae post eius promulgationem non coram parocho catholico et duobus testibus contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est in huius controversiae investigatione, quam anno 1741. explicavimus, Nos ipsos et Nostra et multorum, quos consuluimus, sententia existimasse, firmas certasque manere praedictas antea rationes, sed ad rem, de qua agebamus, minime aptas esse. Ex verissimis si quidem argumentis coniecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, cum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis an. 1741. solutae occasionem dedere; ut commode colligi potest ex suffragiis theologorum, qui hac de re scripserunt, quae Romae in publicam lucem edita sunt in tomo unico foliorum Congregationis Concilii an. 1741. Quo quidem veritas superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo episcopus, si nolit aliquando corrigere aut punire clericum, qui canonum sanctionibus non obtemperat nec privilegiis fruitur, episcopus, inquam, non dubitatur, quin alias, si velit, eum libere possit aut arguere aut punire.

§. 18. At obiici adhuc posse cognoscimus, existimandum esse ecclesiam noluisse impedimento disparitatis cultus ea matrimonia subiicere, quae ab haereticis protestantibus cum Hebraeis contracta sunt, in iis praecipue regionibus, ubi illud, de quo sermo est, initum fuit; cum hoc impedimentum vim ex consuetudine obtineat, nullamque in illis regionibus consuetudinem huiusmodi vigere compertum sit.

§. 19. Respondemus autem, veterem hanc esse quaestionem atque a patre *Lessio* tum excitatam, cum primum Iaponenses et Sinenses a falsorum deorum cultu ad veri numinis religionem transierunt: cum enim idem *Lessius* assereret, nullam apud eos huiusmodi esse consuetudinem, idcirco matrimonia ibidem inter baptizatos et non baptizatos inita esse rata existimabat. Eadem controversia disceptata fuit ab illis, qui in seminario missionum Parisiis degunt. Perlegere etiam fas est dubium a patre *Lessio* excitatum apud *Verricellum* de missionibus lib. 3. de legibus quaest. 79. num. 1., apud *Dianam* in edit. coordin. tom. 6. tract. 1. resolut. 13. sub §. 2., apud *Clericat.* decis. 26. num. 23. Quod vero ab his, qui in seminario Parisiis degunt, discussum est, legi potest in citato conventu 4. de matrimonio, cum ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noail-

les, §. 4. Verum controversiae finis cum constitutus deinde fuerit decernendo, consuetudinem non susceptam posse id efficere, ut sancta sedes, cum coeperunt Sinenses Japonensesque catholicam fidem amplecti, vicariis apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmodum in praedicto §. 4. indicatur, et quemadmodum factum legimus in documento, quod est inter constitutiones apostolicas ad missiones Sinarum et Tunkini spectantes Parisiis editas an. 1676. pag. 38. et inter epistolas Card. *d'Ossat*, Parisiis typis mandatas an. 1627. ep. 311., ubi refertur amplissima facultas missionariis a Gregorio XIII. concessa, ut novos Christifideles provinciarum insularumque Japoniae impedimento illo solverent et liberarent: cumque huiusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur, satis superque id est, ut clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta obiiciebatur; cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat.

§. 20. Quamobrem ad propositum redeuntes compertum habeas, quod, postquam mulier haeresim more solito in idoneo tribunali eiuraverit, ut vero Hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram parocho matrimonium erit iterandum a Concilio Tridentino praescripta forma servata, cum baptismi sacramentum sit ianua ceterorum. Hic autem nos finem imponentes, tibi, dilecte fili noster, tuaeque regiae domui ex animo apostolicam benedictionem impertimur.

Datum apud S. Mariam Maiorem die 9. Februarii 1749. pontificatus Nostri anno IX.

(Bull. Bened. XIV. Tom. III.)

—

XXXV.

SIXTUS PAPA V.

VEN. FR. EPISCOPO NAVARIENSI NOSTRO ET SEDIS APOSTOLICAE IN REGNIS HISPANIARUM NUNCIO.

Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo manifestum est, eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsan quendam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendant, et super hoc diversae lites et controversiae ad tuum et ecclesiasticum forum deducantur, requisivit a Nobis fraternitas tua, quid de huiusmodi connubiis sit statuendum.

Nos igitur attendentes, quod secundum canonicas sanctiones et naturae rationem qui frigidae naturae sunt et impotentes iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quod praedicti eunuchi aut spadones quas tanquam uxores habere non possunt easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam eos, dum se potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres, quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem coniungantur, prava et libidinosa intentione, sub praetextu et in figura matrimonii turpes huiusmodi commixtiones affectare, quae cum peccati et scandali occasionem praebeant, et in animarum damnationem tendant, sunt ab ecclesia prorsus exterminandae; et insuper considerantes, quod ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur: eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut coniugia per dictos et alios quoscunque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum mulieribus praedictum defectum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse declares.

Nos enim ita in praemissis et non aliter per quoscunque iudices et commissarios, quacunque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate,

in quacunque causa et instantia iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel attentari in posterum contigerit, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus etc. Datum Romae ap. S. Marcum sub annulo piscatoris anno incarn. Dom. MDLXXXVII. XXII. Iun. Pont. Nostri anno III.

(Bull. Rom. Tom. IV. P. 4.)

XXXVI.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Pius, Divina Providentia Papa V. attendens per quamdam constitutionem dudum per fel: recor: Pium Papam IV. Sanctitatis suae praedecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus matrimonialibus, pro diversis consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus coniunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectae litterae nullius sint roboris, vel momenti; prout in dicta constitutione plenius continetur, a dispositione iuris communis, et laudabili, ac antiquo Rom: Cur: stylo nimium recedi, ac favorem Matrimonio debitum restringi, volensque propterea iure et stylo praedictis, nec non piae memoriae Gregorii XI. Clementis VI. Rom: Pont: etiam Sanctitatis suae praedecessorum vestigiis inhaerendo, Sacramento et libertati Matrimonii, quantum cum Deo potest, favere, statuit et ordinavit, quod de caetero in quibuscumque dispensationibus, quas pro Matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, et mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixtis ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate sua, et pro tempore existente Rom: Pontifice, aut Sede Apostolica impetrari, vel alias concedi contigerit, ac in litteris, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiet remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, iuxta Gregorii et Clementis praedeces: huiusmodi constitutiones, quas quoad hoc innovavit, et inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, et processus habitos per easdem dispensari, sed his, cum quibus dispensari mandatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, et per omnia suffragari, perinde ac si in litteris, seu commissionibus huiusmodi de proximiore, seu utroque gradu specialis, et expressa mentio facta fuisset; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam sanctae Rom: Eccles: Cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decrevit, constitutionibus Pii Praedecessoris huiusmodi, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscunque.

Placet, publicetur et describatur M.

Lecta et publicata fuit suprascripta Regula Romae in Canc: Apost: anno Incarn: Dom: 1566. die vero Martis, 20. mensis Augusti, Pontif: praefati SS. D. N. D. Pii Papae V. anno primo.

XXXVII.

PIUS EPISCOPUS S. S. DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, et vident oculi aequitatem, officii Nostri debitam prosequimur actionem, si obscuros sacrorum canonum sensus ita aperire studemus, ut piis Christi fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sane licet ex eo, quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, et baptizatum ipsum ac il-

lius patrem et matrem, nec non baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem ; in reliquis personis , quae per antiquos Canones occasione cognationis huiusmodi contrahere prohibebantur , omne impedimentum sublatum esse videatur ; adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus , an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum, vel uxorem suscipientis et baptizatum , necnon inter maritum, vel uxorem suscipientis et patrem, ac matrem baptizati vigeat , propterea quod prohibitum de uno coniuge , de altero etiam prohibitum esse videatur. Nos piarum mentium quieti , et matrimoniorum favori , quantum ex alto Nobis permittitur , consulere volentes , a praecisis verbis Concilii minime discedendum in praemissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiusmodi subesse decernimus et declaramus , quominus inter dictos maritum , vel uxorem suscipientis , et baptizatum, baptizatique patrem et matrem , et quascumque alias personas tam ex parte suscipientis , quam baptizantis et baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas , matrimonium libere et licite contrahi possit, et ita ab omnibus iudicari debere mandamus , atque statuimus , decernentes irritum et inane , si quid secus a quoquam , quacumque dignitate, auctoritate, et potestate praedito, contingerit iudicari ; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscunque. Volumus autem , quod praesentes litterae in Cancellaria nostra Apostolica , et in acie campi Florae de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur : et quia difficile foret , praesentes ad singula quaeque loca deferri , quod earum transumptis, etiam impressis , manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur , si forent exhibitae , vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, decreti, mandati , statuti , et voluntatis infringere , vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit , indignatione omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnat: Domin: MDLXVI. 4. Kal: Decembr: Pontific: nostri anno primo.

Caes: Glorierius.

H. Cumyn.

Visa de Curia Jo: Barengus.

Registrata apud Caesarem Secret.

Anno a Nativ: Domini 1566. Indict: 9. die vero 19. mensis Decemb: Pont: SS. D. N. Pii , divina Providentia Papae V. anno eius primo , retroscriptae litterae Apostol: affixae , et publicatae fuerunt ad valvas Cancell: Apost: et in acie campi Florae per nos Antonium Clerici , et Jo: Andream Rogerium, praefati sanctissimi Domini nostri Papae Cursores.

Stephanus de Olea Magister Cursorum.

—

XXXVIII.

PIUS EPISCOPUS S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romanum Pontificem spectat , Canonicas sanctiones , quae expressum sensum postulare videntur, re diligenter perspecta , ita declarare , et alias providere, ut omnis dubietas de piis Christi fidelium mentibus evehatur. Sane postquam ex eo , quod Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens , per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur , sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo, et secundo gradu coniuguntur, in ulterioribus vero gradibus statuit , matrimonium postea factum non dirimi , a pluribus Christi fidelibus , ut accepimus , est dubitatum, an licet in ulterioribus gradibus huiusmodi matrimonium contractum non dirimatur , adhuc tamen iuxta antiquos canones contrahi prohibeatur. Et propterea Nos omnem ambiguitatem tollere, et animarum tranquillitati, ac matrimonii libertati , quantum cum Deo possumus , consulere volentes , declaramus , et apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus huiusmodi libere , et licite matrimonium contrahi possit. Et ita ab omnibus iudicari debere mandamus , atque statuimus , decernentes irritum et inane , si quid secus a quoquam , quacumque dignitate , auctoritate , et potestate praedito , contige-

rit iudicari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentes litterae in Cancellaria nostra Apostolica, et in acie campi Florae de more publicentur, et inter Constitutiones perpetuo valituras describantur : et quia difficile foret, praesentes ad singula quaecumque loca deferri, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, decreti, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnat: Dom: MDLXVI. 4 Kal: Decemb: Pont: nostri anno primo.

Caes: Glorierius.

Visa de Curia Io: Barengus.

Registrata apud Caesarem Secretarium.

—

Anno a Nativitate Domini 1566. Indict: 9. die vero 19. mensis Decemb: Pontificatus Sanctiss: D. N. D. Pii divina providentia Papae V. anno eius primo, retroscriptae litterae Apostol: affixae, et publicatae fuerunt in valvis Cancellariae Apostolicae, et in acie campi Florae, ut moris est, per nos Jo: Andream Rogerium, et Camillum Cherubinum Cursores.

Stephanus de Olea Magister Cursorum.

—

XXXIX.

Benedicti XIV. Const. *Ad apostolicae*, qua dispensationum matrimonialium causas veraciter exponendas et ab executoribus omnino verificandas esse statuitur, dat. V. Kal. Mart. MDCCXLII. (Bull. Bened. T. I.)

XL.

AD POLONIAE REGNI PRIMATEM, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, DE CONCESSIONE ET EXECUTIONE DISPENSATIONUM APOSTOLICARUM SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Magnae Nobis admirationis nec minoris doloris causa fuit, quod ex fide dignorum relatione certisque gravium virorum litteris accepimus, falsam quandam in isto Poloniae regno opinionem et famam invaluisse ; quod scilicet ab hac apostolica sede, cui Nos licet immeriti divina ordinatione praesidemus, aliquae dispensationes matrimoniales concessae et missae fuerint et hactenus concedi et mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta canonica matrimonio legitime aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter vel etiam uterque haereticam sectam aperte profiteatur. Quod cum nonnisi per iniuriam et intolerabilem calumniam excogitatum sit atque disseminatum, apostolici ministerii Nostri officio deesse Nos arbitraremur, nisi vobis, venerabiles fratres, atque omnibus, ad quos hae litterae nostrae perventurae sunt, testatum ac manifestum redderemus, quae sit in hoc rerum genere perpetua apostolicae huius sedis agendi regula et constans consuetudo, simulque vos omnes et singulos per istud Poloniae regnum sua semper fide et religione commendatum ordinarios praesules constitutos enixe admoneremus et per misericordiam Dei obsecraremus, ut litteras dispensationum matrimonialium, quae pro ipsius regni incolis ab hac sede et curia mittuntur, et ipsi attenti legatis atque expendatis et a vestris quoque vicariis et officialibus accuratissime considerari iubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte peccatum est, non id factum esse apostolicae sedis eiusque officialium culpa, verum aut ordinariis locorum aut eorum ministris, qui transmissas dispensationum litteras nec

legere nec satis pensare curarunt, omnino tribuendam esse.

Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas eius disciplinae, qua semper apostolica sedes catholicorum cum haereticis coniugia reprobavit. Sed aliqua duntaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos et apostolicam sedem non minus integram vigere et religiose custodiri. Hoc est, quod de se ipso suisque temporibus testatus et felicis recordationis praedecessor noster Urbanus Papa VIII. in suis litteris apostolicis datis die XXX. mensis Decembris anni MDCXXIV, quae leguntur apud Cardinalem Albitium in libro, cui titulus *De inconstantia in fide* cap. 37. num. 217. ubi ita scribit: « Licet probe teneamus catholicorum cum haereticis matrimonia omnino fugienda esse et quantum in Nobis est, a catholica ecclesia procul arcere intendamus. « Nec minus aperte sententiam suam declaravit piae memoriae praedecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in litteris die XXV. Iunii anni MDCCVI. datis et editis in collectione ipsius brevium et epistolarum Romae vulgata anno MDCCXXIV., ubi pag. 321. sic legitur: « Maioris momenti esse existimamus, ecclesiae Dei, apostolicae sedis, praedecessorum Nostrorum et sacrorum canonum, a catholicorum cum haereticis coniugio abhorrentium regulas, nisi id totius Christianae reipublicae bonum exposcat, non transgredi; » et in aliis litteris datis die XXIII. Iulii anni MDCCVII. in eadem collectione relatis pag. 391: « Ecclesia siquidem ab huiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis nec parum spiritualis periculi prae se ferunt, abhorret. »

Sed et nostrum hac de re iudicium satis patere arbitramur ex decretali rescripto auctoritate Nostra edito die IV. Novembris anni MDCCXLI., et impresso Tomo I. Bullari nostri num. XXXIV. §. 3., cuius verba sunt quae sequuntur: « Dolens imprimis quam maxime Sanctitas sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta mater ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant, episcopos omnes et vicarios apostolicos, parochos, missionarios et alios quoscunque Dei et ecclesiae fideles ministros in iis partibus, Hollandiae videlicet et Belgii, degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem adeundis quantum possint absterreant easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant; » et quae paulo post subiecta sunt, ubi de iam contracto catholicae partis cum altera haeretica connubio haec habentur: « Id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem catholicum sive virum sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat ac veniam a Deo precetur coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide aberrantem ad gremium catholicae ecclesiae pertrahere eiusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandum opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri. »

His autem veluti fundamentalibus apostolicae sedis regulis eiusdem agendi ratio constanti usu recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contingit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur, sive praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu aliove canonico impedimento, quod inter contrahentes intercedat, neque licentia neque dispensatio conceditur nisi hac expressa lege seu conditione adiecta, nimirum abiurata prius haeresi. Quin etiam recolendae memoriae praedecessor Noster Innocentius Papa X. ulterius progrediens iussit et cavit, ne dispensationes huiusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset, haereticam labem a contrahente heterodoxo eiuratam fuisse; quod testatum reliquit laudatus Cardinalis Albitius congregationis universalis inquisitionis tunc temporis assessor, in supracitato tractatu de inconstantia in fide cap. 18. num. 44. Praefatus vero praedecessor Clemens XI. in Congregatione sancti officii coram se habita die XVI. Iunii anni MDCCX. mandavit, inhiberi per litteras archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis re ipsa praecessisset; theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit, que-

madmodum memoriae prodidit bonae memoriae Vincentius huius sanctae Romanae ecclesiae Cardinalis Petra nuncupatus in suo commentario ad constitutionem XII. Ioannis XXII. ipsius operis tomo 4. pag. 76. num. 14.

Quod si nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi matrimonium aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt, non adiecta conditione de abiuranda prius haeresi, rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessiones fuisse et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente factas fuisse, insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum executoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter et data opera officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat in omnibus casibus, quibus, facultates aut dispensationes ab apostolica sede petantur pro matrimoniis a catholico viro aut muliere cum haeretico femina aut viro contrahendis, eandem apostolicam sedem, ut supra diximus, huiusmodi matrimonia, nisi haeresis abiuratio praecedat, et semper improbasse ac damnasse et nunc quoque abominari ac detestari.

Quoties vero dispensationes ex aliqua probabili causa petuntur pro matrimoniis, quae quidem inter haereticos seu cum altera parte haeretica sunt contrahenda, sed id nequaquam in precibus palam exponitur, cum nequeant apostolicae sedis ministri atque officiales hoc divinando rescire, ad obstruenda obloquentium et calumniantium ora hoc innuisse sufficeret, quod nulla conceditur dispensatio, quae alicui certo executori directa non sit, cui nimirum in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat et dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat. Cumque huic ignorare non liceat, matrimonia catholicorum cum haereticis ab apostolica sede improbari et damnari, facile vero cognoscere valeat, haeresis vitium, quo contrahentium alter inficitur et de quo nulla habetur mentio in litteris dispensationis, eidem apostolicae sedi occultatum fuisse, ad eius officium pertinet huiusmodi litterarum executionem suspendere, eiusque suspensionis causam Romano Pontifici eiusve officialibus ea qua decet reverentia per litteras aperire; quemadmodum praedecessor quondam Noster Alexander Papa III. Ravennae archiepiscopo faciendum praescripsit in suis litteris quae ad perpetuum vigorem in decretalium codicem relatae sunt cap. *Si quando* de rescriptis, ubi sic legitur: « Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. »

Verum non hic sistit apostolicae sedis eiusque officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quae pro removendo alicuius matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad eiusmodi regiones pertinere dignoscatur, in quibus catholici cum haereticis mixti habitant, nec aliunde certo constet, utrumque postulantem seu earum alterum catholicae religionis professorem existere, praefati officiales Pontificis mentem probe callentes postulantem utrumque catholicum esse semper praesumunt, ideoque eorum preces in libello (*supplicationem* appellant) Pontificis manu obsignando his verbis exponunt: « Cupiunt oratores praefati, qui orthodoxae fidei cultores vere existunt et sub obedientia sanctae Romanae ecclesiae vivunt vivereque et mori intendunt etc.; » quibus consonant alia verba, quae in parte conditionali ad maiorem cautelam apponuntur, nimirum: « Et dummodo oratores praefati orthodoxae fidei cultores vere existant et sub obedientia sanctae Romanae ecclesiae vivant vivereque et mori intendant. »

Quibus praenotatis iam id iure optimo quaerimus: cum litterae dispensationum matrimonialium eiusmodi verbis conceptae eoque tenore expeditae fuerint, si postmodum innotescat, contrahentes haereticos esse, vel unum eorum catholicum, alium vero haereticum, et nihilominus dispensatio executioni mandetur; cuius erit culpa et quisnam dispensationis in indignos profusae iure accusari poterit? an is, qui bona fide et opportunis cautelis adhibitis adiectisque legitimis conditionibus illam concessit; an vero is, qui, nulla conditionum huiusmodi ratione habita aut nulla de contrahentibus disquisitione prae-

missa, dispensationem ipsam contra concedentis voluntatem indebitum effectum habere permisit?

At licet aliquis, non omnes dispensationum litteras istiusmodi clausulis munitas semper expediri; cum et in ipsum Poloniae regnum paucis abhinc annis quaedam dispensatio ab Urbe missa fuerit, quae nullam huius generis appositam conditionem prae se ferebat. Huius facti speciem, quam Nos animo praesentem retinemus, non abs re erit hic explanare. Dispensatio erat super aetate favore cuiusdam puellae, quae sex mensibus minor erat duodennio, quod est in feminis legitimum aetatis tempus ad matrimonium ineundum. In eius autem concessione expositum fuit, quod malitia ita supplebat aetatem, ut de iure matrimonium contrahere posset. Quapropter declaratoria haec potius dicenda erat quam dispensatio, cum facultas contrahendi matrimonium ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia supplet aetatem, ab ipsa legum et canonum dispositione proveniat. Quin immo episcopi ipsi et ordinarii locorum iure suo pronunciare possunt super ea quaestione, quae facti est; an scilicet malitia, ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valeat, neque necesse est apostolicam sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate, et « ne de contractus matrimonii huiusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat, » ut habet formula, quae in concipiendis litteris declaratoriis super minori aetate adhiberi consuevit. Siquidem canonistae docent, cumulativum ius esse inter apostolicam sedem et iudices ordinarios cognoscendi et pronunciandi de hac re: an scilicet malitia suppleat aetatem; privativum vero apostolicae sedis ius esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem matrimonii quemadmodum rationis usus requiritur de iure naturali et divino, ita actualis ad coniugalem copulam potentia requiritur de iure positivo canonico. Romanus autem Pontifex est supra ius canonicum; at quilibet episcopus eo iure inferior est proindeque illius legibus derogare nequit.

Verum omissa etiam quaestione hac, an licentia contrahendi matrimonium ante legitimum aetatis tempus, quando malitia supplet aetatem, dispensationis propriae dictae, an potius declaratoriae vim habeat, adeoque utrum gratiae an iustitiae actibus accenseri debeat: videndum praeterea est, an in apostolicis litteris super hac re concessis, quamvis ea verba eaeque conditiones minime legantur, quae in aliis dispensationibus apponi solent, alia tamen adsint aequipollentia verba quorum vigore huiusmodi litterarum executor deputatus (ubi contrahentium alterum seu ambos haeresis labe infectos esse, neque id concedenti narratum in precibus nec alia via eidem compertum fuisse cognoverit) ab earum executione abstinere se debeat. De hoc autem dubitari non poterit, si advertatur, quod, postquam in huiusmodi litteris executori demandatum fuit, ut « se de praemissis diligenter informet ac videat, an vere et legitime constet, in huiusmodi impubere malitiam supplere defectum aetatis », eidem deinde committitur, ut postulanti permittat, « dummodo nullum aliud ei obstet canonicum impedimentum, matrimonium cum aliquo viro nullo sibi iure prohibito vel ex dispensatione apostolica permisso, servata forma Concilii Tridentini contrahere »; quibus sane verbis executori ea lex indicitur, ut minime sinat huiusmodi impuberem dispensationis seu declaratoriae effectu gaudere, si exploratum habuerit, ipsi in animo esse detestabiles cum haeretico nuptias contrahere.

Iam vero longius processit oratio Nostra, quam Nobis huius epistolae initio propositum fuerat, cuius rei tamen Nos minime poenitet, Nobis enim summopere cordi est maximeque interest catholicae religionis et sedis apostolicae, ut factorum rerumque veritas non ignoretur, neque falsi rumores adversus sacram Petri cathedram disseminati fidem inveniant; si quae autem contra sacros canones ullibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Ut autem eo redeat epistolae Nostrae finis, unde eadem initium desumpsit, tibi, venerabilis frater, ceterisque istius regni ordinariis praesulibus iterum enixe commendamus, ut apostolicas dispensationum litteras, quae vobis pro executione dirigantur, et diligenter ipsi expendatis et a vestris respective officialibus attente considerari iubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate aut falsitate disquirere. Multa enim malitia hominum est super terram, nec Nobis rescire datum est, usque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad

aures Nostras pervenit, quendam fuisse, qui sublato gradus impedimento haereticum virum cum muliere catholica matrimonio coniuxerit, cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitavit asserere, se hac in re apostolicae dispensationis, quam ab Urbe accepisset, auctoritate munitum fuisse; cum vero ad producendas huiusmodi dispensationis litteras provocaretur, eas nunquam acceperat. Verum Nos de inclyta Polonorum natione, quam paternae charitatis affectu complectimur, deque sacris istius regni praesulibus, quos omnes et singulos magno in honore habemus, favorabilius iudicantes improbum huiusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, venerabilis frater, gregique tibi commisso apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX. mensis Iunii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri anno octavo.

(Bull. Bened. XIV. Tom. II.)

XLI.

DE CONCESSIONE ET EXECUTIONE DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM, ALTERA EPISTOLA AD PRIMATEM, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REGNI POLONIAE.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ad tuas manus pervenisse speramus epistolam Nostram encyclicam datam die 29. superioris mensis Iunii de dispensationibus, quas pro contrahendo matrimonio intra gradus iure prohibitos haereticis coniugibus concessisse apostolicae sedis ministri falso insimulabantur. Attamen hanc aliam rursus ad te mittere cogimur; cum enim res, unde falsus ille rumor exortus est, in apertum educta sit, eamque omnibus notam fieri oporteat, ex Nostris ad eam animadversionibus alii proficere meliusque in posterum, quae agenda sunt, constituere poterunt.

Episcopus quidam istius Poloniae regni duobus lutheranis coniugibus, qui in secundo affinitatis gradu inter se coniuncti erant, contrahendi matrimonii facultatem dedit. Rogatus, quo iure id fecisset, an executor alicuius dispensationis, quae concessa fuisset vel a Nostra dataria vel poenitentiaria vel a sanctae inquisitionis officio (namque hae viae sunt, quibus huiusmodi dispensationes a sede apostolica expediri consueverunt,) nullas se accepisse ingenue fassus est, sed fecisse ea generali potestate respondit, quam sibi ut episcopo in remotis degenti sedes apostolica elargita est; factumque suum excusavit more recepto suae dioecesis et praedecessorum suorum consuetudine. Addidit etiam, ad id faciendum adductum fuisse spe, quam ipsi dederunt coniuges, quam primum ad fidem catholicam se conversuros; quod si intra debitum tempus minime adimplerent, se vi eos adigendi cohabitatione prohibita potestatem habere.

Ut ab huiusmodi narrationis serie minime discedamus, in primis id compertum est, e Nostris tribunalibus dispensationem super impedimento affinitatis pro contrahendo matrimonio inter duos haereticos neutiquam emanasse. Episcopus est, qui concessit; affirmatque fecisse vi generalis cuiusdam facultatis, quam sedes apostolica impertiri consuevit episcopis, qui extra Europam vel in remotis Europae partibus constituti sunt.

At quid dicendum esset, si facultas, de qua agitur, dipensandi in secundo gradu, non comprehenderet matrimonia inter haereticos contrahenda? et quidem res ita se habet; etenim falcultates, quae dantur Europae episcopis, qui in dominio catholicorum principum positi sunt, in haec verba conceptae sunt: « Dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis: in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam. »

Praetereundum ducimus in dispensatione, de qua agimus et quae ab episcopo concessa et a Nobis lecta est, nullibi ab ipso expressum fuisse, quod dispensationem impertiebatur ex vi apostolicae facultatis; hac enim declaratione omissa actus nullus ac irritus efficitur, ut in earundem facultatum formula aperte statuitur: « Et in dispensationibus huiusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a sedis apostolicae delegato: ad quem effectum

etiam tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint. « Sed id non solum sciscitabimur, ubinam contineatur facultas dispensandi in secundo gradu? Certe nobis respondebitur, in verbis illis paulo ante laudatis: » etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum. « Nos statim reponemus, ante ea verba haec alia occurrere: « In contractis vero cum haereticis conversis etc. » Et ideo, cum facultates limitatae sint ad matrimonia contracta, non autem contrahenda, ad haereticos conversos, non autem ad eos, qui se convertendi spem faciunt: sane unusquisque facili negotio ictuque, uti dicitur, oculi dignoscere potuit facultatis abusum in concessione dispensationis, quae, ut diximus, in causa fuit, cur sinister rumor et popularis obtrectatio adversus apostolicae sedis ministros suscitaretur.

Degunt quibusdam in locis istarum regionum catholici cum haereticis mixti; palam inter se matrimonia contrahunt, et nemo est, qui contrahentes corripiat et puniat, aut illis adversetur. Hoc autem posito, qui fieri potest, ut hinc colligatur dispensationis concessio super aliquo impedimento in huiusmodi matrimoniis inter catholicum et haereticum, et multo magis inter duos haereticos, ut in specie de qua agitur contingit? Tolerat quidem in aliquibus locis apostolica sedes matrimonia inter catholicum et haereticam vel haereticum et catholicam, cum nequeat impedire, et ecclesiastica quadam prudentia, ne maiora mala enascantur, dissimulat ac tacet. At quod apostolicae sedis auctoritate gratiosa in hisce matrimoniis dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest, nisi praecedat haeresis abiuratio iuxta eiusdem sedis apostolicae disciplinam a Nobis in praecedenti epistola expositam et iuxta recensita concessae facultatis verba.

—

Sed respondetur: ab anterioribus episcopis, qui easdem facultates iisdem verbis conscriptas habebant, quibus conceptae sunt illae, de quibus quaestio est, id peractum fuisse. Nos ignoramus, quid egerint episcopi praedecessores, id solum nobis compertum est, quod si dispensaverunt in matrimonio non contracto, sed contrahendo, in matrimonio inter duos adhuc in haeresi permanentes, perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt, quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus veluti ex fonte omnis delegata auctoritas dimanat.

At Nobis reponitur: quidquid factum est, ideo factum, quia coniuges suam conversionem polliciti sunt. Id autem, an verum sit, paulo post videbimus. Interea ponatur, revera coniuges id promisisse: quaeritur, cum facultas a sede apostolica concessa praescribat, ut dispensetur in secundo gradu cum haereticis iam conversis, quomodo episcopus arbitratus sit, ea re uti posse in dispensando non cum haereticis iam conversis, sed cum iis, qui solummodo conversionem promiserant? cumque sedes apostolica huiusmodi dispensationes nisi conversione iam facta, ut late in nostra prima epistola encyclica demonstratum est, concedere non soleat, quaeritur iterum, quomodo eius delegatus in tantum ausum devenerit, ut cum iis, qui nudam promissionem se convertendi fecerant, dispensare non dubitaverit?

Additur demum: si fidei datae coniuges haeretici defuerint, acriter punientur, eisque simul habitare interdicetur. Nos minime latet discrimen, quod inter infidelem et haereticum intercedit: primum quidem ad amplectendam fidem catholicam, ad quam se per baptismum minime obligavit, cogi non posse, e diverso haereticum, qui iam baptismum suscepit. At vero Nobis ignotum est, an usu et consuetudine receptum sit, ut haeretici ad catholicam veritatem profitendam constringi possint in iis regionibus, in quibus a principibus permissum est, ut commixti cum catholicis vivant, eademque iuris aequabilitate et civili consuetudine fruantur. Sed quidquid de hoc sit, illud necessarium esset ostendere, quibus argumentis ac probationibus haereticorum coniugum promissio demonstretur. In dispensatione enim haec verba leguntur: « ob spem, quod ad fidem orthodoxam convertentur. » Spes autem a promissione omnino diversa et distincta est. Si quando autem de separatione ob frustratam spem a coniugibus datam agi vellet, cum res sit de matrimonio contracto non inter unum haereticum et alterum catholicum absque alio impedimento, quam illo religionis, sed matrimonio inito inter duos haereticos in secundo affinitatis gradu coniunctos, locus non esset separationi tantum *quoad thorum*, sed etiam alteri *quoad vinculum*; quae iniungenda esset a dispensante, publica protestatione emissa, se nullo iure atque auctoritate dispensasse, ac proinde dispensationem irritam ac nullam fuisse.

In priori epistola Nostra encyclica scri-

pta die 29. Iunii admonuimus, ut ii, quibus executio dispensationum matrimonialium, quae in Urbe conceduntur, committitur, eas attente legant et bene ac diligenter perpendant. Nunc autem eadem repetimus et insuper addimus, ut legantur et considerentur etiam facultates, quae a sede apostolica conceduntur, priusquam aliquis illis utatur; cum minime deceat, ut aliorum culpa vel sedi apostolicae vel eius ministris vitio vertatur, et quod ab aliis peccatum est, crimini eis detur. Interea autem tibi, venerabilis frater et Christiano gregi tuae curae commisso, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem d. VIII. Aug. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri anno octavo.

(Bull. Bened. XIV. Tom. II.)

—

XLII.

Benedicti XIV. litterae *Redditae nobis* ad archiep. S. Dominici directae, quibus quaestioni: an filii ex adulterio procreati per subsequens matrimonium legitimentur, negative respondetur, dat. 5. Dec. MDCCXLV. (Bull. Bened. T. II.)

XLIII.

Benedicti XIV. Const. *Apostolici*, qua Iudaei conversi libellum repudii uxoribus mittere prohibentur et sancitur, ut Hebraeus ad fidem conversus uxorem Hebraeam more solito interpellet, an etiam ipsa converti et cohabitare velit sine contumelia creatoris, dat. XVI. Kal. Oct. MDCCXLVII. (Bull. Bened. T. II.)

XLIV.

BENEDICTUS EPISCOPUS (XIV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies et sacramentis ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

§. 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est pro educandae prolis studio aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet:* ad aures apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis iudicum facultate infringi et temere atque inconsiderate de eorundem matrimoniorum nullitate latis sententiis potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*, et illud additum est: *Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§. 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitiae diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter feminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni

et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus et non praetermisimus apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo pontificatus Nostri anno ad episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§. 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a sede apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant: partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, altero, qui pro matrimonio, altero vero, qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in spe quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum matrimonium dissolvi cupiunt, vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et inceptum opus ac causam post primam sententiam deserit; quo fit, ut deinde ambo coniuges vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

§. 4. Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra Romanam curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad venerabiles fratres patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo pontificatus Nostri providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus: quod, quamvis concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt decani, archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, duntaxat procedat de archidiaconis, decanis aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant, ac idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a sede apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent: nihilominus praecipimus et mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum pro iudice idoneo ab episcopo consilio sui capituli nominatus fuerit.

§. 5. Quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus

ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescunque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§. 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra, electi spectabit, in iudicium venire, quotiescunque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§. 7. Et demum defensoris huiusmodi persona tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniat. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescunque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit, quaecunque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata ac intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§. 8. Cum igitur coram ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullius sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellavit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicium provocabit.

§. 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam vel oscitantiam vel collusionem defensoris et partium interposita, si ambo vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim, ut invicem a cohabitatione separentur quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius, ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra polygamos a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

§. 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecunque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur. Et si iudex in secunda instantia fuit metropolitanus aut sedis apostolicae nuncius aut episcopus vicinior, matrimoni defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut, quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex commissarius, cui a sede apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§. 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas

nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscunque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possint et rursus in iudicialem controversiam vocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut, firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§. 12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei et proximi utilitate et ecclesiae reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a iudice primae vel secundae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius iuxta sedis apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§. 13. Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra Romanam curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata urbe eiusque suburbiis et districtu vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur citato et audito defensore matrimonii ab eodem cardinali vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur. Tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium vel in secunda per appellationem ad sedem apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum palatii Nostri auditorio, dummodo Nobis et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis congregatio S. R. E. Cardinalium vel Romanae curiae praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in palatii Nostri auditorio, ab auditore decano praefati tribunalis, si demum in congregatione particulari, a persona eiusdem congregationis digniore deputetur.

§. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum vel in congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in palatii Nostri auditorio unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur, si vero congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis congregatio deputabitur; si vero in palatii Nostri auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus auditoribus rursus examinabitur: nolentes omnino, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod

si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

§. 15. Et quoniam saepe apud sedem apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliam congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis congregationibus committat; a qua, posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a secretario eiusdem congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri congregationi vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§. 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et S. sedis nuncios, aliosve quoslibet quacunque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quovis quaquam auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscunque tenoribus verborum et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus in genere vel in specie seu alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.

§. 17. Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis ecclesiae Lateranensis et Principis apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque eorundem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCXLI. tertio nonas Novembris Pontificatus Nostri anno secundo.

D. Card. Passioneus.
X. Sub-Datarius.

Visa de curia.
N. Antonellus.

Loco + plumbi
I. B. Eugenius.

Publicat. die 29. ei. mens. et anni.
(Bullar. Bened. T. I.)

XLV.

BENEDICTI XIV. litterae ad episcopos Poloniae directae, quibus pacta inter coniuges inita de non appellando a sententia lata pro matrimonii nullitate damnantur et annullantur, etc., dat. 18. Maii MDCCXLIII. (Bull. Bened. T. I.)

XLVI.

DILECTO FILIO PAULO SIMONI A SANCTO IOSEPH CARMELITAE EXCALCEATO.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Redditae sunt Nobis per dilectum filium eundemque primarium administrum Nostrum Silvium Cardinalem Valenti vestrae litterae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis eamque iudicio Nostro subiicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo sedem apostolicam consulendam censuistis, eiusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorundem in tradenda morum doctrina diversas sententias in partes distrahi Christianum populum, eaque scindi mentium animorumque concordiam, quam Christus Dominus ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim quasi tessera discipulos suos cognoscendos praedixerit.

§. 1. Exposuistis itaque Nobis, non raro istic contingere, ut catholici matrimonium inter se contracturi civilem adeant magistratum aut haereticum ministellum, quibus se sistere legibus patriae coguntur, et coram illis mutuum exprimant in coniugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo ministro catholico et duobus testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt, interim vero, perinde ac si legitimi coniuges iam forent, non dubitant omnem coniugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit coram civili magistratu aut haeretico ministello praestito: num scilicet satisfuerit ad perficiendum matrimonium validum saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit. Si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram parocho catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta exinde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

§. 2. Iam vero, ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem iudicio Nostro praecidamus, sic habete: Ubicunque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini decretum cap. I. Sess. XXIV. de ref. matr., ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse coniugia, aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo parocho, aliove sacerdote parochi vices agente et duobus testibus celebrata. Scimus profecto, esse theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad sacramenti excellentiam pertingat; sed quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur. Etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina synodus non sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque ut eius verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter catholicos in istis provinciis degentes et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini, perspicuum est, matrimonium ab ipsis invicem initum coram civili magistratu aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parocho et duobus testibus, neque in ratione sacramenti neque in ratione contractus sustineri aut ullo

pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronunciavimus matrimonia, quae aut ab haereticis inter se aut a catholicis cum haereticis in istis foederatis provinciis contrahuntur non servata forma Tridentini, aptari queunt coniugiis inter se initis a catholicis, quorum quilibet Tridentini decreto se obstrictum agnoscit, eiusque se auctoritatem sequi profitetur.

§. 3. Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta principum obsequium ostendunt: ceterum nunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se neque coram Deo neque coram ecclesia veros et legitimos coniuges fore: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et nisi coniuges consensum ex ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in ecclesiae foro.

§. 4. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere, ut siquidem regionis consuetudine et terreni principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed religione salva, potioresque ducant ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quanquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christifidelibus cavendum est. Ad eiusmodi porro evitanda pericula cognoscimus, consultius utique fore, ut catholici, nonnisi matrimonio iam antea in faciem ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam saecularem magistratum seu haereticum ministellum adirent; sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut, postquam rei publicae morem illi gesserunt, non diu differant ecclesiae legibus parere et coniugale foedus iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire; et si quid tum super hac re, tum super aliis, quae istam missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam Nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

§. 5. Epistola haec Nostra tibi, dilecte fili Paule Simon a Sancto Ioseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Dück pastori Leidensi, cuius scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia, a supradicto Cardinali de Valentibus Nobis oblatum libenter perlegimus.

§. 6. Postremo vos hortamur maiorem in modum, ut istam dominici gregis non contemnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis, excolere atque ad omnem pietatem informare pergatis; vobisque interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die 17. Septembris 1746. Pontificatus Nostri anno septimo.

(Bullar. Bened. T. III.)

XLVII.

Ad Sess. XXIV. c. 4.

Pii V. Const. *Ex debito*, de instituendis ab ordinariis confraternitatibus doctrinae Christianae ad pueros aliosque divinae legis expertes bonis moribus sanaque doctrina instruendos, dat. 6. Oct. 1571. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

XLVIII.

Benedicti XIV. Const. *Etsi minime* de doctrina Christiana populis tradenda, dat. 7. Febr. MDCCXLII. (Bulla Bened. T. I.)

XLIX.

Ad Sess. XXIV. c. 11.

Pii V. Const. *Quamvis*, qua privilegium creandi doctores, licentiatos ac magistros, comitibus palatinis concessum restringitur, dat. Kal. Iun. MDLXVIII. (Bull. T. IV. P. 3.)

L.

Ad Sess. XXIV. c. 12.

PIUS EPISCOPUS (IV.) S. S. DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

In sacrosancta Beati Petri principis Apostolorum cathedra, meritis licet impariibus, hisce procellosis militantis ecclesiae tempestatibus constitutos, plurimum Nos oportet esse sollicitos, ut Domini gregem, curae Nostrae commissum, non solum ab apertis rapacium luporum undecunque cautis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpeculorum domi latitantium insidiis, per providum pastoralis officii ministerium ipso Domino cooperante praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

§. 1. Cum itaque iuxta notum sanctissimi vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur; sapientiae sit initium, et qui vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum illum sapientiae parentem benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae religionis pietate sibi conciliare debeant;

§. 2. Idcirco hanc fidei puritatem scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis tum addiscendis, tanquam necessariam basim constituere, et ne simplicia nonnullorum adolescentium res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes, motu proprio, et ex certa scientia Nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus doctor magister, regens vel alius cuiuscunque artis et facultatis professor, sive clericus, sive laicus ac saecularis, vel cuiusvis ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium universitatibus aut gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam vel alias liberales artes, in quibuscunque civitatibus, terris, oppidis ac locis, etiam in ecclesiis, monasteriis aut conventibus regularium quorumcunque, publice vel privatim quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere vel exercere;

§. 3. Neque doctores ipsi aut universitatum seu gymnasiorum eorundem rectores, cancellarii, vel alii superiores, sed nec etiam palatini comites, aut alii particulares facultates, eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a Nobis, apostolica sede vel alias undecunque habentes, scholares, tam laicos quam clericos et cuiusvis ordinis regulares, vel alios quoscunque quantalibet eruditione praeditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere;

§. 4. Neque doctores, magistri et scholares, ad electionem alicuius in rectorem vel cancellarium universitatis aut gymnasii procedere, nec ipsi scholares vel alii quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus huiusmodi vel eorum aliquem palam vel privatim recipere valeant, nisi doctores videlicet ac regentes, magistri et alii professores iam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses a die publicationis praesentium computandos, reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibi in posterum assumendi ante illorum receptionem, in rectoris vel aliorum superiorum, eligendi autem in rectores vel cancellarios ante illorum electionem vel saltem admissionem in ordinarii loci vel eius in spiritualibus vicarii, ac promovendi scholares et alii praefati ante illorum promotionem in eisdem ordinarii seu eius vicarii aut doctorum aliorumque promoventium manibus, prae-

vio etiam processu vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super religione fideque catholica rectorum, cancellariorum, doctorum, lectorum et promovendorum eorundem per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios rite facta praecedente, eandem catholicam fidem verbis iuxta formae infrascriptae tenorem conceptis palam et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu seu informatione et fidei professione in privilegio doctoratus vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

§. 5. Ac omnibus et singulis earundem universitatum et gymnasiorum rectoribus doctoribus et aliis superioribus ac aliis facultatem doctorandi habentibus, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, etiam si episcopali, archiepiscopali patriarchali vel maiori dignitate, etiam cardinalatus honore ac ducali vel alia, etiam regia et imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in universitatibus, civitatibus, oppidis vel aliis locis sibi in spiritualibus vel temporalibus subiectis, aliter cathedras aut alias lectiones retinere, consequi vel ad gradus promoveri respective patiantur, in virtute sanctae obedientiae et sub interdicto ab ingressu ecclesiae quoad antistites, quo vero ad inferiores, sub excommunicationis latae sententiae, nec non privationis omnium et singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum et feudorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.

§. 6. Ac quascunque receptiones, promotiones, electiones et admissiones absque processu certaque de religione et fide catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris vel momenti esse neque cuiquam in iudicio vel extra suffragari posse.

§. 7. Sicque per quoscunque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere ac quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus

§. 8. Non obstantibus etc.

Forma autem dictae fidei professionis haec est: « Ego N. firma fide credo et profiteor etc. » (ut in const. seq.)

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apost. eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Idus Novembr. Pontificatus Nostri Anno V. (Bull. T. IV. P. 2.)

LI.

PIUS EPISCOPUS (IV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam

Iniunctum Nobis Apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens, ad providam Ecclesiae suae directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis, divinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps cathedralibus et superioribus ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxae fidei professionem facere, seque in Romanae ecclesiae obedientia permansuros spondere et iurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoscunque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscunque locis, regularium quorumcunque ordinum, etiam militarium, quocunque nomine, vel titulo providebitur, idem item servari, et ad hoc, ut unius eiusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, Nostrae sollicitudinis partes, in

hoc alicui minime desiderari ; formam ipsam praesentibus annotatam , publicari et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii , et alios praedictos spectat, recipi et observari, ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis , iuxta hanc , et non aliam formam , professionem praedictam solemniter fieri , auctoritate apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus , huiusmodi sub tenore: Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula , quae continentur in symbolo fidei , quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem , factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium: et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo , lumen de lumine , Deum verum de Deo vero ; genitum, non factum , consubstantialem Patri ; per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelo ; et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris ; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis: et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit ; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum , et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones , reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto , et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam , et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis , licet non omnia singulis necessaria , scilicet baptismum , confirmationem , eucharistiam , poenitentiam , extremam unctionem , ordinem et matrimonium; illaque gratiam conferre , et ex his baptismum , confirmationem et ordinem , sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio , et admitto. Omnia et singula , quae de peccato originali , et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum , proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis ; atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem , una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi , fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem , quam conversionem catholica ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse , animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari ; similiter et sanctos una cum Christo regnantes , venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero , imagines Christi , ac deiparae semper Virginis , necnon aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem , ac venerationem impertiendam; indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam , omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori , ac Iesu Christi vicario , veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a sacris canonibus, et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita , definita et declarata , indubitanter recipio, atque profiteor ; simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab ecclesia damnatas , et reiectas , et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest , quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri , atque a meis subditis , vel illis , quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari , quantum in me erit , curaturum , ego idem N. spondeo , voveo , ac iuro. Sic me Deus adiuvet , et haec sancta Dei evange-

lia ». Volumus autem quod praesentes litterae in cancellaria Nostra apostolica de more legantur. Et ut omnibus facilius pateant, in eius quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae MDLXIV., Idibus Novemb: Pontificatus Nostri anno V.

Fed: Cardinalis Caesius.
Caes. Glorierius.

Lectae et publicatae fuerunt suprascriptae litterae Romae in cancellaria apostolica, anno incarnationis Dominicae MDLXIV., die vero sabbati, IX. Decembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Pii Papae IV., anno V.

A. Lomellinus, Custos.

LII.

Ad Sess. XXIV. c. 14.

Pii V. Const. *Durum nimis*, dat. Kal. Iun. MDLXX., qua decretum Concilii novis poenis statutis confirmatur. (Bull. T. IV. P. 3.)

LIII.

Ad Sess. XXIV. c. 18.

PIUS EPISCOPUS (IV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

In conferendis beneficiis ecclesiasticis et praesertim parochialibus ecclesiis personis dignis et habilibus, quae in loco residere et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III. in Lateranensi, Gregorii X. in Lugdunensi generalibus conciliis ac Innocentii similiter III. et aliorum Rom. Pont. praedecessorum Nostrorum editae constitutiones testantur.

§. 1. Quod ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione parochialis ecclesiae, etiam generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium, aut alias quomodolibet reservatae vel affectae, debeat episcopus habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum et portionum assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur, et deinde episcopus, et qui ius patronatus habet, intra decem dies aut aliud tempus ab episcopo praescribendum aliquos clericos ad regendam ecclesiam idoneos examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis nominet, et nonnisi eiusdem examinatoribus per concursum aliorum examinatorum, etiam tanquam magis idoneo ab episcopo iudicato et electo de ecclesia provideatur, alias provisiones seu institutiones omnes praeter formam praedictam factae subreptitiae censeantur. §. 2. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat ac debitae executioni demandet, et verendum sit, ne propter constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non sine gravi Nostra molestia pervenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis et episcopis occurrente vacatione parochialium ecclesiarum eas nullo aut minus rite servato examine, praesertim illo, quod per concursum fieri debet ex Concilio Trident., vel etiam examine rite servato personis minus dignis, carnalitatis aut aliae humanae passionis affectum, non rationis iudicium sequentes, contulisse et de eis providisse, volentes quantum cum Deo possumus huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere: §. 3. Eorundem praedecessorum Nostrorum constitutiones praefatas etiam innovando, auctoritate apostolica tenore praesentium omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones parochialium ecclesiarum ab eisdem episcopis et archiepiscopis ac quibusvis aliis collatoribus tam ordinariis quam delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus ac sedis apo-

stolicae legatis vel nunciis, praeter et contra formam ab eodem Concilio Trident., praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas ac nullius roboris vel momenti fore et esse, nullumque provisis ius aut titulum etiam coloratum possidendi praebere, et parochiales ecclesias huiusmodi, ut prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus et declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes Nostrae et sedis apostolicae, seu eorum, quibus ius conferendi eas, praeterquam episcopis et archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum eiusdem Concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus. §. 4. Insuper ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcunque parochialium ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad episcopos, primates et patriarchas et quosvis alios ordinarios collatores in mensibus ordinariis, collatoribus etiam per Nostras regulas assignatis, provisio et collatio spectat et pertinet, de quibus iidem episcopi et ordinarii praedicti intra sex mensium spatium a die vacationis earundem perfecto examine iuxta formam Concilii Trident. praefati non providerint, ac illarum, etiam quarum collationes Nobis et dictae sedi generaliter vel specialiter ex quavis causa reservatae seu affectae existunt, aut aliis ex indulto sedis apostolicae competunt, ad quas occurrente illarum vacatione episcopi et archiepiscopi praefati personas per examen concursu mutuo habito iuxta dicti Conc. Trident. formam approbatas et magis idoneas non elegerint, aut electas Nobis vel successoribus Nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis non significaverint, nec non parochialium ecclesiarum similium, quae iurispatronatus ecclesiastici, vel laicorum, seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus intra tempus eisdem patronis a iure praefixum praevio examine iuxta formam dicti Concilii approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem et omnimodam dispositionem Nobis et ipsi sedi, ac personis indulta huiusmodi conferendi, providendi, seu instituendi obtinentibus respective reservamus, data tamen in parochialibus iuris patronatus optione ipsis patronis, ut, si institutio ad ordinarios spectabit, ipsis ordinariis illam facere negligentibus et ultra dictos menses differentibus possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad metropolitanum, vel viciniorem ordinarium, aut ad sedem apostolicam. §. 5. Prohibentes etiam eisdem ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem ordinariis et patronis ab eodem Concilio Trident. ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus praefixum, ultra alios decem dies prorogare audeant vel praesumant. §. 6. Districtius inhibentes, ne quis praeter Romanum Pontificem, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut praefertur, quacunque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reservatis, ut praefertur, disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis vel alias innovare quoquo modo praesumat. §. 7. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis iuxta eiusdem Concilii decretum parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod si episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, a mala electione huiusmodi ad metropolitanum, vel si ipse eligens metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium uti Nostrum et sedis huiusmodi delegatum, aut alias ad ipsam sedem apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio eoque revocato, parochialis magis idoneo per eundem iudicem appellationis auctoritate Nostra (quatenus collatio ad episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret,) conferatur, alias eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio vel institutio spectabit. §. 8. Haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quo minus electio per ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni, et provisus ab eadem ecclesia causa appellationis huiusmodi pendente non amoveatur. §. 9. Et si quis a sententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad sedem apostolicam appellabit. Si secus in praemissis omnibus et singulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus et inane. Volumus autem, quod praesentium transumptis manu alicuius notarii etc. Dat. Romae ap. S. Petr. Dom. anno incarn. Dom. 15. April. 1567. Pont. Nostri anno II. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

—

LIV.

Pii V. Const. *Apostolatus officium*, qua denuo decretum Concilii ad verbum fere repetitum confirmatur, et a mala electione appellari posse sancitur, dat. MDLXVII. XIV. Kal. Sept. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

LV.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum illud semper plurimum formidaverit ecclesia catholica, ne indignis quibusque et extra sacerdotale meritum constitutis cura animarum et dominici gregis custodia crederetur, quia totius familiae status et ordo nutat, si, quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus ac praesertim S. Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae morum ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, san. mem. Innocentius XI., praedecessor Noster errorum doctrinam a vera et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit, quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

§. 1. Ad tramites idcirco eiusdem S. synodi usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia solerti inquisitione, episcopus eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.

§. 2. At quia contingere quandoque potest, quod favore vel gratia vel minus aequo iudicio minus digni dignioribus praeponantur, s. m. Pius V., Noster praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum atque praeposterum, edita saluberrima constitutione licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad metropolitanum vel episcopum viciniorem vel sedem quandoque apostolicam appellatione praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam novo facto meritorum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa aut quoquo modo retardata praeelecto ab ordinario parochialis ecclesiae possessione.

§. 3. Consultissimae huiusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti ab ordinario, dictae constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa, electos ab episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia longum iter arripere et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

§. 4. Quin etiam experientia compertum est, magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi, quandoquidem ii, qui examini se subiecerant atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris ex industria navantes operam, praeferri aliis merebantur et acerbe succensebant episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.

§. 5. Hinc apud bene moratos homines et iustitiae vindices frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne studium diligentiamque conferret, Nobis, qui secretarii munere fungebamur, man-

datum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti nec scriptis consignati; electi siquidem ad curam animarum ab ordinario collatore et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimae collationis tueri non poterant certo ac permanenti testimonio iam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigeretur; et si acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

§. 6. Inita a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti; sed etiam pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI., ecclesiasticae disciplinae vindice et assertore eximio. Utque locorum ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio et diligentia exequerentur, iis datae sunt die 10. Ianuarii 1721. opportunae litterae Nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu et oraculo comprobatae, quarum tenorem etsi alias prelo commissum et insertum in bullario dicti Clementis praedecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.

§. 7. Reverendissime Domine uti Frater. Quo parochiales ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina Synodus Sess. XXIV. cap. 18., ut vacante ecclesia parochiali indiceretur et fieret concursus, ac, postquam concurrentes ab episcopo vel eius vicario generali atque ab examinatoribus synodalibus saltem tribus examinati et approbati essent, episcopus eum eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis et opportunis digniorem ceteris magisque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam re et nomine sanctissimus Pontifex Pius V., quod, si unquam episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui reiecti essent, a mala eiusmodi electione ad metropolitanum vel, si ipse eligens metropolitanus aut exemptus foret, ad viciniorem ordinarium ut sedis apostolicae delegatum vel alias ad ipsam sedem apostolicam appellare ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in eius constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constituto de prioris eligentis irrationabili iudicio eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii decreto neque Pontificis bulla examinis in concursu peragendi forma seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proponatur, difficile dictu est, quanta examinum aliorum alibi diversitas extiterit atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eaedem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent, erant identidem, qui vel in iudicio vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, praeelecto autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eaedem quidem omnibus quaestiones propositae fuerunt, sed neque hae neque datae a concurrentibus responsiones scripto seu litteris consignabantur. Cumque postmodum nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam iure bullae supradictae novum ad examen coram iudice appellationis eiusque examinatoribus electum provocaret, S. Congregatio usque ab anno 1603., considerans gravamen non alia ratione quam novo examine probari posse, provocationem ad novum examen censuit admittendam gravamine necdum probato et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio; in quo probato per novum examen appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis praestantia, ut de maiori alterutrius ad parochialis ecclesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior seu magis idoneus ad id regimen habeatur vel etiam habendus sit. Quam Sacrae Congregationis sententiam scriptores et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eaedem omnibus quaestiones iidemque

casus proponantur, ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quaeque responderint sua manu perscribant.

Atque ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacrae deinde Congregationi etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his qui sic examinati essent atque postpositi, in posterum ut solent appellantibus, indulgenda nec ne statim electi novum ad examen provocatio nulla gravaminis praerequisita probatione videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati probare nisi secundo seu novo examine non poterant. Nec defuere alii probitatis ac peritiae in administrandis diu ecclesiis laude praestantes, qui monerent, frenum aliquod huiusmodi appellantium licentiae tandem iniiciendum eorumque iam nimis crebas novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quae vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram iudice appellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus ab episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere eamque oeconomo vel vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus relinquere, sponso non parumper, sed diu sane abfuturo, dum nempe implicata, ut fit, lite terna etiam vel quaterna alia ex aliis examina super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum, quae ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit, utri concurrentium parochia sit adiudicanda.

Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1. Octobris et 16. Novembris 1720. summo studio recognovit, tandem Sanctissimo etiam annuente statuit, (quod per praesentes litteras encyclicas exequitur,) omnes et singulos episcopos aliosque praelatos, penes quos sit ius et auctoritas faciendi concursum, hortari, ut examen eiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae dioeceses et Urbs ipsa observat, atque apostolica etiam Dataria postulat, sive cum sede vacante vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad sedem apostolicam pertineat, sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, iuxta decretum; sive demum, cum, vacante in collegiatis aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua maiori adnexam habente curam animarum, faciendus est concursus atque ad apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in litteris, quae de ordine Sanctissimi tunc e Dataria prodeunt, clare praescribitur.

Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec quae sequuntur, ex Sacrae Congregationis sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur.

1. Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant ad probandum dicendi pro concione facultatem.

2. Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore atque omnibus pariter eodem tempore textus evangelii tradatur.

3. Tertium, ut certum idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant.

4. Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quamdiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

5. Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant subscribantque.

6. Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

7. Postremum, ut unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus et ab ordinario vel eius vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus ac dignior iudicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio aut a mala relatione examinatorum aut ab irrationabili iudicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda, mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata vel certe unum aliquod au-

thenticum eorum exemplum a cancellario concursus atque altero notario collatum et auscultatum coram vicario vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adiungendi electio pertinebit, nec non ab examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus actis vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, examinatus aut a mala relatione examinatorum aut ab irrationabili iudicio episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi ius suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi concursus vel saltem ex attestationibus et documentis extraiudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio et Sanctissimus assensit.

At si quis tamen ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio eas in uniuscuiusque ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cuius interea consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, amplitudini tuae fausta omnia e coelo precor.

Romae hac die 10. Ianuarii 1721.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater

P. M. Card. *Corradinus* Praefectus.

P. Lambertinus Secretarius.

—

§. 8. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae iustitiae, componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam ac deinde Bononiensem sponsam Nostram paterna charitate cominus amplecteremur, freti siquidem dictarum legum praesidio digniores parochiis et curae animarum praefecimus; tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium vel minus iuste alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.

§. 9. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis episcopis contigisse, imo non deesse, qui privatis abrepti studiis saepe declinare ac redarguere iudicium episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de implendis prout decet muneris Nostri partibus nonnulla praefatis litteris addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita clarius explicanda censuimus, ut recte omnia atque ex ordine peragantur.

§. 10. Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus, etsi recepta sit laudabilis firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus examinatorum suffragia in sola litterarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata cap. 18. Sess. XXIV. de reformat.: « Peracto deinde examine, renuncientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. » Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii Interpres, pluries edixit, examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio ceterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis essent idonei et commendabiles.

§. 11. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, fit tantummodo potestas examinatoribus renunciandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: « Ex hisque episcopus eligat quem ceteris magis idoneum iudicaverit. » At si quem clericorum forte contigerit appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio: ordo iudicii secum feret, ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur, nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae iniuria praeficiatur ecclesiae, qui

litteris magis pollet, licet cetera minus aptus et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae, merito attamen, moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu ac multiplici virtutum laude praecellit.

§. 12. Factum praeterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam episcopus quam examinatores coniunctis studiis industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi iudicio ecclesia personae, quae, licet scientia et litteris alteri concedat, maiori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento. Siquidem postpositus suae nimium fidens doctrinae ab irrationabili iudicio episcopi non raro appellat, causaque ad iudicem appellationis delata idem totus est in perquirenda maiori doctrina ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur, lugentque ut plurimum vigiles ecclesiarum antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

§. 13. At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae quantum satis, maiori et accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio pascendo gregi consentanea: tot iudici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

§. 14. Demum cum praecipue episcopis tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu tam inspecta scientia quam moribus, ille idoneus ab examinatoribus renuncietur, cui foeda aliqua vitii labes ac criminis macula iniusta sit omnibus praeterquam episcopo occulta. Si episcopus, iusta suadente causa, crimine non revelato, eundem criminosum tacitus praeteriret aliumque immunem a sorde praeelegerit, illico postpositus simulato gravamine provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

§. 15. Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad iustitiae praesidium institutum callide traducant ad iniquitatis defensionem, optimum factu aliquibus fortasse videretur, si, appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur episcopis rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: « Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio et appellatio etiam ad sedem apostolicam, sive eiusdem sedis legatos aut vicelegatos, aut nuncios seu episcopos, aut metropolitanos, primates vel patriarchas interposita impediat aut suspendat »; cui sanctioni respondet etiam constitutio Piana admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio episcopi.

§. 16. Qua de re, ut in eiusmodi negotio apte omnia atque composite peragantur, officii Nostri esse duximus eum vobis, ven. fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse et prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim ad praescriptum Tridentini idoneum in ea deputet vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus congruo et ab episcopo praefinito tempore celebrandi, eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato coram cancellario episcopali vel altero ab episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam iudiciales quam extraiudiciales aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant; alioquin, dicto termino elapso, documenta huiusmodi, quaecunque et qualiacunque ea sint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concursus a cancellario episcopali singulorum merita qualitates et requisita (ut vocant), incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur; porro copia epitomes tradetur non solum episcopo, vel vicario generali vices illius obeunti, sed sigillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de

scientia tum de vita, moribus aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

IV. Die praestituta ab episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis litteris anno 1721. editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata et textui evangelico vel alteri dato themati accommodata: parem, ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant et idoneos episcopo renuncient.

V. Absoluto concursu ab episcopo vel eo impedito a vicario generali una cum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat et nemini ostendat, nisi de mandato episcopi vel eius vicarii generalis. Subinde vero ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio ullo appellationis vel inhibitionis obtentu retardetur.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio episcopi, coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat, et iudex, nisi illis visis et gravamine comperto, sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinae quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam iudiciales quam extraiudiciales et documenta quaecunque studiose conquisita et post concursum, ut aiunt, expiscata ullo modo recipiantur: non obstantibus supra memoratis litteris a Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis una cum omnibus in eis contentis firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis ad detergendam iniustae fortasse praeelectionis notam: familiaribus litteris iudicem certiorem efficiat inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim Nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. Sessione etenim XXIV. cap. 20. de reform. ita disponitur: « Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit aut de aliquo gravamine conquestus fuerit seu alias ob lapsum biennii de quo supra ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, *eodem tamen episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.* »

Et quamvis iure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est in more olim posita hac tempestate obsoleverit et a foro recesserit: attamen episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit, illam iudici appellationis datis secreto litteris denunciet et aperiat. Sciant porro iudices delatas ab episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, episcopos suae non minus quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii odio vel favore moveantur, et in sacrorum canonum singularem iniuriam *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.*

Si vero episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occul-

ta rationum momenta : illa significet secretis litteris S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio nec auctoritate deerit, quo minus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

§. 17. Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationis, quae magno litigantium dispendio et ecclesiae pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari : idcirco ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter quam ordinarius pronunciaverit, liceat praeelecto ab episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio : is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

§. 18. His sane regulis quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae ac recte gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur, eumque in scopum locorum ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset ad Nostri apostolatus auditum novas in diem deferri querelas ac summovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemnunt.

§. 19. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus aliaque beneficia curam animarum habentia a sede apostolica esse conferenda, vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae sedi reservata sint : Nos praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes praecipimus et mandamus, ut uno vel altero interveniente casu concursus ab episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam Nostris hisce litteris sibi tributam episcopi intelligant.

§. 20. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, quae tantum ratione mensium reservata sint, episcopus inter approbatos eliget magis idoneum et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Datario, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quovis capite quam mensium apostolicorum sanctae sedi reservata sint, eo sane casu veteri non immutato more abstineat episcopus a ferendo dignioris iudicio et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

§. 21. Licebit tamen ordinariis pro suo arbitrio familiaribus litteris Datario scriptis eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eundemque commonere, an occulta aliqua et in actis iuste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsis postmodum ab hac sede omnium principe et magistra luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale iudicium quantoque vos honore prosequamur, venerabiles fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XIV. Dec. MDCCXLII. Pont. Nostri anno III. (Bull. Bened XIV. Tom. I.)

LVI.

VENERABILI FRATRI ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Redditae Nobis sunt litterae tuae, quibuscum una ad Nos misisti disceptationem advocati Petri Brogiani, ut de iis, quae a te proponebantur, quae Nostra sententia sit diceremus.

Primum: An patronus ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad beneficium curatum eum, qui inter approbatos ab examinatoribus magis idoneus et magis dignus est?

Secundum: An episcopus, ad quem spectat dare institutionem, debeat sequi iu-

dicium patroni de magis idoneo magisque digno, an potius inquirere, rectumne sit patroni iudicium, an secus ?

Tertium: Si appellaverit qui se digniorem esse putat, et posthabitus est, an suspendi debeat institutio praesentati, an vero haec debeat suum effectum sortiri; paucis, an appellatio interposita locum habeat in devolutivo tantum, an potius etiam in suspensivo?

Ut igitur exordiamur a prima quaestione, in qua quaeritur, an patronus ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad beneficium curatum eum, qui magis idoneus magisque dignus est inter approbatos ab examinatoribus, respondemus, teneri. Nam antiquis omnibus disputationibus omissis, cum iuxta Concilii Tridentini praescriptum in beneficiis curatis coram examinatoribus synodalibus concursus haberi debeat, debeantque examinatores synodales approbare eos, qui magis idonei sunt, quorum deinde unum debet patronus ecclesiasticus episcopo praesentare, ut et institutionem praebeat, haec agendi ratio ac methodus necessario secum fert, ut patronus ecclesiasticus teneatur praesentare eum, quem digniorem inter probatos ab examinatoribus existimat.

Verba Concilii satis per se clara sunt in cap. 18. Sess. XXIV. de reformatione : « *Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit* », loquitur de beneficio curato, « *ac institutio ad episcopum, et non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur.* »

Quod procedit, etiamsi espiscopus patrono non intimaverit, ut digniorem praesentet, quam cautionem memorat *Abbas* in cap. *Constitutis* 2. de appellationibus, quoniam, quidquid sit de utilitate huius cautionis ante Concilium Tridentinum, superflua certe est post idem Concilium, a quo in beneficiis curatis patronatus ecclesiastici demandatus est concursus, et iniunctum fuit patrono ecclesiastico, ut eum praesentet, quem inter probatos ab examinatoribus digniorem magisque idoneum censebit, quod valet amplius quacunque admonitione seu interpellatione, quam episcopus patrono ecclesiastico faciat.

Expediti a prima quaestione ad alteram transibimus, in qua quaeritur: An episcopus, ad quem pertinet instituere, sequi debeat iudicium patroni circa magis idoneum magisque dignum, an potius inquirere, iudicium eiusdem patroni rectumne sit, an non? Et quod ad hanc quaestionem attinet, censemus necesse esse unum ab altero casum distinguere. Nam aut inter probatos ab examinatoribus nemo est, qui de patroni iudicio queratur, a quo, puta Titius, magis idoneus magisque dignus aestimatus est isque episcopo praesentatus, et tum episcopus sequi debet iudicium patroni, neutiquam vero in eius iudicium inquirere. Nam a S. Concilio non praescribitur, ut digniorem instituat, sed quem patronus inter approbatos ab examinatoribus digniorem iudicaverit: « *quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit,* » ut bene animadvertit Fagnanus in suis manuscriptis, quae apud Nos extant super cap. 18. Sess. XXIV. de reformatione: « *Et non potest episcopus opponere, quod patronus ecclesiasticus non vere digniorem, sed quem ipse patronus digniorem arbitratur, elegerit et episcopo praesentaverit, quia Concilium voluit absolute institui illum, quem patronus tanquam digniorem elegerit.* »

Et in huiusmodi facti specie locum habet rescriptum Congregationis Concilii anno. 1573. ut videre est lib. I. Decretorum pag. 167. Verba autem haec sunt: « *Sacra etc. censuit, si parochia sit iuris patronatus ecclesiastici, et institutio ad episcopum pertineat, facultatem iudicandi digniorem inter idoneos probatos ab examinatoribus spectare ad patronum ecclesiasticum, et episcopum teneri instituere eum, quem dictus patronus iudicaverit digniorem et ipsi episcopo praesentavit.* »

Aut inter ab examinatoribus idoneos probatos aliquis est, qui iudicio patroni minime acquiescens coram episcopo, cuius est dare institutionem, queritur, se posthabitum fuisse, licet magis dignus et idoneus altero sit, quem patronus tanquam digniorem et magis idoneum episcopo praesentavit; et hoc secundo casu, cum episcopus iudicis personam sumere cogatur, sequi non debet patroni iudicium circa magis idoneum, magisque dignum, sed priusquam institutionem concedat, in patroni iudicium inquirere, ut inter alios recte considerant *Garzia* de benefic. par. 9. cap. 2. num. 265. et seq. et praecipue num. 268. et seq. et *Ventriglia* in prax. rer. eccles. tom. 2. adnot. 5. §. 2. num. 56.

Non obstat, si quis assereret, etiam hoc secundo casu clausis oculis sequendum esse patroni iudicium de magis idoneo magisque digno, perinde ac si id consentaneum sit verbis Concilii superius laudatis: « *Quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit.* » Nam

praetermissis, quae a doctoribus dicuntur, nempe ea verba intelligenda esse de iusto, vero proboque iudicio, ut videre licet apud *Massobrium* in praxi habendi concursum requis. 5. dub. 1. num. 43. 44., Concilium agens de beneficio curato patronatus ecclesiastici inquit: « *Quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit.* » Non multo autem superius loquens eodem loco de beneficio curato liberae collationis ordinarii, his verbis utitur: « *Episcopus* », inter eos, qui probati sunt tanquam idonei ab examinatoribus synodalibus. « *eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.* »

At vero si quis ab examinatoribus probatus tanquam idoneus contra iudicium, quod secundum alterum tulit episcopus eum praeeligendo, institerit, auditur, et ab appellationis iudice expenditur, episcopi iudicium rectumne probumque sit, an pravum atque iniustum, ut quotidie re ipsa contingit, et definitum legitur a s. m. Pio V. praedecessore Nostro in sua Constitut. XXXIII. *In conferendis.* Multo magis, quaeviscunque sint Concilii verba, si quis inter probatos ab examinatoribus actionem moveat contra iudicium a patrono latum, aequum iusumque erit, ut audiatur, et munus erit episcopi, ad quem instituere in beneficio pertinet, diligenter inquirere, patroni iudicium utrum valeat nec ne, regulisne iustitiae an secus innitatur.

Superest tertia quaestio, in qua, ut superius diximus, quaeritur, si appellaverit qui se digniorem existimat, et posthabitus est, an suspendi debeat institutio praesentati, an potius eam exequi oporteat, paucis: si appellatio interposita locum habeat in devolutivo duntaxat, an etiam in suspensivo? Et hic etiam opus esse videtur unum casum ab altero distinguere. Nam aut iudicium episcopi convenit cum illo patroni ecclesiastici, adeo ut is, qui praesentatus est a patrono ecclesiastico tanquam magis idoneus et dignus, talis etiam ab episcopo iudicetur, et isti institutio ab episcopo concedatur, si posthabitus a patrono et ab episcopo appellet, eius appellatio in devolutivo tantum locum habebit, et illi, qui institutus est ab episcopo, parochiae possessionem minime retardabit. Et quidem si agatur de ecclesia parochiali liberae collationis episcopi, et ab episcopo uni ex approbatis ab examinatoribus synodalibus tanquam digniori et magis idoneo institutio detur, is, qui inter probatos ab eisdem examinatoribus se iniuste posthabitum ab episcopo contendit, sibique et non alteri debitam esse institutionem, appellans obtinere nequit, ut sua appellatio suspensiva sit, quae non alia ratione admittitur, nisi in devolutivo iuxta §. 8. laudatae const. *In conferendis* s. m. Pii V., multo magis, cum agitur de ecclesia parochiali iuris patronatus ecclesiastici, et in digniori magisque idoneo iudicando patronus et episcopus consentiunt, qui inter probatos ab examinatoribus synodalibus contendit, a patrono et ab episcopo iniuriam sibi illatam esse, si appellationem interponat, eius appellatio non in suspensivo, sed duntaxat in devolutivo admittetur. Nam primo casu appellanti iudicium solius episcopi, secundo autem casu praeter episcopi iudicium etiam patroni ei adversatur.

Aut enim, ut alteram distinctionis partem prosequamur, in ferendo iudicio de magis digno magisque idoneo sententiae episcopi et patroni ecclesiastici minime concordant, et tum, si quis ex approbatis ab examinatoribus et tanquam magis dignus praeelectus est a patrono, putet se gravatum esse ab episcopo, neque eius iudicio acquiescere vult et ideo provocet, eius appellatio ad suspensionis effectum operari debet, et ecclesia parochialis sub oeconomo remanere, donec lis inter eum, qui dignior habitus est a patrono, et alterum, qui ab episcopo, et ideo ut dignior in parochiali ecclesia institutus est, finiatur. Nam hoc casu considerari debet, praeelecto ab episcopo refragari iudicium patroni, nempe eius, cui praecipue Concilium electionem inter idoneos elargitum est; cuius iudicio, si nemo sit, qui adversetur, standum esse voluit, ut paulo ante adnotavimus; eius demum, ad quem in paritate meritorum pertinet uni, vel alteri gratificari, ut apud *Gratian.* I. 1. num. 264. et apud *Ventrigl.* loco pariter cit. num. 5.

Quae cum ita se habeant, nimis durum esset, si quis causa cadens in secundo iudicio, quod fert episcopus, et propterea appellationem interponeret, deinde eius appellatio non operaretur nisi in devolutivo, et non etiam in suspensivo, cum regula in iure certa sit, cum aliquis in primo iudicio victor in altero succumbit, si a secundi iudicis sententia appellet, eius appellationem non solum in devolutivo, sed etiam in suspensivo valere.

Si opponeretur in huiusmodi causis omne appellandi ius sublatum esse a Concilio Tridentino cit. cap. 18. vers. *in omnibusque* Sess. XXIV. de ref., scire oportet, Concilium ibi loqui de eo, qui a relatione examinatorum synodalium provocat, a quibus idoneus probatus non est, cum se talem esse existimet, quod nihil perti-

net ad speciem facti a Nobis propositam, in qua agitur de appellante ab irrationabili iudicio episcopi, cuius generis appellatio ignota fuit S. Concilio, sed usu introducta est a s. m. Pii V. in laudata constitutione, ut bene etiam considerat *Fagnanus* in suis Mss. superius citatis. Insuper et illud opus est intelligere, si quis contenderet argumentari posse a casu appellantis a mala relatione examinatorum ad casum appellantis ab irrationabili iudicio episcopi, eius argumentatio longius procederet, quam vellet, cum nec ipse velit provocantem ab irrationabili iudicio episcopi non audiri saltem in devolutivo, et doctores doceant appellantem a mala relatione examinatorum, eius appellationem aut neque in devolutivo admitti, aut certe ad eum duntaxat finem, ut famae atque existimationi suae appellans consulere possit, amovendo notam ab examinatoribus sibi inustam, nunquam vero ut ecclesiam parochialem consequi possit, ut ad propositum Nostrum bene disserit *Massobrius* in praxi habendi concursum requis. 5. dub. 4. *Ventrigl.* in praxi rerum ecclesiasticarum par. 2. annotat. 5. §. 2. num. 48.

Haec quidem sunt, quae opportunum esse duximus exponere, ut responderemus iis, quae a te quaerebantur ea hebdomada, quae Nobis omnium totius anni laboriosissima est, nempe hebdomada sancta. Te autem interea benevolo animo in charitate Dei complectentes tibi, tuisque omnibus in Florentina dioecesi commorantibus apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 9. Aprilis 1746. Pont. Nostri an. VI. (Bull. Bened. T. II.)

Ad Sess. XXV. Decr. de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus.

LVII.

Urbani VIII. Const. *Sacrosancta* de forma et habitu sacrarum imaginum, dat. 15. Maii MDCXLII. (Bull. Rom. T. VI. P. 2.)

LVIII.

Urbani VIII. Const. *Coelestis Hierusalem*, qua decreta d. 4. Apr. et 30. Oct. MDCXXV. circa imagines defunctorum nondum a sede apostolica canonizatorum cum splendoribus aut laureolis non proponendis edita (Bull. Rom. T. V. P. 5.) declarantur ac confirmantur, dat. 5. Iul. MDCXXXIV. (Bull. Rom. T. VI. P. 1.)

LIX.

Ad Sess. XXV. de reg. c. 2.

Clementis VIII. Const. *Religiosae congregationes* de largitione munerum regularibus utriusque sexus interdicta, dat. 13. Kal. Iul. MDXCIV. (Bull. Rom. T. V. P. 2.) confirmata et declarata ab Urbano VIII. in litteris *Nuper*, dat. 16. Oct. MDCXL. (Bull. Rom. T. VI. P. 2.)

LX.

Ad Sess. XXV. c. 3. de reg.

Clementis VIII. Const. *Quoniam*, qua cavetur locorum ordinarios non posse licentiam ad novos conventus cuiusque mendicantium ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus seu procuratoribus et aliis interesse habentibus et causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse, dat. 23. Iul. MDCIII. (Bull. Rom. T. V. P. 3.)

LXI.

Ad Sess. XXV. de reg. c. 4.

Benedicti XIII. Const. *Licet sacra*, qua regularibus transitus ad alium ordinem sine peculiari Rom. Pont. licentia interdicitur, dat. Id. Febr. MDCCXXIV. (Bull. Rom. T. XII.)

LXII.

Ad Sess. XXV. c. 6. de reg.

Pii V. Const. *Circa pastoralis* de clausura et numero monialium et de licentiis exeundi iisdem non nisi ex causis magni incendii, infirmitatis vel leprae concedendis, dat. 4. Kal. Iun. MDLXIV., et declarata per const. *Decori*, dat. Kal. Febr. MDLXX. (Bull. Rom. T. IV. P. 2.)

LXIII.

Pii V. Const. *Regularium*, qua prohibetur, ne mulieres monasteria et claustra ingrediantur, dat. 24. Oct. MDLVI. (Bull. Rom. ib.)

LXIV.

Pii V. Const. *Decori*, qua statuitur, ne exeant moniales clausura sub poena excommunicationis et privationis, quae ad dantes licentiam, comitantes quoque et receptantes extenditur, dat. 9. Kal. Febr. MDLXXVII. (Bull. Rom. ib.)

LXV.

Gregorii XIII. Const. *Deo*, de eleemosynis monialibus clausuram servantibus praestandis, dat. 3. Kal. Ian. MDLXXIII. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

LXVI.

Gregorii XIII. Const. *Ubi gratiae*, qua licentiae monasteria cuiuscunque ordinis ingrediendi mulieribus et gratiae monasteria mulierum ingrediendi viris concessae revocantur, et statuitur, licentiis in casibus necessariis concedendis utendum non esse, nisi ipsae necessitates urgeant, dat. Id. Iun. MDLXXV. (Bull. Rom. ib.)

LXVII.

Gregorii XIII. *Dubiis*, dat. 23. Dec. MDLXXXII., qua declaratur praelatos, quibus cura et regimen monasteriorum monialium competit, facultate ingrediendi monasteria uti non posse, nisi in casibus necessariis et a paucis senioribus ex religionis personis comitati id faciant. (Bull. Rom. ib.)

LXVIII.

Urbani VIII. Const. *Sacrosanctum*, qua statuitur, consensum monialium sine quo mulieres saeculares licentiis ingrediendi monasteria uti non possunt, capitulariter et per secreta praestandum esse, dat. 27. Oct. MDCXXIV. (Bull. Rom. T. V. P. 5.)

LXIX.

Alexandri VII. Const. *Felici*, quomodo et quando liceat superioribus regularibus monialium earumque confessoribus ingredi septa monasterii, dat. 13 Kal. Nov. MDCLXIV. (Bull. Rom. T. VI. P. 6.)

LXX.

Benedicti XIV. Const. *Regularis disciplinae*, qua clausura monasteriorum quorumcunque virorum regularium sublata quibuslibet dispensandi facultate inculcatur, dat. 3. Ian. MDCCXLII. (Bull. Bened. T. I.)

LXXI.

Benedicti XIV. Const. *Salutare*, qua sanctiones a SS. PP. et Conc. Trid. editae confirmantur et facultates extraordinariae ingressum vel egressum e monasteriis permittendi revocantur, dat. 3. Ian. MDCCXLII. (Bull. Bened. ib.)

LXXII.

Ad Sess. XXV. c. 10. de reg.

Benedicti XIV. Const. *Pastoralis curae*, super designatione confessariorum extraordinariorum pro monialibus, dat. Non. Aug. MDCCXLVIII. (Bull. Bened. T. II.)

LXXIII.

Ad Sess. XXV. c. 11. de reg.

BENEDICTUS EPISCOPUS (XIV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti praedecessores Nostri Romani Pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adiicere, easque apostolicas constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt, vel antiqua patrum constituta renovare, interpretari aut declarare, vel competentium Romanae curiae tribunalium sive congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videretur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. record. praedecessor Noster Clemens Papa X., per suam constitutionem, quae incipit *Superna*, datam XI. Kal. Iun. a MDCLXX., inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate apostolica praepositarum, multa constituit circa debitam a regularibus erga episcopos locorum ordinarios observantiam et subiectionem, tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus poenitentiae sacramento. Ita pariter se gessit recolendae mem. praedecessor Noster Innocentius Papa XII., cum, ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae certas sacrarum ordinationum regulas et singulorum episcoporum iura in proprios subditos praefinivit, lata constitutione, quae incipit *Speculatores* sub datum pridie Nonas Novembris a. MDCXCIV.

§. 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in apostolicis Nostris litteris, quarum initium est *Sacramentum poenitentiae* a. MDCCXLI. Kalendis Iunii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, iuxta declarationes in causis huius generis diversis temporibus et

casibus prolatas a Congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum. Id ipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis cunctisque locorum ordinariis per Italiam constitutis encyclicas litteras dedimus sub die XIX. Augusti huiusce anni MDCCXLIV., quarum initium est *Cum semper oblatas*, quibus a praedictae Congregationis Concilii Tridentini interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto, tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonici aliique de eorum gremio missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servandum iri declaramus, dum episcoporum iura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad regularium monasteria pertinentium, hac Nostra perpetuo valitura constitutione asserere atque, ut infra, definire et constituere in animum induximus.

§. 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regulares sint sive saeculares, Sacri Tridentini Concilii praescripto Sess. XXV. cap. 11. de regularibus subesse debent *immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi praedicta* monasteria *sunt sita*, exceptis duntaxat iis monasteriis seu locis, *in quibus abbates, generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent.*

§. 3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali iurisdictione exempti, quos neque parochos neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus Christi fidelium matrimoniis interesse sine praevia episcopi aut parochi licentia, quaesitum fuit, utrum huiusmodi sacerdotum correctio atque in eosdem animadversio ad episcopum, an vero ad eorum superiores privative spectaret; cumque ii privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus l. c., dum facultatem tribuit episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem pertinent, de iis duntaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt, vel animarum curam exercent (eiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur): futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. praedecessor Noster Gregorius Papa XV, ac de consilio Congregat. Sacri Conc. Trid. Interpretis edita constitutione, quae incipit *Inscrutabili*, data Nonis Febr. a. incarn. Dominicae MDCXXII., decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant, sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio aut in eorundem sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi, tanquam sedis apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur.*

§. 4. Hac controversia per constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem genus promovendis cessatum fuit; pluraque dubia tam in congregationibus S. R. E Cardinalium, quam in auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt circa peculiarium quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam seu ad sacramentorum administrationem pertinere; et consequenter, an episcopus in visitandis regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset necne suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere; tum etiam an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes abbatis generalis seu capitis ordinis, ideoque ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis curiae Nostrae tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas earumque rationes et fundamenta diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audieri-

mus aliquot ex ven. fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus aliorumque virorum in iuris canonici scientia praestantium : nonnulla super his de apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti Nostra constitutione inviolabilem quandam normam praefinire, qua posita omnes de cetero lites controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum Sacri Trid. Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

—

§. 5. Optimo sane consilio ab episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singulae dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum praedicationibus verbi Dei et administratione sacramentorum poenitentiae et eucharistiae spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi missionarios sive saeculares sive alterius instituti vel ordinis regulares ab episcopo missos tanquam visitationis suae praenuncios in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, cum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita examinatum fuisset sub die 31. Augusti 1668., affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant omnibusque rebus iuvari, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus et auctoritate apostolica confirmamus atque in posterum (quoties id opus esse prudenti episcopi arbitrio iudicatum fuerit) ab omnibus huiusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

§. 6. Sed et in ipso visitationis cursu atque etiam extra illam aliqui regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti hanc episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret in ipsorum regularium ecclesiis sive parochialibus sive non parochialibus sacramentum confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eandem definimus.

§. 7. In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a regularibus administrantur, minime quidem licet episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud duntaxat, in quo SS. Eucharistiae sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, e quo parochus ius habet verbi Dei, iuxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis tam intra ecclesiam quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra olea sive in baptismo sive in extrema unctione adhibenda, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro indigentium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

§. 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si regularis sit, agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est episcopo inquirere, cum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati etiam regularis vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla plurimum conferre ad populi aedificationem vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit et Nos etiam earundem praesentium tenore decernimus et statuimus.

§. 9. Ad personalem quoque parochi visitationem proindeque ad episcopi ius et officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur, ad synodum vocatus iverit; an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura,

adimpleverit, ac inter alia, an missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Trid. Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione et pueros in fidei rudimentis Christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an statis diebus excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia sedulo praestet et sacramenta ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem opportunis instructionibus erudierit; an, priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina Christiana, maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum et status animarum.

§. 10. Uno verbo quidquid episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest, atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare, ac meritas in eundem poenas statuere; in quo nihilominus episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis ius cumulativum cum ipso habet, ita tamen, ut si aliter a superiore regulari, aliter ab episcopo decerni contingat, huius, non vero illius decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit Nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamen episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim superioribus regularibus in huiusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

§. 11. Eveniente autem casu, quo vel episcopus vel superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum eademque privandum esse iudicaverint; quoniam huiusmodi parochis sine praevia episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles, dubitatum propterea fuit, an episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere sine superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere easque verificare deberet; tum etiam, an regularis superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi parochos tam ab episcopo quam a superiore regulari aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse nec unum alteri causas iudicii sui aperire multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

—

§. 12. Postquam vero Tridentina synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares quam regulares animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi (quod quidem iuxta magis receptam tribunalium huius Nostrae curiae sententiam intelligitur de iurisdictione episcopi ordinaria, non vero de delegata): illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis episcopis contendentibus, licere sibi saltem tanquam delegatis a sede apostolica in parochos praedictos sive in parochianos aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod, ubi abbas aut superior regularis suam probat iurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet episcopus tam a visitatione quam ab alio quocunque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem veluti ipsius Concilii decreti con-

sonum Nos etiam apostolica confirmatione roboramus.

§. 13. Similiter ab episcopi iurisdictione, visitatione et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem spectant, praedicta S. Synodus excipit tam saeculares quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. Quae exceptio sive limitatio pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam huiusmodi exemptionem ab episcopali visitatione satis sit, quod in aliquo monasterio resideat abbas regularis, licet is ordinis sui generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere abbatis cuiuslibet residentiam, nisi sit abbas totius ordinis sui generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices abbates aut regularium superiores nominat, cum ab episcopi iurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices abbates aut superiores regulares gaudere, quamvis non sint ordinum generales. De abbatibus autem generalibus seu ordinum capitibus tunc loquitur eadem S. Synodus, cum a iurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus abbates generales praedicti aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul Concilii sit mens, in hunc plane modum in posterum semper iudicari et censeri debere statuimus, minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *abbates* aliudque *generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico ipsius Concilii, quod in archivio sedis apostolicae in arce S. Angeli asservatur, quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus, proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

§. 14. Altera quaestio est, an ad obtinendam exemptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione sufficiat, quod aliquod monasterium superioris generalis sedes ordinaria existat, an vero praeter ea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus, sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis sedes superioris generalis, prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit, cum verba Tridentini de capitibus ordinum loquentia non ad loca, sed ad personas praesulum regularium in iis locis residentium referantur.

§. 15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab episcopi visitatione, quam Tridentina synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident abbates generales aut capita ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt et ab eisdem dependent. Sed cum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga superiores ordinum generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes locum habeat in aliis parochialibus eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis, quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet ecclesiis unitas minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur: id ipsum Nos praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes decernimus et constituimus.

§. 16. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium superiorum generalium, et propter eorundem rectorum omnimodam subiectionem iurisdictioni et correctioni praedictorum generalium regularium ius aliquod et iurisdictio attributa sit iisdem superioribus generalibus in saeculares subditos huiusmodi ecclesiarum sive parochianos; an vero dicendum sit ius illud ad episcopos privative pertinere. Super quo decernimus, episcopo plenam et privativam iurisdictionem competere in parochianos, ad eundemque episcopum pertinere non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum vel vicarium suum faciendo) interponere, quotiescunque superior huiusmodi generalis aliquem sive saecularem sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si episcopus huiusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis sive saecularibus sive regularibus non recte administrari cognoverit, posse ipsum et aliquando etiam debere pro sui officii mune-

re apud superiorem generalem instare, ut parochum seu curatum huiusmodi ab animarum cura removeat, implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicae sedis auctoritate; si nempe generalem praedictum aut reluctantem aut parocho plus aequo faventem invenerit.

§. 17. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quaenam essent monasteria, in quibus abbates generales seu capita ordinum sedem ordinariam principalem habeant; contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet in quo abbas generalis sive caput ordinis manet inibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut eiusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali iurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria huiusmodi sedes, quae a sola superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter cum Nobis compertum sit, in aliquibus ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia superioris generalis eiusque curiae, in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam, quoties de ordinum huiusmodi superioribus generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem ad effectum, de quo agitur, illam esse et censeri decernimus, quae ab ipsorum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur, idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo quacunque de causa superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria generalis sede haberi praecipimus, licet ipse generalis ibi actu non resideat.

—

§. 18. Quod si aliqui sint religiosi ordines seu congregationes, quorum constitutionibus vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo abbas generalis seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem generalis sede ordinaria principali ad effectum eximendi parochum ab episcopali iurisdictione et visitatione ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse superior generalis in eo degat absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet; sed illud duntaxat monasterium pro sede generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse superior generalis seu caput ordinis initio generalatus elegerit pro sua stabili residentia et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si facta semel huiusmodi electione eandem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.

§. 19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus salvum semper atque illaesum esse volumus eorum episcoporum ius, si qui sunt, qui supradictas parochiales ecclesias earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus generales ordinum sedem ordinariam principalem vel a suorum ordinum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent, quam eas, quae ab ipsis superioribus generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus huiusmodi residentia durante episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

§. 20. Decernentes praesentes Nostras litteras et in eis contenta quaecunque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existat, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcunque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, etc.....

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCXLIV.

octavo Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno quinto.

D. Card. Passioneus.

I. Datarius.

Visa de Curia.

I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium. Public. die 18. eiusdem mensis et anni.

(Bull. *Bened.* Tom. I.)

LXXIV.

Ad Sess. XXV. c. 13. de reg.

Pii V. Const. *Divina*, dat. 17. Aug. MDLXVIII., qua statuitur inter ordines mendicantes fratribus S. Dominici praecedentiam competere. (Bull. Rom. T. IV. P. 3.)

LXXV.

Gregorii XIII. Const. *Exposcit*, de praecedentia inter mendicantium ordines et laicorum confraternitates in processionibus, dat. 25. Iul. MDLXXXIII. (Bull. Rom. T. IV. P. 4.)

LXXVI.

Ad Sess. XXV. c. 14. de reg.

CLEMENS EPISCOPUS (VIII.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Suscepti muneris ratio postulat, ut ea, quae in S. Tridentino Concilio provide constituta sunt, ab iis, ad quos spectat, inviolate observare curemus.

§. 1. Maturo sane consilio ipsius Concilii decreto provisum est, ut quicunque regularis non subditus episcopo, intra claustra degens, extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante a suo superiore intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniatur, et superior de punitione episcopum certiorem faciat; sin minus, ipse a suo item superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit.

§. 2. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remisse procedi, cum enim episcopus instat aliquem regularem eo, quo supra dictum est, modo delinquentem a suo superiore puniri, saepe fit, ut superior regularem delinquentem ad alia suorum ordinum loca extra episcopi dioecesim ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias provincias se conferat, ne ulterius super delinquentibus excessibus inquirat, et de eius punitione episcopum certiorem reddat, unde nec regularis delinquens tunc ab episcopo puniri potest, cum extra ipsius dioecesim existat, nec superior, qui delinquentem punire negligit, officio privetur:

§. 3. Nos pro pastorali Nostra sollicitudine praefati decreti executioni, quantum cum Domino possumus, favere, et praemissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium praedicti Concilii Interpretum sententia motu proprio et ex certa scientia Nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura constitutione omnibus et singulis cuiuscunque ordinis et instituti regularium, etiam Mendicantium superioribus, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis Nostrae ac privationis dignitatum et officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis poenis praecipimus et mandamus, ut iuxta praedictum decretum quilibet ipsorum regularem non subditum episcopo intra claustra degentem, et extra ea ita notorie delinquentem, ut populo scandalo sit, episcopo instante intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniat, ac de punitione episcopum certiorem faciat, et alias decretum ipsum in omnibus et per omnia exequatur. Ceterum, si superior in regularem delinquentem non animadverterit, quin imo, si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra episcopi dioecesim, ut praefertur, transmiserit, volumus et simili motu atque auctoritate decernimus, ut superior instante episcopo intra tempus ab episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis Nostrae, ac privationis dignitatum et officiorum obtentorum, nec non et sub inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activae et passivae vocis, ad quas a nemine praeterquam a Nobis et Romano Pontifice pro

tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, et in quo deliquit constituere seu sistere teneatur. Quodsi hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus, ut ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tanquam sedis apostolicae delegatus praedictum Concilii decretum omnino exequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit et debeat. Decernentes sic et non aliter etc. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarn. Dom. MDXCVI. 7. Kal. Mart. Pontif. Nostri Anno V. (Bull. Rom. T. V. P. 2.)

LXXVII.

Ad Sess. XXV. c. 15. de reg.

Sixti V. Const. *Cum de omnibus*, qua ad habitum vel professionem cuiuscunque ordinis regulares recipi prohibentur illegitimi, criminosi aut aeri alieno reddendisve rationibus obnoxii, et forma novitios recipiendi praescribitur, dat. 12. Kal. Nov. MDLXXXVIII. (Bull. Rom. T. IV. P. 4.) Declarata in const. *Ad Romanum* 12. Kal. Nov. MDLXXXIX.

LXXVIII.

Clementis VIII. Const. *In Suprema*, qua Sixti V. const. quoad nullitatem professionis emittendae a novitiis ordinum regularium, moderatur, dat. 2. Apr. MDCII. (Bull. Rom. T. V. P. 2.)

LXXIX.

Clementis VIII. decreta generalia ad novitiorum receptionem, professionem et institutionem spectantia I. *Regularis disciplinae*, quo statuitur, in Italia insulisque adiacentibus novitios non recipiendos esse nisi in locis a S. P. destinandis, dat. 12. Mart. MDXCVI. II. *Sanctissimus*, quo idem decretum ampliatur et confirmatur, dat. 20. Iun. MDXCIX. III. *Sanctissimus*, super forma recipiendi novitios ad habitum et professionem regularem, dat. 2. Apr. MDCII. IV. *Cum ad regularem* super receptione et educatione novitiorum in conventibus designatis vel designandis, dat. 19. Mart. MDCIII. (Bull. Rom. ib.) Alia eiusdem S. P. decreta I. de reformatione regularium (dat. 25. Iun. MDXCIX.), II. de licentia obtinenda a fratribus Romam venientibus (dat. 10. Mart. MDCI.), III. de casuum reservatione (dat. 26. Maii MDXCIII.), impressa sunt in Bull. T. V. P. 5.

LXXX.

Benedicti XIV. litterae de libero clericorum saecularium in ordines regulares ingressu ad cardinalem Quirinum scriptae, d. 14. Ian. MDCCXLVII. (Bull. Bened. T. II.).

LXXXI.

Ad Sess. XXV. c. 10. de reg.

BENEDICTUS EPISCOPUS (XIV.) S. S. DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Si datam hominibus fidem frangere conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere ac violare non licet: multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque praesertim utpote sacrarum legum custodes a Deo constitutos oportet earum pactionum, quae divino et ecclesiastico iure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem et observantiam asserere. Eam ob rem iam usque ab anno incarnationis Dominicae MDCCXLI. Pontificatus Nostri II., apostolicas litteras dedimus incipientes: *Dei miseratione*, in Bullario Nostro deinde editas tom. I. num. 33., quibus certum praescripsimus ordinem in tribunalibus ecclesiasticis servandum, cum in ipsis discuti et definiri deberent causae, in quibus de nullitate alicuius matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut, si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuis-

set, de illius nullitate iudicium postulari aut fieri prohiberemus; sed ut in hoc gravissimo iudicii genere, in quo de sacro connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque iudices non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, huiusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile sententiis suis tanquam irritum ab initio dissolverent. Cuius quidem constitutionis utilitas Deo favente ad hunc diem aperte comprobatur, cum ex eo tempore neque tot causae super praetensa matrimoniorum nullitate in tribunalibus pendeant, nec tam frequenter ut antea Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super matrimonio rato et non consummato : dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paulo quidem maiores, sed omnino iustae, quae ex novo ordine a Nobis statuto cuilibet superandae se offerent, antequam optatum finem assequantur.

Quemadmodum itaque pro matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de religiosis videlicet utriusque sexus regularium professionibus pari ratione statuere decrevimus : nimirum certam normam ac methodum tradere, quam observare debeant iudices ecclesiastici, quoties iudicia super nullitate professionum in aliquo ordine regulari a sede apostolica approbato factarum coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui iustis de causis huiusmodi actiones intentare velint ac postulent, professionem a se factam ex capite nullitatis irritam declarari; sed ut ipsi iudices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam ex ignorantia factorum aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte valida solemnium votorum professione emissa religioso ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in tribunalibus futurae sint causae super praetensa professionum nullitate, et qui deinceps huiusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint et consequenter a religione discesserint, non amplius anxia aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad Nos aut ad officium Poenitentiariae Nostrae apostolicae, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse decepto iudice vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia et dispensatione apostolica facultas manendi in saeculo ipsis indulgeatur.

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter regulares illos, qui intra quinquennium a die factae professionis de illius nullitate actionem promovent, et eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sacrae Tridentinae Synodi Sess. XXV. de regular. cap. 19. in haec verba: « *quicunque regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario.* « In quo sane decreto, licet in littera virorum regularium duntaxat mentio fiat, nihilominus etiam feminae religionem professae comprehenduntur; cum ex regulis iuris masculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque causa pro feminis aeque ac pro masculis militat. Quamvis autem decreti verba satis clara sint, variae tamen quaestiones circa eorum sensum ac vim excitatae fuerunt.

Cum etenim ibi sermo duntaxat sit de regulari professo, qui suam professionem nullam fuisse contendat: « *quicunque regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem etc.* », nihil vero expresse statuatur de ipsa religione, cuius aliquando interest alicuius alumni sui professionem irritam declarari, ut si quis, exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adiecta declaratione, quod eo forsan existente et non patefacto ipsius admissio a religione minime rata habenda foret: hinc dubitatum fuit, an in huiusmodi casu solus superior regularis sine ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset causa coram regulari superiore simul et ordinario loci? Super quo Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini interpretationem ab apostolica sede deputatorum constanter decrevit, causas huiusmodi super nullitate professionis tam a regulari professo, quam a religione intra quinquennium in iudi-

cium deductas et a superiore regulari et ab ordinario loci simul cognoscendas esse.

Cum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus professionem, sancta Synodus computandum voluerit a die professionis, cumque potior atque communior causa, quae pro nullitate professionis adduci solet, in metu consistat, metus autem per totum quinquennium atque etiam ulterius aliquando perseveret: quaesitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die professionis emissae, an vero a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere coepit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu concessum quinquennii tempus a die emissae professionis esse computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quaestio, an scilicet praedicti ordinarius et superior regularis cognoscere possint causas nullitatis professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe professus intra illius decursum reclamaverit, sed iudicium prosequi deinde neglexerit aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram praefatis iudicibus a Concilio memoratis agendam esse causam etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra praescriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

De ipsis autem iudicibus pro huiusmodi causarum cognitione a sancta synodo designatis per ea verba: « *coram superiore suo et ordinario*, » complures similiter motae sunt quaestiones, quae maiori eorundem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quaesitum fuit, quisnam censendus esset superior regularis in casu et ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet provinciae rector an generalis ordinis moderator. Congregatio autem eiusdem Concilii Interpres definivit, esse superiorem localem, nimirum abbatem vel guardianum sive priorem aut alio quocunque nomine nuncupatum praepositum, seu rectorem illius monasterii aut coenobii, in quo reclamans professionem emisit; eum nempe, qui huiusmodi monasterii aut coenobii regimen exercet, quo tempore causa super nullitate professionis in iudicium deducitur. Quaesitum item fuit, quisnam monialium proprius superior dicendus sit ad effectum iudicandi una cum ordinario de earum professionis nullitate. Responsum fuit, quod, si agatur de monialibus ordinario loci immediate subiectis, tunc, cum nullus sit earum superior regularis, solus ordinarius iudicat de professione reclamantium intra quinquennium; si vero moniales regularium regimini subsint, tunc huiusmodi causae iudicandae sunt ab ordinario loci simul et a superiore regulari, ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium. Dubitatum est etiam, utrum superior regularis ius suum cedere possit ordinario loci, eique permittere, ut in huiusmodi causis solus procedat et iudicet. Id autem praedicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen superiori regulari, ut, si iudicium assumere nolit aut non possit, alium subrogare valeat vel regularem vel etiam ecclesiasticum saecularem iuris canonici peritum, qui una cum ordinario iudicis partes exerceat. Denique quaesitum fuit, si forte ordinarii et superioris regularis iudicia inter se discrepantia extiterint, quodnam in ipsis alteri praevalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, causam ipsam ad apostolicae sedis iudicium devolutam censeri.

Cum vero inter capita nullitatis professionem regularem irritantia unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in coenobio ad novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. praedecessor Noster Clemens Papa VIII. decreta de regularibus a se edita vim habere mandavit, si quis ex hoc capite professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si religio intra idem quinquennium postulaverit alicuius professionem ex huiusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero praedecessore Nostro, iustis gravibusque de causis ac de consilio praefatae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis editum die 5. Ianuarii anni MDCXXXVI., incipiens: *Ad occurrendum*, quo statutum fuit, huiusmodi causas ad eandem Congregationem privative pertinere. Haec sunt potiora in hoc genere decreta ex regestis praelaudatae Congregationis excerpta, quae licet alias a praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus apostolica auctoritate non semel approbata fuerint et confirmata, Nos tamen eadem praesentium litterarum tenore atque auctoritate simili novo approbationis et confirmationis Nostrae robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi ac plenariae executioni demandari praecipimus.

Quibus ita constitutis firmataque pertinentia causarum, quae intra quinquennium a die professionis emissae adversus illius

validitatem introducuntur, consequens est, ut et ea indicemus, quae de ordine ac methodo in huiusmodi iudiciis servanda a maioribus sapienter constituta sunt, tum ea proferamus, quae Nos ipsi opportune addenda censuimus, quaeque pari auctoritate ac praesentium litterarum vigore perpetuis futuris temporibus servari volumus et mandamus. Iam de ipsa huiusmodi causarum introductione notum est decretum eiusdem Concilii Tridentini cit. Sess. XXV. cap. 19. de regular. : « *ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae religionis iuvetur.* » Ex quo sequitur, regularem postulantem iudicium fieri de suae professionis nullitate, ab ipso iudicii limine repelli, nisi constet, eum in religionis suae claustris morari et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud superiores regulares ordinariosque locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti iudicia sua fundare in extraiudicialibus attestationibus, quantumvis iuramento firmatis, quae *ad perpetuam* dicuntur : hoc tamen de cetero usurpari prohibemus, volentes atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in huiusmodi causis necessarias verus et iudicialis processus omnino conficiatur, in quo et articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus professionem agit, et interrogatoria dentur ab ea parte, quae stat pro ipsius professionis validitate, et testes tam super articulis quam iuxta huiusmodi interrogatoria examinentur; utque, hac forma non servata, processus ipse et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeantur; salva etiam dispositione iuris communis quoad alia nullitatis capita, si quae forte in ipsa processus compilatione intervenerint.

Sub eadem poena nullitatis decernimus atque statuimus, ut in hoc iudicio citari et audiri debeant tum defensores monasterii seu coenobii, in quo professus vota religiosa suscepit, tum ipsius professi consanguinei sive propinqui sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint), qui indicati erunt tanquam auctores aut complices metus eidem incussi, ut votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata constitutione Nostra, quae incipit *Dei miseratione,* decrevimus, ut in singulis dioecesibus ab ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cuius officium esset in causis matrimonialibus in iudicio stare pro validitate matrimonii : ita nunc omnibus et singulis locorum ordinariis committimus et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus praeditam in suis respective dioecesibus eligant, cui defensoris professionum munus imponant, utque huic omnia demandata iniuncta et respective applicata esse censeantur, quaecunque Nos in praecitatis litteris de matrimonii defensore statuimus. Nos enim eadem omnia praesentium tenore ad huiusmodi professionum defensores expresse extendimus et respective applicamus et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro defensore professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet, quidquid pro ipsius honorario aut mercede sive pro expensis in defensione causae occurrentibus eidem praestandum esse iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exolvi debeat, quibus a professo renunciata fuerunt bona in religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si professus nihil renunciandum habuerit, ipsa religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia bona possident, ad huiusmodi solutiones teneatur; si autem nec adsint bona renuncianda nec ordo regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis praedictis litteris nostris de matrimonii defensore statuimus.

Lata demum sententia a superiore regulari et ab ordinario loci, si ea pro validitate professionis pronunciata fuerit, neque professus appellationem interponat, causam finitam esse non dubitatur. Si vero professus ad iudicem secundae instantiae appellaverit vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit, in omnibus hisce iudiciis volumus similiter defensorem professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata constitutione decrevimus, defensorem matrimonii in secunda et ulteriori instantia iudicio semper adesse. Ac sicuti praeterea statuimus, huiusmodi defensoris partes esse, a sententia iudicis primae instantiae pro matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiae iudicem provocare, et formam prosequendi iudicium in ulterioribus huiusmodi instantiis praescripsimus : ita porro volu-

mus, ut defensor professionis a sententia in prima instantia pro nullitate professionis edita appellare omnino debeat, atque in secunda seu ulteriori huiusmodi causarum revisione eadem omnia volumus observari, quae pro causis matrimonialibus in eadem constitutione mandavimus.

Quemadmodum denique legitimas poenas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam sententiam pro prioris matrimonii nullitate, sive ea per incuriam aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere, atque decrevimus nemini licere ad altera vota transire, nisi duae saltem sententiae conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint: ita, si quis in ordine regulari professus post unicam sententiam favore nullitatis professionis pronunciatam, sive pendente sive omissa culpabiliter appellatione, e claustris exire, a religione discedere, quodque magis est habitum regularem abiicere praesumpserit: volumus atque statuimus, omnibus eum poenis atque censuris a sacris canonibus et a constitutionibus apostolicis contra apostatas latis atque sancitis subiacere et obnoxium esse; decernentes pariter, in huiusmodi causis de professionis nullitate liberum professo non esse a religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla et irrita declarata fuerit.

Et primae quidem instantiae iudices super validitate professionum, quae intra quinquennium iudicialiter impugnantur, ut supra dicta est, superior regularis simulque ordinarius loci esse debent. Si vero eaedem causae in secunda aut ulteriori instantia sint discutiendae, statuimus inhaerentes antiquis quibusdam saepedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum decretis, (quae pariter tenore praesentium approbamus et confirmamus,) ut causae huiusmodi ad eos iudices devolvantur, ad quos de iure aliae omnes causae ecclesiasticae post sententiam ordinarii in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque iudices, sicuti ordinarius in prima instantia una cum superiore regulari processit, sic et ipsi procedere et iudicare debeant una cum superiore regulari, non quidem illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii eiusdem ordinis in eorum civitate aut dioecesi existentis, vel eo non extante cum superiore vicinioris monasterii eiusdem pariter ordinis, seu cum alia persona ecclesiastica, cui iuxta praemissa superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem huiusmodi causae in secunda aut ulteriori instantia ad sedem apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii sive ab altera super consultationibus episcoporum et regularium, aut denique ab auditorio Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint, nullus erit locus ad iudicandum superiori regulari; qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, cum ab eadem Congregatione Concilii iuxta relatum superius Urbani praedecessoris decretum examinanda fuerit etiam intra quinquennium validitas professionis ex eo capite impugnatae, quod facta fuisse asseratur in monasterio aut coenobio religiosis tironibus instituendis minime addicto.

Hactenus de iudiciis super nullitate professionis, quae intra quinquennium a die ipsius professionis emissae introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quaecunque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere et observari debeant etiam in curia S. R. E. Cardinalis, Nostri et Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis, quoties huiusmodi causas intra idem quinquennium in ipsius tribunali ordinario iudicandas esse contingat. Iam vero videndum est de eiusdem generis causis, quae post elapsum quinquennium huiusmodi in iudicium adducuntur.

Porro cum Sancta Tridentina Synodus post quinque annos ab emissa professione transactos omnem aditum ad reclamandum professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: « *non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis*, » adeo inhaerendum huiusmodi sanctionis litterae duxerunt maiores Nostri, ut sub piae mem. praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit ac veluti pro regula statutum, nullius causae introductionem super nullitate professionis elapso quinquennio admittendam esse, etiamsi professio per vim et metum facta diceretur, atque probari vellet, huiusmodi vim et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba decreti die 5. Martii anni MDXCVIII. editi, quae habentur decretorum Congregationis Concilii Tom. IX. fol. seq. haec sunt: «Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim et metum se religionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse. »

At vero procedentibus temporibus non sine iustis gravibusque causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiae *pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii*.

De quibus tamen iudicium facere ad apostolicam sedem semper privative pertinuit, sive ex parte professi sive ex parte religionis instantiae huiusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum extraordinarium in iure vocatur, cuius concedendi facultas iudicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacunque contraria consuetudine etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio, ut patet ex compluribus in eandem sententiam decretis eiusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quae recensita fuerunt in decreto edito die 24. Septembris anni MDCCXL. in causa *Sicula restitutionis in integrum*, quod a Nobismetipsis die 28. eiusdem mensis et anni approbatum et confirmatum fuit, quodque iterum praesentium tenore approbamus et confirmamus; reservato Nobis et successoribus Nostris Romanis Pontificibus iure concedendi ordinariis et superioribus localibus in quibusdam peculiaribus casisibus facultatem examinandi etiam causas restitutionis in integrum ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super professionis validitate aut nullitate deveniant, ut non semel ex apostolicae sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

Huius autem iudicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quae in praesenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione seu fumo, ut aiunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab apostolica sede concedebatur; nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram iudicibus competentibus actionem promovere possent; pro cuius iudicii instructione deinceps a superiore regulari et ab ordinario loci legitimus conficiebatur processus, atque sententia super validitate aut nullitate ferebatur. Quae sane methodus, si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum praecipue, quae ad huiusmodi iudicium consequentia sunt, rationem habere, ac providere, ne unius tantum sententiae vigore professiones regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in praefatis congregationibus seu tribunalibus Urbis pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii observatur. Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur ordinario loci et superiori regulari, ut processum conficiant; eoque demum transmisso proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate aut nullitate professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc ordinario et superiori locali committitur, ut sententiam proferant super controversa professionis validitate. Sed quamvis in huiusmodi commissionibus plena ipsis relinquatur facultas iudicandi sive pro validitate sive pro nullitate professionis, prout ipsis iustum visum fuerit, usu tamen compertum est, quod, cum iidem satis noverint, quam diligenti et gravi iudicio apud sedem apostolicam discussae fuerint causae, propter quas restitutio in integrum concessa fuit viso duntaxat huiusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

Accuratum huiusmodi examen causarum restitutionis in integrum apud Romanae curiae iudices in more positum non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum ab ipsis in posterum observari volumus ac iubemus; hoc tamen addito, ut in commissionibus, quae dicuntur superioribus regularibus et ordinariis locorum pro conficiendis processibus, iisdem sub poena nullitatis actuum iniungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu defensoris professionis, ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, iuxta quae examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime praestare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum tam in praefatis Cardinalium Congregationibus Concilii Tridentini interpretationi et episcoporum ac regularium consultationibus praepositis quam in auditorio Rotae aut in quacunque congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis poena defensor professionis ab eo, qui tribunalis caput est, deputatus expensis eorum, de quibus supra, semper et in omnibus actibus in iudicio stare debeat; neque solum in prima huiusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima reiectus ad novam audientiam admittatur. Denique ut pro

fruendo beneficio restitutionis in integrum unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causae examine auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit, quemadmodum in altera constitutione Nostra praesentis initio allegata de causis super nullitate matrimonii constituimus. Nos enim praesentium tenore decernimus ac sub poenis adversus apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae e religionis claustris migrare multoque minus habitum regularem deponere audeat seu praesumat; cum ad praedictas poenas declinandas et altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea et sententia super nullitate professionis a superiore regulari et ab ordinario ferenda expectari omnino debeant, nec nisi per huiusmodi sententiam a praedictis iudicibus praeviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum legitime latum iudicium absolutum censeri queat.

Quae omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet ac pertinebit in posterum, sedulo observanda et implenda a Nobis praescribuntur et enixe inculcatur, profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futurae sint instantiae et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die professionis emissae vel etiam eo elapso susceptum religiosae vitae institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a superioribus quoque regularium ordinum in novitiorum admissionibus ea observabuntur, quae et in eorum constitutionibus et in decretis fel. rec. Clementis Papae VIII. praedecessoris Nostri statuta sunt, quaeque omnia ab ipsis plenissime observari et impleri Nos pariter ipsis praecipimus ac iubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum praebebunt, ut admittantur ad professionem tirones sive qui aetatem quidem a Concilio praescriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quae a constitutionibus ordinis statuta est, sive illi, qui licet annum novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent iuxta praescriptum suarum peculiarium constitutionum, multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo aut sex menses duntaxat tirocinium posuerunt; ac demum si ipsi superiores haud se interponent neque curabunt, ut professi ante legitimam aetatem ad ordines sacros promoveantur. Quaecunque enim sive in sacris canonibus aut pontificiis constitutionibus sive in peculiaribus ordinum statutis circa praemissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam et ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quae ut plurimum aut sola aut potissima causa est, qua professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero apostolica sedes ullas unquam dispensationes in praemissis concedere consuevit, nisi praevio assensu aut etiam accedentibus precibus superiorum regularium, quibus nempe aequum et necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quae petuntur. Illud autem nullo modo ferri aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium sive post eius decursum superiores ipsi contradictores sese non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod religiosorum virorum societate indignus censendus sit quicunque ab ea discedere exoptat, quodque ex inutili monacho utilis fortasse clericus saecularis existere possit. Nunquam enim licitum est iustitiam deserere aut prodere, quae iubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo una cum professo ipsa quoque religio intervenit.

Ad praedictum finem praeterea quam maxime proderit, si et ecclesiastici praesules et iudices debitas officii sui partes explere non praetermittent. Ecclesiarum quidem praesules, si anathemati subiectos declarabunt omnes et singulos, cuiuscunque qualitatis conditionis et dignitatis fuerint, qui virgines aut viduas seu alias quascumque mulieres invitas, praeterquam in casibus in iure expressis, coegerint ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, iuxta sanctionem Sacrae Tridentinae Synodi Sess. XXV. cap. 18. de regular., ubi etiam pares censurae statuuntur adversus eos, qui in huiusmodi factis consilium, auxilium vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam religionem et ad vota profitenda, iustis gravibusque poenis afficient; iudices vero si, falso ante omnia deposito praeiudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam quoad fieri potest aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt,

ubi invito animo commorantur, ad exactam iustitiae lancem expendent et numerum et qualitatem testium, qui ad comprobandam nullitatem professionis inducuntur, et vim maiorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quae in hoc toto rerum genere ab auctoritate considerari solent.

Itaque praedictis omnibus et singulis gravissime denunciamus districteque praecipimus, ut in cunctis, quae ad eorum officia pertinent, a iustitiae tramite et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant, ac meminerint, omnium, quaecunque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud divinum iudicem tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operae conferre intendimus, quo planius atque facilius, de causis huius generis ab ipsis in posterum iudicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio selectorum virorum in theologica et canonica facultate praestantium nonnullas quaestiones accurate examinare ac dirimere, quae variis scriptorum opinionibus iactatae, et varias species induentes iuxta diversas occurrentium casuum circumstantias ancipites atque sollicitos detinere solent iudicantium animos, ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, cum pro munere secretarii praefatae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum huiusmodi causas ad regulam iuris exigendas prae manibus haberemus. Eiusmodi sunt exempli causa quaestiones: Utrum professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur? quinam sint actus, ex quibus huiusmodi convalidatio seu ratificatio inducatur? et quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio sacrorum ordinum ad titulum religiosae paupertatis? Praeterea, si quis forte ante legitimam aetatem ignorans professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in religione permanserit, seque valide professum existimans ea omnia, quae professorum sunt, una cum sociis praestiterit, an hic deinde intelligens, qua aetate vota emiserit, non obstantibus actibus veri professi a se gestis, adhuc praefatae ignorantiae praesidio actionem habeat ad reclamandum adversus professionem a se factam? an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur? Item an professus, qui in professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam constitutionum, quod scilicet religio ipsum cum huiusmodi defectu aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat, an, inquam, talis professus, qui religioni dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae professionis ex eo capite impugnare valeat? Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam iudici nullitatem professionis, quod reclamantes professi asserere saepe non dubitant, se in proferendis religiosis votis mentem servasse alienam a proposito se obligandi? Haec omnia aliaque similia in huiusmodi iudiciis frequenter occurrentia et in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio Deo adiuvante explanare deliberavimus.

Interim praesentes litteras cum omnibus et singulis in ipsis decretis atque statutis firmas, validas et efficaces existere ac perpetuo fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari volumus et decernimus. Sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, praedictasque S. R. E. Cardinalium congregationes generales et particulares, aliosque eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et sanctae sedis nuncios, aliosve quoslibet quacunque praeeminentia, auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata iis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere; ac nullum, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCXLVIII. nonas. Martii, Pontificatus Nostri anno VIII.

D. Card. Passioneus.

I. Datarius.

Visa de Curia.

I. C. Boschi. *L. Eugenius.*

Loco + Plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

Publicat. die 16. Martii 1748.

(Bull. Bened. Tom. II.)

LXXXII.

Ad Sess. XXV. c. 6. de ref.

Clementis VIII. litterae *Decet Romanum*, quibus declaratur, c. 6. Sess. XXV. de ref: §. *Qui vero* praeservare tam dignitates, quibus annexa est administratio cum iurisdictione, quam illas, quae ex ecclesiae consuetudine pro dignitatibus habentur, dat. 21. Apr. MDXCVII. (Bull. Rom. T. V. P. 2.)

LXXXIII.

Urbani VIII. litterae *Cum sicut*, quibus confirmantur declarationes nonnullae S. Congr. Conc., videlicet: episcopum posse sine adiunctis procedere contra coadiutorem, nisi ei omnia privilegia, quae habent ipsi canonici, sint concessa; atque episcopum super hoc a capitulo impediri non posse, nec capitulares posse mulctare episcopum, sed solum ad superiores appellare, dat. 9. Iun. MDCXL. (Bull. Rom. VI. P. 2.)

LXXXIV.

Ad Sess. XXV. c. 10. de ref.

Benedicti XIV. Const. *Quamvis paternae*, qua commissiones causarum non aliis quam iudicibus synodalibus dirigendas esse statuitur, quorum electio ordinariis commendatur et extra synodum cum consilio capituli fieri permittitur, dat. 26. Aug. MDCCXLI. (Bull. Bened. T. I.)

LXXXV.

Ad Sess. XXV. c. 13. de ref.

Urbani VIII. Const. *Cum sicut*, qua sancitur, parochos plus percipere non posse in sepulturis, quae fiunt in ecclesiis regularium, quam in eis, quae fiunt in propriis seu aliorum clericorum, dat. 2. Mart. MDCXXXVIII (Bull. Rom T. VI. P. 2.)

LXXXVI.

Ad Sess. XXV. c. 19. de ref.

Gregorii XIII. Const. *Ad abolendam*, qua Conc. Trid. decretum ad duella privatim commissa extenditur, dat. Non. Dec. MDLXXXII. (Bull. Rom. T. IV. P. 4.)

LXXXVII.

Clementis VIII. Const. *Illius vices*, qua constitutiones RR. PP. et Conc. Trid. contra pugnantes publice vel privatim in duello emissae confirmantur, declarantur et extenduntur, dat. 16. Kal. Sept. MDXCII. (Bull. Rom. T. V. P. 1.)

LXXXVIII.

Ad Sess. XXV. de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis.

Benedicti XIV. Const. de ieiunii disciplina conservanda vel reintegranda et dispensationibus generalibus pro oppidis aut dioecesibus integris nonnisi certa ratione et iusta de causa petendis et concedendis, dat. 10. Iun. MDCCXLV. (Bull. Bened. T. II.)

LXXXIX.

Urbani VIII. Const. *Universa* pro observatione festorum, dat. Id. Sept. MDCXLII. (Bull. Rom. Tom. VI. P. 2.)

XC.

DECLARATIO
CONCILII TRIDENTINI

DE COMPATERNITATE, ET AFFINITATE, ET FORNICATIONE, AC MATRIMONIIS DESUPER CONTRACTIS, ET CONTRAHENDIS.

Sanctissimus in Christo Pater et D. N. D. Pius, divina Providentia Papa V. ad cuius notitiam pervenit, quod, cum in decretis S. Concilii Tridentini certae tantum personae enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium, an qui ultra personas in dictis decretis enumeratas, quoquomodo cognatione spirituali, ante confirmationem dicti Concilii, coniuncti erant, absque dispensatione Apostolica, Matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie, et de caetero contrahere possint, cum ante praedictam confirmationem id facere de iure minime liceret, et insuper, cum in eisdem decretis statuatur, affinitatem, quae ex fornicatione contrahitur, in illis solummodo attendi debere, qui primo, vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitatur, an matrimonia inter personas, quae ante confirmationem dicti Concilii, tertio, vel ulteriori huiusmodi affinitatis gradu coniunctae erant, post confirmationem eiusdem Concilii absque dispensatione Apostolica contracta, et quae deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant; Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos, qui ante confirmationem praedicti Concilii cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis in dictis decretis enumeratis, et inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, matrimonii vinculo inter se absque dispensatione aliqua libere et licite copulari posse, ac matrimonia etiam post confirmationem huiusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicae, inter eas iam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere. Et similiter matrimonia post confirmationem Concilii absque dispensatione Apostolica secuta, et quae de caetero sequentur, inter personas, quae ante dictam confirmationem, affinitatem, infra tamen secundum gradum ex fornicatione provenientem, contraxerant, propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida et efficacia existere declaravit. Sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam S. R. E. Card: sublata eis quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Placet, publicetur et describatur.

Lecta et publicata fuit suprascripta Regula Romae in Canc: Apostol: anno Incarn: Dom: 1566. die vero Martis, 20. mensis Aug: Pont: praefati SS. D. N. D. Pii Papae V. anno primo.

A. Lomellinus Custos.

XCI.

Ad Sess. XXV. decr. de indice librorum.

DE LIBRIS PROHIBITIS REGULAE DECEM

PER PATRES A TRIDENTINA SYNODO DELECTOS CONCINNATAE, ET A PIO PAPA IV. COMPROBATÆ.

Regula I.

Libri omnes, quos ante annum MDXV. aut summi Pontifices, aut concilia oecumenica damnarunt, [1]) et in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

[1]) Consule indicem lib. prohib. Congregat. pro indice statuit Xystus V. in Bulla: Immensa, 1588. art. 6.

Regula II.

Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum haereses invenerunt vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Swenchfeldius, et his similes, cuiuscunque nominis, tituli aut argumenti existant, omnino pro-

hibentur. Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis iussu episcoporum et inquisitorum examinati et approbati permittuntur. Libri etiam catholici conscripti, tam ab illis, qui postea in haeresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad ecclesiae gremium rediere, approbati a facultate theologica alicuius universitatis catholicae vel ab inquisitione generali permitti poterunt.

Regula III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem veteris testamenti versiones viris tantum doctis et piis iudicio episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatae editionis ad intelligendam sacram scripturam, non autem tanquam sano textu utantur. Versiones vero novi testamenti ab auctoribus primae classis huius indicis factae nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero annotationes cum huiusmodi, quae permittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis catholicae aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen bibliorum, quod vulgo biblia Vatabli dicitur, aut partes eius concedi viris piis et doctis poterunt. Ex bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus et prolegomena praecidantur; eius vero textum nemo textum vulgatae editionis esse existimet.

Regula IV.

Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitas oriri, hac in parte iudicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumpserit, nisi prius bibliis ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habenti biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum amittant, aliisque poenis pro delicti qualitate eiusdem episcopi arbitrio subiaceant. Regulares vero non nisi facultate a praelatis suis habita ea legere aut emere possint.

Regula V.

Libri illi, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt lexica, concordantiae, apophthegmata, similitudines, indices et huiusmodi, si quae habeant admixta, quae expurgatione indigeant, illis episcopi et inquisitoris una cum theologorum catholicorum consilio sublatis aut emendatis, permittantur.

Regula VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et haereticos nostri temporis disserentes non passim permittantur; sed idem de iis servetur, quod de bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quod si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quae sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerunt, permitti ab episcopo et inquisitore poterunt.

Regula VII.

Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint severe ab episcopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur; nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt.

—

Regula VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quae ad haeresim seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis theologis inquisitionis generalis auctoritate expurgati concedi possint. Idem iudicium sit de prologis, summariis seu annotationibus, quae a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositae sunt. Sed posthac non nisi emendati excudantur.

Regula IX.

[x]) Libri omnes et scripta geomantiae, hydromantiae, aëromantiae, pyromantiae, oneiromantiae, chiromantiae, necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus reiiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiae iudiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certi aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis iuvandae gratia conscripta sunt.

[x]) Vide Bullam Xisti V. *Coeli et terra*, 1586. qua procedi potest, non modo per ipsos Episcopos et ordinarios, sed etiam per Inquisitores locorum.

Regula X.

In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur quod in concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. X. statutum est. Quare, si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per vicarium summi Pontificis et sacri palatii magistrum, vel personas a sanctissimo Domino Nostro deputandas prius examinetur. In aliis vero locis ad episcopum vel alium habentem scientiam libri vel scripturae imprimendae, ab eodem episcopo deputandum, ac inquisitorem haereticae pravitatis eius civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbatio et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis et sine dilatione imponendam sub poenis et censuris in eodem decreto contentis approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat; eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, iisdem poenis subiici debere iudicarunt Patres deputati, quibus impressores; et qui eos habuerint et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat, probatioque et examen ac cetera gratis fiant. Praeterea in singulis civitatibus ac dioecesibus domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis ab episcopo sive eius vicario, atque etiam ab inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur. Omnes vero librarii et quicunque librorum venditores habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant sine licentia eorundem deputandorum, sub poena amissionis librorum, et aliis arbitrio episcoporum vel inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores vel impressores eorundem arbitrio puniantur. Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur eisdem personis deputandis renunciare, vel, si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci praedictis personis significent libros esse adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum iam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab heredibus et executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos sive eorum indicem illis personis deputandis offerant, et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione transferant. In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorundem episcoporum vel inquisitorum, pro qualitate contumaciae vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati examinarunt aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus ut rursus excuderentur concesserunt, quicquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolae quam ceteri observent. Liberum tamen sit episcopis aut inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis per-

mitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel dioecesibus expedire iudicaverint. Ceterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem deputatorum secretarius notario sacrae universalis inquisitionis Romanae descripta sanctissimi domini nostri iussu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum, aut huius indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros haereticorum vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio episcoporum severe puniatur.

OBSERVATIONES

AD QUARTAM ET NONAM REGULAM IUSSU

CLEMENTIS PAPÆ VIII.

FACTÆ CIRCA QUARTAM REGULAM.

Animadvertendum est circa suprascriptam quartam regulam indicis fel. rec. Pii Papae IV. nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, et usu sanctae Romanae, et universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi, vel retinendi biblia vulgaria, aut alias sacrae scripturae, tam novi, quam veteris testamenti partes, quavis vulgari lingua editas.

Additio

Quod si huiusmodi bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae patribus, vel ex doctis, Catholicisque viris, conceduntur. Decr. Sac. Congregationis Ind. 13. Iunii 1757.

Circa nonam regulam.

Circa regulam nonam eiusdem indicis ab episcopis, et inquisitoribus Christifideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra regulam hanc libros huiusmodi astrologiae iudiciariae, divinationum, et sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem regula expressarum, procedi potest, non modo per ipsos episcopos, et ordinarios, sed etiam per Inquisitores locorum, ex constit. fel. rec. Sixti Papae V. contra exercentes astrologiae iudiciariae artem, et alia quaecumque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgata, sub dat. Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnat: Domini 1585. nonis Ianuarii, Pontificatus sui, anno primo.

De thalmud, et aliis libris hebraeorum.

Quamvis in indice praedicti Pii Papae IV. Thalmud Hebraeorum, eiusque glossae, annotationes, interpretationes, et expositiones omnes prohibeantur; sed quod, si absque nomine Thalmud, et sine iniuriis, et calumniis in religionem christianam aliquando prodiissent, tolerarentur: quia tamen Sanctissimus D.N. Clemens Papa VIII. per suam constitutionem contra impia scripta, et libros Hebraeorum sub dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarn. Dom. 1592. pridie kal. Martii, Pontificatus sui anno secundo, illos prohibuit, atque damnavit: mens ipsius non est, eos propterea ullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi; sed specialiter, et expresse statuit et vult, ut huiusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliique nefarii Hebraeorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant, et censeantur; atque super eis, et aliis libris huiusmodi praedicta constitutio perpetuo, et inviolabiliter observetur.

De libro magazor.

Ad haec sciant episcopi, ordinarii, et inquisitores locorum, librum Magazor Hebraeorum, qui continet partem officiorum, et caeremoniarum ipsorum, et Sinagogae, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quavis alia vulgari lingua, praeterquam Hebraea, editum, iamdiu ex speciali decreto rationabiliter prohibitum esse. Idcirco provideant, illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua praedicta.

OBSERVATIONES

AD DECIMAM REGULAM IUSSU

ALEXANDRI PAPÆ VII.

ADDITAE

Observandum est circa regulam decimam, quod degentes in statu Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subiecto non possunt transmittere libros a se compositos, alibi imprimendos, sine expressa approbatione, et in scriptis Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et Magistri sacri Palatii, si in urbe; si vero extra urbem existant, sine ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum facultate, et licentia operi infigenda.

Qui vero super impressionem librorum, ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum huiusmodi, personas affectui auctorum quomodolibet addictas, praesertim vero propinquitate illos, aut alia quantumvis a longe petita ea sit, veri, et sinceri iudicii corruptrice, necessitudine contingentes admittant: super omnia autem ab oblatis sibi in hanc operam per eosdem auctores censoribus caveant; sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos, ab omni supicione gratiae intactos, ac, si fieri potest, auctoribus ipsis ignotos, et unius boni publici, Deique gloriae studiosos cognoverint. Quo vero ad auctores regulares, cuiuscumque ordinis, et instituti sint, illud praeterea observandum, ut ne eorum scripta, vel opera aliis eiusdem instituti regularibus examinanda committantur, sed alterius ordinis, et instituti viri pii, doctique, et a partium studio, atque ab amoris, et odii stimulis prorsus remoti eligantur: per hoc autem non tollitur, qui intra eorumdem regularium ordinem, per religiosos eiusdem ordinis, superiorum suorum iussu, praefati libri examinari debeant.

XCII.

PIUS PAPA IV.

Ad futuram rei memoriam.

Dominici gregis custodiae Domino disponente praepositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis quanta maxima possumus cura et diligentia praecavere, ne propter negligentiam Nostram pereant oves, quae pretiosissimo Domini Iesu Christi sanguine sunt redemptae. Etsi autem quae ad fidei veritatem patefaciendam et ad horum temporum haereses confutandas pertinebant in oecumenico et generali Concilio Tridentino sancti Spiritus assistente gratia nuper adeo enucleata ac definita fuerunt, ut facile iam sit unicuique sanam catholicamque doctrinam a falsa adulterinaque internoscere: tamen, cum librorum ab haereticis editorum lectio non modo simpliciores homines corrumpere soleat, verum saepe etiam doctos eruditosque in varios errores et a veritate fidei catholicae alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus providendum.

Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur index sive catalogus librorum, qui vel haeretici sint, vel de haeretica pravitate suspecti, vel certe moribus et pietati noceant, id negotium ad sacram Tridentinam Synodum reieceramus; ea vero ex tanta episcoporum et aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum indicem multos cum doctrina tum iudicio insignes praelatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non sine maximo labore plurimisque vigiliis eum indicem tandem Deo iuvante perfecerunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipsius Synodi decreto is index Nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur, quam a Nobis approbatus fuisset, Nos doctissimis quibusdam probatissimisque praelatis eum accuratissime legendum examinandumque tradidimus, et ipsi etiam legimus.

Cum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, et praeterea commodissime digestum esse cognoverimus: Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri et scripta cuiuscunque generis,

quae in eo improbantur sive ut haeretica, sive ut de haeretica pravitate suspecta, sive ut pietati ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac a Christi fidelibus legantur, ipsum indicem una cum regulis ei praepositis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, imprimique ac divulgari, et ab omnibus universitatibus catholicis, ac quibuscunque aliis ubique suscipi, easque regulas observari mandamus atque decernimus; inhibentes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis personis saecularibus et regularibus, cuiuscunque gradus, ordinis et dignitatis sint, quam laicis quocunque honore ac dignitate praeditis, ne quis contra earum regularum praescriptum aut ipsius prohibitionem indicis libros ullos legere habereve audeat.

Si quis autem adversus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui haereticorum libros vel cuiusvis auctoris scripta propter haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit habueritve, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum tanquam de haeresi suspectum inquiri et procedi liceat, praeter alias poenas super hoc ab apostolica sede sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit habueritve, praeter peccati mortalis reatum episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede sit indultum, ne excommunicari possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus et mandamus, ut hae litterae per aliquos Nostrae curiae cursores in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque Cancellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem omnes et singulos, qui his litteris comprehenduntur, post tres menses a die publicationis et affixionis earum numerandos, volumus perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae editae lectaeque fuissent. Transumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Martii MDLXIV., Pontificatus Nostri anno V.

Antonius Florebellus Lavellinus.

XCIII.

Sixti V. Const. *Romanus Pontifex*, de visitandis liminibus ab episcopis, patriarchis et aliis ecclesiarum primatibus, dat. 13. Kal. Ian. MDLXXXV. (Bull. Rom. T. IV. P. 4.)

XCIV.

Benedicti XIV. Const. *Quod sancta* de sacris liminibus visitandis, qua const. Sixti V. confirmatur eaque ad abbates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum iurisdictione quasi episcopali et territorio separato extenditur, dat. IX. Kal. Dec. MDCCXL. (Bull. Bened. XIV. T. I.)

XCV.

INSTRUCTIO

Sacrae Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis, super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum, quas occasione visitationis sacrorum liminum eidem Sac. Congreg. exhibere tenentur.

Summus Pontifex Sixtus Papa V., qui tempora statuit, quibus singuli episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae per seipsos vel per eorum certum nuntium, visitare tenentur limina beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, antiquissimae observantiae inhaerendo, nedum voluit, ut ultra sacrorum liminum visitationem Ro-

mano pro tempore Pontifici de toto eorum pastorali officio et de rebus omnibus ad ipsarum quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam constitutione, quae incipit *Immensa aeterni Dei*, Sacrae Congregationi praepositae interpretationi sacrosancti Concilii Tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur relatio status ecclesiae, perpendendi et examinandi ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinae hae constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad sacrorum liminum visitationem tum quoad relationem statuum ecclesiarum; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis et aliquae aliquando deficientes in necessariis; cumque ad haec avertenda in synodo Romana hoc anno 1725. a sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi praescriptum sit, ut instructio hactenus omissa a sacra Concilii Congregatione ederetur; haec idcirco instructio publici iuris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum ad eandem Sacram Congregationem in posterum transmittendis, curent episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, ipsi se conformare et suas relationes ad quaedam distincta capita reducere, quorum primum ad statum ecclesiae materialem, secundum ad personam ipsius referentis, tertium ad clerum saecularem, quartum ad clerum regularem, quintum ad moniales, sextum ad seminarium, septimum ad ecclesias, confraternitates et loca pia, octavum ad populum et ultimum denique referatur ad postulata, quae ab ipso referente Sacrae Congregationi proponuntur.

—

§. 1. De primo relationis capite, pertinente ad statum ecclesiae materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

I. Institutio.

II. Confinia.

III. Privilegia et praerogativae episcopatus, archiepiscopatus aut patriarchatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum aut locorum, qui episcopatui, archiepiscopatui aut patriarchatui subiecti sunt.

V. Status cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis ecclesiae, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori addictorum; et an erectae fuerint praebendae poenitentiaria et theologalis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum una cum numero pariter canonicorum et ceterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, nec non aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu existentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana aut patriarchalis, et collegiatae, oratoria, nec non parochiales, ceteraeque ecclesiae sint sacris suppellectilibus instructae, et quaenam ex eis habeant reditus pro fabrica assignatos.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum quam mulierum, exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subiecta suae iurisdictioni; et an et quae mulierum monasteria sibi subiecta sint, vel praelatis regularibus.

IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum, quot in eodem alantur, an fuerit statuta taxa et in qua quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita et in universum quinam et quot sint reditus praedicti seminarii.

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum et aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu, et quinam sint eorum reditus.

XI. An adsint montes pietatis et quot sint, una cum aliis consimilibus, ad statum materialem ecclesiae spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quae fit ab episcopo, archiepiscopo aut patriarcha exhibeatur, in subsequentibus etenim relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contingisset, quod referens notificandum Sacrae Congregationi existimaret.

—

§. 2 De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum episcopum, archiepiscopum, primatem et patriarcham.

In hoc capite exponi debebit:

I. An residentiae praeceptum a sacris canonibus, Concilio Tridentino et constitutione Urbana praescriptum adimpleverit; et an aliquo, et quo tempore abfuerit et an ultra menses conciliares et an cum vel sine sedis apostolicae licentia.

II. An et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.

III. An per se, vel per alium episcopum sacras ordinationes expleverit, et sacramentum confirmationis administraverit.

IV. An et quoties synodum dioecesanam coëgerit, et si episcopus nulli archiepiscopo subiectus sit an ad synodum provincialem eius archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut eius synodo provinciali intersit, accesserit, et si sit archiepiscopus, an synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per se ipsum praedicaverit, et an legitimo concurrente impedimento viros idoneos assumpserit ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.

VI. An habeat depositarium poenarum et mulctarum pecuniariarum et an eaedem fuerint piis usibus applicatae.

VII. Quaenam taxa et an Innocentiana in sua cancellaria observetur.

VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, iurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis et immunitatis ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo aut pro clero.

§. 3. De tertio capite ad clerum saecularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An canonici ceterique choro addicti cathedralis metropolitanae aut patriarchalis ecclesiae nec non collegiatarum choro iugiter intersint.

II. An ultra matutinum, laudes ceterasque alias horas canonicas quolibet die celebrent missam conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones et eas punctualiter observent.

V. An qui obtinent praebendam poenitentiariam aut theologalem adimpleant quae adimplenda sunt et quomodo.

VI. An parochi in suis parochiis resideant.

VII. An librum matrimonii et baptizatorum aliosque libros, quos ad normam ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent.

IX. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, iuxta monitum Tridentini et praecitati concilii Romani.

X. An saltem dominicis et aliis festis diebus in suis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes pueros ceterosque hoc adiutorio indigentes doceant; et an et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. An singuli parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto missam applicent pro populo eorum curae commisso.

XII. An et quae praemittantur, antequam quis ad primam tonsuram et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi ante cuiuscumque ordinis sacri receptionem piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. An omnes praedicti vestes iugiter deferant clericales et an quoad fori privilegium serventur disposita a sacrosancta Synodo Tridentina Sess. XXIII. cap. 6. de reformat., et a constitutione sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIII. in eodem concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiore.

§. 4. De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An regulares curam animarum exercentes, qui episcopali iurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant iuxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de parochis saecularibus.

II. An aliquis regularis extra monasterium degat; an aliqui adsint in dioecesi a suis superioribus servatis servandis electi, vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit, et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. An sua iurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus praefixo; et quinam sint religiosorum mores in dictis conventibus et granciis degentium.

IV. Denique, an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum constitutionibus et signanter a bulla Clementis Papae X. quae incipit *Superna*.

§. 5. De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An moniales episcopo subiectae suas servent constitutiones.

II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio Sacrae Congregationis indigeant.

IV. An praeter ordinarium confessorem alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum reditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutae et quomodo erogatae.

VI. An in monasteriis monialium, quae sunt praelatis regularibus subiecta, curaverit, ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata, et an contra inobedientes et contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia processerit.

VII. An harum monialium confessarii regulares sive ordinarii sive extraordinarii fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An adhibitis superioribus regularibus singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec monialium monasteria regularibus subiecta, et an fideliter eorum reditus administrentur et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in bulla Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili*.

§. 6. De sexto relationis capite, pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit:

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent et quo profectu.

IV. An cathedrali et aliis locis ecclesiae diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum a se electorum necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in eius solutione.

§. 7. De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum missarum et anniversariorum ad tramites decretorum san. mem. Urbani VIII. et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus iniuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis sive charitatis visitaverit; et an idem habeat reditus, qui superabundent sustentatione ministrorum aliisque necessariis expensis; et in quas causas reditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam aut frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An infirmorum hospitalia visitaverit, reddituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria quoad salutem animae et corporis in eis subministrentur.

§. 8. De octavo relationis capite ad populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. Quinam sint populi mores et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam in eodem inoluerit consuetudo, quae consilio indigeant et sedis apostolicae adiutorio.

§. 9. De ultimo capite ad postulata pertinente.

Ultimo loco episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad Sacram transmittunt Congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut, omnibus mature pensatis, possit Sacra Congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere quae ipsis addenda videbuntur et ad notitiam Sacrae Congregationis deferre; quae ex charitatis et iustitiae norma per se expediet quae poterit, et maiora ad Summum Pontificem deferet, qui fratribus suis episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. Card. Origus Praefectus.
Loco + Sigilli.
P. Archiep. Theodosiae secret.
(Bulla Bened. XIV. Tom. II. Append.)

—

XCVI.

Ad Sess. V. dec. de pec. orig.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tam-

quam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria huius Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit eiusdem ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriati sunt Apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio, propriaque missa, quibus praerogativa immunitatis ab hereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tribuia civitatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Capellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam, et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missae praefatione Immaculatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum vestigiis inhaerentes non solum quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus, et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV. proprium de Immaculata Conceptione officium auctoritate Nostra munivimus, illiusque usum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur, idcirco Decessores Nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam obiectum ac doctrinam declarare, et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam, et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam excogitato inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimae Virginis Conceptionis festum, et Conceptionem pro primo instanti tamquam verum cultus obiectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII. Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquiens « Sane vetus est Christifidelium « erga eius beatissimam Matrem Virginem « Mariam pietas sentientium, eius animam « in primo instanti creationis, atque infu- « sionis in corpus fuisse speciali Dei gra- « tia et privilegio, intuitu meritorum Iesu « Christi eius Filii humani generis Redem- « ptoris, a macula peccati originalis prae- « servatam immunem, atque in hoc sensu « eius Conceptionis festivitatem solemni « ritu colentium, et celebrantium (*). »

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari, atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et eiusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia, solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice, sive privatim defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adiecere sanctionem: quae omnia laudatur Praedecessor Noster Alexander VII. his verbis est complexus.

« Nos considerantes, quod Sancta Ro- « mana Ecclesia de Intemeratae semper « Virginis Mariae Conceptione festum so- « lemniter celebrat, et speciale ac pro- « prium super hoc officium olim ordinavit « iuxta piam, devotam, et laudabilem in- « stitutionem, quae a Sixto IV. Praedeces- « sore Nostro tunc emanavit; volentesque « laudabili huic pietati et devotioni, et fe- « sto, ac cultui secundum illam exhibito, « in Ecclesia Romana post ipsius cultus « institutionem nunquam immutato; Ro- « manorum Pontificum Praedecessorum « Nostrorum exemplo, favere, nec non « tueri pietatem, et devotionem hanc co- « lendi, et celebrandi beatissimam Virgi- « nem, praeveniente scilicet Spiritus San- « cti gratia, a peccato originali praeserva- « tam, cupientesque in Christi grege uni- « tatem spiritus in vinculo pacis, sedatis « offensionibus, et iurgiis, amotisque scan- « dalis conservare: ad praefatorum Epi- « scoporum cum Ecclesiarum suarum Ca- « pitulis, ac Philippi Regis, eiusque Re- « gnorum oblatam Nobis instantiam, ac « preces; Constitutiones, et Decreta, a Ro- « manis Pontificibus Praedecessoribus No- « stris, et praecipue a Sixto IV. Paulo V. « et Gregorio XV. edita in favorem senten- « tiae asserentis, Animam beatae Mariae « Virginis in sui creatione, et a peccato « originali praeservatam fuisse, nec non « et in favorem festi, et cultus Conceptio- « nis eiusdem Virginis Deiparae, secun- « dum piam istam sententiam, ut praefer- « tur, exhibiti, innovamus, et sub censu- « ris, et poenis in eisdem Constitutionibus « contentis, observari mandamus.

« Et insuper omnes et singulos, qui prae- « fatas Constitutiones, seu Decreta ita per- « gent interpretari, ut favorem per illas « dictae sententiae, et festo seu cultui se- « cundum illam exhibito, frustrentur, vel « qui hanc eamdem sententiam, festum « seu cultum in disputationem revocare, « aut contra ea quoquo modo directe, vel « indirecte aut quovis praetextu, etiam « definibilitatis eius examinandae, sive Sa-

(*) Alexander VII. Const. Sollicitudo omnium Ecclesiarum VIII. Decembris 1661.

« cram Scripturam, aut Sanctos Patres, « sive Doctores glossandi vel interpretan- « di, denique alio quovis praetextu seu oc- « casione, scripto seu voce loqui, concio- « nari, tractare, disputare, contra ea quid- « quam determinando, aut asserendo, vel « argumenta contra ea afferendo, et inso- « luta relinquendo, aut alio quovis inex- « cogitabili modo disserendo ausi fuerint; « praeter poenas et censuras in Constitu- « tionibus Sixti IV. contentas, quibus il- « los subiacere volumus, et per praesen- « tes subiicimus, etiam concionandi, pu- « blice legendi, seu docendi, et interpre- « tandi facultate, ac voce activa, et passi- « va in quibuscumque, eo ipso absque alia « declaratione privatos esse volumus; nec « non ad concionandum, publice legen- « dum, docendum, et interpretandum per- « petuae inhabilitatis poenas ipso facto in- « currere absque alia declaratione; a qui- « bus poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a « Successoribus Nostris Romanis Pontifi- « cibus absolvi, aut super iis dispensari « possint; nec non eosdem aliis poenis, « nostro, et eorumdem Romanorum Pon- « tificum Successorum Nostrorum arbitrio « infligendis, pariter subiacere volumus, « prout subiicimus per praesentes, inno- « vantes Pauli V. et Gregorii XV. supe- « rius memoratas Constitutiones sive De- « creta.

« Ac libros, in quibus praefata senten- « tia, festum seu cultus secundum illam « in dubium revocatur, aut contra ea quo- « modocumque, ut supra, aliquid scribi- « tur aut legitur seu locutiones, concio- « nes, tractatus, et disputationes contra ea- « dem continentur; post Pauli V. supra « laudatum Decretum edita, aut in poste- « rum quomodolibet edenda, prohibemus « sub poenis et censuris in Indice libro- « rum prohibitorum contentis, et ipso fa- « cto absque alia declaratione pro expres- « se prohibitis haberi volumus et manda- « mus ».

Omnes autem norunt quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis Religiosis Familiis, et celebrioribus Theologicis Academiis ac praestantissimis rerum divinarum scientia Doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo iuxta sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit, ac definivit, omnes nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam, et immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia, ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos, ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a maioribus acceptam, ac revelatae doctrinae charactere insignitam illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos, et vindex nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

Equidem Patres, ecclesiaeque scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter

ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens. « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius » docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam eius matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo, et indissolubili vinculo cum eo coniuncta una cum illo, et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium, singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Iacob, cuius gradibus Angeli Dei ascendebant, et descendebant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cuius fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, eiusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Ierusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens, et innixa super dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit *benedicta Tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui Potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, iustitiamque vindicandam, non eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum, sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale donum iugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalitatis, ac

deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta, infectaque radice singulari Dei providentia praeter statas communesque leges efflоruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait, inimicitias ponam inter te et mulierem, praedictam, quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit; ac propterea affirmarunt, eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum illo coniunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu Sancto formatum, et purpureae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulcra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur iniuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicavit non culpa, immo prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo maiorum mentes, animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulcritudine pulcriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum *natura pulcrior, formosior* et *sanctior*, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque liturgiae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere, ampliferque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti una incorrupta pulcritudinis columba, veluti rosa semper vigens, et undequaque purissima, et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Heva quae Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam iudicio Patrum divinis litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae iudicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae Pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare, et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma defi-

niretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI. Praedecessori Nostro, ac nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a Religiosis Familiis, ac summis Principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae Virginis honor augeretur, eiusque praerogativae uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum rerum scientia illustrium Congregationem, et viros ex clero tum saeculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum Sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas litteras die 2. Februarii anno 1849. Gaietae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam deiparae Conceptionem pietas, ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum nostrum iudicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam iucunditate, laetitia, ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cuiusque cleri, populique fidelis erga Immaculatum beatissimae Virginis Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro iudicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis, et praedicti Theologi Consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus Concistorium, in quo Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales alloquuti sumus, eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a Nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum, ac fidelium conspiratio et insignia praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro iudicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem saucire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Eius offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani ge-

neris, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Iesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimae suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo quae tota pulcra et Immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque Prophetarum, Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix, et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium cunctas semper interemit haereses, et fideles populos, gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica Ecclesia, cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus, ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate, ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adiutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam, redeant, ac fiat unum ovile, et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare, beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et coeli, terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione beatissimae Virginis Mariae definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Litteras, ad perpetuam rei memoriam extare voluimus; mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronunciationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto VI. Idus Decembris Anno MDCCCLIV. Pontificatus Nostri anno Nono.

Pius PP. IX.

CATALOGUS

LEGATORUM, PATRUM, ORATORUM ET THEOLOGORUM,

QUI AD SACROSANCTAM OECUMENICAM TRIDENTINAM SYNODUM CONVENERUNT.

CARDINALES LEGATI.

Hercules Gonzaga S. R. E. Presb. Card. tituli S. Mariae novae, Mantuanus. Obiit Tridenti, 2. Martii 1563.

Hieron. Seripandus S. R. E. Presb. Card. tituli S. Susannae, Neapolitanus. Obiit Tridenti, 17. Martii 1563.

Ioan. Moronus S. R. E. Card. Episc. Praenestinus, postea Ostiensis, et sacri Collegii Decanus, Mediolanensis, in demortui Card. de Mantua locum suffectus.

Stanisl. Osius S. R. E. Presb. Card. tit. S. Laurentii in Pane et Perna, Civis et Episc. Varmiensis, postea Poenitentiarius Maior.

Lud. Simoneta S. R. E. Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanensis, Episc. Pisaurensis. Obiit Romae 1568. prid. Kal. Maii.

Marc. Siticus de Altaemps S. R. E. Diaconus Card. Basilicae SS. duodecim Apostolorum, Germanus, Episc. Constantiensis.

Bern. Navagerius S. R. E. Presb. Card. tit. S. Nicolai inter Imagines, Episc. Veronensis, Venetus, in demortui Card. Seripandi locum missus.

CARDINALES NON LEGATI.

Carol. a Lotharingia S. R. E. Presb. Card. tit. S. Apollinaris, Princeps et Archiep. Rhemensis, Abbas Cluniaci, Gallus.

Lud. Madrutius S. R. E. Diaconus Card. tit. S. Onuphrii, Civis et selectus Episc. Tridentinus, postea Episc. Tusculanus.

ORATORES ECCLESIASTICI.

Ant. de Muglitio, Moravus, Archiep. Pragensis, Orator Caesareus.

Georg. Drascovicius, Croatus, Ep. Quinqueecclesiensis, Orator Caesareus pro Regno Hungariae, postea Archiep. Colocensis, et Card.

Valent. Herbotus, Polonus, Episc. Premisliensis, Orator Regis Poloniae.

Marc. Ant. Bobba, Casalensis, Episc. Augustensis in Pedemontio, Ducis Sabaudiae Orator, postea Card.

Hieron. de Gaddis, Florentinus, Episc. Cortonensis, Orator Ducis Florentiae, missus in locum Io. Strozzi.

Fr. Mart. Royas de Portarubeo, Hispanus, Orator Religionis Ierosolymitanae.

ORATORES SAECULARES.

Sigism. a Thun, Tridentinus, Orator Caesareus.

Lud. de S. Gelasio, Dom. de Lansac, Orator Regis Christianissimi.

Arnaldus de Ferrier, Praesidens in Parlamento Parisiensi, Orator Regis Christianissimi.

Guido du Faur, Dominus de Pibrac, Iudex maior Tolosae, postea Advocatus Regius, demum Praeses in suprema Curia Parisiensi, Orator Regis Christianissimi.

Ferd. Martineus Mazcarenius, Orator Regis Portugalliae.

Nic. de Ponte, Doctor et Eques, Orator Dominii Venetorum.

Matthaeus Dandulus, Eques, Orator Dominii Venetorum.

Melchior Lussi, Eques auratus, Orator septem Cantonum Helvetiorum.

Aug. Baumgartner I. U. D. Monacensis, Orator Ducis Bavariae.

Cl. Fern. Vegil. de Quiniones, Comes Lunae Orator Regis Catholici, in locum Ferdinandi de Avalos Marchionis Pescariae missus.

PATRIARCHAE.

Antonius Helius, Iustinopolitanus, Patriarcha Ierosolymitanus.

Daniel Barbarus, Venetus, electus Patriarcha Aquileiensis.

Io. Hieron. Trivisanus, Venetus, Patriarcha Venetiarum.

ARCHIEPISCOPI PAULI III.

Ferd. Annius, Neapolitanus, Archiep. Amalphitan., postea Episc. Bovinus.

Petrus Landus, Venetus, Archiep. Cretensis.

Petr. Ant. de Capua, Neapolitanus, Archiep. Hydruntinus.

Marc. Cornelius, Venetus, electus Archiep. Spalatensis.

Sebast. Leccavella, Graecus, Ord. Praed., Archiep. Naxiensis, postea Episc. Litteranensis.
Petrus Guerrero, Hispanus, Archiep. Granatensis.
Ant. Altovitius, Florentinus, Archiep. Florentinus.
Caesar Cibo, Genuensis, Archiep. Taurinensis. Obiit Tridenti die 26. Dec. 1562.

ARCHIEPISCOPI IULII III.

Paulus Aemilius Verallus, Romanus, Archiepisc. Rossanens., postea Episc. Caputaquensis.
Ioan. Brunus, Dulcinensis, Regni Serviae Primas, Archiep. Antibarensis.
Ion. Bapt. Castaneus, Romanus, Archiep. Rossanensis, postea S. R. E. Presb. Card. tit. Sancti Marcelli, Bononiae Legatus, ac tandem Pont. Max. dictus Urbanus VII.
Ioan. Bapt. Ursinus, Romanus, Archiep., S. Severinae.

ARCHIEPISCOPI PAULI IV.

Lud. Beccatellus, Bononiensis, Archiep. Ragusinus.
Mutius Calinius, Brixiensis, Archiepisc. Iadrensis.
Sigism. Saracenus, Neapolitanus, Archiep. Materanus.
Anton. Parragues de Castillegio, Hispanus, Archiep. Calaritanus.
Iulius Pavesius, Brixiensis, Ord. Praed., Archiep. Surrentinus.
Barth. de Martyribus, Lusitanus, Ord. Praed., Archiep. Bracarensis.
Aug. Salvago, Genuensis, Ord. Praed., Archiep. Genuensis.

ARCHIEPISCOPI PII IV.

Phil. Mocenicus, Venetus, Regni Cypri Primas et Legatus natus, Archiepisc. Nicosiens.
Guil. d'Avançon, Gallus, Archiep. Ebrodunensis et Abbas Montis maioris prope Arelate.
Ant. Caucus, Venetus, Archiep. Patracensis et Coadiutor Corcyrensis.
Germanicus Bandinus, Senensis, electus Archiep. Senarum.
Marc. Ant. Columna, Romanus, Archiep. Tarentinus, postea Card. et Archiep. Salernitanus.
Gaspar a Fosso, Consentinus Calaber, Ord. Sancti Francisci de Paula, Archiepisc. Rheginus.
Ant. de Muglitio, Moravus, Orator Caesareus, Archiep. Pragensis.
Maximus de Maximis, Romanus, Archiep. Amalphitanus.
Gaspar Cervantes de Gaeta, Hispanus, Archiep. Messanensis, postea Salernitanus, et Card.
Leonardus Marinus, Genuens., Ord. Praed., Archiep. Lancianensis.
Octavianus Praeconus, Messanensis, Ord. Min. Convent. S. Francisci, Archiep. Panormitanus.
Nic. de Pelleve, Gallus, Archiep. Senonensis, postea Card. et Archiep. Rhemensis.
Ant. Iustinianus, Graecus Chiensis, Ord. Praed., Archiep. Naxiensis.
Ant. Puteus, Niciensis, Archiep. Barensis.

EPISCOPI LEONIS X.

Vinc. Nicosantius, de Fano, Episc. Arbensis.
Ioan. Franc. de Flisco, Genuensis, Episc. Andriensis.
Ioan. Thom. de S. Felicio, Neapolitanus, Episc. Cavensis senior.

EPISCOPUS ADRIANI VI.

Quintius de Rusticis, Roman., Ep. Mileten.

EPISCOPI CLEMENTIS VII.

Lucas Byzantius, de Catharo, Episc. Catharensis.
Aloysius Pisanus, Venetus, Episc. Patavinus, postea Card.
Alex. Piccolomineus, Senensis, Episc. Pientinus.
Dionysius Zannetinus, Graecus, Ord. Min. Sancti Francisci de Observ., Episc. Milopotamensis senior.
Gabr. le Veneur, Gallus, Episc. Ebroicensis.
Guil. Barton de Monthas, Gallus, Episc. Lectorensis.

EPISCOPI PAULI III.

Ant. a Camera, Sabaudus, Episc. Bellicensis.
Nicol. Maria Caracciolus, Neapolitanus, Episc. Catanensis.
Bernardus Bonioannes, Romanus, Episc. Camerinensis.
Fabius Mirtus, Neapolitanus, Episcopus Caiacensis.
Scipio Bongallus, Romanus, Episc. Civitatis Castellanae.

Georg. Cornelius, Venetus, Ep. Tarvisinus.
Vinc. Durantius, Brixiensis, Episc. Thermularum.
Maurit. a Petra, Papiensis, Ep. Viglovanens.
Mart. de Martiis, Medices Florentinus, Episc. Marsicensis.
Ioan. Vinc. Michaelius, Barolitanus, Episc. Minerbinensis.
Gabr. de Bouverii, Gallus, Episc. Andegavensis.
Leonar. Haller, Germanus, Episc. Philadelphiensis.
Lud. Vanninus de Theodolis, Foroliviensis. Episc. Britonoriensis. Obiit Tridenti, die 11. mensis Ianuarii 1563.
Aegid. Falcetta, Cingulanus, Episc. Caprulanus, postea Britonoriensis.
Iul. Contarenus, Venetus, Episc. Civitatis Bellunensis.
Thom. Casellus, Rossanensis, Ord. Praed., Episc. Cavensis iunior.
Hippol. Arrivabenus, Mantuanus, Episc. Hierapetrensis.
Hieron. Machabaeus, Romanus, Episc. Castrensis.
Petrus Augustinus, Hispanus, Episc. Oscensis et Iacensis.
Iac. Naclantus, Florentinus, Ord. Praed., Episc. Clodiensis.
Barth. Sirgio, Cretens. Graecus, Episc. Castellanatensis.
Thom. Stella, Venetus, Ord. Praed., Episc. Iustinopolitanus.
Petrus du Val, Gallus Parisinus, Episc. Sagiensis.
Ioan. Ant. Pantusa, Consentinus, Episc. Literensis. Obiit Tridenti, die 26. Octobris 1562.
Ioan. Bapt. de Grossis, Mantuanus, Episc. Regiensis.
Ioan. Suarez, Lusitanus, Ord. S. Aug, Episc. Coimbricensis.
Phil. Riccabella, Recanatensis, Episcopus Recanatensis.
Io. Iac. Barba, Neapolitanus, Ord. S. Aug., Episc. Interamnensis.
Mich. a Turre, Utensis, Episc. Cenetensis, postea Presb. Card.
Pompeius Zambeccarius, Bononiensis, Ep. Sulmonensis.
Ioan. Beroaldus, Panormitanus, Episc. S. Agathae.
Ant. Scarampus, Aquensis, Episc. Nolanus.
Ant. de Comitibus a Cuturno, Genuensis, Ord. Praed., Episc. Brugnatensis.
Caesar Foggia, Rossanensis, Episc. Umbriaticensis.
Caesar Comes a Gambara, Brixiensis, Episc. Dertonensis.
Io. Bapt. de Bernardis, Lucensis, Episc. Adiacensis.
Mart. Perezius de Ayala, Hispanus, Episc. Segobiensis.
Nic. Psalmeus, Gallus, Episc. Virdunensis.
Alph. Rosettus, Ferrariensis, Episc. Comaculensis, postea Ferrariensis.
Iulius Parisanus, de Tolentino, Episc. Ariminensis.
Barth. Sebastianus, Hispanus, Episcopus Pactensis.
Franc. Lambertus, Sabaudus, Ep. Niciensis.
Maxim. Doria, Genuensis, Episc. Naulensis.
Eust. du Bellay, Gallus, Episc. Parisiensis.
Barth. de Capranica, Romanus, Episcopus Carinensis.
Ennius Massarius, de Narnia, Episcopus Feretranus.
Achilles Brantia, Neapolitanus, Episcopus Bovensis.
Io. Franc. Virdura, Massanensis, Episc. Chironensis.
Albertus Duimius de Gliricis, Catharensis, Ord. Praed., Episc. Vegliensis.
Ioan. Antolinez de Bricianos de la Ribera, Hispanus, Episc. Iuvenatiensis.
Tristandus de Bizet, Ord. Cisterc., Gallus, Episc. Xantonensis et Abbas S. Nicolai in Bosco.

EPISCOPI IULII III.

Ascanius Geraldinus, de Ameria, Episc. Cattacensis.
Marc. Gonzaga, Mantuanus, Episcopus Auxerensis.
Baldovinus de Baldovinis, Pisanus, Episc. Aversanus.
Petrus Franc. Pallavicinus, Genuensis, Episc. Aleriensis.
Aegid. Foscararius, Bononiensis, Ord. Praed., Episc. Mutinensis.
Timot. Iustinianus, de Chio Graecus Ord. Praed., Episc. Calamonensis.
Didacus de Almansa, Hispanus, Episc. Caurien.
Lactantius Roverella, Ferrariensis, Episc. Asculanus.
Ambr. Monticula, Lunensis Sarzanensis, Episc. Signinus.
Sebast. Gualterius, Urbevetanus, Episc. Viterbiensis.
Honor. Fascitellus, Neapolitanus, Monach. Ord. S. Benedicti, Episc. Insulanus.

Petrus Camaianus, Aretinus, Episc. Fesularum.
Horatius Graecus, Troianensis Apulus, Episc. Lesinensis.
Fabius Cuppalata, Placentinus, Episc. Lachedonensis.
Gaspar de Casal, Lusitanus, Ord. S. Aug., Episc. Leiriensis, postea Conimbricensis.
Bernardinus de Cuppis, Romanus, Episc. Auximanus.
Ioan. de Morvilliers, Blesensis Gallus Episc. Aurelianensis.
Iulius Gentilius, Dertonensis, Episc. Vulturariensis.
Adr. Fusconius, Romanus, Episc. Aquinas.
Ant. de S. Michaele, Hispanus, Ord. S. Franc. de Observ., Episc. Montis Marani.
Hieron. Melchiorius, Racanatensis, Episc. Maceratensis.
Petrus de Petris de Monte, Aretinus, Episc. Lucerinus.
Caesar Iacomellus, Romanus, Episc. Bellicastren.
Petrus Gritus, Venetus, Episc. Parentinus.
Iac. Silverius Piccolomineus, de Caelano, Episc. Aprutinus.
Lud. de Brezé, Gallus, Episc. Meldensis.
Iac. Mignanellus, Senensis, Episcopus Grossetanus.
Io. And. Crucius, de Tibure, Episc. Tiburtinus.
Franc. Richardotus, Burgundus, Ord. Eremit. S. Aug., Episc. Atrebatensis.
Carolus Cicada, Genuensis. Episc. Albingaunensis.
F. Maria Piccolomineus, Senensis, Episc. Ilcinensis.
Arisclus Moya de Contreras, Hispanus, Episc. Vicensis.
Galeatius Roscius, de Interamna, Episc. Assisiensis. Obiit Tridenti, 16. Oct. 1563.
Iac. Maria Sala, Bononiensis, Episc. Vivariensis.
Gabriel de Monte Sansubinen., Ep. Aesinus.
Marianus Sabellus, Romanus, Episc. Eugubinus.
Agapitus Bellhomo, Romanus, Episc. Casertanus.
Iul. Cananus, Ferrariensis, Episcopus Adriensis, postea Presb. Card. tit. S. Eusebii et Episc. Mutinensis.
Iul. Gallettus, Pisanus, Episc. Alessanensis.
Hieron. Burgensis, Gallus, Episc. Catalaunen. et Abbas. S. Petri de Monte.

EPISCOPI PAULI IV.

Scipio Estensis, Ferrariensis, Episc. Casalensis.
Didacus Sarmiento de Sotomayor, Hispanus, Episcopus Asturicensis.
Thomas Goduellus, Anglus, Episc. Asaphensis.
Faustus Caffarellus, Romanus, Episc. Fundanus.
Belisarius Balduinus, Neapolitanus, Episc. Larinensis.
Urb. Vigerius de Ruvere, Genuensis, Episc. Senogalliensis.
Iac. Suretus, Graecus, Episc. Miłopotamensis iunior.
Ioan. Bapt. Osius, Romanus, Episc. Reatinus.
Marc. Laureus, Tropiensis, Ord. Praed., Episc. Campanien.
Franc. Belcarius Peguilio, Dominus de la Creste et Chommieres, Baro S. Desiderati, Gallus, Episc. Metensis, postea Abbas S. Germani Autissiodorensis, Regniaci, et S. Sigirani.
Io. Franc. Commendonus, Venetus, Episc. Zacynthensis, postea Card.
Carolus de Grassis, Bononiensis, Episc. Montis Falisci, postea Card.
Arias Gallego, Hispanus, Episc. Gerundensis.
Hieron. Gallego, Hispanus, Episc. Ovetensis.
Hercules Rettinger, Germanus, Episc. Lavantinus.
Iulius de Rubeis, Polinianus, Epis. S. Leonis.
Ioan. Muguatones, Hispanus, Ord. S. Aug., Episc. Segobricens.
Franc. Blanco, Hispanus, Episc. Auriensis.
Vinc. de Luchis, Bononiensis, Episc. Anconitanus.
Pompeius Piccolomineus, de Aragonia, Episc. Tropiensis.
Petrus Barbaricus, Venetus, Episc. Cursolensis.
Franc. Bachodius, Sabaudus, Episc. Gebennensis.
Carolus d'Angennes a Rambouillet, Gallus Episc. Cenomanensis, postea Card.
Hieron. de Nichisola, Veronensis, Ord. Praed., Episc. Theanensis.
Marc. Ant. Bobba, Casalensis, Episc. Augustensis, postea Card.
Iac. Lomellinus, Messanensis, Episc. Mazariensis.
Donatus de Laurentiis, de Asculo Apulus, Episc. Arianensis.
Petrus Contarenus, Venetus, Episc. Paphensis.
Petrus Danesius, Gallus, Episc. Vaurensis.
Hieron. Savorgnanus, Foroiuliensis, Episc. Sibinicen.

Phil. du Bec, Gallus, Episc. Venetensis, postea Nannatensis, deinde Archiepisc. Rhemensis.
Carolus de Roussy, Gallus, Episc. Suessionensis.
Georg. Drascovicius, Croatus, Episc. Quinqueecclesiensis, postea Card.
Franc. de Aguirre, Hispanus, Episc. Cotronensis.
Andr. de Cuesta, Hispanus, Episc. Legionensis.
Ant. Corrionero, Hispanus, Episc. Almeriensis.
Ant. Augustinus, Hispanus, Episc. Ilerdensis, postea Archiep. Tarraconen.
Angelus Massarellus, Septempedanus, Ep. Thelesinus.
Ant. Ciurelia, Barensis, Episc. Buduensis.
Dominicus Casablanca, Messanensis, Ord. Praed., Episc. Vicensis.
Petrus Faunus, Costacciarius, Episc. Aquensis.
Io. Carolus Bovius, Bononiensis, Episc. Ostunen., postea Archiep. Brundusinus.
Hugo Boncompagnus, Bononiensis, Episc. Vestanus, postea Card. tit. S. Sixti, et Pont. Max. dictus Gregorius XIII.
Salvator Facinus, de Colle, Episc. Clusinus.
Lupus Martinez, Hispanus, Episc. Elnensis.
Carolus d'Espinay, Gallus, electus Episc. Dolensis.
Aegid. Spifame, Gallus, Episc. Nivernensis et Abbas S. Pauli Senon.
Ant. Sebast. Minturnus, de Traiect., Episc. Uxentinus.
Bern. del Bene, Florentinus, Episc. Nemausensis.
Dominicus Bollanus, Venetus, Episc. Brixiensis.
Io. Ant. Vulpis, Comensis, Episc. Comensis.
Philippus Maria Campegius, Bononiensis, Episc. Feltrensis.
Ioan. de Quinnones, Hispanus, Episc. Calagùritanus.

EPISCOPI PII IV.

Didacus Covaruvias de Leyva, Hispanus Toletanus, Episc. Civitatis Roderici, postea Segoviensis, demum Conchae designatus.
Lud. de Genoillac, Gallus, Episc. Tutelensis et Abbas S. Romani de Blavia.
Philip. Gerius, Pistoriensis, Episc. Isclanensis, postea Assisiensis.
Io. Ant. Facchinettus de Nuce, Bononiensis, Episc. Neocastren., postea Patriarcha Ierosol,, S. R: E. Presb. Card. tit. SS. quatuor Coronatorum, ac tandem Pont. Max. dictus Innocentius IX.
Hippol. Capilupus, Mantuanus, Episc. Fanensis.
Ioan. Fabricius Severinus, Neapolitanus, Episc. Acerrensis.
Mart. Balduini Rithovius, Brabantus, primus Episc. Iprensis.
Ant. Havetius, Flander, Ord. Praed., primus Episc. Namurcensis.
Const. Bonellus, Feretranus, Episc. Civitatis Castelli.
Iul. Superchius, Mantuanus, Ord. Carmel., Episc. Acciensis, postea Caprulanus.
Matth. de Concinis, Florentinus, Episc. Cortonen.
Nic. Sfondratus, Mediolanen., Episc. Cremonen., postea Presb. Card. tit. S. Caeciliae, demum Pont. Max dictus Gregor. XIV.
Ventura Bufalinus, Tiphernas. Episc. Massanensis.
Lud. de Bueil, Gallus, Episc. Venciensis.
Hieron. Galleratus, Mediolanensis, Episc. Sutrinus.
Io. Petrus Delphinus, Venetus, Ord. Canonic. Regul., Episc. Zacynthi et Cephaloniae secundus.
Io. Andr. Bellonius, Messanensis, Episc. Massalubrensis.
Georg. Zifchovid, Hungarus. Ord. Min. S. Franc. de Observ., Episc. Signiensis.
Federicus Cornelius, Venetus, Ord. S. Ioan. Ierosol., Episc. Borgomensis, postea Patavinus; et S. R. E. Presb. Card. tit. S. Stephani.
Steph. Boucher, Gallus, Episc. Corisopitensis.
Io Paul. Amanius, Cremensis, Episc. Anglonensis
Alex. Sfortia ex Comitibus S. Florae, Episc. Parmensis, postea Card. tit. S. Mariae in via.
Ant. le Cirier, Gallus, Episc. Abricensis.
Andr. Mocenicus, Venetus, Episc. Nimosiensis.
Bened. Salvinus, Firmanus, Episc. Verulanus.
Guis. Cassador, Hispanus, Episc. Barcinonensis.
Petrus Gonzalez de Mendoz, Hispanus, Episc. Salmanticensis.
Mart. de Corduba de Mendoza, Hispanus, Ord. Praed., Episc. Dertusensis.
Iulius Magnanus, Placentinus, Ord. Min. Conv. S. Franc., Episc. Calvensis.
Valent. Herbotus, Polonus, Episc. Premisliensis, Orator Regis Poloniae.
Simon Aleotus, Foroliviensis, Episc. Foroliviensis. Obiit Tridenti, 19. Aug. 1562.

Petrus de Xaque, Hispanus, Ord. Praed., Episc. Niochensis.

Prosper Rebida, Messanensis, Episc. Troianus, postea Patriarcha Constantinopolit.

Melchior a Vosmediano, Hispanus, Episc. Gaudixensis.

Hippolytus de Rubeis, Parmensis, Episc. Paniensis, postea S. R. E. Presb. Card. tit. S. Mariae in Porticu, deinde S. Blasii de Annulo.

Did. de Leon, Hispanus, Ord. Carmel., Episc. Columbrien.

Annibal Saracenus, Neapolitanus, Episc. Liciensis.

Paulus Iovius, Comensis, electus Episc. Nuceriensis.

Hieron. Trivisanus, Venetus, Ord. Praed., Episc. Veronensis. Obiit Tridenti, die 4. Septemb. 1562.

Hieron. Ragazzonus, Venetus, Episc. Nazianzenus et Coadiutor Famaugustanus, postea Episc. Bergomensis.

Romulus de Valentibus, de Trebia, Episc. Conversanus.

Lucius Maranta, Venusinus, Episc. Lavellinensis.

Simon de Nigris, Genuensis, Episc. Lunen. Sarzanensis.

Theophilus Galluppus, Tropiensis, Episc. Oppidensis.

Iulius Simoneta, Mediolanensis, Episc. Pisaurensis.

Petrus d'Albret, Navarrus, Episc. Convenarum.

Iac. Guidius, Volaterranus, Episc. Peunensis et Adriensis.

Did. Ramirez, Hispanus, Episc. Pampilonens.

Franc. Delgado, Hispanus, Episc. Lucensis.

Ioan. Clausse, Gallus, Episc. Saniciensis.

Iac. Gilbertus de Nogueras, Hispanus, Episc. Aliphanus.

Ioan. Annius, Neapolitanus, Episc. Hipponensis et Coadiutor Bovinus.

Ant. Maria de Salviatis, Romanus, Episc. S. Paepuli, postea S. R. E. Presb. Card. tit. S. Mariae in Aquiro, et Bononiae Legatus.

Matth. Priulus, Venetus, Episcopus Aemoniensis, postea Vicentinus.

Thom. Lilius, Bononiensis, Episc. Soranus.

Franc. Guarinus, Feretranus, Episcopus Imolensis.

Thom. Oyerllaithe, Hibernus, Episc. Rossensis.

Franc. de la Valette, Gallus, Episc. Vabrensis.

Fabius Pignatellus, Neapolitanus, Episc. Monopolitanus.

Car. de Vicecomitibus, Mediolanensis, Episc. Vintimiliensis, postea Card. tit. SS. Martyrum Viti et Modesti in Macello.

Ioan. Colosvarinus, Hungarus, Ord. Praed., Episc. Canadiensis. Obiit Tridenti, 24. Novembris 1562.

And. Duditius Sbardellatus, Hungarus, Episc. Tiniensis, postea Quinqueecclesiensis.

Spinellus Bentius, Politianus, Episc. Montispolitiani.

Franc. Abondius Castilioneus, Mediolanensis, Episc. Bobiensis, postea S. R. E. Presb. Card. tit. S. Nicolai inter Imagines.

Stan. Faleschi, Polonus, Episc. Theodosiensis.

Eug. Ohairt, Hibernus, Ord. Praed., Episc. Achadensis.

Donaldus Magongial, Hibernus, Episc. Rapotensis.

Guido Ferrerius, Pedemontanus, Civis et Episc. Vercellensis, postea S. R. E. Presb. Card. tit. S. Euphemiae, deinde SS. Viti et Modesti Martyrum in Macello, et Marchio Romagnani.

Io. Bapt. Sighicellius, Bononiensis, Episc. Faventinus.

Seb. Vantius, de Armino, Episc. Urbevetanus.

Io. Bapt. Lomellinus, Messanensis, Episc. Gardiensis.

Io. Bapt. Milanesius, Florentinus, Episc. Marsicanus.

August. Molignatus, Vercellensis, Episc. Trivican.

Car. Grimaldus, Genuensis, Episc. Savonensis.

Fabricius Landrianus, Mediolanensis, Episcopus S. Marci.

Barth. Ferrantinus, Civis et Episc. Amerinus.

Petrus Fragus, Hispanus, Episc. Usellensis, postea Algarensis.

Hieron. de Gaddis, Florentinus, Episc. Cortonensis.

Franc. Contarenus, Venetus Episc. Paphensis.

Ioan. Delphinus, Venetus, Episc. Torcellanus.

Alex. Molus, Comensis, Episc. Minorensis.

Hieron. Vielmus, Venetus, Ord. Praed., Episc. Argolicensis.

Iacobus Raguseus, Ord. S. Franc. de Observ., Episc. Marcanensis.

ABBATES.

Lud. de Bessay, Abbas Gen. Cistertii.
Hieron. de Souchier, Gallus Campanus, Monachus Ord. Cistert., Abbas Claraevallis, postea Abbas Gen. Cistertii, demum S. R. E. Presb. Card. tit. S. Matthaei in Merulana.
Simplicianus, Abb. S. Salvatoris Papiae, de Vultelina, Congregat. Cassinensis.
Steph. Cataneus, Novariensis, Abb. S. Mariae Gratiarum, Placent. Dioec., Congregationis Cassinensis.
Aug. Loscus, Hispanus, Abb. S. Bened. de Ferraria, Congregat. Cassinensis.
Eutychius de Cordes, Antverpiensis, Abb. S. Fortunati apud Bassianum, Congregationis Cassinensis.
Claud. de Sainctes, Gallus, Abb. Lunaevillanus.
Cosmas Damianus, Hortulanus Hispanus, Abb. Villaebertrandi.

GENERALES.

Vinc. Iustinianus, Genuensis, Generalis Ord. Praed., postea Card. tit. S. Nicolai inter Imagines, deinde S. Sabinae.
Franc. Ramoza, Hispanus, Conchensis, Generalis Ord. Min. de Observ.
Ant. de Sapientibus, Augustanus, Generalis Ord. Min. Convent.
Christoph. Patavinus, Prior Generalis Ord. Eremit. S. Aug.
Ioan. Bapt. Migliavacca, Astensis, Generalis Ord. S. Mariae Servorum.
Steph. Facinus, Cremonensis, Provincialis Lombardiae, pro Generali Carmelit.
Iac. Lainez, Hispanus, ex oppido Castellae Almazan, Praepositus Generalis Soc. Iesu.
Th. Tifernas, Civitatis de Castello in Umbria, Generalis Capucinorum.

DOCTORES LEGUM PRO SACRO CONCILIO.

Gab. Paleottus, Bononiensis, Auditor Rotae, postea S. R. E. Diaconus Card. tit. SS. Nerei et Achillei, mox SS. Ioannis et Pauli et Episc. Bonon., deinde tit. S. Martini in montibus, et primus Bononiae Archiep., demum tit. S. Laurentii in Lucina ac Episc. Albanus, postremo Episc. Card. Sabinus.
Scipio Lancellottus, Romanus, Advocatus Consistorialis, postea Auditor Rotae, et S. R. E. Presb. Card. tit. S. Simeonis.
Ioan. Bapt. Castellius, Bononiensis, Promotor, postea Episc. Ariminensis.
Mich. Thomasius, Maioricensis, Doct. Decretorum, postea Episc. Ilerdensis.

THEOLOGI A S. PONTIFICE MISSI.

Frater Petrus de Soto, Hispanus, Ord. Praedic. Obiit Tridenti, mense Aprilis 1563.
Alph. Salmeron, Hispanus Toletanus, Soc. Iesu.
Franciscus Turrianus, Legionensis Hispanus, Doct. Theol., postea Soc. Iesu.
Ant. Solisius, Hispanus, Doct. Theol.
Frater Camillus Campegius, Papiensis, Inquisitor Ferrariae, Ord. Praed.
Frater Hieron. Bravo, Hispanus, Ord. Praed.
Frater Adr. Valentinus, Venetus, Ord. Praed. in demortui F. Petri de Soto locum missus; postea Dominii Veneti Inquisitor generalis.

DOCTORES THEOL. FACULTATIS PARISIENSIS, MISSI A CAROLO IX. GALLIARUM REGE CHRISTIANISSIMO.

Nic. Maillard, Decanus Facultatis Parisiensis.
Ioan. Peletier, Praefectus Collegio Navarrae.
Ant. Democharis, Ressonaeus.
Nicol. de Bris.
F. Iac. Hugonis, Franciscanus, idem etiam Procurator R. Ioannis Ursini, Episc. Trecoriensis.
Simon Vigor, Normannus, Canonicus Parisiensis, postea Archiep. Narbonensis.
Richardus du Pré.
Natalis Paillet. Obiit Tridenti, 7. Kal. Decemb. 1562.
Robertus Fournier.
Antonius Croquier.
Lazarus Broychot.
Claud. de Sainctes, Canonicus Reg. S. Augustini, postea Episc. Ebroicensis.

THEOLOGI MISSI A PHILIPPO II. REGE CATHOLICO.

Cosmas Damianus, Hortulanus, electus Abb. Villaebertrandi.
Ferd. Titius, D. Theol., Canonic. Cauriensis.
Ferd. Vellosillus, Doctor. Theolog., Canonicus Seguntinus, postea Episc. Lucensis.
Thom. Dassio, I. U. D., Canonicus Valentinus.

Ant. Covarruvias Licentiatus, Didaci frater, Auditor Granatensis.
Ferd. Mincasensis, Decretorum Doctor.
Frater Ioan. Ramirez, Hispanus, Minister Provinc. S. Iacobi.
Fr. Alph. Contreras, Commiss. Ord. Min. in curia Regis Hisp.
Fr. Michael de Medina, Hispanus, Ord. Minor.. S. Theol. Doct.
Fr. Ioan. Lobera, Hispanus, S. Theol. Lector Salmanticae, socius Minist. Provincialis S. Iacobi.
Cosmus Palma Fonteyus, S. Theol. Doctor. Hispanus, socius Hortulani Abbatis.
Fr. Ioan. Gallo, Hispanus, Ord. Praed.
Fr. Petrus Fernandez, Hispanus, Ord. Praed., in societate Magistri Gallo.
Fr. Desid. de S. Martino, Panormitanus, Ord. Carm.
Mich. Baius Hanno, Athensis, S. Th. Doct., postea Decanus Ecclesiae Colleg. S. Petri Lovanii, Academiae Cancellarius et eiusdem Conservator.
Ioan. Hessels, Brabantus Lovaniensis, S. Th. Doct.
Cornelius Iansenius, Flander Hulstensis, S. Th., Doct. postea primus Episc. Gandavensis.

THEOLOGI MISSI A REGE PORTUGALLIAE.

Fr. Franc. Foriero, Lusitanus, Ulissiponensis, Ord. Praed.
Iac a Payva de Andrade, Lusitanus, Doct. Theol.
Melchior Cornelius, Decretorum Doctor, Senator Regis Portugalliae.

A DUCE BAVARIAE.

Ioan. Cavillonius, Flander Insulensis, ex Soc. Iesu.

PROCURATORES EPISCOPORUM ABSENTIUM.

Marchantus, D. Th., pro Illustr. Card. de Mendoza Episc. Burgensi.
Io. Gothardius, Clericus saecularis Germanus, pro Episc. Ratisbonensi.
Georg. Hochenvarter, Clericus saecul, D. Th., Suffraganeus pro Episcop. Basiliensi.
Fr. Felicianus Ninguarda, a Morbinio, Ord. Praed., pro Ill. Dom. Salisburgensi Orator.
Petrus Cumel, D. Th., Canonicus Malacitanus, pro Reverend. Malacitano.
I. Delgadus, D. Th., Canonicus Tudensis, pro Ep. Tudensi.
Gaspar Cardillius, Villalpandeus, Segobiensis, D. Th., pro Episc. Abulensi.
Fr. I. de Ludenna, D. Th., Ord. Praed., pro Episc. Seguntino.
Fr. Franc. Orantes, Lector Vallissoleti, Ord. Min., pro Episc. Palentino.
Caesar Ferrantius, Suessanus, Doct. Theol., pro Episcopo Suessano apud R. Ilerdensem.

PROCURATORES ORDINUM.

Io. Coutignon, Doctor Gallus, Procurator Ord. Cluniacensis, postea Prior Maior.
Nic. Boucherat, Gallus, Prior Monasterii de Recluso, Procurator Gen. Ord. Cistertien., postea eiusdem Ordinis Abbas Generalis.

THEOLOGI SAECULARES. ET DOCTORES IURIS CANONICI.

Georg. Girard., Gallus. Doctor Theol., cum Reverend. Andegavensi.
Gentian. Hervetus, Gallus Aurelianensis, cum Illustriss. et R. Cardinale a Lotharingia. Fuit postea Canonicus Rhemensis.
Franc. Sancius, Decanus Facult. Theologiae, et Canonicus Salmanticensis, cum R. Salmanticensi.
Matth. Guerra, Consentinus Calaber, Presb. saecularis, cum Episc. S. Marci.
Fed. Pendasius, cum Ill. Card. de Mantua, Legato S. Concilii.
Io. Franc. Lombardus, cum Ill. Card. Seripando, Legato S. Concilii.
Petrus Mercatus, Theol., cum R. Vicensi.
Franc. Truxillus, Doctor Theol., Canonicus Legionensis, cum R. Legionensi.
Sobannus, Doctor Theol., cum R. Legionensi.
Ant. Bitonius, Doctor Theol., cum R. Conimbricensi.
Petrus Fontidonius, Segoviensis, Canonicus Salmantinus, Doctor Theol., cum R. Salmantino.
Io. Villetta, Doctor Theol., cum R. Barcinonensi.
Io. Fonseca, Doct. Theol., cum R. Archiep. Granaten.
Mich. Oroncuspe, D. Th., cum R. Episc. Pampilonensi.
Alph. Fernandez de la Guerra, Hispanus, Doctor Theol., cum R. Guadixiensi.
Mich. Ytero, D. I. U., cum Episcopo Pampilonensi.
Iosephus Puebla., Doctor Theol., cum Episc. Civitatensi.
Io. Chacon, D. I. canonici, cum Episc. Almeriensi.

Ant. Garsias, Doctor Theol., cum Episc. Oventensi.
Benedictus Arias Montanus, Ord. S. Iacobi, Doct. Theol., cum R. Segobiensi.
Io. Barcellona, Doct. Theol., cum Episc. Usellensi.

DOCTORES GALLI, ORDINIS S. BENEDICTI.

I. de Charthougne, Doctor Theol.
I. de Verdun, Doct. Theol.

THEOLOGI ORDINIS FRAT. PRAEDICATORUM.

Angelus Ciosus, Florentinus, cum Ill. Card. Mantuano, Leg. S. Concilii.
Seraphinus de Caballis, Brixiensis, Provincialis terrae sanctae, cum suo Generali, postea Ord. Generalis.
Helisaeus Capys, Venetus, cum Archiep. Pragensi.
Petrus Aridiensis, Gallus, cum R. Cenomanensi.
Bern. Berardi, Gallus, Inquisitor Avenionensis, Vicarius Congr. Franciae, cum R. Nemausensi.
Io. Matth. Valdina, cum R. Tarentino.
Petrus Martyr Coma, Hispanus, cum R. Gerundensi.
Petrus Zatores, Hisp., cum R. Dertusensi.
Ant. de Grompto, cum R. Viglovanensi.
Aurelius de Chio, cum R. Spalatrensi.
Adr. Valentinus, Venetus, cum R. Nicosiensi.
Marcus Medices, Veronensis, cum R. Cenetensi.
Benedictus Herba, Mantuanus, cum R. Brixiensi.
Mich. de Ast, Genuensis, Prior Sancti Laurentii.
Constantinus Coccianus Isorella, cum R. Montispolitiani.
Henr. de S. Hieronymo; cum R. Bracarensi.
Lud. de Soto-Mayor, Lusitanus, cum R. Tudensi.
Bapt. de Lugo, cum R. Veronensi.
Hieron. Barolus, Papiensis.

THEOLOGI ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA.

Aloysius de Burgo-novo, Italus, S. Theol. Lector Bononiae, Commissarius Gen., postea Ord. Generalis.
Th. de Sogliano, Italus, Provin. Bononiae Minister.
Ant. de Padua, Lusitanus, Ord. Secretarius.
Bonifacius Raguseus, Apostolicus Praedicator, terrae sanctae Gubernator, postea Episcopus de Stagno in Dalmatia.
Angelus de Petriolo, Italus, Lector S. Theol. Perusiae.
Angelus Iustinianus, Italus, Lector S. Theol. Ianuae.
Vincentius de Messina, Italus, S. Theol. Lect. Neapoli.
Iulius Passiranus, Urceanus, Italus, S. Theol. Lector Bergomi.
Iacobus Alani, Gallus, Theologus, cum Episc Venetensi.

THEOLOGI ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM.

Marc. Ant. Gambaronus, a Lugo, socius Religionis.
Barth. Golphus, de Pergula.
Io. Tertius, Bergomensis, Lector Theol. publicus in Gymnasio Papiensi.
Clemens Thomasinus, de Florentia, Regens in Conventu S. Crucis de Florentia.
Aug. Balbus, a Lugo.
Io. Bapt. Ghisulphus, Ordinis Scriba.
Ant. de Grignano, Regens S. Antonii de Patavio.
Lucius Angusiola, Placentinus, Regens S. Francisci Bononiae.
Maximilianus Beniaminus, Cremensis, Orator pro Religione, et Inquisitor Paduae, postea Episc. Clodiensis.
Octav. Charus, de Neapoli, Regens S. Laurentii de Neapoli.
Ant. Posius, de Monte Ilcino, Regens in Conventu duodecim Apostolorum Romae.
Bonaventura Meldulensis, Regens in Conventu Parmae.
Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conventu Ferrariae.
Ant. a Cubalo, Feltrensis.
And. Schynopius, de Amandula, cum R. Cathanzario.
Balth. Crispus, Neapolitanus, cum R. Tropiensi.

THEOLOGI ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI.

Thaddaeus Perusinus, cum R. Salviato, postea Praepositus Gener.
Io. Paulus Recanatensis, cum R. Quinqueecclesiensi, Oratore pro Regno Hungariae.
Simon Florentinus, cum Illustrissimo Card. Seripando Legato.
Cherubinus Lavosius, de Cassia, cum R. Vercellensi.
Gab. Verratellus, Anconitanus.

Ambrosius Veronensis. Prior Conventus S. Marci in urbe Tridentina.
Io. Bapt. Burgos, Hispanus Valentinus.
Ant. Mondulphensis, cum R. Pragensi Oratore.
Aeg. Volaterranus, cum Episcopo Tiniensi.
Eug. Pisaurensis, Concilii Praedicator, postea Episc. Smyrnensis, et Veliternorum Propraesul.
Adamant. Florentinus, cum Ill. Card. Madrutio. Orationem habuit nomine Oratoris septem pagorum Helvetior. Catholicorum.
Aur. Coronaltensis, cum Oratore Helvetiorum.
Balth. Massanus, cum Episc. Cataniensi.
Seb. Fanensis, Ordinis Scriba.
Christ. de Sanctoris, Hispanus Burgensis.
Simon de Brazzolatis, Patavinus.
Angelus Ferrus, Venetus, cum R. de Osma.
Petrus Lusitanus, cum R. Leiriensi.

THEOLOGI ORDINIS FRATR. CARMELITARUM.

Io. Iac. Cheregatus, Vicentinus, Provincialis Venetiarum, postea Procurator Gen. Ordinis.
Theod. Masius, Mantuanus, cum R. Cremonensi.
Silvester; Confessarius Ill. Card. Mantuani.
Lucretius Asolanus, cum R. Patriarcha Venetiarum.
Nic. Gallus, cum R. Patre Generali.
Laur. Lauretus, Venetus, cum R. Patre Generali.
Ang. Ambrosianus, Venetus.

THEOLOGI ORDINIS FRATRUM SERVORUM B. MARIAE

Steph. Bonucius, Tuscus Aretinus, postea Episc. Alatrinus, deinde Aretinus, et S. R. E. Presb. Card. tit. SS. Petri et Marcellini.
Amans, pro Congregatione Servorum, cum R. Sibinicensi.

OFFICIALES SACRI CONCILII TRIDENTINI.

Episc. Cavensis, Commissarius.
Episc. Thelesinus, Secretarius.
Lud. Bondinius, Magister Caeremoniarum.
Ant. Marcellus, Depositarius.

CANTORES SACRI CONCILII.

Simon Bartholinus, Perusinus.
Io. Aloysius de Episcopis, Neapolitanus.
Barth. le Comte, Gallus,
Matthias Albo, de Fulgineo.
Franc. Bustamante, Hispanus.
Io. Ant. Latinus, Beneventanus.
Franc. Druda, Calliensis.
Lucas Longinquus, Gisonensis.
Petrus Scorteccius, Aretinus.

NOTARII.

Marc. Ant. Peregrinus et Cynthius Pamphilius, de S. Severino.
Hieron. Gambarus, Brixiensis, Forensis.

CURSORES SANCTISS. D. N. ET SACRI CONC.

Nic. de Mattheis, et Iac. Carra, Allobroges.

NUMERUS PRAELATORUM CUIUSQUE NATIONIS, QUI AD OECUMENICAM TRIDENTINAM SYNODUM CONVENERE.

Itali,	187.	per Procuratores, 2.
Galli,	26.	per Procuratorem, 1.
Germani,	2.	per Procuratores, 4.
Hispani,	31.	per Procuratores, 4.
Lusitani,	3.	
Graeci,	6.	
Poloni,	2.	
Hungari,	2.	
Angli,	1.	
Hiberni,	3.	
Flandri,	2.	
Croati,	1.	
Moravi,	1.	
Illyrici.	3.	

INDEX

CONSTITUTIONUM INNOVATARUM

Ad audientiam . . . . . pag. 117
Cum praeexcelsa . . . . . « 15
Cum in cunctis. . . . . « 48
Clerici qui . . . . . « 182
Cum inhibitio . . . . . « 218
Cum capella. . . . . « 346
Consuetudinem . . . . . « 349
De multa providentia . . . « 50
Divina in eminenti . . . . « 180
Exigit. . . . . « 331
Grave nimis gerimus . . . « 15
Grave nimis est. . . . . « 49
Inter caetera. . . . . « 21
In singulis . . . . . « 411
Licet canon . . . . . pag. 49
Nos, ne id . . . . . « 13
Neminem absolute . . . . « 207
Ordinarii locorum . . . . « 51
Omnis utriusque . . . . « 85
Periculoso . . . . . « 402
Quia nonnulli . . . . . « 49
Quia contingit . . . . . « 56
Quoniam qui . . . . . « 95
Qualiter et quando. . . . « 338
Romana ecclesia . . . . « 165
Ut ii qui . . . . . « 160
Volentes libertatem. . . . « 55

—

Symmachus, lib. 10. Epist. 21.

Leges, quae in bonum commune procedunt, nunquam patiuntur occasum.

INDEX BULLARUM

QUAE IN APPENDICE CONTINENTUR

Ad universae, Bened. XIV. 1746. pag. 499.
Apostolicae, Bened. XIV. 1741. 527.
Ad militantis, Bened. XIV. 1742. ib.
Apostolica, Bened. XIV. 1744. 548.
Ad Romanum, Pii V. 1566. 558.
Ad Apostolicae, Bened. XIV. 1742. 559.
Ad tuas manus, Bened. XIV. 1748. 563.
Apostolici, Bened. XIV. 1747. 565.
Apostolatus officium, Pii V. 1567. 577.
Ad abolendum, Greg. XIII. 1582. 603.
Clementis XIII. Const. qua Bonifaci VIII. Gregorii XV. et Innocentii X. de conservatoribus confirmantur etc. 1762. 509.
Cum semper, Bened. XIV. 1744. 517.
Cum sicut, Pii IV. 1541. 527.
Cum primum, Clem. XIII. 1759. ib.
Cupientes, Pii V. 1568. 534.
Cum frequenter, Sixti V. 1587. 556.
Cum illius vicem, Pii V. 1566. 557.
Cum illud, Bened. XIV. 1742. 577.
Coelestis Hierusalem, Urbani VIII. 1634. pag. 586.
Circa pastoralis, Pii V. 1564. 587.
Cum de omnibus, Sixti V. 1588. 295.
Cum sicut, Urbani VIII. 1640. 603.
Cum sicut, Urbani VIII. 1638. ib.
De Suprema, Pii V. 1564. 499.
De habitu et tonsura etc. Sixti V. 1589. 509.
Durum nimis, Pii V. 1570. 510.
Declarasti, Bened. XIV. 1746. 512.
Dei miseratione, Bened. XIV. 1741. 565.
Durum nimis, Pii V. 1570. 575.
Decori, Pii V. 1577. 587.
Deo, Gregorii XIII. 1573. ib.
Dubiis, Gregorii XIII. 1582. ib.
Divina, Pii V. 1568. 594.
Decreta generalia ad novitiorum receptionem Clem. VIII. 595.
Decet Romanum, Clem. VIII. 1597. 603.
De ieiunii disciplina etc. Bened. XIV. 1745. 603.

Dominici gregis, Pii IV. 1564. pag. 608.
Etsi Dominici, Pii V. 1567. 499.
Effraenatam, Sixti V. 1588. 509.
Ex debito, Pii V. 1571. 571.
Etsi minime, Bened. XIV. 1742. ib.
Exposcit, Gregorii XIII. 1583. 594.
Felici, Alexandri VII. 1664. 588.
Firmandis, Bened. XIV. 1744. ib.
Horrendum, Pii V. 1568. 527.
Instructio particularis circa conficiendos processus etc. 503.
In postremo, Bened. XIV. 1756. 509.
Impositi Nobis, Bened. XIV. 1747. 538.
Inscrutabili, Greg. XV. 1602. 543.
In specula, Urbani VIII. 1630. 548.
In Sacrosancta, Pii IV. 1564. 572.
Iniunctum Nobis, Pii IV. 1564. 573.
In conferendis beneficiis, Pii IV. 1567. 575.
In suprema, Clem. VIII. 1602. 595.
Illius vices, Clem. VIII. 1592. 603.
Instructio Sacrae Congr. Concilii pro Episcopis, Archiep., Primatibus etc. Sixti V. 609.
Ineffabilis Deus, Pii IX. 1854. 613.
Litterae ad ep. Poloniae etc: Bened. XIV. 1745. 570.
Licet sacra, Bened. XIII. 1724. 587.
Litterae de libero clericorum etc. Bened. XIV. 1747. 595.
Magno cum animi, Bened. XIV. 1751. 527.
Magnae nobis, Bened. XIV. 1748. 559.
Onus apostolicae, Greg. XIV. 1591. 499.
Pastoralis curae, Bened. XIV. 1748. 588.
Quaecunque, Pii V. 1569. 510.
Quanta cura, Bened. XIV. 1741. 511.
Quamvis, Pii V. 1568. 572.
Quoniam, Clem. VIII. 1603. pag. 586.
Quamvis paternae, Bened. XIV. 1741. 603.
Quod sancta, Bened. XIV. 1740. 609.
Romanus Pontifex, Pii V. 1568. 510.
Redditae Nobis, Bened. XIV. 1745. 565.
Redditae sunt nobis, Bened. XIV. 1746. 570.
Redditae nobis sunt, Bened. XIV. 1746. 583.
Religiosae congregationes, Clem. VIII. 1594. 586.
Regularium, Pii V. 1556. 587.
Regularis disciplinae, Bened. XIV. 1742. 588.
Romanus Pontifex, Sixti V. 1585. 609.
Sanctissimus Dominus, Clem. VIII. 1602, 509.
Suprema, Bened. XIV. 1745. ib.
Sixti V. Const. de habitu et tonsura etc. 1589. ib.
Sanctissimus, Pii V. 1566. 511.
Sacramentum, Bened. XIV. 1741. 527.
Speculatores, Innoc. XII. 1694. 535.
Suprema, Clem. X. 1670. 546.
Satis vobis, Bened. XIV. 1741. 549.
Singulari nobis, Bened. XIV. 1749. 552.
Sanctissimus, Pii V. 1566. 557.
Sacrosancta, Urbani VIII. 1642. 586.
Sacrosanctum, Urbrani VIII. 1624. 587.
Salutare, Bened. XIV. 1742. 588.
Suscepti muneris, Clem. VIII. 1596. 594.
Si datam hominibus, Bened. XIV. 1748. 595.
Sanctissimus, Pii V. 1566. 604.
Ubi gratiae, Gregorii XIII. 1575. 587.
Universa, Urbani VIII. 1642. 603.

INDICES

I.

INDEX

SESSIONUM, DECRETORUM, CAPITUM ET SUMMARIORUM

CONCILII TRIDENTINI

Bulla indictionis sacri oecumenici concilii Tridentini sub Paulo III. Pont. max. 1

SESSIO I.

Decretum de inchoando concilio. 8
Indictio futurae sessionis. 8

SESSIO II.

Decretum de modo vivendi et aliis in concilio servandis. 8

SESSIO III.

Decretum de symbolo fidei. 10
Indictio futurae sessionis. 10

SESSIO IV.

Decretum de canonicis scripturis. 11
Decretum de editione et usu sacrorum librorum. 12
Indictio futurae sessionis. 13

SESSIO V.

Decretum de peccato originali. 13
Decretum de reformatione. 16
Cap. I. De instituenda lectione sacrae scripturae et liberalium artium. 16
Cap. II. De verbi Dei concionatoribus et quaestoribus eleemosynariis. 20
Indictio futurae sessionis. 23

SESSIO VI.

Decretum de iustificatione. Prooemium. 23
Cap. I. De naturae et legis ad iustificandos homines imbecillitate. 24
Cap. II. De dispensatione et mysterio adventus Christi. 24
Cap. III. Qui per Christum iustificantur. 24
Cap. IV. Insinuatur descriptio iustificationis impii et modus eius in statu gratiae. 24
Cap. V. De necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, et unde sit. 25
Cap. VI. Modus praeparationis. 25
Cap. VII. Quid sit iustificatio impii, et quae eius causae. 25
Cap. VIII. Quo modo intelligatur impium per fidem et gratis iustificari. 26
Cap. IX. Refellitur inanis haereticorum fiducia. 26
Cap. X. De acceptae iustificationis incremento. 27
Cap. XI. De observatione mandatorum, eamque necessariam esse, nec impossibilem. 27
Cap. XII. Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse. 28
Cap. XIII. De perseverantiae munere. 28
Cap. XIV. De lapsis et eorum reparatione. 28
Cap. XV. Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem. 29
Cap. XVI. De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione. 29
Canones XXXIII. De iustificatione. 30
Decretum de reformatione. 33
Cap. I. Praelatos convenit in ecclesiis suis residere; si secus fecerint, iuris antiqui poenae in eos innovantur, et novae decernuntur. 33
Cap. II. Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi iusta de causa ab episcopo approbanda; qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat ob curam animarum. 36
Cap. III. Excessus saecularium clericorum, et regularium agentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur. 39
Cap. IV. Ecclesias quascunque episcopi et alii maiores praelati, quoties opus fuerit, visitent; omnibus, quae huic decreto obstare possent, sublatis. 39
Cap. V. Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant. 39
Indictio futurae sessionis. 40

SESSIO VII.

Decretum de sacramentis. Prooemium. 40
Canones XIII. De sacramentis in genere. 40
Canones XIV. De baptismo. 41
Canones III. De confirmatione. 47
Decretum de reformatione. 48
Cap. I. Quis capax regiminis ecclesiarum cathedralium. 48
Cap. II. Tenentes plures cathedrales ecclesias, iubentur omnes, excepta una, dimittere certo modo et tempore. 48
Cap. III. Habilibus duntaxat personis beneficia conferantur. 49

Cap. IV. Plurium beneficiorum retentor contra canones, iis privatur. 49
Cap. V. Plura beneficia curata obtinentes ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de vicario ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata. 51
Cap. VI. Quae beneficiorum uniones validae censeantur. 51
Cap. VII. Beneficia ecclesiastica unita visitentur; per vicarios etiam perpetuos cura exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa. 52
Cap. VIII. Ecclesiae reparentur. Cura animarum sollicite habeatur. 52
Cap. IX. Munus consecrationis non differendum. 54
Cap. X. Sede vacante capitula nulli dent reverendas, nisi arctato occasione obtinendi aut obtenti beneficii; variae contravenientium poenae. 54
Cap. XI. Facultates de promovendo sine iusta causa nemini suffragentur. 54
Cap. XII. Facultas de non promovendo annum non excedat. 55
Cap. XIII. A quocunque praesentati non instituantur sine praevio examine ordinarii et approbatione, certis exceptis. 55
Cap. XIV. Causae civiles exemptorum clericorum saecularium et regularium degentium extra monasterium ab episcopis cognoscantur. 55
Cap. XV. Ordinarii curent, ut hospitalia quaecunque, etiam exempta, a suis administrationibus fideliter gubernentur. 56
Indictio futurae sessionis. 57
Bulla facultatis transferendi concilii. 57

SESSIO VIII.

Decretum de translatione concilii. 58

SESSIO IX.

Decretum prorogationis sessionis. 59

SESSIO X.

Decretum prorogationis sessionis. 59
Bulla resumptionis concilii Tridentini sub Iulio III. Pont. max. 60

SESSIO XI.

Decretum de resumendo concilio. 61
Indictio futurae sessionis. 62

SESSIO XII.

Decretum prorogationis sessionis. 62

SESSIO XIII.

Decretum de ss. eucharistiae sacramento. 62
Cap. I. De reali praesentia Domini nostri Iesu Christi in ss. eucharistiae sacramento. 63
Cap. II. De ratione institutionis ss. huius sacramenti. 63
Cap. III. De excellentia ss. eucharistiae super reliqua sacramenta. 64
Cap. IV. De transubstantiatione. 64
Cap. V. De cultu et veneratione huic ss. sacramento exhibendis. 64
Cap. VI. De asservando sacrae eucharistiae sacramento et ad infirmos deferendo. 65
Cap. VII. De praeparatione adhibenda, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat. 65
Cap. VIII. De usu admirabilis huius sacramenti. 66
Canones IX. De ss. eucharistiae sacramento. 66
Decretum de reformatione. 70
Cap. I. Episcopi prudenter moribus caste informandis invigilent; ab eorum correctione non appelletur. 70
Cap. II. In criminalibus appellatio ab episcopo quando metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda. 72
Cap. III. Acta primae instantiae intra triginta dies dentur gratis reo appellanti. 72
Cap. IV. Qua ratione clerici ob gravia delicta sacris exauctorandi. 72
Cap. V. Summarie cognoscat episcopus de gratiis, quibus peccatum remittitur aut poena. 73
Cap. VI. Non citetur personaliter episcopus, nisi depositionis aut privationis causa. 73
Cap. VII. Qualitates testium contra episcopum describuntur. 73
Cap. VIII. Graves episcoporum causae a Pont. max. cognoscantur. 73
Decretum prorogationis quatuor articulorum de sacramento eucharistiae, et salvi conductus protestantibus dandi. 73
Salvus conductus datus protestantibus. 74

SESSIO XIV.

Doctrina de ss. poenitentiae et extremae unctionis sacramentis. 75
Cap. I. De necessitate et institutione sacramenti poenitentiae. 75
Cap. II. De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi. 76
Cap. III. De partibus et fructu huius sacramenti. 76
Cap. IV. De contritione. 77
Cap. V. De confessione. 77
Cap. VI. De ministro huius sacramenti, et absolutione. 79
Cap. VII. De casuum reservatione. 79
Cap. VIII. De satisfactionis necessitate et fructu. 80
Cap. IX. De operibus satisfactionis. 81
Doctrina de sacram. extremae unctionis. 81
Cap. I. De institutione sacramenti extremae unctionis. 82
Cap. II. De effectu huius sacramenti. 82
Cap. III. De ministro huius sacramenti et tempore, quo dari debeat. 82
Canones XV. De poenitentiae sacramento. 83
Canones IV. De sacr. extremae unctionis. 86
Decretum de reformatione. 86
Prooemium. Episcoporum munus est subditos, praesertim ad animarum curam constitutos admonere officii sui. 87
Cap. I. Si prohibiti ascendere ad ordines ascendant, si interdicti, si suspensi, puniantur. 87
Cap. II. Si episcopus quoscunque ordines contulerit sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii praelati consensu, utergue decretae poenae subiaceat. 87
Cap. III. Episcopus suos clericos ab alio male promotos non admittat ad officia celebranda, nisi praevio examine. 88
Cap. IV. Nullus clericus eximatur a correctione episcopi, etiam extra visitationem. 88
Cap. V. Conservatorum iurisdictio certis finibus concluditur. 88
Cap. VI. Poena decernitur in clericos, qui in sacris constituti aut beneficia possidentes, decenti sui ordinis veste non utuntur. 91

Cap. VII. Voluntarii homicidae nunquam, casuales quo modo ordinandi. 92
Cap. VIII. Nulli alienos clericos ex privilegio punire liceat. 96
Cap. IX. Beneficia unius dioecesis nullo praetextu uniantur beneficiis alterius. 96
Cap. X. Regularia beneficia regularibus conferantur. 97
Cap. XI. Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces existant. 97
Cap. XII. Nemo nisi ex fundatione vel dotatione ius patronatus obtineat. 98
Cap. XIII. Praesentatio fiat ordinario, alias institutio sit nulla. 98
Cap. XIV. Tractandum deinceps de missa, ordine et reformatione. 98

SESSIO XV.

Decretum prorogationis sessionis. 98
Salvus conductus datus protestantibus. 99

SESSIO XVI.

Decretum suspensionis concilii. 101
Bulla celebrationis concilii Tridentini sub Pio IV. Pont. max. 102

SESSIO XVII.

Decretum de celebrando concilio. 105
Indictio futurae sessionis. 105

SESSIO XVIII.

Decretum de librorum delectu, et omnibus ad concilium fide publica invitandis. 105
Indictio futurae sessionis. 106
Salvus conductus concessus germanicae nationi in congregatione generali die IV. Martii MDLXII. 106
Extensio ad alias nationes. 108

SESSIO XIX.

Decretum prorogationis sessionis. 109

SESSIO XX.

Decretum prorogationis sessionis. 109

SESSIO XXI.

Doctrina de communione sub utraque specie, et parvulorum. 109
Cap. I. Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie. 110
Cap. II. Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiae. 110
Cap. III. Totum et integrum Christum, ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi. 111
Cap. IV. Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem. 111
Canones IV. de communione sub utraque specie et parvulorum. 111
Decretum de reformatione. 111
Cap. I. Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias et testimoniales dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii quod in decreto praefinitum est accipiant. 112
Cap. II. Arcentur a sacris ordinibus qui non habent unde vivere possint. 112
Cap. III. Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur: consuetudo, qua non residentes nihil vel minus tertia parte fructuum percipiunt, laudatur; absentium contumacia punitur. 116
Cap. IV. Sacramenta per convenientem sacerdotum numerum exhibeantur. Ratio novas parochias erigendi traditur. 116
Cap. V. Possint episcopi facere uniones perpetuas in casibus a iure permissis. 118
Cap. VI. Imperitis rectoribus vicarii cum parte fructuum pro tempore deputentur; in scandalo perseverantes privari beneficiis possint. 119
Cap. VII. Episcopi transferant una cum oneribus ecclesias, quae nequeunt instaurari, alias vero reparari procurent. 120
Cap. VIII. Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecunque quotannis ab ordinario visitentur. 122
Cap. IX. Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur. Indulgentias et spirituales gratias ordinarii publicent. Duo de capitulo eleemosynas gratis accipiant. 123
Indictio futurae sessionis. 124

SESSIO XXII.

Doctrina de sacrificio missae. 124
Cap. I. De institutione sacrosancti missae sacrificii. 124
Cap. II. Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis. 125
Cap. III. De missis in honorem sanctorum. 125
Cap. IV. De canone missae. 126
Cap. V. De solemnibus missae sacrificii caeremoniis. 126
Cap. VI. De missa, in qua solus sacerdos communicat. 126
Cap. VII. De aqua in calice offerendo vino miscenda. 126
Cap. VIII. De missa vulgari lingua passim non celebranda, et mysteriis eius populo explicandis. 126
Cap. IX. Prolegomenon canonum sequentium. 127
Canones IX. De sacrificio missae. 127
Decretum de observandis et vitandis in celebratione missae. 127
Decretum de reformatione. 149
Cap. I. Canones de vita et honestate clericorum innovantur. 149
Cap. II. Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi. 150
Cap. III. Statuendae distributiones quotidianae ex tertia parte quorumcunque fructuum; portio absentium quibus cedat; certi casus excepti. 151
Cap. IV. In quacunque cathedrali vel collegiata ecclesia maioribus necdum initiati, vocem in capitulo non habeant; quid praestare teneantur ad eas promoti; quive deinceps promovendi. 159
Cap. V. Dispensationes extra curiam episcopo committantur, et ab eo examinentur. 161
Cap. VI. Circumspecte commutandae ultimae voluntates. 161
Cap. VII. Innovatur Cap. Romana de appellationibus in Sexto. 165
Cap. VIII. Episcopi pias omnium dispositiones exequantur; quaecunque pia loca visitent, dummodo non sub immediata regum protectione sint. 167
Cap. IX. Administratores quorumcunque pio-

rum locorum reddant rationem ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum. 167
Cap. X. Notarii episcoporum examini et iudicio subiaceant. 171
Cap. XI. Bonorum cuiuscunque ecclesiae, aut pii loci occupatores puniuntur. 171
Decretum super petitione concessionis calicis. 172
Indictio futurae sessionis. 172

SESSIO XXIII.

Doctrina de sacramento ordinis vera et catholica ad condemnandos errores nostri temporis a sancta synodo Tridentina decreta et publicata. 172
Cap. I. De institutione sacerdotii novae legis. 172
Cap. II. De septem ordinibus. 173
Cap. III. Ordinem vere esse sacramentum. 173
Cap. IV. De ecclesiastica hierarchia et ordinatione. 173
Canones VIII. De sacramento ordinis. 174
Decretum de reformatione. 178
Cap. I. Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur; animarum curae providetur. 178
Cap. II. Ecclesiis praefecti consecrationis munus intra tres menses suscipiant; consecratio quo loco peragenda. 180
Cap. III. Episcopi extra aegritudinem per se ordines conferant. 180
Cap. IV. Qui prima tonsura initiandi. 181
Cap. V. Ordinandi quibus instructi esse debeant. 182
Cap. VI. Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur; quis privilegio fori gaudere debeat. 182
Cap. VII. Examinandi sunt ordinandi a viris peritis iuris divini et humani. 184
Cap. VIII. Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat. 184
Cap. IX. Episcopus familiarem ordinans, conferat statim beneficium re ipsa. 196
Cap. X. Episcopis inferiores praelati tonsuram vel minores ordines ne conferant nisi regularibus sibi subditis; nec ipsi, aut capitula quaecunque dimissorias concedant, graviore in decretum peccantibus poena statuta. 197
Cap. XI. Interstitia in susceptione minorum ordinum, et certa alia praecepta observanda. 199
Cap. XII. Aetas ad maiores ordines requisita; digni duntaxat assumendi. 200
Cap. XIII. Subdiaconi et diaconi ordinatio qualis; eorum munus. Nulli ordines sacri duo conferantur eodem die. 201
Cap. XIV. Quinam ad presbyteratum assumendi; assumptorum munus. 205
Cap. XV. Nullus confessiones audiat, nisi ab ordinario approbatus. 205
Cap. XVI. Arcentur ab ordinibus ecclesiis inutiles et vagi. 207
Cap. XVII. Qua ratione exercitia minorum ordinum repetenda. 208
Cap. XVIII. Forma erigendi seminarium clericorum, praesertim tenuiorum; in cuius erectione plurima observanda; de educatione promovendorum in cathedralibus et maioribus ecclesiis. 209
Indictio futurae sessionis. 214

SESSIO XXIV.

Doctrina de sacramento matrimonii. 214
Canones XII. De sacramento matrimonii. 215
Decretum de reformatione matrimonii. 216
Cap. I. Matrimonii solemniter contrahendi forma in conc. Lateran. praescripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possit episcopus. Qui aliter, quam praesentibus parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit. 216
Cap. II. Inter quos cognatio spiritualis contrahatur. 218
Cap. III. Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur. 218
Cap. IV. Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur. 218
Cap. V. Ne quis intra gradus prohibitos contrahat; quave ratione in illis dispensandum. 219
Cap. VI. In raptores animadvertitur. 219
Cap. VII. Vagi matrimonio caute iungendi. 219
Cap. VIII. Concubinatus poenis gravissimis punitur. 219
Cap. IX. Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati matrimonii contrarium moliantur. 220
Cap. X. Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur. 220
Decretum de reformatione. 326
Cap. I. Norma procedendi ad creationem episcoporum et cardinalium. 326
Cap. II. Synodi provinciales quolibet triennio, dioecesanae quotannis celebrentur; qui eas cogere, quive illis interesse debeant. 328
Cap. III. Qua ratione visitatio per praelatos facienda. 330
Cap. IV. Praedicationis munus a quibus et quando obeundum. Ecclesia parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda. Nullus contradicente episcopo praedicet. 337
Cap. V. Causae criminales contra episcopos, maiores a solo summo Pont., minores a concilio provinciali cognoscantur. 337
Cap. VI. Datur episcopis potestas circa irregularitatum et suspensionum dispensationes et criminum absolutiones. 338
Cap. VII. Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab episcopis et parochis explicetur. Inter missarum solemnia sacrae paginae explanentur. 343
Cap. VIII. Publice peccantes publice poeniteant, nisi episcopo aliter videatur. Poenitentiarius in cathedralibus instituendus. 344
Cap. IX. A quo visitari debeant ecclesiae saeculares nullius dioecesis. 345
Cap. X. Executio visitationis a subditis ne suspendatur. 345
Cap. XI. Honorarii tituli, aut privilegia particularia, episcoporum iuri nihil detrahant. Cap. Cum capella de privilegiis innovatur. 346
Cap. XII. Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus cathedralium ecclesiarum; quidve promoti praestare teneantur. 348
Cap. XIII. Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis et parochiis consulendum. Parochiae certis finibus distinguendae. 366
Cap. XIV. Ne quis admittatur ad possessionem beneficii aut distributionum cum fructuum distributione in usus non pios convertenda. 368
Cap. XV. Ratio augendi tenues praebendas ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium. 369
Cap. XVI. Quid muneris incumbat capitulo sede vacante. 370
Cap. XVII. Beneficiorum collationi et plurium retentioni modus statuitur. 376

Cap. XVIII. Ecclesia parochiali vacante deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho: nominati ad parochiales qua forma et a quibus examinari debent. 378
Cap. XIX. Mandata de providendo, expectativae, et alia id genus antiquantur. 388
Cap. XX. Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes praescribitur. 388
Cap. XXI. Declaratur ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in generalibus conciliis. 390
Indictio futurae sessionis. 391

SESSIO XXV. ET ULTIMA.

Decretum de purgatorio. 391
De invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus. 392
De regularibus et monialibus. 393
Cap. I. Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant; id ut fiat, superiores sedulo curent. 394
Cap. II. Proprietas regularibus omnino prohibetur. 394
Cap. III. Omnia monasteria, quae hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia. Numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus. Nulla sine licentia episcopi erigenda. 394
Cap. IV. Regularis sine superioris licentia nec se obsequio alterius loci aut personae subiiciat, nec a conventu recedat; absens studiorum causa in conventibus commoretur. 401
Cap. V. Clausurae monialium, praesertim quae extra urbes agunt, providetur. 402
Cap. VI. Ratio eligendi superiores. 408
Cap. VII. Quae et quomodo in abbatissas et quocunque nomine praefectas eligendae; duobus monasteriis nulla praeficiatur. 409
Cap. VIII. Regimen monasteriorum non habentium ordinarios regulares visitatores quomodo instituendum. 411
Cap. IX. Monasteria monialium immediate subiecta sedi apost. ab episcopo regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus vel aliis regularibus. 411
Cap. X. Moniales unoquoque mense confiteantur et communicent; de confessario extraordinario iis ab episcopo provideatur. Apud illas extra publicam ecclesiam eucharistia non conservetur. 412
Cap. XI. In monasteriis, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter illas, quae sunt de illorum familia, visitet episcopus, et eidem curae praeficiendas examinet, certis exceptis. 413
Cap. XII. Conformentur regulares saecularibus in observatione censurarum episcopalium et festorum dioecesis. 415
Cap. XIII. Controversias de praecedentia e vestigio componat episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur. 415
Cap. XIV. Regulari publice delinquenti poena a quo irroganda. 416
Cap. XV. Professio non fiat nisi anno probationis exacto, et decimo sexto aetatis completo. 416
Cap. XVI. Renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla. Finita probatione novitii aut profiteantur, aut eiiciantur. In pio clericorum societ. Iesu instituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem. 417
Cap. XVII. Puella maior duodecim annis, si habitum regularem suscipere voluerit exploretur ab ordinario, iterumque ante professionem. 420
Cap. XVIII. Ne quis, praeterquam in casibus a iure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat. Poenitentium seu convertitarum constitutiones serventur. 422
Cap. XIX. Quomodo in causis deficientium a religione procedendum. 422
Cap. XX. Superiores ordinis episcopis non subiecti inferiora monasteria visitent ac corrigant, etiam commendata. 436
Cap. XXI. Monasteria regularibus conferantur. Ordinum capita nemini in posterum commendentur. 436
Cap. XXII. Praedicta de reformatione regularium nulla mora interposita observentur. 437
Decretum de reformatione. 438
Cap. I. Cardinales et omnes ecclesiarum praelati modestam supellectilem et mensam habeant; consanguineos familiaresve suos ex bonis ecclesiae non augeant. 438
Cap. II. A quibus nominatim decreta concilii solemniter recipi et doceri debeant. 439
Cap. III. Excommunicationis gladio temere non utendum; ubi executio realis aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum; iisque civili magistratui se immiscere nefas esto. 439
Cap. IV. Ubi nimius est missarum faciendarum numerus, statuant episcopi, abbates et generales ordinum, quod expedire iudicaverint. 442
Cap. V. Rebus bene constitutis et annexum onus habentibus nihil detrahatur. 443
Cap. VI. Qui se gerere debeat episcopus quoad visitationem capitulorum exemptorum. 443
Cap. VII. Accessus et regressus ad beneficia tolluntur; coadiutor quomodo, cui et ex qua causa concedendus. 447
Cap. VIII. Administratorum hospitalium munus; eorum negligentia a quibus et qua ratione coercenda. 448
Cap. IX. Quomodo probandum ius patronatus; cui deferendum munus patronorum; accessiones vetitae; quibus id iuris non acquiratur. 449
Cap. X. Iudices a synodo designandi, qui delegentur e sede apostolica. A quibus et ordinariis causae breviter terminandae. 457
Cap. XI. Variae locationes bonorum ecclesiasticorum prohibentur; quaedam factae irritantur. 458
Cap. XII. Decimae integre persolvendae; eas subtrahentes excommunicandi. Rectoribus ecclesiarum tenuium pie subveniendum. 459
Cap. XIII. Quartam funeralium cathedrales vel parochiales ecclesiae recipiant. 461
Cap. XIV. Praescribitur ratio procedendi in causis clericorum concubinariorum. 463
Cap. XV. Filii clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi. 464
Cap. XVI. Beneficia curata non convertantur in simplicia, et in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio. Vicariae cessent, cura ad titulos revocata. 466
Cap. XVII. Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent, nec cum regum ministris, regulis aut baronibus indigna demissione se gerant. 466
Cap. XVIII. Canones ad amussim serventur;

si quando in eis dispensandum, id valide, mature et gratis fiat. 466
Cap. XIX. Monomachia poenis gravissimis punitur. 467
Cap. XX. Quae sunt iuris ecclesiastici principibus saecularibus commendantur. 467
Cap. XXI. In omnibus salva sedis apost. auctoritas maneat. 468
Decretum de continuanda sessione in diem sequentem. 468

Sessionis ultimae continuatio.

Decretum de indulgentiis. 468
De mortificatione carnis, ieiuniis et diebus festis. 469
De libris vel suspectis, vel perniciosis. 471
Ex loco assignato oratoribus declaratur nullum cuiquam fieri praeiudicium. 471
De decretis concilii recipiendis et observandis. 472
Recitatio decretorum concilii sub Paulo III., et Iulio III. 472
Finis datur concilio Tridentino. Confirmatio petenda a beatissimo Romano Pontifice. 472
Acclamationes Patrum in fine concilii. 473
Oratio habita in ultima sessione concilii Tridentini a R. P. D. Hieronymo Ragazzono Veneto, episcopo Nazianzeno, et coadiutore Famaugustano. Hic summatim recensentur omnia in concilio Tridentino definita, quae ad pie credendum et ad bene vivendum pertinent. 474

II.

INDEX

DOGMATUM ET REFORMATIONIS SACRI

CONCILII TRIDENTINI

A.

Abbates quomodo eligendi? 408. Et qui in monasteriis, quae sunt ordinum capita? 436. Qui visitandi ius habeant? 436. Quibus tonsuram et minores ordines conferre possint? 197. Lectorem sacrae theologiae in suis monasteriis eligant. 16. Qui usum mitrae et baculi habent, episcoporum loco adhibentur in degradatione. 72. Ea, quae de regularibus decreta sunt, exequi tenentur. 437. Eorum privilegia quando cessent. 197 et 376.

Abbatum monasteria quae ab episcoporum iurisdictione exempta? 413 et 436. Eorum negligentia quando suppleatur. 16 et 20.

Abbatissa quomodo et qua aetate eligenda? 409. Duobus monasteriis non praeficienda. 409. Eius officium in professione monialium. 420.

Abbatiae commendatae ab episcopo visitandae. 122. Quae sunt ordinum capita, quibus conferendae? 436. Earum onus in seminario constituendo. 210.

Abesse episcopo quando, et quamdiu liceat, et qua poena mulctentur absentes? 178. Quando aliis curatis? 179. Quantum canonicis et aliis similibus. 349.

Abesse non videtur, qui aliquantisper abest. 179.

Absens, qui curae animarum incumbit praesens iudicatur. 151. Vide Residentia.

Absentia affectata, non dissolvit vinculum matrimonii. 215.

Absentia episcoporum denuntianda Romano pontifici. 34. Quae sit legitima, et a quibus probanda. 179.

Absolutio, a summo pontifice impetrata usurpantibus bona et iura ecclesiastica non aliter prodest, nisi facta restitutione. 171.

Absolutio delicti publici quando non admittenda. 73.

Absolutio sacerdotalis est actus iudicialis. 79 et 84. Eius ministri. 79 et 84. Peccatorum gravium, a quibus dari possit? 79, 84, 338. Quando nulla. 79 et 80.

Abusus tollendi, 20, 123, 392. maxime qui in missarum celebratione irrepserunt, 127. et qui in concionibus ad populum, 392. et in sanctorum celebratione, 392. et qui circa usum indulgentiarum habentur. 123, 468.

Academiae testimonium de eius doctrina, qui creandus est episcopus. 150.

Accessiones ad beneficia iuris patronatus quando tollendae. 480.

Accessus non concedendi, nec concessi extendendi. 447.

Acclamationes patrum in fine concilii. 473.

Acolythatus. 346.

Acolythorum ordo. 173.

Acta appellanti quando gratis exhibenda? 72. Intra quantum tempus? 72, 389. Quomodo ad iudicem appellationis transferenda. 389.

Adae peccatum in omnes propagatione, non imitatione transfusum. 14. Non illi soli, sed universae etiam propagini nocuit. 14. Quomodo tollatur. 14.

Administratio bonorum monasticorum ad quos spectet. 394.

Administratores locorum piorum quibus rationem reddere debeant? 167. Bonorum episcopatus, a capitulo sede vacante electi, episcopo rationem reddant. 376.

Adolescentium aetas prona ad mundi voluptates. 209.

Adoratio Christi in Eucharistia. 64, 67.

Adventus Christi mysterium. 24.

Adulterii poena. 219.

Adulterium non dirimit matrimon. 215.

Adultorum iustificatio. 25.

Aetas ad dignitates et canonicatus obtinendos, quae legitima? 348. Ad beneficia? 182. Ad singulos ordines suscipiendos. 200. Ad seminarium. 209.

Affinitas ex fornicatione quando matrimonium dirimit. 218.

Aleas fugere debent clerici. 150.

Alexandri III. constitutio. 117.

Alienare res suas quando clericis non liceat. 112.

Altare per mensam intelligitur apud apostolum Paulum. 125.

Ambulationes tempore missae tollant episcopi. 128.

Anathemata in male sentientes de peccato originali. 13. seqq. De iustificatione. 30. seqq. In eos, qui septem ecclesiae sacramenta negant, vel ea male interpretantur. 40. seqq. Contra haereticorum errores circa sacramentum baptismi. 41. seqq. Confirmationis. 42, 47, 48. Eucharistiae. 66. seqq. Poenitentiae. 83. seqq. Extremae unctionis. 86. Ordinis. 174. seqq. Matrimonii. 215. seqq. De communione sub utraque specie. 111. De sacrificio missae. 127. seqq.

Animarum cura non negligenda. 33, 36, 39, 51, 52, 122, 178 et seqq.

Annexa beneficia singulis annis visitent episcopi. 52.

Annus ad suscipiendos ordines datus, quos requirit beneficium obtentum. 159.

Antiquitas non damnanda. 111.

Antiquior episcopus metropolitano impedito habendae synodi provincialis ius habet. 328. Quando ei liceat in metropolitana ecclesia oeconomum eligere. 370.

Apostatandi occasio quando regularibus datur. 97.

Apostatarum poenae. 422.

Apostoli in coena a Christo novi testamenti sacerdotes instituti. 125, 127. Iisdem eorumque successoribus a Christo tributa est potestas consecrandi. 172. Remittendi et retinendi peccata. 76.

Appellans quid agere debeat, 72, 389.
Appellare a quibus liceat. 70, 388.
Appellatio cur instituta? 70. Quando non impediat vel suspendat? 70, 150, 180, 210, 211, 346, 379, 388, 415, 464. Quomodo admittenda et cui committenda? 72.
Appellatus quid et quando solvat pro actis. 72, 389.
Aqua in calice cur vino misceatur, et eius significatio. 126.
Aqua naturalis est de necessitate baptismi. 41.
Arbiter de suspicione et iurisdictione cognoscenda inter ordinarium et conservatorem iudicem. 89.
Archidiaconi oculi episcoporum. 348. Qui eligi debeant? 348. Qui visitandi ius habent, quomodo visitent? 330. Causas matrimonii et criminum non iudicant. 388. Neque concubinatus. 464.
Archiepiscopus Vide Metropolitanus.
Archipresbyteri curam animarum habentes quando praedicare debeant. 20. Vide Parochi.
Assumendus ad cathedralem ecclesiam qualis esse debeat. 150.
Attritio quid. 77.
Avaritia idolorum servitus. 127. Omnium malorum radix. 171. Ab ecclesiasticis tollenda. 112. Eius suspicio vitanda. 368.
Auctoritas sedis apostolicae maxima. 34, 59, 80. In omnibus decretis concilii salva intelligitur. 48, 369, 468.
Aucupia a clericis vitanda. 349.

B.

Baptismi et poenitentiae differentia. 28. 76.
Baptismo suscepto, vota postmodum facta non sunt irrita vi promissionis in illo factae. 42.
Baptismus fidei sacramentum. 25. Rite collatus non iteratur. 42, 76. Ad salutem necessarius. 25, 41. Eius virtus. 14. Aqua naturalis necessaria. 41. Verba requisita. 41. In eo imprimatur character in anima. 41. Vera de eo doctrina in ecclesia Romana. 41. Sola eius recordatio non tollit nec minuit peccata. 42. Canones de eo. 41. seq.
Baptismus haereticorum quomodo verus. 41.
Baptismus Ioannis. 41.
Baptismus parvulorum. 14, 42.
Baptizantium et baptizatorum cognatio. 218.
Baptizantur parvuli in fide ecclesiae. 42.
Baptizari licet in omni aetate et tempore. 42.
Baptizati universae legis Christianae debitores, peccando gratiam amittunt. 41. Ab uno vel duobus suscipiendi de fonte baptismali. 218.
Benedictio coniugum approbatur. 217. Antequam coniuges simul habitent, in templo suscipienda, et a proprio parocho. 217.
Beneficia cur constituta sint? 116. Ecclesiastica obtinentium habitus. 182. Quibus conferenda? 159, 160. Aetas ad ea obtinenda. 182, 348. Haereditariam successionem abhorrent. 447. Qualitatibus et oneribus, quae iis ex fundatione incumbunt, non derogandum. 366. In servitutem non redigenda. 449. Unita visitanda, 52. ac etiam exempta et a quibus. 122, 345. Curata in simplicia non convertenda, et quando curam animarum recipiant. 466. Regularia quibus conferenda. 97. Saecularia regularibus non conferenda. 97.
Beneficia iuris patronatus. 98, 120, 379, 449 seq.
Beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis perpetuo non uniantur. 96. Uniones ab ordinariis examinandae. 51.
Beneficiis privare clericos quando liceat. 119, 180.
Beneficiorum pluralitas reprobatur 48, 51, 376. Quando permittatur. 376.
Beneficium ecclesiasticum habere debet, qui prima tonsura initiatus est, ut fori privilegio gaudeat. 182.
Biblia latina vulgatae editionis probata. 11, 12.
Biennii spatium litibus finiendis statutum. 388.
Bigami ad minorum ordinum ministeria non idonei. 208.
Bigamia prohibita. 215.
Bona ecclesiastica in quos usus converti debeant? 171, 438. Ea occupantium poena. 171.
Bona mobilia et immobilia quomodo regularibus concessa? 394. Ante professionem monasteriis non danda, aut abeuntibus restituenda. 417.
Bonifacii VIII. constitutio. 182, 402.
Bononiae laus. 58.
Bonum exemplum. Vide Exemplum.
Brachium saeculare impetrari potest pro revocandis monialibus intra urbem. 402.
Bulla indictionis concilii Pauli III. 1.
Bulla facultatis transferendi concilii sub Paulo III. 57.
Bulla resumptionis concilii sub Iulio III. 60.
Bulla celebrationis concilii sub Pio IV. 102.
Bulla confirmationis concilii sub Pio IV. 480 et seqq.
Bulla, qua tempus, ex quo concilium observari debeat, assignatur. 484.
Bulla, revocatoria privilegiorum, quae concilii decretis adversantur. 485.
Bulla, contra etc., et in confidentiam retinentes. 487.
Bulla, seu motus proprius Pii IV. super executione concilii 492.
Bulla, seu motus proprius Pii V. de veritate exprimenda. 493.
Bulla, de professione trium votorum. ibid.
Bulla, super impedimento publicae honestatis. 495.

C.

Coelibatus anteponendus statui Coniugali. 216.
Caeremoniae et ritus in celebratione Missae quare instituti? 126. In ordine sacro. 174. In nuptiis. 217. In sacramentorum administratione non contemnendi. 41. Praeter caeremonias ab ecclesia approbatas, aliae in Missa non adhibendae. 128.
Calicis usus an cuiquam sit permittendus. 111, 112, 172.
Candelarum certus numerus prohibetur in celebratione Missae. 128.
Canon Missae ex quibus constet. 125, 126, 127.
Canones Apostolorum citantur a synodo. 428.
Canones de vita clericorum renovantur. 149, 150. Item ad episcopalem dignitatem pertinentes, 466. Item ad favorem ecclesiasticarum personarum. 467.
Canones indistincte ab omnibus observandi. 466.
Canonicatus aut portio non confertur ei, qui eo ordine initiatus non est, quem illa dignitas aut portio requirit. 349.
Canonicatus quibus conferendi. 348, 349.

Canonici ecclesiae senatus, eorum vita et honestas qualis. 349. Eorum officia in choro. 349. Eorumdem officium celebrante episcopo. 349. Eorum residentia. 116, 151, 349. An residere possint in ecclesia curata? 151. Quales eligendi? 348, 349. Qui vocem in capitulo non habeant? 159. Eorum tenues reditus quomodo augendi? 389, 370. Divina officia per se, non per alium obire debent. 149. Interesse debent sacrae ordinationi. 184. Non amplius tribus mensibus eis abesse licet. 349. Episcopo inservire debent, 349. ab eo corrigi possunt, 39. quando et quomodo? 443, 444. Professionem fidei coram quibus facere teneantur. 348, 349.

Canonicos duos adhibere debet episcopus in publicatione indulgentiarum. 123. Ad constituenda quae ad seminarium spectant. 209. Ad rationem redituum seminarii exigendam. 210. Ad providendum quae necessaria sunt in divinis officiis et ecclesiae ministris 349. Ad procedendum in quibusdam casibus. 443. Ad convertenda quaedam in pios usus. 449. Vide Capitulum, Capitula.

Canonici regulares translati ad alium ordinem, saecularia beneficia obtinere non possunt 97.

Cantus qualis esse debeat? 349. Lascivus in celebratione Missae vetatur. 128.

Capellanorum regiorum privilegia restricta. 346.

Capita ordinum. 413, 436.

Capitula cathedralium a suis episcopis visitari et corrigi possunt. 39. Quomodo et quando? 443, 444. Apud ordinarium conveniuntur non obstantibus conservatoriis. 88, 89. Episcopo de quibus rationem reddere teneantur? 376. Eorum negligentia a quibus suppleatur? 370. Quando eorum privilegia non valeant. 378.

Capitula sub nomine sancti Petri vel sancti Ioannis. 411.

Capituli consilium adhibere debet episcopus in lectore et magistro deligendo. 16. In ordinibus canonicatuum designandis. 349. In his quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant. 349. In his, quae ad seminarium pertinent. 211. In augendo praebendas tenues. 369. In omnibus, quae non spectant ad commodum episcopi vel suorum. 444. in substituendo iudicem delegatum. 457.

Capituli mensa. 209. Eius iurisdictio, potestas et bonorum administratio intacta relinquitur. 444.

Capitulum si ius visitandi habet, viros ab eo deputatos prius episcopus approbet. 330. Eius officium sede vacante. 326, 370. Quando litteras dimissorias concedere possit? 54. Quando oeconomum sede vacante constituat. 370. Vide Canonici.

Capitulorum generalium officium in magistris eligendis. 16. In prioribus et officialibus constituendis. 436. In exequendis piis relictis. 442. In conservanda regulari disciplina. 394. Eorum negligentia a concilio provinciali quando supplenda. 438.

Capucinis et fratribus Minoribus de observantia bona immobilia possidere non licet. 394.

Cardinales qui sint eligendi? 328. Eorum consilio universalis ecclesiae administratio nititur. 438. Eorum vita et mores quales esse debeant. 438. Ad residentiam in suis ecclesiis tenentur. 179. Si cathedralibus ecclesiis praesunt, infra tres menses munus consecrationis suscipere tenentur. 180. Eorum indulta quando valeant? 378. Accessus et regressus illis non conceduntur. 447. Iisdem etiam moltitudo beneficiorum negatur. 376.

Cardinales quatuor affirmare debent promovendos ad cathedrales idoneos esse. 328.

Cardinalium familiares. Vide Familiares.

Cardinalis Moronus primus legatus synodo benedixit. 472.

Carnis mortificationi ieiunia conducunt. 469.

Carthaginense concilium. 438.

Castitatis donum petentibus non denegatur. 216. Votum. 394.

Casuum reservatio. 79, 80, 84.

Catechesis singulis sacramentis praescribenda, et vulgari lingua a parochis populo exponenda. 343, 344.

Catechismus. 471.

Catechumeni. 26.

Cathedralem et parochialem ecclesiam nemo simul retineat. 378.

Cathedralibus ecclesiis qui praeficiendi? 33 seqq., 47, 48, 150, 326 seqq. Quomodo providendum, quando eae sunt exigui reditus? 366. Quando pensionibus non sunt gravandae. 366. In iis poenitentiarius ab episcopo instituendus. 344.

Cathedrali ecclesia vacante, preces ac supplicationes habendae. 326.

Cathedralium ecclesiarum pluralitas omnibus prohibetur. 48, 49.

Causae cito expediendae. 388.

Causae civiles. Vide Civiles causae.

Causae criminales. Vide Criminales.

Causae exemptorum, et quomodo tractandae. 55, 56.

Causae fori ecclesiastici ab ordinariis in prima instantia cognoscendae. 388. Quibus delegandae. 388, 457.

Causae matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectant. 216. Non tamen ad decanos vel alios inferiores. 388. Ubi cognoscendae ob paupertatem. 388.

Causae mercedum et miserabilium personarum. 56, 89.

Causae legitimae absentiae quae. 179.

Celebratio missarum. Vide Missa.

Censurae ab ordinariis latae, publicandae et observandae a regularibus. 415, 416.

Censurae ecclesiasticae a iudicibus ecclesiasticis quando ferendae. 439, 440.

Character quid? 41. In quibus sacramentis imprimatur? 41, 173. Deleri non potest. 41, 173.

Charitas vinculum perfectionis. 106.

Choreae clericis prohibentur. 150. 349.

Chrisma sacrum. 47.

Christiana vita perpetua poenitentia esse debet. 81.

Christiani quando communicare teneantur. 67.

Christianorum opera qualia esse debeant? 8, 28.

Christi adventus. 24. Meritum. 14, 24. 25, 29. Ieiunium. 62. Divinitas. 64. Amor erga nos. 66, 124.

Christo debetur latriae cultus. 67.

Christus vera lux. 9. Sol iustitiae. 24. Fidei nostrae auctor. 24. Propitiator noster 24. Salvator noster et redemptor. 25, 32, 392. Fons iustitiae. 25. Causa salutis aeternae. 27. Legislator. 32. Sanctitatis auctor 63. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 124. Magnus et supremus sacerdos. 473. Caput in membris et vitis in palmitibus. 29. Secundus Adam 25. Omnium gratiarum fons et auctor. 111. Mediator Dei et hominum. 392. Patribus promissus. 24. Sacramentorum auctor et perfector. 40, 213. Pro omnibus mortuus, 24. et ad nostram salutem. 66, 125. In Eucharistia continetur. 63. Totus sumitur sub utraque specie. 64, 66, 67, 111. Nobis meruit iustificationem. 25, 30. Os et sapientiam promisit ecclesiae suae.

105. In eo habemus redemptionem et remissionem. 24, 25. Per eum fit satisfactio. 80. Qui eum diligunt, servant sermones eius. 27.

Ciborum delectus servandus. 469.

Circumstantiae peccati. 78.

Citari episcopus quando possit, ut personaliter compareat. 73.

Civilibus et criminalibus in causis quando appellationi locus est. 72.

Civilibus in causis quomodo procedendum? 56. Quomodo executio facienda. 440.

Clandestinorum matrimoniorum prohibitio. 216 seqq.

Clavium potestas. 76, 81, 84. seqq.

Clausura sanctimonialium restituenda 401, 402.

Clerici concubinarii. Vide Concubinarii.

Clerici coniugati quae ministeria exercere possint? 208. Quo privilegio gaudeant. 182.

Clerici homicidae poena et dispensatio. 92.

Degradatio et depositio. 72, 73, 443, 444.

Clerici in sortem Domini vocati. 149. Quae vitare debeant? 86, 149, 159, 349. Qui fori privilegio gaudeant? 182. Etiam exempti ab episcopo corrigi possunt. 39. 88. Delinquentes in loco decenti custodiendi. 444. Matrimonium contrahere prohibentur. 216. Mendicare non debent et quomodo eis providendum? 112. Turpiter et scandalose viventes quomodo puniantur? 193, 463. Usurpantes bona ecclesiastica qua poena puniantur. 171.

Clericis aleae, comessationes, lusus prohibentur. 149, 150.

Clericorum immunitates et privilegia renovantur. 467. Merita ex quibus deprehendantur? 200. Vita exemplum quanti momenti? 86, 149, 205, 438. Vestitus et habitus quales esse debeant? 91, 149, 150. Gestus, incessus et sermones. 149. Vita qualis. 86, 149, 150.

Clerico vago missas celebrare non licet. 128, 208. Vide Presbyter, Sacerdotes.

Clericorum societatis Iesu privilegia. 420.

Cluniacensis monasterii privilegium. 413.

Coadiutores quando dandi sint? 119. Quomodo. 447.

Coadiutoriae quomodo permittantur. 447.

Cognatio spiritualis quomodo, et inter quos contrahatur. 218.

Collatio beneficiorum. Vide Electio.

Collatio ordinum gratis fieri debet. 112. Vide Ordo.

Collegia ab episcopo visitanda. 167.

Collegia litteras dimissorias concedendi ius non habent, ut quis ordinetur ab aliis. 197.

Collegii puerorum instituendi norma et ratio. 209 seqq.

Collegiorum generalium privilegia. 55, 89.

Collegiorum personae quomodo sint exemptae. 346.

Collegiorum privilegia quomodo ordinariis non detrahant. 346.

Collegiatae ecclesiae nobilis alicuius oppidi qua ratione curent stipendium interpreti sacrae scripturae. 16.

Collocutiones et confabulationes in ecclesiis prohibentur. 8, 128.

Comessationes clericis prohibentur. 150.

Comitum palatinorum privilegia restricta. 346.

Commendata monasteria visitanda. 122.

Commendae perpetuae. 49.

Commemoratio defunctorum, qui legata ecclesiae reliquerunt, semper facienda. 422.

Commissiones causarum quibus fieri debeant. 457.

Communio sacramentalis quibus et quando necessaria sit? 67, 111. A quibus saepe percipienda? 200. In ea praeparatio qualis adhibenda? 65, 66. In ea integer Christus sumitur. 64, 66, 111.

Commutationes ultimarum voluntatum quando et quomodo faciendae. 442.

Compatres in baptismo qui. 218.

Compositio pro fructibus male perceptis prohibita. 179.

Computi ecclesiastici disciplina docenda in seminariis. 209.

Conceptio beatae Mariae virginis. 15.

Concilia provincialia quibus de causis renovanda et quando? 328. De quibus indicent? 179, 211, 327 seqq., 338., 366, 378 seq., 394, 438, 458, 464. Quid in eis agi debeat. 457, 468.

Concilii Tridentini inchoatio sub Paulo III. 8. Translatio. 58. Celebratio sub Iulio III. 61. Suspensio. 101. Celebratio sub Pio IV. 105. Intentio praecipua qualis? 105. Finis. 472. Causae, ob quas indictum fuit. 1, 8, 9, 10, 40, 60, 62, 101, 102, 105, 110, 472. Confirmatio. 480.

Concilio interesse qui debeant? 61, 104, 328, 439. Ad illud convenire negligentes quomodo puniantur. 439.

Conciliorum utilitas. 102, 328. In eis congregati quomodo vivere debeant. 8, 9, 62.

Concilium indicere ad Romanum pontificem spectat. 60, 472. Eius decreta ab eo confirmantur, 472, 480. et dubia declarantur. 472, 482.

Concio. Vide Praedicationis munus.

Concubinatus gravissimum peccatum. 219.

Concubinariorum et concubinarum poenae. 220, 463 seq. Quando cum eis dispensari possit. 463 seq.

Concupiscentia in baptizatis ad agonem relicta. 14 seq.

Conditiones in provisione ecclesiae reiiciendae. 368.

Confessarii monialium quandoque mutandi. 413.

Confessariorum munus in satisfactionibus iniungendis. 81.

Confessio est iure Divino necessaria. 78, seqq., 84. Est pars poenitentiae. 77, 83. Quomodo et quorum peccatorum facienda? 77, 78, 84. Quando praecipue, et cui? 78, 79. Non est impossibilis. 78, 84. Ad Eucharistiam percipiendam necessaria, et quando. 70.

Confessio, secreta. 78, 79, 83. Eius ministri qui? 79, 84, 205.

Confessionum libri discendi ab iis, qui in seminario educantur. 209.

Confitendi in quadragesima salutaris mos. 79, 84.

Confirmatio est sacramentum. 47. Eius minister episcopus. 47, 173, 174. Eam habere debent prima tonsura initiandi. 181. In ea character imprimitur in anima. 41. Inter quos ex ea spiritualis cognatio contrahatur. 218.

Confraternitates visitandae. 167.

Coniuges. Vide Matrimonium.

Consanguinei fructibus ecclesiarum non augendi. 438.

Consecratio episcoporum ubi facienda? 180. Infra tempus statutum suscipienda. 54. Quale tempus ad eam sit praescriptum. 180.

Consecrationis panis et vini efficacia. 64.

Consensus contrahentium in matrimonio necessarius, sed non parentum. 216.

Conservatores iudices. 88, 89.
Conservatoriae litterae quibus, et quando nihil prosint. 88, 89.
In Concistorio proponitur ecclesia cathedralis vacans. 327, 328.
Constantiense concilium. 101, 109.
Constitutiones ecclesiarum approbantur. 116, 159, 349, 444. Regularium etiam. 394, 436. Quae reiiciantur. 368, 369.
Consuetudines ecclesiarum approbantur. 116, 159, 167. Quae sint corruptelae. 180.
Consuetudo locorum attendenda. 20, 39, 167, 389, 444. Quandoque pro lege habetur. 111. Iurisdictionem tribuit et officium. 151. Dat potestatem, ut quis concilio intersit. 61, 104, 328, 439.
Consultores duellorum puniuntur. 467.
Consummatio sub priori testamento non erat. 124.
Continentia diaconorum et subdiaconorum. 201.
Contritio quid? 77. Est pars poenitentiae. 77. Necessaria. 77. Libera et voluntaria. 77. Imperfecta, attritio dicitur. 77. Quomodo paretur, et quid producat. 77, 83.
Contritus sine confessione ad Eucharistiam non accedat. 66, 67, 70.
Controversiae de praecedentia componendae. 415.
Contumacia severe punitur. 34, 116, 151, 180, 349, 440.
Conventus. Vide Monasterium.
Convertitae, seu poenitentes mulieres. 422.
Corporis Christi festum. Vide Festum.
Correctio quomodo ab episcopis facienda. 39, 70, 88, 92, 96, 119, 122, 416.
Credere quomodo debeamus. 66.
Criminales causae a quibus cognoscantur? 337, 388. Quando in eis appelletur et ad quem? 70. Quomodo in appellatione procedatur? 72. Quomodo executio facienda? 440, 443, 444. Graviores contra episcopos a summo tantum pontifice cognosci debent. 337, 464.
Culpa quomodo remittatur. 33. An sine poena. 80 seqq.
Cultus Eucharistiae. 64 seqq., 67.
Cupiditas malorum omnium radix. 171.
Cura animarum non negligenda. 33, 36, 51, 52, 122, 178 seqq.
Curatum beneficium. Vide Beneficium.
Curatus. Vide Parochus.
Curiosa a popularibus concionibus seclu denda. 392.

D.

Deambulationes in ecclesiis vitandae. 128.
Debitorum solutio quomodo ab exemptis extorquenda. 56.
Decalogi praecepta. 32, 77.
Decanorum visitatio qualis? 330. Quas causas non iudicent? 388.
Decimae ad laicos pertinentes. 210.
Decimarum solutio debita est Deo. 459. Non impedienda, sed integre facienda. 459. Largius facienda tenuioribus ecclesiis. 459.
Decreta huius concilii confirmata. 480. In synodis provincialibus et dioecesanis recipienda. 439. A lectoribus observanda. 439.
Decreta omnia de vita et honestate clericorum observanda. 149, 150. et quae ad dignitatem episcopalem pertinent. 466. et ad favorem eorum. 467.
Decreta super residentia publicanda. 180. et de matrimonio. 218.
Decretum de observandis et evitandis in celebratione missae. 128.
Deductiones ex fructibus in provisione ecclesiarum reiiciuntur. 368.
Defensio permissa. 92.
Degradatio actualis quomodo facienda. 72, 73.
Delegatio quibus fieri debeat. 457.
Delinquentes in loco decenti custodiendi. 444.
Denuntiationes in ecclesiis ante matrimonium, et quando faciendae. 217.
Depositio verbalis quomodo facienda. 73.
Derogationes quae non faciendae. 443.
Deus pater misericordiarum. 24. Unus et idem auctor novi et veteris testamenti. 11. Impossibilia non iubet. 27. Operatur in nobis velle et perficere. 28. Sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. 27. Castitatem petentibus non denegat. 216.
Diaboli imperium. 14. Astutia ad nos perdendos. 81. Calcaneo insidiatur. 82.
Diaconi quomodo ordinandi? 201. Festis saltem solemnibus communionem percipere debent. 201.
Diaconorum institutio et mentio in sacris litteris. 173. Actas. 200. Continentia. 201.
Die Dominico quae mira Deus egerit. 8.
Dies festi Vide Festi dies.
Dietae duae. 72.
Dignitates ecclesiasticae quare institutae? 348. Quibus conferendae? 348, 349. Non servientes quid amittant. 151, 159.
Diligentes Christum eius sermones servant. 27.
Dimissoriae litterae. Vide Litterae dimissoriae.
Dioecesana synodus quotannis celebranda, et qui interesse debeant. 328, 439. Quid ibi agi debeat? 328, 439, 457.
Dioeceses quare distinctae. 96.
Disceptationes contentiosae vitandae. 9, 70, 72.
Disciplina ecclesiastica conservanda et restituenda. 467. Etiam monastica, 437, 438. ac regularis. 394.
Disciplina populis necessaria. 70.
Discoli puniendi, aut e seminario expellendi. 209.
Dispensatio ad contrahendum matrimonium quando, quibus et quomodo detur. 219. De homicidio quando detur. 72, 338.
Dispensationes de promovendo a quocumque, cui et quando suffragantur? 54, 55. De non promovendo ad annum suffragantur. De non residendo quando valeant? 36. Super irregularitatibus quando ab episcopis dentur. 338.
Dispensationes de retinendis pluribus beneficiis curatis exhibendae. 51.
Dispensationes gratiosae quando sortiantur effectum. 161, 466.
Dispensationes quomodo et quando concedendae? 92, 219, 338, 466. Extra curiam ordinariis committendae. 161.
Dispositio ad gratiam. 24 seqq.
Disputationes vanae reiiciendae. 341. 392.
Distributiones quotidianae quomodo ordinandae vel augendae? 116, 151, 159, 368. Quomodo dividendae? 116, 151. A quibus recipiendae. 349.
Divinis interesse, aut missas celebrare prohibentur publice criminosi. 128.

Divinitas Christi in Eucharistia quomodo. 64, 66.

Divinorum officiorum ratio tam de cantu, quam de certa lege in choro permanendi, a synodo provinciali praescribenda. 349.

Divortium quoad thorum fit ad tempus. 216.

Doctores cathedralibus praeficiendi, 150. ac examini. 378. Illis scholasteriae conferendae, 211. et poenitentiariae cum praebenda, 344. et archidiaconatus, 348. et dignitates, 349. et vicarii officium. 370. Vide Lector.

Doctores universitatum quid agere, quid promittere debeant. 439, 440.

Domini temporales. Vide Principes.

Dominicis diebus et festis solemnibus pascendus a parocho populus salutaribus verbis. 20. Ad parochiam suam populus accedat. 128.

Dominicus dies cur maxime colendus. 8.

Domus Dei nihil inordinatum habere debet. 326.

Dotari debent raptae a raptoribus. 219.

Dubitare de quibus non debeamus. 27.

Duellorum usus prohibetur. 467.

E.

Ecclesia cathedralis. Vide Cathedralis.

Ecclesia columna veritatis. 63. Pia mater. 126. Edocta a Christo et ab Apostolis, 24. 62. et a Spiritu sancto. 62, 110, 391. Communis mater. 105. Dei sanguine acquisita. 33. Christi sponsa dilecta. 124. Non iudicat de occultis. 216. In quos iudicium exerceat. 76. Haereticos invitat ad concilium. 106. Sperat eorum conversionem. 98, 101. Iustis de causis communicat laicos sub una tantum specie 111. Eius est iudicare de vero sensu scripturarum. 12, 13, 14. In matrimonii impedimentis dispensat. 215. Eius benignitatem experiri non debet, qui eius praecepta contemnit. 219.

Ecclesiae catholicae ritus observandi. 41. Eius potestas. 110, 468.

Ecclesiae patrimoniales. 378. Receptivae. 378. Nullius dioecesis a quo visitandae? 345. Duarum dioecesum non uniendae. 96.

Ecclesia Romana omnium ecclesiarum mater et magistra. 41, 82, 126, 469.

Ecclesiarum pluralitas reprobatur. 48, 49, 376, 378. Earum bona occupantes quibus poenis subiiciantur? 171. Earum fructus quomodo consumendi. 171. 438.

Ecclesiarum regimen onus formidandum. 33, 49. Quibus committendum. 33, 49, 150, 326. seqq.

Ecclesia, sive templum, domus Dei et orationis. 128. Quae ab ea arcendae? 128.

Collapsae reparandae vel transferendae. 52, 120.

Ecclesiastica hierarchia quomodo ordinata. 173. seqq.

Ecclesiastica libertas et immunitas. 467.

Editio vulgata bibliorum approbatur. 12.

Electi ad ecclesiarum regimen professionem fidei facere tenentur. 348. 349.

Electi Dei non possunt sciri nisi ex speciali revelatione 28.

Electio superiorum regularium quomodo habenda? 409, 411. Indignorum irritanda. 49. In beneficiis quomodo fieri debeat? 348 seq., 378, 379, 445. Quomodo in beneficiis iuris patronatus? 98, 379. Quorum fieri debeat? 33, 48, 92, 150, 159, 379. Qua aetate? 182, 348. Non sine examine. 55, 378 seq.

Eleemosynae pro defunctis utiles. 392. Pro missis importune non exigendae. 127. Montis pietatis ab episcopis visitandae. 167. Earum administratores episcopo rationem reddere tenentur. 167.

Eleemosynarum quaestores. Vide Quaestores.

Emphyteusis ecclesiae usurpatores excommunicati. 171.

Episcopalis dignitas omnino conservanda. 466.

Episcopi a spiritu sancto positi regere ecclesiam Dei. 33, 173. In locum apostolorum successerunt. 173. Presbyteris sunt superiores. 173, 174, 444. Patres et pastores sunt. 466. Ministri sacramenti confirmationis, 47, 173, 174. ac ordinationis. 174, 197. Supra omnes gradus constituti. 326. A principibus et ceteris honorandi. 466. Ab obtinentibus dignitates iuvandi. 466. Eorum est prima sedes et locus, 444. ac praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. 444.

Episcopi qui sint eligendi? 33, 84, 150, 327. Infra quantum tempus consecrationis munus suscipere teneantur? 54, 180. Creati a Romano pontifice sunt legitimi. 178. Eorum examen et testimonium quomodo faciendum? 326. seq. Quales esse debeant? 9, 70, 438 seq. Eorum familiares quales? 9. Eorum mensa ac supellex qualis? 9, 438. Quae agere debeant, 9, 33.

Episcopi ad concilium provinciale debent accedere. 328. Quibusdam praecipuis diebus in suis ecclesiis permanere. 179. Ordines per semetipsos conferre. 180. Subditos docere, 150. et bono exemplo pascere. 178. Gratiam per subreptionem obtentam respicere. 73. In casibus quibusdam reservatis absolvere. 80, 84. Abusus in missa exortos tollere. 127, 128. Confirmationis sacramentum conferre. 173. Ministros ecclesiae ordinare, 174, 180. atque alia peragere, quae inferiores non possunt. 174. Nova miracula approbare. 394. Ordinatos ab ordinum exercitio suspendere et quando? 39, 88, 91, 119, 122, 416. Quando eos degradare possint? 73. Locum deserentes punire potest, 207. et concubinarios ac concubinas, 220. et non accedentes ad synodum, 328. beneficiis privare turpiter viventes, 463. hospitalitatem non exercentes ab hospitalium cura amovere, 449. iure patronatus patronum, illud contra canonicas sanctiones transferentem, privare. 449. Abbatum negligentiam supplere, 20. et capituli metropolitanae ecclesiae, 370. et vices metropolitani, si est suffraganeus antiquior. 179, 328, 370. Illumque denuntiare Romano Pontifici. 34. Ipsius est instituere in beneficiis iuris patronatus, 98. et praesentatos non idoneos repellere, 449. distributiones quotidianas dividere, 116. ordines canonicatum designare, 349. iis, quae ad divina officia pertinent, providere, 366. uniones certis de causis facere, 119, 209, 210, 366, 369, 370. et iam factas examinare aut revocare, 51, 366, 450. monitiones ad finem revelationis decernere, 439. beneficia transferre, 120. visitare beneficia curata unita, 52. et ecclesias exemptas, 52. commendata omnia beneficia et monasteria, etiam exempta, 122. hospitalia, confraternitates, eleemosynas montis pietatis et pia loca omnia, 167. ac propriam dioecesim et quomodo? 330. Item ecclesias saeculares nullius dioecesis. 345. Ipsius est absentiae causas probare, 179. contumaces non residentes variis remediis compellere, 179, 180. de dispensationibus cognoscere, 161. cum promotis per saltum dispensare, 205. licentiam matrimonii contrahendi vagantibus concedere, 219. in suspensionibus et irregularitatibus dispensare, 338. in casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis, absolvere, 338. publicam poenitentiam in aliam commutare, 341. de causis omnibus in prima instantia cognoscere,

388. monasteria regularium aliquando gubernare, 412, 413. abeuntibus ex eis ante professionem bona restituere, 420. confessiones audientes approbare, 205. ultimas voluntates exequi, 167. ab administratoribus piorum locorum rationes exigere, 167. ac etiam ab oeconomis sede vacante constitutis, 376. et a visitatoribus, 330. notariis imperitis vel delinquentibus officii exercendi usum prohibere, 171. familiarem suum non subditum ordinare, et quando? 196. Sacrorum ordinum functiones restituere, 208. ea, quae ad seminarium pertinent, constituere, 209. et eius redituum rationes singulis annis excipere. 210. Ius ac potestatem habent in his, quae ad visitationem et correctionem spectant, 345. et in protonotarios ac alios exemptos. 346.

Episcopi puniuntur, si non consecrentur infra tres menses, 180. si subditos negligenter corrigant, 33, 150. si non resideant, 34, 179. si negligant ea, quae ad seminarium pertinent, 210. si ad concilium provinciale non accedant, 328, 439. si aliquid visitando accipiant, 331. si concubinas teneant. 464.

Episcopi quando citandi, ut personaliter compareant? 73. Contra eos quales testes admittendi? 73. Eorum causae a Romano pontifice terminandae, 73, 337. vel a concilio provinciali. 337. Eorum negligentia suppletur a metropolitano, 210. et aliquando a concilio provinciali. 210, 438. Quando eis coadiutor dandus sit. 448.

Episcopi quibus in causis procedant ut apostolicae sedis delegati. 20, 36, 39, 56, 73, 88, 116, 118, 119, 122, 128, 150, 151, 161, 167, 171, 345, 346, 369, 402, 411, 450, 464.

Episcopis non licet pontificalia in alterius dioecesi exercere, 39, 87, 88. nec alterius subditum ordinare, 87, 88, 184, 196. aut corrigere. 96. Quaedam eis facere non licet sine consilio et consensu capituli aut canonicorum. 16, 123, 209, 210, 211, 349, 366, 369, 443, 444, 448, 457.

Episcoporum onus angelicis humeris formidandum. 33. Eorum praecipuum munus est verbum Dei praedicare. 20, 178, 337. Dei laudibus incumbere, 8. hostias, laudes et preces offerre, 8. sacramentorum vim et usum explicare. 343, 344. Debent scripturarum lectionem in mensa adhibere 9. vigilare, in omnibus laborare et ministerium suum implere 33. in suis ecclesiis residere, 33, 34, 178 seq. moderate ac sobrie vivere, 9, 438. bonum exemplum subditis praebere, 438. humanum erga propinquos carnis affectum deponere, 438. principibus non inservire, 466. lectorem theologiae eligere, 16. et magistrum grammaticae, 16. malos praedicatores corrigere, 20. circa plura beneficia curata obtinentes providere, 51. et ecclesiae parochiali vacanti et quomodo? 378 seq. Ecclesiis, in quibus populus numerosus est, alios sacerdotes adiungere, 116. novas parochias constituere, easque distinguere, 117, 118, 368. et omnia, quae ad Dei cultum spectant, curare. 122. 167. Procurare debent, ut hospitalia diligenter gubernentur, 56, 447, 448. ut pueri in suis parochiis instruantur, 337. ut sana de purgatorio doctrina praedicetur, 392. ut de invocatione sanctorum et imaginibus fideles instruantur, 392 seq. ut missae debita reverentia celebrentur. 127. seq. Debent vitia subditorum arguere, 39, 70, 86, 88. eosque tanquam filios et fratres diligere, 70. et charitate non austeritate corrigere, et meminisse, se pastores esse, non percussores, 70. pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, 178. monialibus confessarium extraordinarium offerre, 413. praecedentiae controversias componere, 415. virginum Deo dicandarum voluntatem explorare, 420, 422. decreta huius concilii de regularibus exequi, 437, 438. curare ut decretum de matrimonio publicetur, 218. et ut nuptiae fiant cum modestia et honestate. 220.

Episcoporum titularium licentia correcta. 87, 88.

Evangelium fons veritatis. 11.

Eucharistiae sacramenti institutio, 63. excellentia, 64. cultus et veneratio, 64. 67. effectus. 63, 66, 67. Adoratores, 64, 73.

Eucharistia symbolum unitatis, 62, 66. pignus futurae gloriae, 63. spiritualis animarum cibus, 63. Antidotum liberans a culpis et peccatis, 64. Symbolum rei sacrae, et invisibilis gratiae forma visibilis, 64. Animae vita, et perpetua sanitas mentis, 66. Panis angelorum. 66. Cur in processionibus circumferatur? 64. Intra septa aut chorum monialium non servanda. 413. Quomodo accipiatur, et qualis praeparatio exigatur? 65, 66, 67, 70. Eius custodiendae et ad infirmos deferendae consuetudo. 65, 67. In ea Christus vere et realiter continetur. 63, 64, 66, 67. Decreta de ea, 63. seqq. et canones. 66. seq.

Eugeniana constitutio curatis non suffragatur contra episcopos, 180. neque curialibus et familiaribus cardinalium. 346.

Examen ordinandorum, 55, 180, 182, 184, 200, 201. et eligendorum ad beneficia. 378. seq.

Examinatores futurorum parochorum quot, et ubi, et quales constituendi? 378, 379. Eorum officium. 378, 379.

Excommunicantur ingredientes septa monialium, 402. Virginum raptores et eorum fautores, 219. Concubinarii, 220, 464. Qui bona ecclesiastica occupant, 171. Qui virginem, viduam aut aliam mulierem invitam compulerint ad ingrediendum monasterium, 422. Qui subditos invitos matrimonium contrahere cogunt, 220. Duellum committentes, locum concedentes, patrini, fautores et spectatores. 467.

Excommunicatio nervus est ecclesiasticae disciplinae. 439.

Excommunicationes quando ferendae. 439, 440.

Excommunicatus ad sacramenta et fidelium familiaritatem non recipiendus, 440. si non resipiscat, de haeresi est suspectus. 440.

Executio quibus modis facienda. 440.

Executores ultimarum voluntatum sunt episcopi 167.

Exemplum sacerdotum quanti momenti. 149, 205, 438, 463.

Exemplum malum ad malos mores provocat. 344.

Exemptionum restrictio. 346.

Exemptorum causae. 55, 56, 88.

Exorcistae ordo in ecclesia. 173.

Expectativae tolluntur. 388.

Extrema unctio, vide Unctio.

F.

Fabricae ecclesiae administratores reddant rationem, 167. illique applicentur fructus beneficiorum concubinarii, 464. et episcoporum absentium. 179.

Facultates de promovendo a quocumque, et de non promovendo, quando suffragentur, 54, 55.

Familiares episcopi quales esse debent? 9. Quando ab illis ordinari possint? 196. Reditibus ecclesiarum non augendi. 438.

Familiaritas cardinalium, quos non eximat ab ordinarii iurisdictione. 346. Qui familiarium privilegio gaudeant. 89.

Festi dies sanctorum quomodo celebrandi? 392. A regularibus servandi, quos episcopus indi-

xit. 415. In iis, ad suas parochias frequenter populus accedere debet. 128, 337. In maioribus festis pastores a suis ecclesiis non absint. 179.

Festum corporis Christi. 64, 67.

Feudalia bona quando directis dominis adquirantur. 467.

Feudorum ecclesiae occupatores excommunicantur. 171.

Fidei effectus, 25. vis et virtus, 10, 25. comites. 27. Eius scutum et fundamentum est symbolum, quod dicitur Credo. 10.

Fidei professionem qui facere teneantur. 327, 348, 349, 439.

Fidei rudimenta in singulis parochiis pueris tradenda. 327.

Fides salutis initium et radix iustificationis. 26.

Fides sola quid? 25, 26, 27, 31, 40. Sine poenitentia remissionem non praestat. 79. Cur sine operibus mortua? 25. seq. Quolibet peccato mortali non amittitur. 29. Non est sufficiens praeparatio ad sumendam Eucharistiam. 67. Cetera de fide vide Sess. VI. in decret. et canonibus de iustificatione.

Fideles debent iis obsequi, quae ad mortificandam carnem augendamque pietatem conducunt. 469.

Fides publica, sive salvus conductus protestantibus datus. 74, 99, 106.

Fiducia haereticorum inanis. 26, 31.

Figurae historiarum et sanctorum. 372. seq.

Filii clericorum illegitimi habere non possunt beneficia vel pensiones in ecclesiis, in quibus patres eorum habuerunt. 465.

Fori ecclesiastici causae in prima instantia ab ordinariis cognoscuntur. 388.

Fori privilegio qui gaudeant. 184.

Forma requisita in celebratione matrimonii. 216. In promotione episcoporum. 326. In probando legitimas absentiae causas. 178.

Fornicatio affinitatem parit et inter quos. 218.

Fratres. Vide Regulares et Sacerdotes.

Fratrum S. Ioannis Hierosolymitani immunitas et privilegia. 210, 346.

Fructus a quibus tuta conscientia percipi non possint. 179.

Fructuum sequestratio. 122, 178.

Frugalitas episcoporum et cardinalium. 438.

Fuga ubi timetur, quid agendum. 443, 444.

Funeralium quarta persolvenda. 461.

G.

Gehennae metus. 31.

Generales ordinum quomodo eligendi 408.

Germania olim in vera religione et obedientia summo pontifici exhibenda nulli secunda. 60, 61.

Germaniae protestantibus datus salvus conductus. 74, 99, 106.

Germanorum episcoporum in concilium adventus. 62. Eorundem discessus e concilio. 102.

Gradus affinitatis et consanguinitatis. 215, 218.

Grammaticae magister in quibus ecclesiis eligendus. 16.

Gratia Dei praeveniens. 24, 25, 30. non ex operibus. 20. An peccatis amittatur? 29. Per sacramenta confertur. 40, 41. Eam consecutum se esse an quis valeat scire. 26, 27.

Gratiae ad beneficia vacatura tolluntur. 388. Quando suum sortiantur effectum. 54, 55, 73, 161, 184, 466.

Gratis quae sint praestanda, 13, 20, 112, 150, 205, 219, 331, 338, 466.

Gregorius decimus. 49.

Gubernatores ecclesiastici quibus se ingerere non debeant. 388, 389.

Gymnasia publica sacrae scripturae lectorem habeant. 16.

H.

Habitus clericorum qualis esse debeat? 91. A quibus deferendus. 91, 184, 209.

Habitus non facit monachum. 91.

Habitus religionis post quinquennium non deponendus. 423. Occulte non ferendus. 423.

Haereses anathematizantur. 439, 472, 473. Earum nocumenta. 40, 439.

Haereses circa sacramenta damnatae. 40, 66, 83, 127, 174, 215.

Haeresis crimen quis absolvit? 338. Non dissolvit matrimonii vinculum. 215.

Haeresis suspectus quis. 440.

Haeretici ad concilium invitantur. 98, 106. Novatores appellantur. 81. Sub praetextu evangelii libertatem carnis introducunt. 215. Omnes anathematizantur. 473. Eorum perfidia. 62, 80, 472. Inanis fiducia. 26, 31.

Haereticorum baptismus. 41, 42.

Hereditariae successiones beneficiorum prohibitae. 447.

Hierarchia ecclesiastica ex quibus constet. 173, 174.

Historiae mysteriorum nostrae redemptionis quid praestent. 392.

Homicidii poena, et quando super eo dispensetur. 92.

Homiliae sanctorum legendae in seminariis. 209.

Hospitalia visitanda. 167. Diligenter gubernanda. 56. Ea obtinentes hospitalitatem exercere debent. 448. Eorum administratio uni ultra triennium non concedenda. 449.

Hospitalia quae dantur in titulum. 235, 448.

Hospitalium privilegiis qui gaudeant. 89.

Hostiae post communionem reservatae. 67.

I.

Ieiunia ad mortificandam carnem conducunt. 469.

Ieiunii virtus. 62.

Iesuitae. 420.

Iesus. Vide Christus.

Illegitimi. Vide Filii clericorum.

Illitteratis rectoribus coadiutores dantur. 119.

Imagines Christi, Deiparae et sanctorum in templum habendae et earum cultus qualis. 392.

Immunitas ecclesiastica restituenda et conservanda. 467.

Impedimenta matrimonii. 215, 218.

Imperator et reges bona ecclesiastica conservare debent, 467. et ea occupantes excommunicantur, 171. et similiter si locum ad monomachiam concedant. 467.

Imperii iura multi habent. 449.

Imperitiae parochorum succurritur. 119.

Impii iustificatio. 24, 25, 26, 31.

Impossibilia non sunt praecepta Dei. 27, 32.

Impressorum cautelae. 12, 13.

Index librorum prohibitorum. 105, 471.

Index sacrorum librorum. 11.
Indulgentiae maxime salutares. 468. Coelestes ecclesiae thesauri. 123. Ad quaestum non exercendae. 123. Eas conferendi potestas a Christo concessa. 468. Quomodo publicandae, 123. aut concedendae? 468. Abusus in eis exorti tolluntur. 468.
Indulta de non residendo tolluntur. 36.
Indulta quando non suffragentur, 379, 388.
Infames qui, 467.
Infidelitate amittitur fidēs et gratia. 29.
Infirmorum remedium optimum. 82, 86.
Inhibitio quando fieri non debeat? 388. Quando contemnenda. 70, 165, 167, 180, 345.
Iniurias nasci, a quibus iura expectantur, nefarium est. 220.
Inquisitio de moribus et vita eius, qui cathedrali ecclesiae praeficiendus est, eadem in cardinalibus servetur, quae in episcopis. 328.
Instantiae primae ubi cognoscendae, et quanto tempore terminandae. 388.
Institutio sacramenti Eucharistiae. 63. Matrimonii. 214. Ordinis. 172. Confessionis. 77, 83. Poenitentiae. 75, 76, 83. Extremae unctionis. 82, 86. Confirmationis. 47.
Institutio in beneficiis iuris patronatus. 98, 379.
Interdicta ordinariorum a regularibus servanda. 415.
Interpretatio scripturarum contra sensum approbatum prohibetur. 12.
Ioannis baptismus. 41.
Irregulares quomodo, et quando ab episcopo dispensari possint. 338.
Irreverentia ab impietate vix seiuncta. 127.
Iudae proditio. 30.
Iudaei per legem Moysis non liberabantur. 24.
Iudicare Dei est, non hominum. 30.
Indices delegati qui, et quomodo eligendi. 457.
Iudices ecclesiastici cognoscunt de matrimoniis. 216. A censuris ecclesiasticis abstinere debent. 439. Brevi causas finiant. 457. Quomodo exequi debeant suas sententias. 440, 463.
Iudices laici ecclesiasticos impedire non possunt. 440.
Iudicis negantis acta appellanti poena. 389.
Iudicium Dei ante oculos quisque habere debet. 30.
Iurisdictio capituli ubi salva relinquitur. 444. Ordinariorum non impedienda. 388.
Iurisdictiones ecclesiasticas locare non licet. 458.
Iurisdictionis competentia a quibus iudicanda. 89.
Ius patronatus quibus habere liceat? 98, 449. Ex fundatione aut dotatione esse debet. 98, 449. Quomodo probetur? 449. In alios non transferendum sub poena privationis illius. 449. Quorum sit electio vel institutio? 379, 449. Quod abrogatum censeatur. 449.
Iusti adhuc iustificari possunt. 27. In venialia peccata aliquando cadunt. 27, 32.
Iustificatio adultorum. 24, 25.
Iustificationis causae. 25. Effectus. 25. Fructus. 29. Incrementum. 27. Praeparatio. 25, 31. Ad eam naturae et legis imbecillitas. 24. Canones. 30.
Iustificationis impii descriptio. 24. Quare dicatur per fidem et gratis fieri 26.
Iustificati per Christum qui. 24, 30.
Iustificatus peccare potest. 28, 32.
Iustitia accepta augetur. 27, 32.
Iustitiae Dei infusio. 29, 31.
Iustitiae publicae honestatis impedimentum. 218.

L.

Laici effici non possunt rite ordinati. 174. A sacerdotibus communionem accipiunt. 66. Non adstringuntur ad communionem sub utraque specie. 110, 111.
Lapsorum post baptismum reparatio. 29, 32.
Lateranense concilium magnum. 48, 49, 79.
Lateranense concilium ultimum. 12.
Latinam linguam scire debent, qui minoribus initiantur. 199.
Latriae cultus exhibendus est Christo in Eucharistia. 64, 67.
Lectio sacrae scripturae ubi instituenda? 14, 16. Mensis episcoporum admiscenda. 9.
Lectorum ordo quomodo et cur institutus. 173.
Lectorum stipendium. 16. Privilegium 20. Quid facere teneantur. 439.
Legata ad pios usus quomodo exequenda. 442.
Legati de latere quae impedire non possint? 388. Quomodo procedere debeant in appellationibus et inhibitionibus. 165.
Legislator Christus. 32.
Legis Moysis impotentia ad iustificationem. 24.
Libertas ecclesiastica non violanda. 3.
Libertas virginum Deo dicandarum conservanda. 420, 422.
Liberum arbitrium. 24, 30.
Libri de matrimoniis. 217. De baptizatis. 218.
Libri de rebus sacris quomodo edendi. 12, 13.
Librorum prohibitorum index. 105, 471. Ad illum conficiendum delecti patres. 105, 471.
Librorum sacrorum index. 11. Vulgata eorum editio approbatur. 20.
Licentiae non residendi a quibus probandae vel iudicandae. 179.
Licentia praedicandi gratis concedenda. 20. Similiter licentia discedendi a beneficiis. 180.
Licentiati cathedralibus praeficiendi, 151. Et vicarii episcoporum constituendi, 370. Et examinatores, 378. Et archidiaconi, 348. et poenitentiarii. 344. Illis scholasteriae conferendae, 211. et dignitates. 349.
Litigatorum paupertati succurritur, 388. et occurritur artibus. 457.
Litterae conservatoriae, 88. et commendatitiae, 87, 184, 208. Testimoniales, 112, 182. Dimissoriae, 54, 112, 197. gratis concedendae, 112. et a quibus. 54, 197.
Locationes in praeiudicium successorum prohibitae, 458. et ad longum tempus. 458.
Lucra turnorum prohibentur. 368.
Lucrum turpe prohibendum. 123, 127, 128, 392, 468.
Lusus et luxus clericis prohibentur. 150, 349.

M.

Magistri grammaticae ubi eligendi. 16.
Magistri in theologia ad cathedrales assumendi. 150. Ad dignitates, quae scholasteriae dicuntur. 211. Ad archidiaconatum. 348. Ad dignitates. 349. Eligi debent poenitentiarii, 344. Et examinatores. 378. Eorum privilegia. 20.
Magistri legentes quid agere et spondere debeant. 439.
Maiores ordines. Vide Ordines.

Mandata de providendo tolluntur. 388.
Mandata evangelii et decalogi observanda. 27, 32. Non sunt impossibilia. 27, 32.
Mare magnum regularium non obstat decretis huius concilii de regularibus, 437. neque quartae funeralium. 464.
Maria virgo fuit sine peccato veniali. 32. Eius conceptio. 15.
Martyrum reliquiae. 392.
Matrimonia clandestina ecclesia semper detestata est. 216.
Matrimonii libertas non impedienda. 220. Caeremoniae non damnandae. 216. Solemnitas prohibita certis anni temporibus. 216, 220. Eius causae spectant ad ecclesiasticos. 216.
Matrimonium quae vincula impediant? 215, 216. Quando non valeat? 216, 217, 219. Quando dirimatur? 215. Ex multis causis separatur quoad thorum. 216. Cum vagantibus non facile contrahendum. 219.
Matrimonium sacramentum magnum, veteribus connubiis gratia praestat. 214, 215. A Christo institutum, et gratiam confert. 215. Sancta res est et sancte tractanda. 220. Fieri debet libero consensu, 216. cum parentum voluntate, licet non sit necessaria, 216. cum denuntiationibus praecedentibus in ecclesiis. 217. In facie ecclesiae celebrandum, interrogante parocho, et quibus verbis? 217. Praesentibus duobus aut tribus testibus, 217. cum benedictione a proprio parocho suscipienda, 217. cum peccatorum confessione et Eucharistiae perceptione, 217. et servatis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis provinciae. 217.
Mendacii peccatum. 73.
Mendicare clericos non decet. 112.
Mensa apud Apostolum altare significat. 125.
Mensae episcopalis sobrietas et frugalitas. 9, 438.
Mensis otiosi sermones interponi solent. 9.
Mercedum causae favor. 56, 89.
Mercenarii a cura animarum arcendi. 33. 178 seq.
Merces bonorum operum expectanda. 27, 29, 33.
Merita bonorum operum. 29 seq.
Merita hominum sunt dona Dei. 30
Merita passionis Christi. 24, 25, 29, 31, 215.
Metropolitani officium in lectore eligendo. 16. In denuntiando Romano Pontifici episcopos absentes. 34. In probando et iudicando legitimas episcoporum absentias. 179. In corrigendo episcopos negligentes. 210. In supplenda negligentia regularium, 20, 411. et capituli, sede vacante. 370. In visitando propriam dioecesim, 330. et ecclesias comprovincialium et quando? 330. In cogendo synodum provincialem. 328. In erigendis collegiis ob ecclesiarum paupertatem. 211. In erigendis congregationibus monasteriorum. 411. In iudicando aliqua cum concilio provinciali. 179, 211, 394. Vide Concilium provinciale.
Metropolitanus obligatur ad personalem residentiam. 34, 178, 179. Non residens denuntiatur ab episcopo antiquiore, 34. et ab eodem eius absentia probatur. 179. Negligens in seminarii erectione corripitur a synodo provinciali, 210. et punitur si statutis temporibus synodum provincialem non cogat. 439.
Metus gehennae. 31.
Militum S. Ioannis Ierosolymitani immunitas. 210. Aliqua circa eos correcta. 346, 437.
Ministri episcoporum quales esse debeant. 9.
Ministri sacramentorum. 41, 47, 77, 79, 82, 84, 85, 86, 174.
Miracula nova quomodo admittantur. 394.
Missae verum sacrificium. 124, 125, 127. Verae propitiatorium, 125, 127. Tremendum mysterium. 127. Pie et pure paragendum. 127. Quantum, et quibus prosit? 125, 391. In eius celebratione quae vitanda sint? 127 seq.
Missae defunctorum quomodo disponendae? 442. Prosunt illis, qui in Christo mortui sunt, et nondum ad plenum purgati. 126, 127.
Missae in memoriam sanctorum. 125. seq. Horis debitis celebrandae. 128. Non in domibus privatis. 128.
Missae novae. 127.
Missa magnam continet eruditionem. 126. Vulgari sermone non celebranda. 126.
Missarum celebratio frequentanda. 205. Quibus praesentibus, ubi, et a quo non facienda? 128. Earum ratione eleemosynae importune non exigendae. 127, 128, 208.
Missalis reformatio. 471.
Monachi ad publicas processiones accedere tenentur. 415.
Monasteria visitanda etiam sedi apostolicae subiecta, et quomodo? 436. Item commendata. 122. Etiam ordinum capita, et quomodo? 436. Illis quomodo de abbatibus provideri debeat? 436. Curam animarum habentia quibus subsint? 413. Quomodo et quando subsint episcopis? 411. Lectorem sacrae scripturae habere debent. 16. Quae bona possidere possint? 394. Non erigenda sine licentia episcopi. 395. Non augenda insolito numero. 394. In iis erigi debent congregationes. 411.
Monasteria sanctimonialium ingredi quando liceat? 402. Extra urbem posita, intra urbem reducenda. 402. Etiam episcopis et superioribus eorum claustra ingredi non licet. 411. Quae regantur ab episcopis? 411. In illa ingredi nulla cogenda, aut impedienda. 422.
Monasticae vitae disciplina restituenda. 436, 437.
Moniales quando confiteri, et Eucharistiam sumere debeant? 412, 413. Metu ad ingressum religionis non compellendae, nec impediendae. 422. Bona mobilia et immobilia ut propria habere non possunt, 394. nec e monasterio exire. 402. Intra quantum tempus professionem facere debeant? 416, 417. Quomodo et qua aetate professio fiat? 416. Earum superiores quomodo et qua aetate sint eligendae? 409. Non licet iis asservare Eucharistiam intra septa monasterii. 413. Earum monasteria a regularibus, seu deputatis in capitulis generalibus regi consueta, ab eisdem gubernari debent. 412.
Monitiones binae quando praecedere debeant? 440, 464. Excommunicatis faciendae. 440. Revelationis causa quando concedendae? 439, 440.
Monomachia prohibita. 469.
Montes pietatis visitandi. 167.
Mortuorum commemoratio. 442.
Mulctae pecuniariae locis piis assignandae, 440. vel fabricae ecclesiae. 179, 463.
Munera non accipienda a visitatoribus. 331.
Musicae, quae in ecclesiis prohibeantur. 128.
Mysteriorum nostrae redemptionis historiae. 392.

N.

Naturae impotentia ad iustificationem. 24.
Necessitas absentiae excusationem praestat. 179.
Negotia saecularia fugere debent clerici. 150.
Ninivitarum poenitentia. 77.

Nominati ad beneficia non admittuntur sine examine. 55.

Non satis est veritatem dicere, nisi refellantur errores. 66.

Notarii quantum, et quando pro litteris dimissoriis accipiant? 112. Non idonei vel delinquentes in causis ecclesiasticis, quomodo corrigendi? 171. Infra quantum tempus actorum copiam exhibere teneantur. 389. Eorum imperitia litium occasionem praebet. 171.

Novatianorum haeresis. 76.

Novatores haeretici vocantur. 81.

Novitii et novitiatiae ad professionem quando admittendi? 416, 417. Ante professionem ipsi, aut eorum propinqui vel curatores, nihil ex bonis novitii monasterio tribuere possunt excepto victu et vestitu pro tempore novitiatus. 416, 417, 420.

Nuntii apostolici quae impedire non possint? 388. Quomodo procedant in appellationibus et inhibitionibus. 165, 167.

Nuptiae solemnes quibus anni temporibus sint prohibitae. 216, 220.

O

Obedientia praestanda Romanae ecclesiae. 364. Romano Pontifici, 439. Et praepositis. 87.

Obedientia excusat absentiam. 179.

Obedientiae votum. 394.

Oeconomi institutio, sede episcopali vacante, ad quem pertineat. 370.

Opera ante iustificationem. 30, 31.

Opera bona augent iustitiam. 32. Sunt dona Dei et iustificati merita. 33.

Opera satisfactionis. 80 seq., 85.

Operum bonorum retributio. 28 seq., 33.

Operum sine gratia imbecillitas. 30.

Orandum pro quibus sit. 8.

Orationes quomodo faciendae, maxime in concilio. 8, 62.

Oratoria ab episcopis designanda et visitanda. 128.

Oratorum locus in concilio. 471.

Ordinarius. Vide Episcopus.

Ordinari non debet homicida, 92. item qui beneficium non habet, vel aliud unde vivere possit, 112. nec qui confirmationem non suscepit, 181. nec qui fidei rudimenta edoctus non fuit, 181. nec qui linguam latinam ignorat, 199, nec qui scribere nescit, 181. nec minor aetate requisita, 200. nec bonum testimonium non habens, 182, 196, 205. nec qui in suo ordine versatus non fuerit, 205. nec qui non sit utilis et necessarius sui episcopi ecclesiis. 205.

Ordinati ad titulum beneficii illud resignare non possunt, nisi aliunde vivere possint. 112.

Ordinatio ab episcopo facienda, 174. et a proprio episcopo. 54, 55, 88, 184, 196. A Christo instituta. 173, 174. Est unum ex septem sacramentis. 173, 174. Gratiam confert, 173. et absolvendi potestatem. 205. In ea imprimitur character in anima. 41, 174. Quomodo, quando et ubi facienda? 184. Qua aetate 200. Gratis, 112. et cum examine. 55, 184, 200. Quibus caeremoniis. 184.

Ordinationis inhabilium effectus. 87, 88.

Ordinati suis ecclesiis deservire debent. 159, 205.

Ordinatorum a non suo episcopo poenae, 39, 54, 87, 88, 197. Et eorum, qui ordinantur per licentiam capituli sede vacante, 54. Et a saeculari potestate, 174.

Ordines maiores et minores. 173, 199.

Ordines minores per temporum interstitia conferendi, 199. Et quibus? 199. Sunt gradus ad maiores. 173, 174, 199.

Ordines requisiti infra annum a quibus suscipiendi. 159.

Ordinum diversorum rationes. 173, 208.

Originalis peccati materia. 13 seq.

Ostiariatus ordo. 173, 208.

Otiosi sermones fugiendi. 9.

Ovium munus erga pastores. 460.

P.

Papa. Vide Pontifex maximus.

Parentum consensus in matrimoniis non necessarius. 216.

Parochiae quare distinctae? 96. Quando novae constituendae? 116. Quando distinguendae? 366. Collapsae reficiendae vel transferendae. 120. In parochiis propriis singuli tenentur audire verbum Dei, 337. et sacramenta suscipere. 366.

Parochiales ecclesiae tenues quomodo augendae? 366. Quibus non uniantur? 366. Quae pensionibus aut reservationibus non graventur? 366. Illis vacantibus quid agendum. 378 seq.

Parochi officium est praedicare, 20, 178, 337, exponere ea, quae in missa leguntur, 127, 128. explicare decretum matrimonii, 218. pueros fidei rudimenta et obedientiam docere, 337. vim et usum sacramentorum explicare, 344. sacra eloquia et salutis monita exponere, 344. ieiunia, dies festos et obedientiam commendare, 469. oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, sacramenta administrare et bono exemplo pascere, 178, 205. pauperum aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, 178. missas frequenter celebrare, 205. in suis ecclesiis residere, 36, 178. decreta matrimonii observare, 216. nuptias benedicere, 217. librum matrimoniorum habere, 217. ac baptizatorum, 218. ad synodum dioecesanam accedere, 328, 439. baptizando quaedam peragere, 218. carnis affectum erga propinquos deponere, 438. decreta concilii recipere, obedientiam spondere, ac haereses anathematizare, 439. et hospitalitatem servare. 448.

Parochi paupertati succurritur. 459. Imperitiae et malae vitae occurritur. 119.

Parochus iustis et rationabilibus de causis potest absque denuntiationibus, coram sufficienti testium numero matrimonium celebrare, sed ante illius consummationem denuntiationes omissas facere tenetur. 217. Post denunciationes de matrimonio contrahendo factas, intellecto viri et mulieris mutuo consensu, potest eos matrimonio iungere. 217. Vel is, qui ipsius loco intervenit matrimonio clandestino cum minori testium numero, et etiam ipsi testes, qui sine parocho interfuerint, atque ipsi contrahentes, arbitrio ordinarii puniendi sunt. 217. Non debet interesse matrimoniis vagantium absque episcopi licentia. 219. Baptizans antequam baptizet tenetur interrogare eos, ad quos pertinet, quem aut quos elegerint ad suscipiendum baptizatum de fonte baptismatis et illum aut illos tantum admittat, alias punitur. 218. Baptizans tenetur levantibus baptizatos declarare quam cognationem contraxerint, alias punitur. 218. Vide Sacerdos, Clericus.

Parochiam Vide Populus.

Parvuli ad Eucharistiae perceptionem non obligantur. 111.

Parvulorum baptismus. 14, 42.

Pascha vetus et novum. 125.

Paschatis tempore communicandum. 67.

Pastores idoneos ecclesiis gubernandis ii praeficere debent, qui aliquod ius circa id habent. 327.

Pastoris excusatio non admittitur, si lupus ovem devoret, et ipse ignoret. 33.

Pastoris officium. 33, 34, 178 seq.
Patriarcha Vide Metropolitanus.
Patrimonium quando alienare non liceat. 112.
Patrini duellantium puniuntur. 467.
Patrini in baptismo tantum duo vel unicus. 218.
Patroni tenentur intra decem dies nominare clericos idoneos coram examinatoribus ad vacantem ecclesiam. 378. Beneficiis praeficere non possunt nisi eos, quos loci ordinario praesentaverint, 98. Ius patronatus vendere non possunt, nec alio titulo transferre contra canonicas sanctiones. 449. Non possunt se ingerere perceptioni fructuum, 449. nec visitationibus nisi id eis ex fundatione et institutione competat. 331. Si res vel iura ecclesiae occupaverint, excommunicantur et suo iure privantur. 171. Ecclesiastici, si institutio pertineat ad episcopum, tenentur episcopo praesentare digniorem instituendum. 379. Vide Ius patronatus.
Pauli vocatio. 31.
Pauperes gratis docendi. 16. Ad seminarium clericorum eligendi. 209. Erga eos episcoporum cura. 178. Nec in secunda, nec in tertia instantia cogi possunt extra provinciam litigare, nisi altera pars eis velit subministrare alimenta et litis sumptus. 388.
Paupertatis votum. 394. Privilegia. 56, 89.
Peccantes publice palam corripiendi. 344.
Peccata omnia mortalia in confessione recensenda, 77, 84. ac eorum circumstantiae. 78. Eorum remissio quomodo fiat? 28, 76. Per quem? 76, 79, 173. Publice quis potest confiteri, sed ad hoc non adstringitur divino praecepto. 79.
Peccata venialia etiam iusti committunt. 27, 32. An taceri possint in confessione. 77.
Peccatum originale quomodo tollatur. 14 seq. De eo doctrina et canones. 13 seq.
Pensiones quando extinguere non liceat? 112. Quomodo minuantur? 209, 210. Quibus ecclesiis imponi non possint? 366. Quibus habere non permittatur. 465.
Peregrino sacerdoti missas celebrare non licet. 128.
Perseverantiae munus. 28, 32.
Petrus princeps Apostolorum. 27.
Picturae quid doceant, et quomodo fieri debeant. 392, 394.
Pii IV. indictio huius concilii. 102. Eius confirmatio. 480.
Plebanus. Vide Parochus.
Pluralitas beneficiorum et ecclesiarum prohibetur. 48 seq. 376.
Poena temporalis non semper remittitur. 28.
Poena violantium salvos conductus. 101, 109.
Poenarum genera. 72, 73, 443, 444, 463, 464.
Poenitentia publica quando imponenda. 344.
Poenitentia quid? 76. Ante adventum Christi non erat sacramentum. 76. Dicitur secunda post naufragium tabula. 83. Quid contineat? 28, 77. Cur et quando et a quo instituta? 75, 76, 83. In quo differat a baptismo? 28, 76, 83. Eius utilitas et partes, 75 seq. 83. et fructus. 75, 76, 80 seq.
Poenitentiarius in cathedrali instituendus. 344.
Pontifex maximus vicarius Dei in terris. 33. Eius est suprema auctoritas, 34, 80. quae in omnibus salva intelligitur. 48, 51, 327, 468. Utitur consilio cardinalium in administratione universalis ecclesiae. 438. Graviorum criminum absolutionem sibi reservare potuit. 80. Bona ecclesiastica occupantes absolvere potest. 171. Causas extra curiam quibus committat? 337, 457. Quomodo? 337, 338. Eo inconsulto nihil inusitatum decerni debet. 394. Eidem obedientia ab omnibus praestanda. 348, 439.
Pontificis est ecclesiis de pastoribus providere. 33, 327, Matrimonii impedimenta constituere, et circa ea dispensare. 215. Concilium generale indicere, 472. eiusque decreta confirmare, 472. eorum dubia declarare. 472. Formam examinis episcoporum approbare, 327. ecclesiae utilitati consulere, 472. et eius sollicitudinem habere. 328. Cardinales creare, 328. et episcopos. 33, 327. Resignantium necessitatibus providere, 378. et ecclesiis tenuioribus. 366. Curare, quae ad studiorum reformationem spectant. 439. Coadiutores cum futura successione deputare. 448. Abusus circa indulgentias corrigere. 468. In episcopos non residentes animadvertere, 34. et in concubinarios. 464. Causas episcoporum graviores terminare, 73, 337, et legitimas causas absentiae eorum probare. 179. Ad eum referendum de accedere nolentibus ad concilium provinciale, 439. de indice librorum prohibitorum, catechismo, breviario et missali, 471. et de calicis concessione. 172.
Pontificalia in alterius dioecesi exercere non licet. 39.
Populo numeroso quomodo provideatur. 116.
Populus in sua parochia tenetur audire verbum Dei. 337. Quando compellatur subministrare necessaria parochis. 117.
Portiones in ecclesiis cathedralibus debent habere annexos ordines. 349. Vide Praebenda.
Possessio ecclesiae gratis danda. 368. Triennalis quibus non suffragetur. 437.
Praebendae quibus conferendae? 348. Quomodo? 443. Tenues quomodo augendae? 366. Eas obtinentium residentia. 36, 349.
Praebenda lectorum. 16.
Praecedentiarum controversiae componendae. 415. Circa eas nihil in concilio innovatum. 9, 472.
Praecepta Dei sunt possibilia et observanda. 27, 31.
Praedestinationis praesumptio cavenda. 28, 31.
Praedicationis munus praecipuum episcopi. 20, 337. Quomodo et quando praestandum. 20, 337, 343, 392. Eius utilitas. 20. Non omnibus est concessum, 20, 337. maxime sine licentia. 50, 337.
Praedicatores quando, et quomodo corrigendi. 20.
Praefecta. Vide Abbatissa.
Praelatus. Vide Episcopus. Abbas.
Praeparatio ad iustificationem. 25.
Praeposita. Vide Abbatissa.
Praepositus. Vide Episcopus. Abbas.
Praepositurae regulares commendatae de regularibus praepositis sunt providendae. 436, 437.
Praesentare ad beneficium non licet, nisi episcopo. 98.
Praesentati a patronis, si non sint idonei, possunt ab episcopo repelli. 449. Promoveri non possunt, sine ordinarii examine et approbatione. 55. Vide Patronus. Ius patronatus.
Praesens quis iudicetur. 151, 160, 179.
Praestimonia 16, 96, 210.
Presbyteri qui dicantur? 82, 86. Eorum aetas. 200. Quales ordinandi? 200, 201. Quando missas celebrare teneantur? 205. Vide Clericus, Sacerdos.

Primas. Vide Episcopus, Metropolitanus.

Principes a Deo constituti sunt fidei et ecclesiae protectores. 467. Cogentes subditos ad contrahendum matrimonium excommunicantur. 220. Locum ad monomachiam concedentes puniuntur. 467. Episcopos paterno honore prosequi debent, 466. libertatem ecclesiasticam conservare, 467. et decreta huius concilii observare. 467.

Prioratus et praepositurae ab episcopo visitandae. 122.

Priorum et priorissarum electio. 408, 409. Vide Abbas. Abbatissa.

Privilegia causa sunt multarum turbationum. 346.

Privilegia de non residendo tolluntur, 36. et alia. 346.

Privilegia in ecclesiis parochialibus vacantibus quando non valeant? 378, 379. Episcoporum praeservantur, praeterquam quod teneantur interesse synodo provinciali illius metropolitani, quem semel elegerint. 328. Quibusvis concessa non impediunt iurisdictionem ordinariorum, exceptis iis, qui monasteriis aut militiis regularibus actu serviunt, et intra eorum claustra ac domos resident, sub obedientia suorum superiorum. 346.

Privilegia. scholarium. Vide Scholarium et Studiorum privilegia.

Privilegiati. residentes in curia Romana, vigore Eugenianae constitutionis, aut familiaritatis cardinalium, si beneficia ecclesiastica obtineant, ratione horum sunt ordinariis subiecti. 346.

Processiones, in quibus Eucharistia circumfertur, cur institutae? 65, 67. Iis interesse debent etiam exempti. 415.

Processus quando sit nullus. 165, 388.

Procurationis causa nihil exigendum a visitatoribus. 331.

Professionem fidei qui facere teneantur. 327, 348, 349.

Professio quomodo emittenda. 417, 420. Infra quale tempus a regularibus facienda. 417, 420.

Prohibitiones matrimonii quae? 215, 218. Et quibus temporibus, 216, 220.

Promissiones in provisione ecclesiae prohibitae. 368.

Promoti per saltum, ab episcopo dispensari possunt. 205.

Promovendi ad cathedrales. Vide Episcopi.

Promovendi ad ordines. Vide Ordinandus.

Promovendi ad dignitates sine cura, debent esse idonei et saltem viginti duorum annorum. 348. Ad dignitates, canonicatus aut portiones ecclesiasticas, debent esse in eo ordine, quem talis dignitas, praebenda vel portio requirit, vel in ea aetate, ut infra annum eo ordine initiari possint. 349.

Proponentibus legatis, quomodo haec verba intelligantur? 391.

Prorogationes consecrationis concessae praelatis, ultra sex menses eis non suffragantur. 54.

Protestantes Germaniae. 74. Salvus conductus vide conductus.

Protonotariatus. 346.

Provinciale concilium. Vide Concilium.

Provinciales quando non constituendi. 408.

Provisi de canonicatibus et dignitatibus ecclesiasticis, tenentur fidei professionem facere et coram episcopo, et in capitulo. 348, 349.

Publicatio decretorum de residentia fieri debet. 180.

Publice et notorie criminosi, nec alteri ministrare, nec sacris interesse permittendi. 128.

Puellae quando habitum regularem suscipere, quando et quomodo professionem emittere possint? 420, 422. Non cogendae nec impediendae monasterium ingredi. 422.

Pueri ad religionem informandi, 209. et quomodo. 209.

Purgatorium. 33, 125. De eo doctrina 391, 392.

Q.

Quadragesimae tempus acceptabile. 79.

Quaestiones inutiles secludendae a popularibus concionibus, 344. nec non difficiles. 392.

Quaestores eleemosynarii praedicare prohibentur. 20. Eorum nomen penitus tollendum. 123.

Quaestus pravi pro indulgentiis consequendis abolentur. 468.

Qualitates quorumcumque beneficiorum observandae sunt, nec iis derogandum. 443.

Quarta funeralium persolvenda. 461.

Qui se stare existimant, caveant, ne cadant, et cum timore in bonis operibus perseverent. 28.

Quisque debet de bonis sibi a Deo collatis subvenire iis, qui pauperibus ecclesiis praesident. 459.

R.

Raptores et illis consilium et favorem praestantes quomodo puniantur? 219. Et raptae quando matrimonium contrahere possint? 219. Tenentur raptas dotare. 219.

Raptores bonorum ecclesiasticorum puniuntur. 171.

Reatus aeternae poenae quomodo deleatur 33.

Rebaptizare non licet. 42, 76.

Rectores ecclesiarum. Vide Parochus. Beneficiatus.

Reditus annui pro seminario erigendo, unde quaerendi. 209 seq.

Reformatores studiorum quid agere debeant. 439.

Regressus in beneficiis tolluntur. 447.

Regulares non possunt praedicare sine licentia episcopi 20. Multo minus contradicente episcopo, 337. nec confessiones audire sine eius examine, 205. nec bona possidere, 394. nec alicuius obsequio sine superioris licentia se subiicere, 401. nec sine illa a conventibus recedere, 402. nec habitum sponte dimittere, 422, 423. nec ad laxiorem religionem se transferre, 423. Quomodo ordinandi? 197. Qua ratione vitam instituere debeant? 394. In conventibus, etiamsi absint causa studiorum, habitare debent. 401. Tenentur in aliquibus episcoporum praecepta servare, 415. ad publicas processiones accedere. 415. Infra quantum tempus professionem facere debeant? 416. Viventes extra claustra quando praedicare valeant? 20. Corriguntur ab ordinario, 39, 56. et quando? 122. Aliquando etiamsi intra claustra degant. 415, 416.

Regularis disciplina instauranda. 394.

Regularium monasteriorum provisio. 411.

Regularium superiores quomodo creandi? 408. Eorum beneficia quibus conferantur? 97. Monasteria et prioratus sibi subditos visitare tenentur. 436.

Religiosus. Vide Clerici, Regulares, Sacerdotes.

Reliquiae martyrum et aliorum sanctorum. 392.

Remuneratio expectanda. 28, 29.
Renuntiatio bonorum ante professionem quando nulla. 417.
Reparatio lapsorum. 28.
Rescripta quando sortiantur effectum. 54, 73, 88, 89, 165, 184, 448, 466.
Reservationes mentales in beneficiis nemini conceduntur. 388.
Reservationes quando non prosint 370.
Reservationes casuum. 79, 90, 84.
Reservationibus fructuum quando non gravandae ecclesiae. 366.
Residentiae decreta publicanda. 180.
Residere tenentur primates, patriarchae, metropolitani, episcopi, 34, 178. cardinales, 178, 179. omnes obtinentes beneficia, quae requirunt residentiam de iure seu consuetudine, 36. obtinentes dignitates, personatus et officia. 116, 151. et obtinentes canonicatus, praebendas aut portiones. 159, 348 seq.
Residere negligentium peccatum et poena. 34, 116, 151, 178 seq., 349.
Resignantium necessitati providendum. 378.
Resignare beneficium quando non liceat. 112. Quando non prosit? 210, 465. Quando quis cogatur. 378, 465.
Restitutio ad priores ordines et gradus an et quando suffragetur. 87.
Reus in criminali appellans, quid agere debeat. 72.
Rex occupans bona ecclesiae excommunicatur 171.
Ritus ecclesiae catholicae servandi. 41, 126, 127.

S.

Sacerdotes mali, qualem potestatem habeant. 79. 84.
Sacerdotes sunt vicarii Christi. 77. Praesides ac iudices. 77, 80.
Sacramentorum ministri. 41, 79, 82, 86. Clavium ministerium habent. 76, 79, 83, 84, 174. Verbi Dei ministerium exercere debent. 173, 174. A quibus instituti fuerint? 124, 125, 127. Se ipsos communicant. 67. Sine confessione quando celebrare possint? 66. Laici effici nequeunt. 173, 174. Eorum dignitas et potestas. 41, 77, 79, 81, 82, 86, 125, 127. Vagi celebrare prohibentur. 128. Eorum exemplum quanti momenti? 149, 150, 200, 438. Episcopis inferiores casus reservatos absolvere non possunt, nisi in mortis articulo. 80. Nuptias benedicere non possunt, absque proprii coniugum parochi vel ordinarii licentia. 217.
Sacerdotium et sacrificium Dei ordinatione coniuncta sunt. 172. Divina res est. 173.
Sacramenta novae legis septem. 40. A Christo instituta. 40. Gratiam continent. 40. Aliud alio dignius. 40. In iis conficiendis ministrorum intentio requiritur. 41. A sacramentis antiquae legis differunt. 40. Eorum utilitas, 40. necessitas, 40. essentialia, 40, 41, et ministri. 41, 82, 86. Eorum vis populo explicanda. 343.
Sacramenta quibus imprimitur character in anima. 41.
Sacramentum quid. 64.
Sacramentum baptismi. Vide Baptismus et sic de singulis.
Sacrae Scripturae. Vide Scripturae.
Sacrificium, quod in missa peragitur, quid contineat aut operetur? 125. A quo institutum. 124. 125. Vide Missae.
Sacrorum librorum index et editio qualis approbetur. 11, 12.
Salvi conductus violatorum poena. 101, 109.
Salvus conductus protestantibus datus. Vide Conductus.
Sancta sancte administranda. 126, 220.
Sanctimoniales. Vide Moniales.
Sanctorum invocatio. 125. 392. Eorum corpora et reliquiae venerandae. 392. Eorum imagines non debent pingi nec ornari procaci venustate. 392.
Sapientia a Deo postulanda. 8.
Sapientiae initium timor Domini. 8.
Satisfactio est pars poenitentiae. 77. Quomodo fiat? 28, 80 seq., 84. Per Christum fit. 80. Qualis imponenda confitenti. 81. Eius fructus. 80, 84. Opera satisfactionis. 81. Sunt cultus Dei. 84.
Schismaticorum inanis fiducia. 26.
Scholae dicuntur confraternitates in quibusdam locis. 167, 210.
Scholares pauperes gratis docendi. 16. Eorum privilegia. 20, 89, 444. Vide Studiorum privilegia.
Scholasteriae quibus conferendae 211.
Scholastici quando et quomodo eligere debeant lectorem. 210.
Scientia non mediocris requiritur in episcopo. 150.
Scribendi scientia necessaria suscipientibus primam tonsuram. 172.
Scripturae canonicae quae? 11.
Scripturae sacrae lectio ubi instituenda? 16. Mensis episcoporum admiscenda. 9. Eius interpretatio quae prohibita? 12. Eius verba ad res profanas non convertenda. 13.
Sedis apostolicae suprema auctoritas. 34, 80. In omnibus salva intelligitur. 48, 369. 468. Vide Auctoritas, Pontifex maximus.
Seminarium clericorum. 182, 209 seq.
Sententia in subditos tantum ferenda. 79.
Sequestratio fructuum quando facienda. 100, 180.
Servitium in ecclesiis implendum, a quo praescribatur. 151.
Silentio et modestia uti debent, qui intersunt concilio. 9.
Simoniaca labes prohibetur. 112, 368, 369, 378.
Sixti IV. constitutio de concept. B. Mariae. 15.
Societatis Iesu clericorum religio. 420.
Solemnitas requisita in contrahendis matrimoniis. 217.
Solutiones quaedam in provisionibus ecclesiarum prohibitae. 368.
Spiritus sancti operatio. 25, 30.
Sponsalibus validis existentibus, impedimentum publicae honestatis primum gradum non excedit. 218.
Status et ordo familiae nutabit, si, quod requiritur in corpore, non reperiatur in capite. 326.
Statuta ecclesiarum approbantur. 116, 159, 349, 443. Quae reiiciantur 112, 368.
Stola prima quid. 26.
Strepitus ab ecclesiis arcendus. 128.
Studia publica sacrae scripturae lectorem habere debent. 16.
Studiorum generalium privilegia. 20, 55, 89, 444, 450. Eorum reformatores quid agere debeant. 439.
Studium est commune ecclesiae bonum. 210.
Studentes. Vide Scholares.
Subdiaconatus ad maiores ordines refertur. 173.
Subdiaconi quomodo ordinandi? 201. Qua aetate? 200. Decet ut saltem diebus Dominicis et solemnibus communionem percipiant. 201.
Subditi quomodo tractandi? 70. Cum corre-

pti sunt, episcopum odisse solent. 73. Eorum salus est integritas praesidentium. 33.

Subpriores a quibus constituendi. 436.

Substituti quando non admittendi. 349.

Successor an teneatur stare locationi. 458.

Successiones hereditariae in beneficiis prohibitae. 447.

Suffragia fidelium pro defunctis. 392.

Superstitio quid sit? 127. Tollenda est. 128, 392.

Supellex episcoporum qualis? 438. Regularium qualis. 394.

Supplicationes faciendae ecclesia vacante. 326.

Suspensus ab ordinibus et gradibus non restituitur contra sui praelati voluntatem. 87.

Symbolum fidei. 10.

Synodus dioecesana quotannis celebranda. 328. Quid ibi agendum? 278, 439, 442, 457.

Synodus provincialis. Vide Concilia provincialia.

T.

Tabernae a clericis vitandae. 349.

Tabula secunda post naufragium poenitentia recte appellatur. 28, 83.

Tempora, quibus nuptiae prohibentur. 216, 220.

Tentatio non est supra id, quod possumus. 216.

Testamentorum executores sunt episcopi. 167. Eorum relicta pia sunt persolvenda. 392.

Testamentum vetus et novum quos libros contineat. 11.

Testatorum voluntas conservanda, 442, 449. Quando et quomodo commutanda? 161. Quomodo implenda. 442, 449.

Testimonia ecclesiae catholicae. 11.

Testimoniales litterae. 112, 182, 327.

Testes contra episcopum quales? 73. Qui intersunt matrimonio sine parocho, quomodo puniantur? 217. Eorum numerus in matrimonio. 217.

Testificatio de approbatione promovendorum gratis facienda. 150.

Thori separatio ob multas causas fit. 216.

Timor Domini sapientiae initium. 8. Vexationis plerumque ordinarium ad punienda delicta segniorem reddit. 73.

Timore salus comparanda. 28.

Titularium episcoporum licentia correcta. 87, 88.

Tonsura prima quibus non conferatur? 181. Qui eius privilegio gaudeant. 182.

Traditiones Apostolorum. 11, 26, 66, 82, 126, 127, 173, 208, 215, 391.

Traditiones quae, et quam auctoritatem habeant. 11.

Translatio simplicium beneficiorum. 120.

Transubstantiatio. 64, 66.

Tribulationum patientia est loco satisfactionis. 81.

Tridentinum concilium damnavit et anathematizavit praecipuos haereticorum nostri temporis errores. 472. Vide Concilii Tridentini etc.

Turnorum lucra prohibentur. 368.

U

Unctio extrema quid, et cur instituta? 81. A quo? 82. Est verum sacramentum. Eius materia et forma. 82. Effectus. 82. Minister. 82. Sacramentum exeuntium appellatur. 82. Quomodo ab haereticis impugnetur? 82. Quando sit danda? 82. Potest iterari. 82.

Unctio sacra in ordinatione. 174.

Uniones ad vitam tolluntur. 49, 103. et quadraginta annis factae examinandae. 51. 250. Quando revocentur? 450. Quomodo fieri debeant? 51. Quando? 118, 119, 210, 366, 370. Quorum beneficiorum vel ecclesiarum? 118, 119, 210, 366, 370.

Unius dioecesis beneficia cum beneficiis alterius dioecesis non sunt unienda. 96. Nec dignitatum et similium uniones faciendae. 366.

Unita beneficia visitanda. 52.

Universitatum privilegia. 20, 55, 89, 444, 449. Earum reformatores quid agere debeant? 439.

Usurpatores bonorum ecclesiasticorum excommunicantur. 171.

Uxoratorum concubinariorum poenae. 219, 220.

Uxores plures habere non licet. 215.

V.

Vagantes non facile ad matrimonium recipiendi. 219.

Vago sacerdoti missas celebrare non licet. 128, 207.

Venationes a clericis fugiendae. 349.

Vendere patrimonium quando clericis non liceat. 112.

Veneratio Eucharistiae. 64, 67.

Vestitus clericorum. 91, 182, 209, 349.

Vicariae quomodo et quando tollendae. 466.

Vicarii quando et qui in beneficiis deputandi. 36, 51, 52, 119, 378, 466.

Vicarius episcopi doctor vel licentiatus eligi debet. 370. Eius officium in collatione beneficiorum. 378.

Violatorum salvi conductus poenae. 101. 109.

Virginitas beatior statu coniugali. 216.

Virgo Maria ex speciali Dei privilegio ab omni labe, etiam veniali, immunis. 32. Eius conceptio. 15.

Visitari debent beneficia curata unita. 52. Ecclesiae omnes, etiam exemptae. 52, 122. Ecclesiae saeculares nullius dioecesis. 345. Commendata omnia beneficia et monasteria, etiam exempta. 122, 436. Monasteria, quae sunt ordinum capita. 436. Hospitalia, confraternitates, eleemosynae montis pietatis et pia loca omnia. 167. Propriae dioeceses a suis episcopis. 330. Capitula cathedralium et aliorum maiorum ecclesiarum, illorumque personae. 39.

Visitatio clericorum sive saecularium, ad episcopum pertinet. 39, 88. Quomodo fieri debeat? 330, 331. In ea magna episcoporum potestas. 345, 443. Quando in eius causis appelletur. 70.

Visitationum finis. 52, 122, 330, 331.

Visitatio reliquiarum. 394.

Visitatores a capitulo deputandi, prius ab episcopo approbari debent, et quam celeriter fieri possit, visitationes absolvere. 330. Inferiores non possunt excludere episcopum. 330. Nihil procurationis nomine, praeter moderata victualia, eis accipere licet. 331. Indebite accipientes quomodo puniantur. 331.

Visitatores regularium. 394, 411, 436.

Vita aeterna quomodo adquiratur? 25, 26. A bene operantibus expectanda. 28, 29, 32. Quibus denegetur. 29.

Vita Christiana perpetua poenitentia esse debet. 81.
Vita hominis non humano, sed Dei iudicio iudicanda est. 30. Eius honestas, et probitas actionum, sunt quoddam praedicandi genus. 438.
Vocem in capitulo qui amittant. 159, 394.
Vota facta post baptismum, non sunt irrita. 42.
Vota regularium. 394.

X.

Xisti IV. constitutio de conceptione. B. Mariae. 15.

Z.

Zizania execrabilium errorum et schismatum. 63. Variarum et peregrinarum doctrinarum. 105.

III.

INDEX

RESOLUTIONUM ET DECLARATIONUM

S. CONGR. CONCILII

PRIMUS NUMERUS ROM. INDICAT SESS., SECUNDUS ARAB. CAPUT, TERTIUS RESOLUTIONEM VEL DECLARATIONEM

A.

Abbas, vide Ordines, Dispensatio, Irregularitas. Quomodo edicta subscribere nequeat, Sess. XXI. de reg. 9. n. 3.

Abbatissa. De iure episcopi in electione abb. vel priorissae etiam exemptae, harumque officiis erga illum, XXV. de regul. et mon. 7. n. 1—4; 19. n. 3. Abbatissae electae confirmatio ad episcopum non spectat, eod. n. 5.

Absentia, vide singula s. v. Canonici, Distributiones, Parochi, Residentia.

Absolutio a casibus reservatis, v. Casus reservati.

Absolutus non est valide, qui absolutionis adipiscendae gratia in alienam dioecesim se transtulit, XIV. de poenit. n. 8.

Absolvere nequit metropolitanus sacerdotes ab ordinario ex informata conscientia suspensos, XIII. de ref. 2. n. 5.

Administrationis rerum ecclesiae cathedr. et collegiatae rationem reddendam exigendi ius competit episcopo, ib. n. 11 — 13. Quomodo exigatur ratio, si administratores sint capitulares, XXV. de ref. 6. n. 3.

Administratores hospitalium quomodo rationem reddere teneantur episcopo, XXII. de ref. 9. n. 1 — 3. Quando eximantur a rationis redditione protectione regia, eod. n. 2. Regia protectio ad alios principes extendenda non est, eod. n. 3.

Administrare ac gubernare se ipsam quomodo possit confraternitas sine episcopi consensu et participatione, XXII. de ref. 9. n. 4— 9.

Aetatis dispensatione ad beneficium fundatum ante Conc. Trid. non indiget qui vocatus est a patrono, XXIII. de ref. 6. n. 1. Ab aetatis lege in fundatione beneficii adiecta quando dispensetur, XXII. de ref. 6. n. 8. Aetas requisita ad obtinendam dignitatem in ecclesia collegiata vel cathedrali, XXIV. de ref. 12. n. 12.

Aetas ad ordines requisita, v. Ordines. Aetatis impedimentum, v. Matrimonium.

Affinitas, v. Matrimonii impedimenta.

Alienatio bonorum mensae episcopalis capitulo facta approbata in XXV. de ref. 11. n. 1. Alienationis bonorum ecclesiasticorum certorum concessio ab episcopis fieri solita probata, eod. n. 2. Reliqua de bonorum alienatione vide s. v. Titulus patrimonii, Bona, Regulares.

Appellatio ab actibus, quos episcopus iure ordinario vel delegato ex vi Conc. Trid. facit, dirigenda est ad metropolitanum. XXII. de ref. 7. n. 1. A decretis episcoporum, procedentium ad evitanda scandala, a iudicibus delegatis quando admittenda sit, eod. App. sive inhibitio ad iudicem delegatum interposita non datur cum effectu suspensivo in causis visitationis et morum correctionis, XIII. de ref. 2. n. 1. A decreto episcopi residentiam iubente non conceditur, eod. n. 2. Ab interlocutoria vel alio gravamine quando detur, eod. n. 3., XXII. de ref. 7. n. 1. Non datur, ubi episcopus alicui ascensum ad s. ordines interdixit, sed tantum recursus ad sedem apostolicam, XIV. de ref. 1. n. 3. A suspensione parochi ex informata conscientia facta non admittitur, XIII. de ref. 2. n. 4. 5. Appellationis a sententia privationis beneficii propter absentiam exemplum, XII. de ref. 7. n. 3. De appellatione a mala relatione aut ab irrationabili iudicio post examen interponenda, XXIV. c. 18. de ref. n. 29. Tempus huiusmodi appellationi quale sit praefigendum, ib. num. extr. Ante concessionem novi examinis appellans quid teneatur praestare, ib. Ius metropolitani deputandi notarios ad recipiendas appellationes, XXII. de ref. 7. n. 4. Ad iudices synodales deferendae recipiendae sunt per notarios curiae episcopalis, XXV. de ref. 10. n. 4. Quomodo recipienda sit per iudicem delegatum apost., XXII. de ref. 7 n. 1.

Approbatio confessariorum spectat ad episcopum, XXIV. de ref. 20. n. 3. Provisus in concursu de parochiali ecclesia non est approbatus ad audiendas confessiones per totam dioecesim sed in loco tantum, in quo parochialis ecclesia sita est, XXIV. de ref. 18. n. 26., v. Concursus.

Archidiaconus ab episcopo confirmari debet, etiamsi iurisdictio annexa sit abbatiae, XXIV. de ref. 12. n. 16.

Attentatum est excarceratio sacerdotis, qui ab episcopo ex informata conscientia suspensus atque a metropolitano absolutus, non intimato episcopo illius decreto, publice celebravit; non vero est incarceratio eius ab ordinario facta, XIII. de ref. 2. n. 5.

B.

Baptismales fontes ecclesiarum quando novi sint erigendi, XXI. de ref. 4. n. 8— 42.

Baptismus quando conferendus sit sub conditione, VII. de bapt. n. 1 — 3. 5.; singulos casus vide ibid. n. 4. 6. 7. Baptizans sacerdos infantem iam baptizatum adhibita denuo forma ac materia sacramenti irregularis fit, VII. de bapt. n. 8.

Baptizari non possunt Iudaeorum filii ante aetatem legitimam invitis parentibus, eod. n. 9.

Benedictio matrimonii, v. Matrimonium.

Beneficiati quando consuetudine vel statutis cogi possint servitium gratuitum per aliquod tempus praestare, XXIV. de ref. 14. n. 2—4. Constitutiones, quibus constituitur, ut antequam ad presbyteratus ordinem ascendant, nullam vel minorem fructuum portionem recipiant, approbantur, eod. n. 7. 8.

Beneficium. In eius collatione nihil persolvi debet, quin cedat in pios usus, XXIV. de ref. 14. n. 1. 5. 6. 9. Collatio praebendae vacantis propter possessoris in episcopum in part. infid. promotionem spectat ad sedem apost., XXIV. de ref. 17. n. 2. Conferri nequit filio clerici, etiamsi intermediae fuerint personae, XXV. de ref. 15. n. 2. Benef. ecclesiae parochialis de iure patronatus suae familiae conferri potest legitime nato ex patre naturali legitimato, eod. n. 9. Ab eo non repellitur nepos legitimus ex filio illegitimo, eod. n. 7. Benef. capellaniae ad nutum amovibilis habere potest clerici filius illegitimus ut capellanus amovibilis, eod. n. 1. Benef. iurispatronatus laicorum obtinere potest clerici defuncti filius illegitimus absque dispensatione, eod. n. 5. Incompatibilis est canonicatus cum ecclesia parochiali et abbatiali, VII. de ref. 4. n. 2; cum coadiutoria curata, eod. n. 3. Incompatibilis est capellania, cuius possessori incumbit onus vel residendi in certa domo, vel celebrandi per se ipsum, nisi legitime sit impeditus, tam cum benef. curato, quam cum alio, quod illi oneri repugnat, eod. n. 5.—8. Incompatibilis non est capellania cum benef. paroch., si capellanus per se ipsum celebrare non cogitur, eod. n. 8. i. f. Incompatibilis est capellania cum episcopatu, XXIV. de ref. 17. n. 6. Incompatibilis est coadiutoria dignitatis cum participatione in ecclesia, VII. de ref. 4. n. 4. Inc. est praepositura cum abbatia alterius monasterii, eod. n. 9. Incompatibilitas non inducitur per residentiam causativam, sed per praecisam, eod. n. 1. Incompatibilitas oriens ex decretis Conc. Trid. c. 4. Sess. VII., c. 17. Sess. XXIV., c. 15. Sess. XXV., non excluditur per regulam cancellar. de triennali possessore, eod. n. 10. Incompatibilitatis ex fundatione orientis exempla, a qua dispensatio non datur, XXIV. de ref. 17. n. 4. Incompatibilitatis exempla, eod. n. 7. Beneficium quando sit pro sacerdotali habendum, XXV. de ref. 9. n. 16. Benef. saeculare a presbytero regulari retineri nequit, XIV. de ref. 10. n. 1. Saeculares incapaces sunt absque indulto apost. canonici regulares, eod. n. 2. Capellaniae, quando obtinere possint regulares, eod. n. 3.

Beneficiorum suppressio denegata, XXIV. de ref. 15. n. 3. Beneficiorum vacatio propter statum coniugalem, XXV. de ref. 5. Vacationis ipso iure factae exempla, XXIV. de ref. 17. n. 3. Vacatio ecclesiae paroch. non inducitur eo, quod possessor ad episcopatum in partibus infidelium atque in suffraganeum est deputatus, eod. n. 1. Vacatio tanquam per obitum propter absentiam, V. de ref. 2. n. 21. Vide Canonici, Ius patronatus, Parochia, Parochus, Patronus, Praebendae, Praesentatio, Regulares, Regressus, Retentio, Titulus, Vicarii.

Bona regularium, quomodo vendi debeant, XXV. de reg. 3. n. 11. 12. Bonorum regularium administrationis ratio reddenda est episcopo, eod. n. 14. 15. 16. Quid a regularibus atque ab episcopo servandum sit et quomodo hic procedere possit, eod. n. 14—16. Bonis renunciare quo casu concessum sit regulari, XXV. de reg. 16. n. 8. Vide Alienatio, Administratio, Administratores, Regulares, Titulus.

C.

Canon super bonis mensae episcopalis emphyteuticis quomodo ab episcopis variari possit, XXV. de ref. 11. n. 2.

Canonicus abesse quando non possit, XXIV. de ref. 12. n. 65. Quomodo tempus absentiae trium mensium canonicis concessum computetur, eod. n. 64. Quando non detur, n. 58. Quando ad eam necessaria sit episcopi licentia, n. 62. 66.—69. Quinam absentes sint, etiamsi trium mensium spatium non excedatur, n. 59. 60. Consuetudines atque statuta varia de absentia et servitio chori improbantur, eod. n. 42 43. Casus, quibus indultum absentiae datur, XXII. de ref. 3. n. 65.—67. Indultorum absentiae ratione munerum vel studiorum in Urbe concessorum examen, moderatio, revocatio, eod. n. 7. Forma procedendi contra absentes, XXIV. de ref. 12. 70.—75. Episcopi iura circa punitionem absentium, eod. n. 53.—56. Quaenam constitutiones vel privilegia de absentia c. 12. Sess. XXIV. de ref. revocatae sint, n. 63. Canonicorum servitium quoad chorum, quod attinet ad ritum, eod. n. 44. Indulta super chori servitio propter ecclesiae situm concessa, eod. n. 51, 52. Consuetudinis vis, quae certos canonicos ab officio chori eximit, n. 57. De iure substituendi alium in chori servitium, n. 76.—79. Quot et quibus canonicis a latere episcopi uti possint, XXII. de ref. 3. n. 34. 35. 37. 38. Canonici coadiuti et coadiutoris officia atque iura, XXIV. de ref. 12. n. 79—91. Canonicorum numerus sine consensu capituli augeri nequit, eod. n. 6. Ad canonicatum suscipiendum non sufficit doctoratus gradus in publica universitate non receptus, XXII. de ref. 2. n. 1., ubi a doctoratu privilegium pendet, baccalaureatus non sufficit, eod. n. 2. Ordines sacri quando requirantur, XXIV. de ref. 12. n. 5. 13. Canonici obtinentes canonicatus, quibus ordo presbyteratus annexus est intra annum assumere tenentur presbyteratum, XXII. de ref. 4. n. 1. Canonici ordinem praebendae annexum non habentes quibus casibus distributiones lucrentur, eod. n. 9—11. Canonici clerici tantum, qui ex fundatione non egent s. ordinibus, interesse possunt capitulis, vocem vero non habent, eod. n. 4. Canonicus nondum subdiaconus vocem non habet neque eam praescribere potest, n. 3. Quibus et quando debeatur ius vocem ferendi in capitulo, XXIV. de ref. 12. n. 8—11. Canonicus, qui dispensationem aetatis recepit, vocem habet; ad quid obligetur, XXII. de ref. 4. n. 6. Canonicus coadiutor, quo casu capitulis interesse et vocem ferre possit, n. 7. Canonicus ex indulto super aetate atque residentia propter studia concesso absens sub conditione, ut presbyterum substituat, neque in camerarium eligi, neque hoc officium exercere per substitutum potest, eod. n. 8. Canonicatus vacatio inducitur matrimonio etiamsi nullo, non tamen ob consensus defectum, XXIV. de ref. 12. n. 116. Canonicorum eccl. cathedr. causae criminales quomodo sint tractandae, XXV. de ref. 6. n. 1—4. Vide Distributiones, Iubilatio.

Canonicus poenitentiarius. Erectio canonicatus poen. ubi insimul exigendus est theologalis, V. de ref. 1. 2.; erectio in ecclesia collegiata, eod. n. 3. 4.; fieri potest dissentiente canonico poenit. ecclesiae cathedralis, XXV. de ref. 8. n. 4. A quo facienda sit eius electio. V. de ref. 1. n. 16. Pro excipiendis loco episcopi confessionibus semper paratus esse debet, XXIV. de ref. 8. n. 1.; divinis officiis, nisi sit impeditus, interesse, eod. n. 3.; pro diacono et subdiacono servire, n. 6. Ad quae munera assumenda non teneatur, eod. 7—9. Potest eligi ad officium camerarii, n. 10.; nec non

secretarii, eod. Ius optandi habet, si id in capitulo valeat, eod. n. 3.

Canonicus theologus. Erectio praebendae lectoralis s. theologalis, ubi insimul erigenda est poenitentiaria, V. de ref. 1. n. 2. In ecclesia collegiata in loco ubi extat cathedralis, n. 3.; vel alia collegiata, n. 4. Eius erectio ex praebenda iurispatronatus laicalis, n. 5. Canonicatus theologalis erigi potest ex beneficio habente onus lecturae ante Conc. Trid. impositum, n. 6. Concursus ad theologalem quomodo sit instituendus, n. 14. Ius eligendi, praesentandi ad theologalem, eamve conferendi. n. 15 — 17. Quando theologus aut licentiatus aut doctor in iure vel in sacra pagina esse debeat, n. 7 — 13. Eius officium legendi per se ipsum, n. 18. 19.; residendi, n. 19 — 21. Quo tempore, quid legere debeat, n. 22 — 25. Legens eximitur ab officio diaconali et subdiaconali, n. 26. Concionare quando possit per alium, n. 27. Stipendium accipere nequit pro onere lecturae, n. 28. Negligens quomodo puniatur, n. 29. Cathedram assequi non potest, ib. n. 20. Eligi nequit ad capituli officia cum legit, XXIV. de ref. 8. n. 8. Eligi potest ad officium secretarii, eod. n. 10.

Capitulum. Ad aliud iurisdictio episcopi ab haereticis capti quando devolvatur, XXIV. de ref. 16. n. 1. Eius convocandi ius, eod. n. 22. Quo tempore habendum sit, XXII. de ref. 3. n. 58. Concursum ad parochiales, etiamsi de ipsius iure patronatus existant, instituere nequit, XXIV. de ref. 20. n. 3. Sede vacante sibi reservare non potest ius renunciandi magis idoneum in concursu, XXIV. de ref. 16. n. 11. Ad confessiones audiendas approbare nequit, XXIV. de ref. n. 20. n. 3 a. Ius excipiendi confessiones vel absolvendi ab omnibus reservatis sede vacante sibi reservare nequit, eod. n. 3 b. et XXIV. 16. n. 12. Neque ei emolumenta et mulctas in suos usus convertere licet, eod. n. 19. 20. Indulgentias publicare non potest, XXIV. 20. n. 3 c., nec synodum celebrare, eod. n. 3. d. Si ius visitandi habeat ex consuetudine, quomodo id exercere debeat, XXIV. de ref. 3. n. 4. Cap. ecclesiae unitae abbatiali commendatae, vacante sede abbatiali, vicarium capitularem eligendi ius non habet, XXIV. 16. n. 3. Capitulo interesse quando possint vocemque ferre mansionarii ceterique beneficiati de iure non reputati de gremio capituli, XXII. 4. n. 5. Capituli consensus necessarius ad erigendas praebendas in ecclesiis collegiatis, XXIV. de ref. 12. n. 3. 4. Capituli statuta improbata, eod. n. 7.

Casuum conscientiae congregationi interesse debent tam saeculares quam regulares curam exercentes, XXIV. 2. n. 19.; ut intersint compelli possunt sacerdotes saeculares confessarii, eod. n. 20.; ei interesse non tenentur regulares ab episcopo approbati, XXIII. de ref. 15. n. 6.

Casus reservare sibi possunt praelati saeculares nullius dioecesis, XIV. de poenit. n. 1. Non potest capitulum vel decanus, XXIV. 20. n. 3. b. A casibus episcopo reservatis absolvere non potest, qui potest a casibus sedi apost. reservatis, XIV. de poenit. n. 4.; neque regulares. Ex facultatibus per «mare magnum» aliave privilegia iis concessis, n. 5.; neque confessarii regulares nisi in mortis articulo, n. 6.; absolvere possunt confessarii monialium exemptarum et regularibus praelatis subiectarum praeterquam si casus sint materiae clare spectantis ad iurisdictionem delegatam, eod. Peccata reservata relaxandi facultatem quando habeat canonicus poenitentiarius, eod. n. 2. 3.

Catechismus. Ad eum audiendum in sua quisque tenetur parochia, XXIV. 7. n. 2. Ad eum docendum cogi possunt clerici etiam curam non habentes, V. 2. n. 1. Locus, ubi tradi debet, ab episcopi arbitrio pendet, XXIV. 7. n. 3.

Cathedralis ecclesia cuius episcopus de ipsius consensu ad aliam est translatus, a quo tempore vacet. VII. de ref. 2. n. 2.

Cathedraticum per Conc. Trid. sublatum non est, XXIV. 3. n. 18. Quando debeatur episcopo, eod. Ab episcopo iure delegato visitante exigi nequit, eod. n. 14. Debetur a parochis, eod. n. 19; ab ecclesia iurispatronatus laicalis, eod. n. 22.; a canonicis possidentibus praebendas distinctas, eod. n. 21.; a beneficiis praebendae theologalis et poenit., eod. n. 20. Quando a confraternitatibus debeatur, eod. n. 23. — 25. In cath. solvendo onera non detrahuntur, eod. n. 26.

Causa civilis quando ad curiam in prima instantia trahi possit, XXIV. de ref. 20. n. 1. In ea regulares coram ordinariis conveniendi non sunt, VII. de ref. 14. n. 1. 2.

Causae criminales a quo sint cognoscendae, XXIV. de ref. 20. n. 3. Causae crim. capitularium, XXV. de ref. 6. n. 1 — 4.

Charitativum subsidium quando exigi possit, XXIV. 3. n. 27. Ab episcopo iure delegati visitante exigi nequit, eod. n. 14.

Clausura monialium. Eius cura ad episcopum spectat; iura episcopi ad eam servandam in superiores regulares, XXV. de regul. 5. n. 12. De eius visitatione per episcopum facienda, eod. n. 7. 9. 11.; per superiores regulares, eod. n. 8. Quid in ea a vicariis generalibus observari debeat, eod. n. 6. Ad eam servandam quid facere debeat episcopus in conferenda benedictione apost. in articulo mortis constitutis, eod. n. 10. Decretis conciliorum et constitutionum apost. clausuram spectantibus nulla obstat consuetudo, eod. n. 4. Poena eorum, qui eam violant, eod. n. 4. 5.

Clerico ab episcopo imperari potest, ne sine illius licentia e dioecesi abeat, XXIII. de ref. 16. n. 1.; quae sine causa non est deneganda, eod. n. 2. Clericus nulli eccl. adscriptus invitus eb episcopo retineri nequit, eod. n. 3. Pro necessitate certae ecclesiae ad s. ordines promotus ab ea discedere non potest, eod. n. 5. Ad titulum patrimonii ordinatus sine episcopi licentia ecclesiam deserere non potest, eod. n. 4. Ei denegare potest episcopus facultatem e dioecesi egrediendi, dummodo de congrua ei provideat, eod. n. 6. Nullum beneficium in ecclesia cathedrali obtinens ad quae servitia cogi possit, ead. n. 7. 8. Quinam sacerdotes cogi possint ad accedendum ad processiones publicas, eod. n. 9. Exterus a regularibus ad celebrandum in ipsorum ecclesiis admitti nequit contra episcopi praeceptum, eod. n. 10. Clerici an gaudeant privilegio cap. Odoardus, etsi non habeant quae c. 6. Sess. XXIII. de ref. desiderantur, XXIII. de ref. 6. n. 10.; an privilegio canonis, eod. n. 11., v. Fori privilegium. Negotiatio clericis prohibita, XXII. de ref. 1. n. 1. Clericorum musicam in theatris exercentium poenae, eod. n. 2. Clerici filius quando obtinere possit beneficium, v. Beneficium. Clerici filius etsi habilitatus a Pontifice in ecclesia cathedr., ubi pater dignitatem obtinet, proventus lucrari nequit, XXV. de ref. 15. n. 4. In clericorum filiis dispensandis quomodo procedat episcopus, eod. n. 8.

Coadiutor curae animarum quando assumendus sit, XXI. de ref. 4. n. 1. 2. Quando summibus curati constituatur, eod. n. 1. 3. Quando ei a populo necessaria sint subministranda, eod. n. 2.

Collegiata ecclesia ab episcopo erigi nequit, XXIV. de ref. 12. n. 2. Collegiatae ex parochiali erectio quando sustineatur, eod. n. 1.

Communio, v. Eucharistia.

Commutationes ultimarum voluntatum etc., v. Voluntas.

Concilium, v. Synodus.

Concionare quomodo et quando teneantur parochi aliive, quibus illud incumbit, V. de ref. 2. n. 3—6. Conc. formaliter non oportet, eod. n. 2. Concionandi ius in ecclesia collegiata eademque parochiali inter missam conventualem, XXIV. de ref. 7. n. 1. Quando episcopus aliorum conciones tempore, quo ipse praedicat, interdicere possit, V. de ref. n. 17. Concionandi licentia regularibus non a capitulo, sed ab episcopo danda est, XXIV. de ref. 20. n. 3. a.

Concionatores eligendi et approbandi tam saecul. quam regul. ius ad quem spectet et quomodo sit exercendum in ecclesiis saecularibus, V. de ref. n. 7—11., in eccl. regularium, unitis etc., eod. n. 13—17. Concionatori a quo solvenda sit elemosyna, eod. n. 11. 12.

Concursus locum habet in ecclesiis unitis quoad temporalia, XXIV. de ref. 18. n. 1.; in parochialibus de iurepatronatus ecclesiastici, eod. 1. Nec tamen eo opus est in ecclesia iuris patronatus mixti, eod. n. 2. Ab episcopo, non a capitulo instituendus est, XXIV. de ref. 20. n. 3. d. Quando institui possit ab eo, qui episcopo inferior est, XXIV. de ref. 18. n. 3. Ad concursum quinam admittendi non sint, eod. n. 13—16. Quando ab eo arcendi non sint episcopi consanguinei et familiares, eod. n. 12. Conc. prorogatio quando iusta sit. eod. n. 9—11. Eius ad cautelam convalidatio. n. 5. Electio dignioris ex approbatis in concursu quando spectet ad episcopum, eod. 20. 23.; quando ad patronum, eod. 21. 22. Quando approbatio examinatorum spectet ad episcopum, eod. n. 25. Conc. habitus ab examinatoribus extra synodum deputatis aliquando confirmatur, eod. n. 4. Quid servandum sit circa quaestiones in concursu proponendas, eod. n. 28. 29. Stipendium ratione concursus dari nequit, eod. n. 27. 28. V. Appellatio, Examinatores.

Confessiones valide excipiunt ab omnibus dioecesanis sacerdotes per dioecesis ad confessionem approbati, XIV. de poenit. n. 9. Eorum, qui in alia dioecesi sunt, quando parochi confessiones audire possint, XXIII. de ref. 15. n. 3. Conc. fieri non debent sacerdoti simplici ab episcopo non approbato, XIII. de euchar. n. 1. i. f. Conf. saecularium excipere quando licitum sit regularibus, deque episcopi in eos iure, XXIII. de ref. 15. n. 1. Saecularium a regularibus exceptae quando illicitae sint invalidae, eod. n. 2. Regularium sacerdoti non approbato factae sunt invalidae, eod. n. 5. Facultatem confessiones audiendi quomodo regulares ab episcopo impetrare debeant, eod. n. 4. Approbationem ad confessiones audiendas dare nequit capitulum, XXIV. de ref. 20. n. 3. a. Conf. audire nequit clerici filius in parochia, ubi pater fuit parochus, XXV. de ref. 15. n. 3.

Confirmatio, quando administrari debeat ab episcopo, VII. de confirm. n. 3. quando administrari possit infantibus, eod. n. 1. Consuetudo, qua unus patrinus et una matrina pro omnibus confirmandis fungitur, improbatur, eod. n. 2.

Confraternitas aggregata fruitur iuribus aggregantis, XXII. de ref. 9. n. 10.

Congrua parochi et vicarii; quaenam in ea comprehendantur emolumenta, VII. de ref. 8. n. 22. In congruam canonici curati imputantur distributiones quotidianae, XXII. de ref. 3. n. 6.

Conservatores a regularibus quando eligi nequeant, XIV. de ref. 5. n. 2. Cons. eligere quando possit societas Iesu, eod. n. 2. V. VII. Cons. cleri universi alicuius dioecesis eligere non licet, eod. n. 6. Cons. adire permissum non est, si iis coram ordinario consentientibus regularibus sit introducta, eod. n. 5. Iurisdictionem quibus in causis habeant, eod. n. 1. 5. Quomodo defendere possint regulares, eod. n. 1. 3. 5. 2. (VIII.) Quasnam causas cognoscere non possint, eod. n. 3. Tribunal erigere, officiales ac ministros deputare, excepto notario, nequeunt, eod. n. 3. 4. Quomodo se legitimare debeant, eod. n. 2. (IX.) Regulares, qui eligunt conservatores, cautionem iudicio sisti et iudicatum solvi praestare non tenentur, eod. n. 2. (VII.)

Cura animarum in ecclesiis unitis monasteriis aliisve quoad singula episcopi iura, XXV. de reg. 11. n. 1.—3. Ad capitulum spectans penes quem resideat, XXIV. de ref. 12. n. 27—30. Eius exercitium in parochiis ordinis Hierosolymitani, XXIV. de ref 11. n. 3.; in domibus ordinis teutonici, eod. n. 4. In ecclesia commendata, cui unitae sunt parochiales, quoad relationem inter vicarium perpetuum et coadiutorem perpetuum, XXIV. de ref. 13. n. 6. Oratorio privato competens, eod. n. 7. Reliqua vide sub v. Beneficium, Canonici, Parochi, Vicarius etc.

D.

Decimae, quando a regularibus solvendae sint, XXV. de ref. 12. n. 1. 5. 3. Privilegia quoad eas regularibus concessa quomodo reducta sint, eod. n. 2. Decimas qui subtrahunt vel in usum suum convertunt, an ipso iure in excommunicationem inciderint, eod. n. 4. v. Patronus.

Defectus, v. Irregularitas, Matrimonium.

Delegatus iudex eligi quinam ab episcopo possit, XXV. de ref. 10. n. 5. Quando iurisdictionem habere incipiat, eod. n. 1. Quando et quomodo ab episcopo substitui possit, eod. n. 2., v. Appellatio.

Denunciationes matrimoniorum, ubi fieri debeant, si sponsi non eidem parocho subiecti sunt, XXIV. de ref. matr. n. 2. Quo casu fieri possint festis suppressis, n. 29. Tempore vespertino ex ordinarii dispensatione permissae, eod. n. 30. Faciendi in ecclesia cathedrali cui ius competat, eod. n. 31.; cui in eccl. collegiata eademque parochiali, XXIV. de ref. 7. n. 1. Si omissae sint, matrimonium non est nullum, XXIV. de ref. matr. n. 28.

Deputati ad seminarium, v. Seminarium.

Dioecesis, v. singula sub vocibus Episcopus, Synodus dioecesana etc.

Dies festi. De nundinis etc. diebus festis haberi solitis, XXV. Contin. n. 3. 7. De piscatione quae fit diebus festis, eod. n. 8., v. Missa, Oratoria, Ordinatio.

Dispensatio quibus casibus ab episcopo concedi non possit, XXIV. de ref. 6. n. 1. Quando transferatur in vicarium capitularem, eod. Ab esu carnium quando concedi possit ab abbatibus necne, XXV. Contin. 9., v. Aetas, Beneficium, Casus reservati, Homicidia, Irregularitas.

Distributiones an lucrentur canonici absentes ex iusta causa, XXII. de ref. 3. n. 8—10. Quoniam absentes sint censendi quoad distributiones, XXIV. de ref. 12. n. 41. Quando et quae debeantur absentibus canonicis, qui tempore chorales officii confessiones audiunt, XXII. de ref. 3. n. 49.—52., vel abluerunt propter infirmitatem, eod. n. 24.—27. Statuta vel consuetudines circa canonicos infirmos, XXIV. de ref. 12. n. 48—50. Canonico absenti propter metum quando debeantur, XXII. de ref. 3. n. 24—27. Canonico impedito a capitulo quomodo solvendae sint, eod. n. 28.

Canonicorum absentium propter servitium episcopo praestandum, eod. n. 29 — 33. 36. Canonici absentis propter capituli negotia, eod. n. 59-61. Canonici absentis studiorum causa, eod. n. 70 — 77. Canonici absentis propter litem propriam vel procuraturam, eod. n. 62 — 64. Can. abs. propter peregrinationem, eod. n. 68. 69. Can. abs. propter munus cancellarii, eod. n. 39.; vicarii generalis, 40.; examinatoris synodalis, 41. 42.; comitandi episcopum in visitatione luminum vel hanc pro illo peragendi, 43. 44.; inquisitoris, 45. 46.; theologi, 47. 48. Canonici exercentis tempore chori munus parochiale, eod. n. 53—57. Canonicorum organistarum vel beneficiatorum musicorum, XXIV. de ref. 12. n. 45—47. Distr. non lucrantur canonici non psallentes, XXII. de ref. 3. n. 1. 2. Supranumerariorum quomodo faciendae, eod. n. 4. Faciendae sunt ex reditibus praebendarum suppressarum. XXIV. de ref. 12. n. 40. Earum certa divisio improbatur, eod. n. 38. 39. De amissarum distributionum applicatione, XXII. de ref. 3. n. 3. Distr. coadiuto debitae, eod. n. 5. Quando canonico suspenso, condemnato, inquisito debeantur, XXII. de ref. 3. n. 78—83.

Docere populum doctrinam Christianam licet monachis, qui per XL. annos ad formam piae dispositionis in ecclesia rurali id fecerunt, XXIII. de ref. 18. n. 30.

Dos moniatium. Eam recipere simoniacum non est, XXV. de reg. 16. n. 5. Restituenda est, si novitia intra annum probationis decedat, eod. n. 6. Non acquiritur, si invalida est professio, eod. n. 4.

E.

Ecclesiae. Earum matricitas unde constet, XXI. de ref. 4. n. 9. Eccl. parochialis Erectio, Dismembratio, Unio, vide Parochia etc. Ecclesiam reaedificare quinam teneantur, XXI. de ref. 7. n. 5—9. Ecclesiam restaurare quando debeant parochi, eod. n. 2., rectores beneficiorum ad eam translatorum, eod. n. 1. 2.; capitulum, eod. n. 4.; monasteria, eod. n. 3. Quomodo is, qui ad restaurationem obligatus est, ad eam faciendam cogatur, eod. n. 5. 6. Eccl. restauratione maxime indigentes ad usum quidem alterius cedi, vendi vero non debent, eod. n. 10. Quid agendum sit de titulo ecclesiae dirutae ac reaedificatae, eod. n. 11. 13. Quaenam observanda sint in ecclesia paroch. collapsa supprimenda, eod. n. 12. Ecclesiarum Visitatio, v. Episcopus.

Eleemosynas quaestuare non licet monachis invito parocho, XXI. de ref. 9. n. 4. Quaestuandi genus prohibitum, eod. n. 2. Colligendi munus iniungi potest laico, ib. n. 4.

Episcopus quomodo sit appellandus, si duas dioeceses habeat, V. de ref. 1. n. 5. 6. (XI—XIII.); quaenam ab eo hoc casu sint servanda, vide eod. n. 6. Eius iura circa assistentiam a canonicis praestandam. XXIV. de ref. 12. n. 32—37. Ius habet visitandi iure delegato ecclesias monasterio aut exempto collegio unitas, quamvis curam non habeant, VII. de ref. 8. n. 1. 9.; quasnam visitare non possit, XXI. de ref. 8. n. 2. Visitat beneficia curata monasteriis unita, nec non monasteria ipsa, in quibus non viget regularis observantia, VII. de ref. 8. n. 2. Quo iure visitare possit collegiatam exemptam, eod. n. 4.; parochiam collegiatae exemptae canonice adiectam, eod. n. 4. Ordinariam habet iurisdictionem in regulares et alio modo exemptas ecclesias, quibus imminet cura animarum saecularium, eod. n. 6. et in quascunque ecclesias saecul., quibus inservitur per saeculares, eod. n. 3. Eius iura in eccl. parochiales monasteriis commendatas tam in visitatione quam extra eam, XXI. de ref. 8. n. 1. Ecclesias de massa monasterii eique subiective unitas visitare non potest, VII. de ref. 8. n. 7. Iurisdictionem super ecclesiis monasteriis unitis vel commendatis cumulativam cum inferioribus praelatis exercet, eod. n. 8. Eius iurisdictio cum iure visitandi in confraternitates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum erectas, eod. n. 10. XXV. de ref. 7. n. 5. Eius iurisdictio in personas et canonicos ecclesiae colleg. abbati exempto subiectae in casu contractuum et delictorum extra septa factorum, VII. de ref. 14. n. 2. Eius ius visitandi capitulum eiusque personas, XXV. de ref. 6. n. 1—3. Eius ius in ecclesiam constructam ex piorum eleemosynis, XXII. de ref. 9. n. 14. Intra quod tempus novam visitationem facere possit, XXIV. de ref. 3. n. 1. Quando visitare possit per delegatum et quando debeat per se ipsum, VI. de ref 4. n. 3. Impeditus per delegatum visitationem facere potest, eod. n. 1. 3. Quomodo probandum sit impedimentum, et quale esse debeat, eod. Quando visitationem differre possit, eod. n. 2. Reliqua, in quibus episcopus potestatem exercet, suis locis sunt indicata.

Eucharistia. Quinam ab ea repelli possint, XIII. de ref. 1. n. 3. Ad quosnam aegrotos deferenda non sit, XIII. de euchar. n. 2. De communione quotidiana, eod. n. 1. Communio paschalis adimplenda est in eccl. parochiali, non vero in cathedrali sine licentia episcopi vel parochi, eod. n. 4. 7. Praeceptum paschale non adimplet, qui a dominica palmarum usque et per dominicam in albis a regularibus sumit eucharistiam, eod. n. 10. Praeceptum paschale adimpleri potest, ubi aliquis bona immobilia possidet, eod. n. 5.; ubi a parochis sit adimplendum, eod. n. 6.; ubi a familiaribus et domesticis hospitalium, eod. n. 3. Euch. a regularibus in propriis ecclesiis sine ordinarii licentia exponi non debet, XXV. de invoc. Decl. et Rec. Quando publice vel privatim a regularibus in ipsorum ecclesiis possit exponi, XIII. de euchar. n. 11. Quibus ex causis in alio quam maiore altari exponi queat, eod. n. 12. Quando a regularibus habentibus privilegia apost. administrari possit saecularibus, quove tempore non possit, eod. n. 9. 10. in eum, qui praeceptum paschale non adimplet, animadvertere potest qui habet territorium separatum cum qualitate nullius, eod. n. 8.

Examinatores synodo propositi per vota tam secreta quam aperta probari possunt, XXIV. de ref. 18. n. 6. 24. De quibus examinandorum qualitatibus iudicium ferre debeant, eod. n. 17—19. Magis idoneum eligere nequeunt, eod. n. 20. 22. 23. Stipendium recipere non debent, eod. n. 27. 28. Si suspecti iuste allegentur, examinandus coram iis se sistere non cogitur, eod. n. 12. Reprobationis eorum causas tam capitulum quam episcopus sedi apostolicae quaerenti indicare debet, eod. n. 7. 8. Quinam adhibendi sint, si dioecesis altera alteri aeque principaliter unita est, VI. de ref. 1. n. 9.

Excommunicatione propter canonem «si quis suadente» quando locum habeat et quomodo fiat, XXV. de ref. 3. n. 1. Reprobatur si declaratio facta est citatione non praemissa, eod. n. 5. Propter turbationem iurisdictionis episcopalis, eod. n. 2. An locum habeat propter decimas denegatas, eod. n. 4.

Exemptio ab ordinarii iurisdictione ut locum habere possit, quid desideretur, XXIV. de ref. 11. n. 5. Cum territorio separato per praescriptionem quadragenariam post Conc. Trid. num acquiri possit, eod. n. 1. Qualis sit in presbyteris saecularibus ordinis S. Ioann. Hierosolym., eod. n. 3.

Exemptus non est ab archiepiscopi tanquam apost. delegati iurisdictione praepositus sedi apost. immediate subiectus, eod. n. 2. Ab ordinarii iurisdictione exempti non sunt ministri ad exactionem reditnum mensae archiepiscopalis deputati, XXII. de ref. 7. n. 4. De visitatione exemptorum etc. v. Episcopus.

Expositio ss. eucharistiae sacramenti, v. Eucharistia.

F.

Familiares episcopi, quando arceantur a beneficiis necne, XXIV. de ref. 18. n. 13. Reliqua vide sub v. Ordinatio.

Fenestrae aperitio ad effectum audiendi s. missam et assistendi ss. officiis quando concedatur, XXV. de ref. 9. n. 21.

Fidei professio, v. Professio.

Fori privilegium quando habeat clericus nulli ecclesiae adscriptus, XXIII. de ref. 6. n. 2. Quale servitium praestare debeat clericus, ut hoc iure uti possit, eod. n. 3. Eo gaudet clericus etsi inserviens alii ecclesiae, quam cui est adscriptus, eod. n. 4.

Forum ecclesiasticum quando in laicis a clericis conventis locum habere possit, XXIV. de ref. 20. n. 2.

Fructus dioecesis vacantis, ad quam alius episcopus translatus est, in cuius usum cedant, VII. de ref. 2. n. 1. Beneficii resignati a quo die novi possessoris fiant, XXI. de ref. 2. n. 9. Parocho ex iusta causa absente quomodo inter parochum et vicarium dividantur, VI. de ref. 2. n. 18.

Funeralia emolumenta, quaenam debeantur, XXV. de ref. 13. n. 7. 27—29. Quando ad parochos spectent, eod. n. 19. Quando a parochis exigi non possint, eod n. 25.

Funus. Quinam sacerdotes ad id faciendum praeferendi sint, XXV. de ref. 13. n. 16. 21. Funus ducere quando licitum sit heredi sine parochi licentia, eod. n. 17.; quando regularibus, eod. n. 20. Peragi nequit a capitulo in ecclesia regulari, eod. n. 22. Quando ei adesse nequeat capitulum, eod. n. 23. Quomodo peragere funus debeat parochus in ecclesia regularium, eod. n. 24. Quomodo fiat, si cadaver asportatur per alienam parochiam, eod. n. 25.

G.

Gradus baccalaureatus, ubi requiritur, quomodo acquisitus esse debeat, XXIV. de ref. 12. n. 14. Doctoris sive licentiati quando ad obtinendam dignitatem necessarius non sit, eod. n. 15.

H.

Habitum clericalem non deferentes aliisque requisitis Conc. Trid. carentes clerici in omnibus subsunt episcopi iurisdictioni, XXIII. de ref. 6. n. 5. 6. Constitutiones synodales, prohibentes generaliter dimissionem vel reassumptionem habitus sine episcopi licentia, non valent, eod. n. 7. 8. Clericus post dimissum habitum delinquens et eo reassumpto ecclesiae inserviens a iudice laico puniri ob idem delictum nequit, eod. n. 9. Habitum talarem deferre quando episcopus clericos iubere possit, XIV. de ref. 6. n. 1. 2. Habitum atque tonsuram non deferentes milites ord. Hierosolymit. quando beneficia retinere possint, eod. n. 3.

Homicidae voluntarii quo casu ad sacrum faciendum restituantur, XIV. de ref. 7. n. 1. Qui moderamen inculpatae tutelae excesserunt irregulares sunt neque, quamvis absoluti, concurrere possunt ad beneficia ecclesiastica absque dispensatione apost., eod. n. 3. Voluntarii non habentur neque irregulares fiunt ex homicidio, qui mandarunt, ut aliquis laederetur, si procurator fines mandati excesserit, eod. n. 12. Condemnatio curiae laicalis propter homicidium, si absolutio facta est a Congreg. Conc., irregularem non reddit, eod. n. 4. Propter homicidium in irregularitatem incidit, qui rixae ansam dedit, ex qua mors secuta est, eod. n. 14.; qui processum scripsit, vi cuius aliquis ad supplicium damnatus est, eod. n. 20. Casus, quibus dispensatio ab irregularitate homicidio contracta aut data est aut denegata, eod. 2. 5—11. 13. 15—19 21—31.

Horae canonicae, v. Canonici.

Hospitale. vide Administratio, Bona.

I.

Indulgentiae publicandae sunt ab episcopo, non a capitulo, XXIV. de ref. 20. n. 3 c. Cum certo missarum numero regularibus concessae quando cessent, XXII. de obs. et evit. n. 19.

Indulti altaribus privilegiatis concessi clausula quomodo sit interpretanda, XXII. de obs. et evit. n. 18.

Indultum iubilationis, v. Iubilationis indultum. Absentiae, v. Canonici, Distributiones, Residentia.

Interdictum an adhiberi possit, ut aliquis cogatur decimas persolvere, XXV. de ref. 3. n. 4.

Irregularitas ex defectu corporis vel ex morbo proveniens; causas in quibus dispensatio aut concessa aut denegata fuit, XXIV. de ref. 6. n. 12—31. Ex defectu libertatis, eod. n. 32 33. Ex delicto, eod. n. 37—44. Non contrahitur ab eo, cuius pater post illius natum fratrem occidit, eod. n. 7. Non oritur ex damnatione patris fratrisque, eod. n. 8. Quando contrahatur ab iis, qui a iudaicis parentibus originem trahunt, eod. n. 2—4. Propter ortum ex haereticis, eod. n. 1.; ex Turcis, eod. n. 5. Non adest in eo, qui natus ex parentibus haereticis, infans ad catholicam fidem conversus, ab haeretico baptizatus est, XXIII. de ref. 4. n. 2. Locum non habet in eo, qui natus est ex obstetrice, XXIV. de ref. 6. n. 6. Irregularis est, qui bonis cessit, eod. n. 9. Energumenus, eod. n. 10. Sacerdos, qui infantem baptizatum rebaptizavit, VII. de bapt. n. 8. Parochus, qui ab episcopo ex causis ipsi notis suspensus, etsi appellatione interposita, ministravit, XIII. de ref. n. 2. 4. Irregularis non est sacerdos, qui post oblationem hostiae factam ab altari discessit et postea celebravit, XXII. de obs. et evit. n. 1. Dispensationis ab irregularitate ad cautelam concessae exempla in sacerdote, qui sine licentia missam binaverat, eod. n. 2.; in eo, qui medicinae operam dedit, XXIV. de ref. 6. n. 34.; in irregulari ex delicto, eod. n. 35. 36; in eo, qui amens celebravit, eod. n. 11. De irregularitate ex homicidio, v. Homicidia, Homicidium.

Iubilaei publicatio spectat ad episcopum, XXI. de ref. 9. n. 3.

Iubilationis indultum canonicis concedi solitum, quibus casibus detur necne; quae sint canonici iubilati iura atque officia, XXIV. de ref. 12. n. 92—115.

Ius patronatus ex constructione nova quibus casibus competat, XXV. de ref. 9. n. 3. Non nascitur erectione ecclesiae in fundo spectante ad beneficium simplex, eod. n. 1. Non competit ei, qui ad reaedificandam ecclesiam pecuniam contulit, eod. n. 2. 5. Non probatur eo solo, quod ali-

quis praesentavit per longum tempus', eod. n. 6. Pluribus competens, quando compatrono accrescat, eod. n. 7. 13. Ut in familiare redigi possit quando concedatur, eod. n. 14. Ius patr. episcopi non extinguitur partitione dioecesis facta atque translatione beneficii iurisp. ad aliam dioec., eod. n. 4. Eius cessio propter patroni inopiam approbata, eod. n. 11. Eius venditio quando licita sit eod. n. 9.; nulla atque prohibita, eod. n. 8. Iurispatronatus nulliter renunciati exemplum, eod. n. 12.; resignationis permissae casus, eod. n. 10.

Iustitiae publicae honestatis impedimentum, v. Matrimonium.

L.

Legatum pium, quomodo fratribus minor. observ. relinqui possit, XXV. de reg. 3. n. 2. 4. 7.; vel patribus strictioris observ. eod. n. 5.; quando iis relictum cum onere perpetuo commutari debeat, eod. n. 2. 3. A communitate, quae administrationem habet, mutari nequit, XXII. de ref. 9. n. 17.

Loca pia et sacrae aedes pecuniam mutuantes indigentibus sine apost. dispens. quidquam inde recipere nequeunt, XXII. de ref. 9. n. 15.

M.

Magistri scholarum, ludimagistri, V. de ref. 1. n. 30. 31.

I. Matrimonium. Accusatio eius, quando non concedatur, XXIV. de ref. matr. n. 134. 135.

II. Forma matrimonii ineundi: A. Denunciationes v. s. h. v. B. Consensus declaratio coram parocho proprio et testibus: Parochus proprius quoad matrimonium contrahendum non est ruralis, quando rus itur recreationis causa, eod. n. 33. Matr. contractum in loco, ubi Trid. publicatum non est, si contrahentes eo animo illuc se contulerint, eod. n. 35, Contr. in alio loco, quo contrahentes se contulerunt solo animo ibi contrahendi, eod. n. 34. 36—37. Contr. per errorem coram parocho non proprio, eod. n. 38. Contr. per fraudem coram alio parocho, eod. n. 39. Tempus sufficiens ad constituendum aliquem parochum proprium, eod. n. 34. 42.; aliae causae domicilium constituentes, eod. n. 47. 48. Matr. ubi contrahendum a sponsis diversarum parochiarum, eod. n. 43. 46. Quomodo valide contrahatur coram vicario, vicesgerente, substituto, delegato parochi, eod. n. 49 — 55. Matr. contractum coram delegato parochi post licentiam revocatam, eod. n. 53. Coram parochi substituto contra synodale decretum fungente, eod. n. 54. 55. Coram vicario episcopi, eod. n. 56. Coram sacerdote et delegatione vicarii generalis per errorem personae concessa, eod. n. 57. Coram delegatis, eod. n. 58. 59. Sine parochi praesentia coram solis testibus, eod. n. 41. Coram parocho et uno teste, eod. n. 40. Coram capellano exercitus, eod. n. 60. 61. Parochus ecclesiae cathedralis num omnibus matrimoniis assistere possit, eod. n. 62. Qualis esse debeat parochi praesentia, eod. n. 63—67 Matr. contr. per procuratorem, eod. n. 69. 70. Secreto contractum, eod. n. 68. Initum sub conditione, n. 86—89.

III. Matrimonii impedimenta: Aetatis, eod. n. 95. Affinitatis et publicae honestatis inter viricum et privignum, eod. n. 100. De extensione imp. publ. hon. ex. matr. rato non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, eod. n. 101.; matr. cum viro coniuncto 2. et 3. gradu priori, cum quo matr. contr. propter imp. ligaminis nullum fuit, absque dispens. apost. contrahi nequit, eod. n. 102.; ex matr. rato non consummato, eod. n. 103.; ex sponsalibus, eod. n. 104. Cognationis legalis, eod. n. 107. Spiritualis contrahitur mandanti a procuratore, eod. n. 5. Quando inter levantem et matrem levati impedimentum non existat, eod. n. 106. Conditionis aequalis defectus non obstat, eod. n. 115—118. Consanguinitatis, eod. n. 98. 99. Criminis, eod. n. 108 109. Erroris, eod. 83. 84. Impotentiae, eod. n. 96. 97. Interdicti episcopi, eod. n. 110—113. Ligaminis, eod. n. 91. 92. Professionis religiosae, eod. 93. 94. Raptus, eod. n. 90. Temporis clausi, eod. n. 114. Vis ac metus; casus singuli, eod. n. 71—79. 82.; quando matrimonium vi ac metu contractum per cohabitationem convalidetur nec ne, eod. n. 80. 81. Impendimenta statuere nequit potestas saecularis, eod. n. 119. Ab impedimentis dispensare quibus casibus possit episcopus necne, eod. n. 120—122.; non possunt provisores et vicarii generales sede vacante deputati; et si dispensaverint, consensus est renovandus, eod. n. 123. 124. Quando causae dispensationis deficientes vel falsae non noceant, eod. n. 126—128. Cuius gradus mentio fieri debeat in disp. petenda et quando opus sit brevi declaratorio, eod. n. 129 — 131.; casus specialis, eod. n. 132. Cui competat dispensationem obtentam ad exitum perducere, eod. n. 125. 126. Renovatio consensus propter dispensationem ad exitum non perductam, eod. n. 133. Probatio ad impedimenta matr. demonstranda quaenam non sufficiat, eod. n. 136. 137.

IV. Matrimonium in infidelitate contractum; casus singuli. eod. n. 131—134.; dispensatio ab interpellatione alterius coniugis, eod. n. 132. 133.; tempus, quo peracto, interpellatione facta, dissolvatur, eod. n. 134.

V. Matrimonia mixta inita in locis, ubi Concilium Trid. neque publicatum est neque usu receptum, eod. n. 160—162. 172. In loco, ubi Trid. aut publicatum est aut usu receptum, si ibi adsit parochus vel sacerdos catholicus, ad eumque pateat tutus accessus, eod. n. 161-163. 164 166.; si hoc casu aut nullus adsit parochus cath. aut tutus ad eum accessus non pateat, eod. n. 162. 170. 172. 173. Matrimonia haereticorum, quando nulla declarentur eod. n. 167. 168 171. 174. 175. Causae, cur S. Congr. Conc. Trid. aut respondeat «ad mentem,» aut expresse nulla ea declaret, eod. n. 175., rel. Card. de Alsatia pag. 305. seqq. et annot. Secret. pag. 310. seqq. In Hollandia et Belgio, qua forma iniri possint: Decret. Congr. in forma brevis a Bened. XIV. confirm. v. p. 324. seqq.; extensiones huius decreti ad alias regiones, eod. n. 177. pag. 326.

VI. Matrimonium putativum, eod. n. 138.

VII. Matrimonium ratum, non consummatum, aliquando dissolvitur per dispensationem, eod. n. 139—147; aut per professionem religiosam, eod. n. 148—150.

VIII. Matrimonium ratum et consummmatum ut dissocietur per votum solemne, quid requiratur, eod. n. 155—157.

IX. Thori separatio, eod. n. 158. 159. cf. Sponsalia.

Metropolitanus quando invito suffraganeo facere possit visitationem, XXIV. de ref. 3. n. 1. Quibus in causis ad eum appelletur, vide Appellatio. V. Absolvere, Synodus.

fessionem in conventibus non designatis faciendam, XXV. de reg. 19. n. 23. Ad eam emittendam hermaphrodita non admittitur, eod. n. 5. Si de eius nullitate agatur, ad quem cognitio et nullitatis declaratio pertineat, eod. n. 1. 3. 5.; quomodo de nullitate sit cognoscendum, eod. n. 5. Ad declarationem nullitatis petendam quid a regulari observari debeat, eod. n. 2. 5. Casus, quibus de nullitate professionis propter novitiatus interruptionem sive ex defectu formae actum fuit, eod. n. 7. 19. Quinquennium, intra quod de nullitate agi potest, quando incipiat, eod. 19. n. 1. De restitutione in integrum contra lapsum quinquennii et de nullit. prof. quaestione ex defectu aetatis ex constitutione ordinis requisitae, eod. n. 6.; ex defectu aetatis 16. annorum, eod. n. 10. 12. 13. 17.; ex defectu corporis (morbo, infirmitate etc.), eod. n. 9. 11. 14. 18.; propter receptionem simoniacam, eod. n. 15.; propter vim metumque, eod. n. 7. 8. 15. 16. 20.

Professi quomodo ab ordinibus eiici possint, quidve in electione servandum, XXV. de reg. 19. n. 4.

Proprietas. Proprietatem regulares habere nequeunt; in quemnam usum quod iis datur convertendum sit, XXV. de reg. 3. n. 1.

Q.

Quarta funeralis, quomodo et quando debeatur, XXV. de ref. 13. n. 26. sqq.

R.

Ratio bonorum administrandorum reddenda, vide Administratio, Bona, Episcopus.

Regressus ad beneficia prohibetur, XXV. de ref. 7.

Regulares. De executione decretorum Concilii Trid. de regul. et mon. XXV. de reg. et mon. 22. Decl. et Res. Contra episcopum public insurgentes quomodo puniendi sint, XXV. de reg. 14. Decl. et Res. Quasnam valide ineant stipulationes, eod. cap. 3. n. 6. Decreta de electis, apostatis, eod. cap. 19. n. 21. 26. Regularis professus ad episcopatum assumptus an ius succedendi in hereditates recuperet, eod. cap. 3. n. 8., vide reliqua sub vocibus: Beneficia, Missa, Professio.

Reliquiae quando a regularibus exponi possint, XXV. de invoc. etc. Decl. et Res.

Removeri possunt regulares curam exercentes neque ab episcopo approbati, VII. de ref. 8. n. 21. Nequit a communitate capellanus amovibilis ab ipsa nominatus exercens curam, sine causa, ab episcopo approbanda, eod. n. 23.

Residentia. Residere debet canonicus, etsi in fundatione residentiae lex adiecta non sit, VI. de ref. 2. n. 1. Item canonicus possidens praebendam, cui annexa est parochialis, in loco ecclesiae collegiatae, eod. 2. n. 3. Tenetur canonicus theologus, V. de ref. 1. n. 18—21. Quo tempore residere debeat episcopus in ecclesia cathedrali, VI. de ref. n. 1. 2., si duas habeat dioeceses, eod. n. 3. 4. 6. (IV.) Abesse non possunt parochi a loco residentiae sine expressa episcopi licentia, nisi urgeat necessitas. VI. de reg. 2. n. 8. 9. 11.; eius causae, eod. n. 10. Coeli inclementia in genere a residentia non excusat, eod. n. 12. 15.; quando causam det absentiae sine episcopi licentia, eod. n. 12. 16. Aetas et mala valetudo non excusant a residentia, eod. n. 15.; neque parvus familiarum numerus, eod. n. 17. Residentiale est beneficium, cui adnexum est onus servitii in choro vel adiuvandi parochum, eod. n. 5—7. Residentiae personalis onus a fundatore non adiectum postea neque ab executoribus testamenti, neque ab episcopo iniungi potest, XXII. de obs. et evit. n. 16. Residentiae neglectae poenae, eod. n. 4.

Retentio plurium beneficiorum. Duorum beneficiorum, quorum alterutrum congruam non suppeditat, quamvis sint residentialia, sine dispensatione permittitur, XXIV. de ref. 17. n. 5.; si prius collatum congruam praebeat, sine dispensatione fieri nequit, eod. n. 11. (I.) Trium beneficiorum ab episcopo permitti nequit, eod. n. 9.; locum non habet sine dispensatione apost. ne in benef. quidem iuris patronatus, eod. n. 8-10. Casus, quibus concessa est, eod. n. 12. Legatorum trium capellaniarum iuris patronatus laicalis permittitur, eod. n. 10. (III.)

S.

Sacramenta. Diversi casus de eorum administratione, XXIV. de ref. 13. n. 4.; cuinam ea competat in canonicis et beneficiatis ecclesiae cathedralis infirmis habitantibus in aliena parochia atque cathedrali, eod. n. 5. 10. 11.; in parochiis ord. Hierosolymit., XXIV. de ref. 11. n. 3.; in domibus ord. Teutonici, eod. n. 4. Accessus ad ea iuste denegati exemptum, XXV. de ref. 3. n. 3.

Sacristia in ecclesiis cathedr. esse debet clericus, XXIV. de ref. 12. n. 18.

Seminarium. In quibusnam causis seminarium concernentibus episcopus adhibere debeat deputatorum consilium, XXIII. de ref. 18. n. 1. 4.; num eos mutare possit, eod. n. 2.; quasnam res solus curet, eod. n. 1—4. Episcopi iura in seminaria a regularibus erigenda, eod. n. 5. 6. Sem. translatio ad residentiam episcopi approbatur, eod. n. 7. In unione beneficiorum seminario facienda adhibendum est quatuor deputatorum consilium, eod. n. 8.; non vero capituli, eod. n. 9. Seminario nondum erecto beneficia uniri nequeunt, eod. n. 10. 11. De unione beneficiorum seminario facienda, quae vacantia a sede apost. sunt conferenda, eod. n. 12—14. A contributione pro seminario quinam generaliter sint exempti, eod. n. 15. Taxam seminarii quibus casibus solvere debeant monasteria vel beneficia monasteriis ordinum exemptorum unita, eod. n. 16—21.; quaenam beneficia ab ea solvenda sint immunia, eod. n. 22. 23.; comprehensi in taxa synodali eam solvere debent, eod. n. 24.; eam non solvunt, qui non solvunt decimas papales, eod. n. 25.; neque capellaniae mere laicales et amovibiles, eod. n. 27. (V.); solvere eam debent pensionarii eod. n. 26.; nec non beneficia iuris patronatus etiam laicalis, eod. n. 27. (II.) In seminarium non recipiuntur filii adulterini etsi per principis rescriptum postea legitimati, eod. n. 29.

Sepeliri in parochiali ecclesia quis et quando debeat, XXV. de ref. 13. n. 3. Ubi sepeliendi sint confratres laici, eod. n. 15., canonicus habitans in alia parochia quam cathedrali, eod. n. 10. 11.; famulae monialium, eod. n. 14.; puella educationis in monasterio posita, eod. n. 12. 13.

Sepultura quando tacite electa esse videatur, eod. n. 1. 2. Quando et quomodo a parentibus pro filiis eligi possit, eod. n. 4. 5. 7. Quo casu a matre filiis impuberibus eligi possit, eod. n. 6. Electa quomodo valide probetur, eod. n. 8. 9. In ecclesia monialium improbatur, eod. n. 18. Diversa de sepeliendi iure ecclesiae concesso, eod. n. 29.

Simonia non committitur in promittenda dote augenda canonicatus sub conditione praesentationis, XXIV. de ref. 14. n. 11.

Sponsalia inita inter consanguineos coniunctos intra gradus prohibitos sub spe dispensationis apost. valida non sunt, XXIV. de ref. matr. n. 1. 2. Contracta cum haereticis, eod. n. 3. Nullam certam requirunt formam, eod. n. 5. 10.; ne-

que talis ab episcopo praescribi potest, eod. n. 10. Quando facta dici non possint, eod. n. 6. Iis non obstat conditionis diversitas, eod. n. 4. Non proveniunt ex matrimonio nullo propter formae defectum, eod. n. 7—9. Spons. de futuro procedente copula carnali in matrimonium non transeunt, eod. n. 32. Ad quid obligetur qui ab iis recedit, eod. n. 11—14. Poenae publicae propter sponsorum cohabitationem prohibentur, eod. n. 15. 16. Quando error in sponsa non noceat, eod. n. 17. Ab iis recedere licet propter defectum consensus parentum. eod. n. 21. 22.; vel propinquorum, eod. n. 18, 23. 24.; mentis sponsae infirmitatem, eod. n. 26.; longam sponsi absentiam, eod. n. 20.; rerum sponso a sponsa datarum dilapidationem, eod. n. 25.; dolum malum sponsi, eod. n. 18.; voti solennis emissionem, eod. n. 19.

Suspectus allegari et recusari non potest episcopus visitans, XIII. de ref. 2. n. 6.

Suspendere ab ordinibus suscipiendis quomodo possit episcopus clericum ex informata conscientia, XIV. de ref. 1. n. 1.; quomodo ob crimen occultum ab ordinibus receptis, eod. n. 2.

Synodus dioecesana, quo casu possit convocari ab abbate, XXIV. de ref. 2. n. 3. 4.; a vicario generali, eod. n. 2. Eius decreta confirmanda atque exequenda sunt per episcopum et quomodo, eod. n. 5—8. Ad eam accedere quomodo teneantur qui beneficia simplicia vel nulla possident, eod. n. 10. 11. Ad quamnam accedere debeat abbas exemptus, eod. n. 12. Quinam interesse debeant regulares, eod. n. 13—15. Ad eam accedere coguntur qui ecclesiam exemptam tenent, eod. n. 16. 17. Quemnam in ea obtineat locum vicarius generalis, eod. n. 9. Synodalibus constitutionibus etiam capitulum exemptum subiectum est, eod. n. 18. De synodo dioecesana quae observanda sint, si idem episcopus duas habeat dioeceses, VI. de ref. 1. n. 6—8.

Synodi provincialis convocandae ius, sede archiepiscopali vacante, ad antiquiorem episcopum spectat, XXIV. de ref. 16. n. 13.

T.

Testamentum a regulari ante ingressum ordinis factum ordine suppresso non resolvitur, neque ei illud revocandi facultas datur, XXV. de reg. 3. n. 9. Quo casu regulares, mutare possint, XXV. de reg. 16. n. 7.

Theologus, vide Canonicus theologus.

Titulus ordinationis. In titulo beneficii quaenam taxa, si beneficium est residentiale, attendatur, XXI. de ref. n. 1.; quo casu detrahenda non sint missarum onera, eod. n. 2.; quaestio, an id fieri debeat, adiudicatur ab ordinario, eod. n. 4. Quando capellania taxam synodalem non attingens sufficiat, eod. n. 3. Capellania manualis cum supplemento patrimonii sufficit, eod. n. 6. Quomodo suppleri possit tit. benef. ex propriis bonis, eod. n. 12. 13. Beneficium in titulum assignatum quomodo resignari possit, eod. n. 7.; quando subrogatio alterius beneficii subintelligatur, eod. n. 8.; renunciatio vi et metu facta nulla, eod. n. 10. Tit. patrimonii neque constituitur ex obligatione personali, eod. n. 16.; neque ex hypotheca omnium bonorum. eod. n. 16.; neque in bonis mobilibus vel animalibus, eod. n. 17.; neque ex industriae reditibus, eod. n. 15. Ubi bona sita esse possint, eod. n. 18. Quando constituatur ex bonis donatis, eod. n. 19. Sine utilitate ecclesiae non admittitur, eod. n. 14. Ad quid assignans teneatur, eod. n. 20. Patrimonium sine episcopi licentia neque alienari neque renunciari potest, eod. n. 19. 21. 23—25.; quomodo fieri debeat alienatio; poenae contrafacientis, eod. n. 22.; alienationi similis est concessio in emphyteusin., eod. n. 24. Item fideiussio prohibita est, eod. n. 26. Donatio eius nulla est, eod. n. 27. Permutatio quando fieri debeat, eod. n. 28. Quo casu valida sit conditio privationis ipso iure incurrendae in assignando patrimonio, eod. n. 30. Assignationis patrimonii invalidae exemplum, eod. n. 31. Executio in beneficii patrimonialis fructus et patrimonium ipsum quomodo fieri possit, eod. n. 26. Titulus non est titulus mensae ab imperatore concessus, eod. n. 32.; neque doctoratus, eod. n. 33. Privilegia ordinationis sine titulo, eod. n. 33. Clericum ad titulum paupertatis ordinatum et eiectum societas Iesu alere non tenetur, eod. n. 34.

U.

Unionis ecclesiarum parochialium concessae exempla, XXI. de ref. 5. n. 1. 2. 4.; aliquando denegata, eod. n. 5. Non opus est in unione capituli consensu, si proceditur auctoritate delegata, eod. n. 3. Eccl. parochialium unio cum monasterio vel collegio facta, XXIV. de ref. 13. n. 2. 3.

V.

Vicarius capitularis per publica suffragia eligi nequit, XXIV. de ref. 16. n. 2. Quinam eligi nequeat, eod. n. 2. Num esse debeat doctor, eod. n. 4—7. Quando eligendus sit a metropolitano vel capitulo ecclesiae metropolitanae, eod. n. 24.; vel per devolutionem ab archiepiscopo aut episcopo viciniore. eod. n. 2. 7. Quibus casibus nulliter sit electus, eod. n. 6. 7. 9. Quando extraneus esse possit, eod. n. 8. Iurisdictionem episcopi universam habet, eod. n. 10.; ius habet renunciandi magis idoneum in concursu, eod. n. 11. Indulgentias concedere nequit, eod. n. 17. Quas dispensationes concedere possit, eod. n. 18. Mulctas in suos usus convertere non debet, eod. n. 21. Eius iura in capitulum, eod. n. 23. Quaenam ei debeantur emolumenta, eod. n. 19. Visitationem quomodo facere possit, eod. n. 14—16.

Vicarius generalis fieri nequit, qui curam animarum exercere debet, XXIV. de ref. 12. n. 31.

Vicarius perpetuus quando institui possit, XXI. de ref. 4. n. 5. 6. In quibus parochiis monasteriis unitis deputandus sit, VII. de ref. 8. n. 11. 12. Deputandus in ecclesia parochiali collegiatae unita vel pertinente ad capitulum monasterio incorporatum, eod. n. 13. 14. Quando esse non debeat regularis, eod. n. 12. Quo casu novo examini ab episcopo subiici non debeat, eod. n. 19. Regularis ab abbate deputatus vicarius ad parochiam pleno iure abbatiae incorporatam, etsi ab episcopo ad secundariam curam approbatus, an iterato se examini subiicere debeat, eod. n. 20.

Vicarius temporaneus sive amovibilis etiam monachus in quibus parochiis monasteriis unitis deputari possit, eod. n. 15. Ad curam actualem exercendam constitui potest, si habitualis sit apud capitulum, eod. n. 16. Vicarius ab iis, quibus unita est ecclesia, « nominandus » ab episcopo « deputatur, » eod. n. 18.

Voluntates ultimae, a quo mutari possint, XXII. de ref. 6. n. 1. Quomodo commutandae sint, si ob causas impleri non possint, eod. n. 2. Commutationis exempla, eod. n. 3—7. 9—11.

Votum continentiae. Casus quibus ab eo dispensatum est in subdiacono, XXIII. de ref. 13. n. 1.; in diacono, eod. n. 2.; dispensationis denegatae exempla, eod. n. 3. 4.

Votum solenne, v. Matrimonium, Sponsalia, Professio religiosa.

CONSIGLIO GENERALE

DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli 6 novembre 1858.

Vista la dimanda del signor Raffaele Marotta, con la quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata: *Canones et Decreta Concilii Tridentini*.

Visto il parere del Regio Revisore signor D. Girolamo d'Alessandro.

Si permette che la indicata opera si stampi; ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto essere la impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato Presidente provvisorio: *Capomazza*.

Il Segretario generale: *Giuseppe Pietrocola*.

COMMESSIONE ARCIVESCOVILE

Nihil obstat
Vincentius Sannicandro
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Deputato
Leopoldus Ruggiero

Gli esemplari che non saranno muniti della seguente firma, si terranno come contraffatti.

L'editore